


915462
kat.komp.
Mag. St. Dr.
III

Teol 29 ḂA B



223.

D 358

Theol

DEUS IN ESSENTIA UNUS, IN PERSONIS TRINUS, SEX DISPUTATIONIBUS Theologicè

Propugnatus

Bibliotheca Collegii Juridici

A
R. P. ADRIANO MIASKOWSKI,
SOCIETATIS JESU
THEOLOGO.



PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, Annô M. DCC. XXIII.


BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS
915462
III

CELSISSIMO PRINCIPI
ILLUSTRISSIMO, & REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO,

THEODORO

A POTOK

POTOCKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ

ARCHI-EPISCOPO
GNESNENSI,

LEGATO Nato, Regni POLONIÆ, & M.D.L. PRIMATI, Primóque PRINCIPI. ABBATI Commendatario Tynecensi, Domino, & FUNDATORI Munificentissimo.



Uem pectore, & mente complexus es DEUM, ARCHI-PRÆSUL CELSISSIME, *illum dexteræ Tuæ porrigo, ut cujus Nomen ubique forti brachio attollis, etiam Scientias ad manum habeas. Jam quidem Palladem inter penates, Tullium inter do-*

mestica admisisti numina, DEUM quoque Maximum in suis Disputationibus, quem vasto capite comprehendis, in conclave recipies; illiúsque libro dabis magna Nomina, qui POTOCCIOS *ad Stemma Crucis admisit. Theologia Scholastica Eruditorum thesaurus est, & docti talentum Capitis; nullibi securiùs, quàm sub Primatiali Cruce Tua veluti apud Tyberium habitabit. Princeps Domus Tua,* ANTISTITUM MAXIME, *terrestrium Superûm Olympus est, & non unius Poloni Jovis cælum, facilè verò patebit Tonanti, ut in honoris Tui Ara Theologorum DEUS adoretur: & in* POTOCCIANÆ *dignitatis Zodiaco orbem illustret eruditum Sol Justitiæ. Nunquam majorem Theologico operi meo impono coronam, quàm dum Te gemmam Præsulum, & Principum Poloniæ unionem illi insero, Cruces verò Avitæ postquam non unius Mitræ Apex extiterunt, sic in Te Vice-Rege Poloniæ, Authoris vota coronabunt. Tuo proinde honori,* PRINCEPS CELSISSIME, *Theologiam meam consecro, qui non Poloni tantùm, sed etiam literarii Regni Primas es, in Sapientûm Republica Senator primus diceris, & Regum Poloniæ Coronator, & ingeniorum Corona. Majora convenisse nomina haud vidimus, ni-*

sì

Bibl. Jag.

sì cùm Tu, & Sarmatiæ, & Theologorum Prin-
ceps adoraris, inter altiores Scientias Celſiſſimus,
in eruditorum curſu Planetarum, motrix intel-
ligentia. Primatialis Infulæ Tuæ, non humilis
Apex eſt ſublimis eruditio, Pontificii annuli
ingens Adamas Theologia, & Præſulei Scipionis
grande fulcrum ſolida Sapientia. Magna li-
brorum fortuna eſt, non in fronte tantùm ſui
deferre Mecœnatem, verùm & docto illius Capi-
te comprehendi, ità manibus teri volumina, ut
ad mentem ſint. Sortem hanc domi Tuæ repe-
rit Theologia mea, PRINCEPS MAXIME, cui non
librorum tantùm copia ad manum, ſed ipſum
Bibliotheca Caput, illos tibi Codices inſcribi pa-
teris, quos eruditæ menti impreſſiſti. Tui enim
claritas ingenii Theologico Phœbo accendit meri-
diem, Peripati obſcurum, evidens facit, & no-
ctes Atticas Illuſtriſſimas. Eruditum proinde
Caput Tuum, quiſquis triumphantis Capitolium
doctrinæ, aut ſanctioris Minervæ cunas dixerit,
ad mentem Theologorum omnium protuliſſe ſen-
tentiam cenſebitur. Sed quid ego Solem in ta-
bula exprimo? aut Oceanum contracta Tullii ma-
nu exhaurio, dum CELSISSIMI PRINCIPIS docta
lumina Oratoriô adumbro ſtylô, & Scientiarum

Archipelagus fontibus augeo Eloquentiæ. Sufficiet POTOCCIORUM *Gentem dicere, & Principum, & Sapientûm Patriam, Senatum ingeniorum, Castra Palladis trabeatæ. Quos proinde in Lechia titulorum radios doctis Capitibus, quos Principatus à Regnatrice Scientia meruistis* POTOCCII? *Pauciores alibi homines, quàm vobis Quirites, plures Lechico in cælo astrorum Principes* POTOCCII, *quàm radii alieno sub sole: quotquot* PILAVAM *in Ceris exprimunt, omnes à cunis Patritii, cum fasciis non uni purpuræ obligati. Unus Procerum castra facit Pater Patriæ, & Tuus, Illustrissimus* PAULUS POTOCKI *Castellanus Camenecensis, quem rupes illa, & Lydius Regnorum, ità aureum probavit Senatorem, ut omnes æstimarent. Implevit ille dotibus magna nomina, cùm pro* DEO *Apostolus, in Areopago alter à facundia Paulus, in castris cum Tutelaris gladio, Gradivus Poloniæ dicebatur. Hoc verò præcipuè Solem se Podoliæ monstravit, cùm post Occasum Sui plurima Polono cælo accendit sidera in tot Filiis Illustrissimis. Ingens enim Patris spiritus, paucioribus natis dividi non potuit, & purpurati Mare Sanguinis, per exiguas Venas haud debuit exundare.*

Igi-

Igitur ex Connubiali Annulo cum Illuſtriſſima JARMOLINSKA,*gemmam Procerum reliquit Illuſtriſſimum* STANISLAUM POTOCKI *Caſtellanum Kiiouiæ. Vir hic ità titulis congenitus fuerat, quaſi illum honor genuiſſet matre Fortuna. Illum, quia nobis invidit cælum, maturè rapuit, oſtendit tamen,* POTOCCIOS *poſt Lechiæ faſces cæli fieri Patritios, poſt purpuram, æternæ candidatos gloriæ, à Senatûs Lechici Corona, ad æthereum vocari diadema. Secundiſſimô vinculô illam ſibi adſtrinxit Sponſam, Illuſtriſſimam* SOLTYKOWNA, *Parens Veſter, quæ magnos Moſchoviæ Duces, & integrum Orientis Imperium in ſuam traxit affinitatem. Hæc ſi prioribus vixiſſet ſæculis, Honoriorum Mater, & non unius Alexandri Olympia dici meruit. Patuit id in Illuſtriſſimo* ALEXANDRO POTOCKI, *Palatino Smolenſcenſi Fratre Tuo, qui Magno Major Macedone, non unum Orbem gloriæ, honori ſuo debellavit. Alexander hic non mundi tantùm, ſed animorum quoque extitit Triumphator, poſtquam hoſtes Patriæ præliô, Regnum meritis, omnes devicit affectibus. Nôſſe illum, ſi quis ambiat, videri poteſt in gemino Filio, uterque Phœbi Patris magna exprimit parelia, & extincti*

 vi-

viva imago est. Illustrissimo PETRO POTOCKI
Castellano Betzensi, itidem Fratri Tuo, quasi Cla-
viger Petrus, portam auream reserâsset ad pur-
puras, ità se illi honorum pandit janua: Non ta-
men hic annus gratiæ est, sed meritorum, quia
hanc solùm vir iste petit Indulgentiam, quæ illum
à laboribus Patriæ minimè absolvat. Et hoc est
solidæ Virtutis indicium supra Petram stare, un-
de non aliter licet ruere, nisì ad titulos altiores.
Discite secuturæ ætates ab hoc Senatore, trabeas
nisì hostium sibi pingere Sanguine, à gladio ad se-
cures Patritias manum extendere, & fasces tra-
beatos victricibus innectere laureis. Illustrissimus
MICHAEL POTOCKI Subdapifer M. D. Litva-
niæ, dum Patriæ epulas instrueret, cælo ad gustum
obvenit. Hunc quia edax fatum ad Regni da-
pes citò absumpsit, omnem in illo ingentium ho-
norum spem devoravit. DOMINICUS, & JA-
COBUS POTOCCII, ille Mars Poloniæ, hic Capi-
taneus Circassiensis, cor, & mentem memoris oc-
cupant adhuc Lechiæ, postquam ex oculis abie-
runt, etiam in fatorum obscuro umbræ clarissi-
mæ, in cinere mortuali perennis gloriæ Phœnices,
post breves annorum dies, coronâ digni sæculorum.
Illustrissimus STEPHANUS POTOCKI Referenda-
rius

rius Regni, in Reipublicæ facie aurei Oris Orator, inter belli fulmina Heroum gemma. Quoties in Regni Comitiis pro libertate loquitur, Tullium ſe credit audire Roma, vel Demoſthenem Athenæ, verborum gemmas tot facundo ab ore proferentem, quæ ad pacis publicæ ſufficiunt unionem. Communis Poloniæ tranquillitas, ceu Minerva tunc naſcitur, cùm Jupiter hic Sarmaticus pro imbre aureo, divitem Suadam, & ſermones pretioſos ab ore fundit. Didicit à Magno Patre non impar Filius, Illuſtriſſimus JOACHIMUS POTOCKI Capitaneus Trzbovlenſis pro Regno loqui, cùm Sereniſſimum Regem Varſaviæ ſalutaret, ubi grandævum Catonem, & canam Lycurgi prudentiam, in prætextato Oratore audiviſſe ſe miratus eſt Orbis Lechicus. Utinam puſio hic Alcides creſcentibus annis pro Atlante Patre purpureo brachio cælum Patrium ſuffulciat, & juventutis ſuæ flore vota coronet Sarmatiæ. Tandem Judicia Illuſtriſſimi Referendarii quid agant? extinctis juſta perſolvunt ſceleribus, & ſi quæ vitiorum noctes ſerpunt alicubi, diem illis dicunt, ut obſcurent. Hi Fratres Tui, PRINCEPS CELSISSIME, hoc eſt, una Tecum Conſanguinitatis ab arbore rami, vel aureæ Xerxis platani, & quæ-

libet arbor una Nemus. Reliquos Gentis Vestræ Dynastas si referre præsumerem, mundi evolvenda esset Historia, Bellonæ legendi fasti, ubi cruentô ferri stylô purpurea scribuntur Nomina. Recensere ex POTOCCIIS *Senatum sæculorum labor est, ubi quilibet in Avita cruce non unam dignitatum numerat decadem, & adhuc omnibus absolutus numeris Senator est. Duos non pridem Castellanos Cracovienses* POTOCCIOS *Polonia adoravit, hoc est, in Reipublicæ veluti Jani facie, geminam frontem Senatûs, in honoris alto celsissima fastigia, & in Lechicorum Consessu Numinum, Uno minores Jove Deos. Intinctâ Pactolo pennâ quadraginta, & octo ex* POTOCCIIS *Palatinos in immortalis gloriæ fastis annotavit honor, & non unum regale folium implevit. Tredecim Exercituum Duces sub cælum usque Sarmaticæ efferunt Aquilæ, gaudétque Gradivus, quòd his sub Fabiis* POTOCCIANÆ *gloriæ militaverit. Insuper præluserunt Honori Tuo Primatiali,* PRINCEPS CELSISSIME, *duo Vice-Reges Poloniæ* POTOCCII: *Unus per diploma SIGISMUNDI III.* STEPHANUS POTOCKI *Palatinus Braclaviensis, alter abeuntis ad Vieñam JOANNIS III. voluntate* ANDREAS POTOCKI *Castellanus*

Cra-

Cracoviensis, gemini isti in polo Poloniæ Soles dignitati Tuæ præluxerunt, & viam Regiam triverunt ad Vice-Regiam Majestatem. Plura Domûs Vestræ sidera Illustrissima, quæ jam alteri orbi æternos accendunt dies, perstringens lux oculos vetat aspicere. Viva proinde Majorum cerno lumina, Illustrissimum JOSEPHUM POTOCKI *Palatinum Kiioviæ: istius heroicas dotes, & in Senatu oracula dignè eloqui, nè quidem admirabilis Eloquentia sufficeret: satìs est laudâsse, quòd illi pro Illustrissimo Capitaneo Haliciensi, tantum obligata debet Polonia, quantum Jovi pro Hercule, pro Achille, Peleo, obstricta sunt sæcula. Illustrissimus Palatinus Betzensis, Vir ad Curulem natus, multum honoribus fecit pretium, dum se illis Senator aureus concederet. Illustrissimus Regni Notarius, hoc calamo pridem ad trabeas notatus, non pericula tantùm ab orbe Lechico hac peña proscribit, nec sola hostium delet castra, sed toties Mareschalcus Tribunalis Regni, in Decretis suis ipsi subscribit Justitiæ, Crasnostaviense Societatis JEsu Collegium, non marmori tantùm, sed cordibus suum inscribit Mecœnatem, sempérque in laudibus Fundatorii Nominis, primum vivens erit, æternam spirans gratitudinem. Illustrissimi Fratres Excubia-*

rum Regni, & Magni Ducatûs Litvaniæ Præfecti, Uterque nobilior Argus Sarmatiæ, plùs quàm centum oculorum merentur respectus, quòd pericula Patriæ à longè prævideant, & avertant. Leones hi Sarmatici Coronâ digni im̃ortali, quòd apertâ semper palpebrâ excubent in commoda Poloniæ. Illustrissimus Capitaneus Ttumacensis, viva Virtutis imago, quam pro penicillo Sol Justitiæ depingit radiô, pridem ille in honoris templo Aras meruit, nisì emeritos cultus recusaret. Sed quorsum se extendit Oratio? per vastum generis Tui mare jactabamur, PRINCEPS MAXIME, *jam defessô stylô Tu littus honoris. Longam* POTOCCIANI *honoris viam decurrebat Suada cum Hyppomene, in Te stare debet, postquàm illi Vice-Rex Poloniæ pomũ aureum objecisti. Isti, quos hìc attigimus, Ducalis Mitræ Tuæ pyropi sunt, Primatialis Annuli gemmæ, & Præsulum Violis Rosæ Consanguineæ. Te postquam purpureis cunis exemit Lucina, flos adhuc juventutis, maturus ad tiaram dicebaris, ità gloriæ adoleveras, ut primo ætatis vere manipulos titulorum posses colligere. Et hoc fuerat liliatæ Virtutis Tuæ prodigium, quæ vix nata canitiem induit probitatis. Et quia non in unius Regni commodum natus fueras, extra Patriam, non tamen*

ul-

ultra recti limites abiisti. Peregrina Regna Phœnicensium more hospitem Te adorârunt, quasi jam in illo tenerioris vitæ ortu Solem Præsulum Te prævidissent. Lustrâsti Provincias, & ubique Spectator spectandus eras, plus in Te videndum Regnis obtulisti, quàm aspiceres. Agnoverunt in Te candorem suum lilia Galliarum, qui vel ex Sanctitatis Odore prodebatur. Rhenus, & Sequana in gaudiis natare visi, cùm Te suo in littore profundæ mentis juvenem adorârunt. Tandem orbis Capiti Romæ ad mentem fueras, postquam de illo Urbium vertice Septicolli, non aliter prodiisti, nisì Scientiarum Numen. In Collegio Romano Societatis JESU Sacræ Theologiæ Doctor, non unam laurum ante Infulas accepisti, multis præripueras palmam ante pedum Pastorale. Palàm in illo orbis theatro fuerat, Lechicæ pullos Aquilæ POTOCCIOS, *non fulmina tantùm belli deferre Jovi, sed & Aquinaticos soles serena mente sustinere. Didicit Latium etiam intrà mentis Tuæ profundum mare fluere Theologicum. Redeunti in Patriam honor obvius Infulas ingerebat Capiti, Culmensem admisisti, cùm omnes merebaris. O! quantus hic in Te Præsule zelus! clariùs ardebant Altaria, quæ* POTOCCIORUM *alebant Ceræ. Tem-*

plorum nitor non parvum Te Platonis mundum, ſed orbem decorum proclamavit. Mitior Diſſidentium Hydra conſpecto Te Hercule Religionis, non clavă tantùm à Ducali POTOCCIORUM *gente timuit, ſed etiam Præſulei Zeli admotam ſibi facem. Urebat venenata hæc capita Virtutis Tuæ ardor, poſtquam in multorum animis Lernam ſuam extingui doluerunt. Ut verò Diœceſim illam Sapientiæ Domum faceres, in Collegio Thorunenſi Societatis JESU Theologiam illi fundâſti; nec mirum, quòd ille, qui Romanam Sapientiam ſui admiratione ingenii non ſemel ædificavit, etiam in Polonia Scientiis ædem conſtruxit. Nec ſolùm his in ſcholis unica Tu diſputantium concluſio, ſed omnibus quoque Inſulis grande diſceptaudi Argumentum: quem dum omnes defenderent Cathedræ, non concedebant, nisì Sibi. Et quia Princeps pacis es, ut certantium de Te titulorum reſcinderes jurgia, Ducalem Varmiæ gladium honor obtulit, quô bellantes inter Tiaras fœdus percuteres. Vicit ergo in Signo* POTOCCIANÆ *Crucis Varmia, cùm Te grande ſpolium reliquis præripuit honoribus. Capiti inhians Celſiſſimo Princeps Mitra gloriosè triumphavit, cùm obſedit tantùm Tuum Verticem. Tu verò, Varmienſis Præſul, nè*

in-

inter dignitates solùm eminere videaris, numerosissimo Virtutum exercitui Ducem Te præbuisti. Quæ sola æquat Superis homines clementia, ità Tuum possedit pectus, ut Sarmatici olympi Numen faventißimum, & inter terrestres Deos Jupiter absque ullo irarum fulmine dicereris. Ex omnibus Princeps, Cæsar es ex utroque, cum Te multa charis, & innumeri favores suum deprædicant Gratianũ, æquitatis amor non detorto nomine exhibet Justinianum. Inter prodigiosas virtutes Tuas miraculum Principum est demissio Celsissima, tunc vel maximè extollitur, cum omnibus acclinis est, & profundum humilitatis Tuæ sublimis gloriæ altum nuncupatur. Quid de Principe in egenos dicam munificentia? quibus cæca est felicitas, Tuis vivunt respectibus. Aridas fortunarum glebas divite reficis pluvia, melior Tonans Sarmatiæ, & cùm in miseros fulminat adversitas, non jam sub laurum, sed ad liberales palmas Tuas confugiunt. Quoscunque opum siccitas maligno exhausit æstu, in illos beneficiorum Tuorum plus quàm septem ostiis Nilus effunditur, ubi ità jejunos opum campos irrigat, ut sibi Ægyptiam messem gloriæ, sementem laudis pariant. Egenam quoque Religionis Hæresim abunde in Brunsber-

 gen-

gensi Seminario Orthodoxa liberalitate ditaveras, cujus paupertati divites census providisti. Fugiunt ad Romanæ Veritatis aras malæ fidei rei. Te Duce illustrari se sinunt à zeli Tui radiis. Numerum etiam Oratorium excederet stylus, si recenseret omnes, quotquot Hæresim ejurârunt ad Avitas Cruces Tuas, damnârunt Lutherum Te Judice. Non jam Amphionis miramur Citharam, postquam fides Tua, PRINCEPS RELIGIOSISSME, *plurimos ab inferis reduxit Acatholicos, & non unas Religioni veræ Thebas cum plausu ædificavit, multos in fide stantes vidimus, quos ab errorum barathro divite manu extrahis, hoc est, & verbis, & numis Orthodoxam persuades fidem. Plurimi cæcitatem suam deplorant, postquam oculatam fortunam Tuam respexerunt, damnant mentis inopiam, quibus liberalissimus Præsul non uno in lucro fidem posuit. Et hoc est verissimum Ecclesiarū Pastorem esse, non verbô tantùm Veritatis oves alere, sed errantibus etiam, ubi redierint ad ovile Christi, pascua providere. Postquam verò viva Numinis templa sic ædificas, quid de reliquis proferam Ecclesiis? quasi Memnonis è marmore illas construeres, sic pleno ore Te suum celebrant Fundatorem, & tanquam vivo ex argento Aras fun-*

de-

deres, ſic Tuis ſpirant elogiis. Ex ſe celſiſſimas, adhuc tamen attollunt Cruces Tuas, ſacratæ turres, quæ poſtquam laudibus Tuis terras impleverint, ſub cælos uſque facunda pertingunt facie. Varſavienſe Societatis JEſu Templum, & Domus, Regia ſunt liberalitatis Tuæ, unde non aliter, nisì Gneſnenſium Sacrorum Rex prodiiſti. Quòd pulchriùs Ignatianæ tumbæ aſtra fulgeant, Tibi publicam debent lucem, quibus Religioſum fundâſti cælum. Quòd illatus à DEO ignis S. Loyolæ non incongruè ibidem ardeat, clarum eſt, cui Tu Aras excitâſti. Non uni tantùm affixus ædi, ibis per ora univerſæ per orbem Societatis JEſu. In ſancti Parentis cineribus expriment Te ſibi Romani Socii, nam & Tu Secundus Religionis noſtræ Pater es. Indi divites, plùs aurô Nomen Tuum æſtimabunt, ultimis etiam mundi partibus ejecti, cordibus Te impriment, quorum Fratres tot beneficiis animâſti. Polona verò Societas in Varſavienſi Templo ceu Veſtalium attendet aris, hoc eſt, erga Te perenni ardebit gratitudine, & POTOCCIANI Imperii æternùm cuſtos flam̃a erit. Tot igitur Virtutum ſuffragiis candidatum, Electoralis Regum campus Varſavia, Vice-Regem Poloniæ Te nominavit, urbs hæc, quæ Principes Lechicos ad Sceptra vocat, to-

tius Poloniæ Votis imposuit Coronam, cùm Tibi Gnesnensem dedit Archi-Tiaram. Confluentes ad Comitia Regni Palatinatuum Nuntii, veriùs Legati à latere Poloniæ fuerant, ut Te ad Ducalem Mitram exposcerent, dicam potiùs Mercurios, qui non aliter Varsavia abire voluerunt, nisì pro interprete Virga Archi-Præsulea POTOCCII *nixi Cruce. Tibi igitur Primati Regni primum Theologiæ meæ dedico Volumen, conscripto Patri Patriæ folia submitto scholastica, & totum me affundo plantis Principis. Restat tantùm, ut Principem Purpuram Tuam, quam iñumeri pro Deo, & Patria sudores pinxerunt, serò, ô! si nunquã! fatalis arrodat tinea. Præsuleas quoque Violas ità faventes alant Etesiæ, ut fatali gelu non marcescant. Decet enim, ut qui meritis iñumeras superas ætates, vincas & sæcula, cum Primatiali Mitra Coronam annorum emerito imponas Capiti. Hoc Universæ Societatis Votum, hoc Provinciæ Polonæ. Idem à Superis precatur*

CELSISSIMO NOMINI TUO

Obligatissimus servus

ADRIANUS MIASKOWSKI S. J.

Approbatio
CELSISSIMI PRINCIPIS EPISCOPI CRACOVIENSIS.

IMPRIMATUR

PRævia Revisione per Ordinarium Librorum Censorem, & Recognitione per Admodum R. P. Provincialem.

CONSTANTINUS SZANIAWSKI
EPISCOPUS CRACOVIENSIS.

(L.S.)

Approbatio Perillustris, Reverendissimi Censoris Librorum in Diœcesi Cracoviensi.

OPus Theologiæ Speculativæ, cui titulus: *DEUS in Essentia Unus, &c.* ab Admodum R. P. ADRIANO MIASKOWSKI Societatis JESU Theologo, Rectore Collegii ad Ædes SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Viro æquè emeritissimo, ac Eruditissimo conscriptum, diligenter legi, in quo, cùm nihil non ad veræ Fidei normam exactum, nihil non eruditè, & solidè tractatum inveni, ideo ut detersâ typi sepiâ, tyronibus profuturum, doctis, & eruditis probandum, ac placiturum luci publicæ exponatur, dignum censeo, ac do facultatem. Datum in Collegio Majori, Annô Domini 1722. 13. Calendas Novembris.

M. MARTINUS WALESZYNSKI SS. Theolog. Doctor, & Professor, S. Floriani Canonicus, Scarbimiriensis, & S. Michaëlis in Arce Crac. Custos, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarius Censor, & pro tunc Studii Universit. Crac. generalis Rector.

APPROBATIO R.P. PROVINCIALIS.

STEPHANUS SCZANIECKI
Præpositus Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

CUm Opus, quod inscribitur: *DEUS in Essentia Unus, in Personis Trinus*, à P. Adriano Miaskowski S. J. Theologo conscriptum, aliquot Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A.R. P. Nostro Michaële Angelo Tamburino Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ità videbitur. In cujus fidem has literas manu mea firmatas, & sigillo munitas dedi. Mariæburgi 9. Septembris 1722.

STEPHANUS SCZANIECKI S. J.



PROOEMIUM.

TRactatûs præſentis Materia, & Objectum illud eſt, quod erit Objectum totius felicis æternitatis, quô visô, intellectus creatus, & quo per amorem beatificum poſſeſſo, voluntas creata perfectè ſatiari, & ſummè felix reddi debet. Nimirum, DEUM in Eſſentia Unum, & in Perſonis Trinum, quem (ùt in Divina Miſericordia confidimus) poſt mortalem hanc vitam, in aliam immortalem translati, facie ad faciem viſuri ſumus; nunc per præſentem Tractatum, in ænigmate per cognitionem ex creaturis, & per ſpecies rerum creatarum, juxta principia Fidei, contemplabimur. Utinam hæc in ſpeculo cognitio Divinitatis acuat appetitum noſtrum ad deſiderandam perfectam, & beatificam ejuſdem cognitionem! utinam cor ità amore DEI accendat, ut non evaneſcamus in cogitationibus, & ſpeculationibus Theologicis circa DEUM, ſed ipſum toto mentis affectu glorificemus. Porrò Tractatus hic complectetur ſex Diſputationes: Prima erit de Eſſentia, Attributis, & Exiſtentia DEI. Secunda de Simplicitate ejuſdem. Tertia de Inviſibilitate DEI, ejúſque Viſione beata. Quarta de Scientia DEI. Quinta de Voluntate Divina, ejúſque Libertate, & Providentia. Sexta tandem de Sanctiſſima Trinitate, & Perſonis Divinis tam in communi, quàm in particulari.

DISPU-



DISPUTATIO I.

De Essentia, Attributis, & Existentia DEI.

Disputationem hanc duplici Quæstione absolvemus, quarũ I. erit, de Essentia Divina, & Attributis. II. de Existentia.

QUÆSTIO I.

De Essentia Divina & Attributis.

PUNCTUM I.

De Essentia Divina.

PLura sunt circa Essentiam Divinam resolvenda. Hæc per diversa Quæsita proponentur ac resolventur duplici §.

§. I.

Circa Essentiam DEI aliqua Quæsita resolvuntur.

Quæritur I. *Quid, nomine Essentiæ Divinæ veniat?*

1. Respondeo per Essentiam DEI intelligi prædicata ipsius DEI, DEO, per realem cum ipso identitatem, convenientia. Quemadmodum per Essentiam unius cujusque Rei, intelligitur esse ejusdem Rei, ejusque prædicata, quæ illi per realem cum ipso identitatem conveniunt.

2. Porrò, Prædicata DEI, alia sunt necessaria, alia non necessaria. Prædicata necessaria, sunt Perfectiones DEI, quæ ipsi necessariò conveniunt, & quas implicat, DEO non convenire. Prædicata, non necessaria, sunt, quæ taliter in DEO sunt, illique conveniunt, ut potuerint non esse. Talia Prædicata DEI sunt: esse volentem dare Petro auxilium A; esse scientem proditionem Judæ. Prædicata necessaria DEI, alia sunt absoluta, alia Relativa. Prædicata necessaria absoluta, sunt perfectiones & rationes in DEO, eidem necessariò convenientes. & omnibus Personis SSS. Trinitatis communes, quales perfectiones sunt: esse Omnipotentem, Immensum, Æternum, Infinitum &c. Hæc prædicata dicuntur absoluta, non quia non dicunt ullum respectum & Relationem realem; Omnipotentia enim est prædicatum absolutum. quæ tamen dicit Relationem & respectum realem ad effectus, quos potest producere; Sed quia hujusmodi prædicata non dicunt Relationem & respectum realem terminatum ad intra; hoc est, ad terminum, realiter identificatum naturæ, seu Essentiæ Divinæ. Prædicata DEI Relativa, sunt prædicata Propria Divinarum Personarum, qualia sunt: esse Patrem, esse generantem, esse Filium, esse genitum, esse Spiritum S. esse procedentem à Patre & Filio. Hæc prædicata dicuntur Relativa, ex eo: quòd unumquodque referatur ad intra, hoc est, ad terminum realiter identificatum Essentiæ Divinæ; E. g. Pater refertur ad Filium, qui identificatur realiter essentiæ Divinæ, Filius refertur ad Patrem itidem identificatum Essentiæ Divinæ &c.

Quæritur II. *Essentia, Quidditas, & Natura, an differant in Divinis?*

3. Respondeo: hæc quoad rẽ non differre, nisi quoad modum concipiendi. Quidditas enim est ratio, per quam respondetur ad interrogationem: quid sit Res? Essentia, est ipsum esse Rei, seu prædicata, quibus res constituitur in suo esse. Natura, est

eſt principium emanativū ſuarum proprietatum. Sed in DEO, unum idémque eſt tam id, per quod reſpondetur ad interrogationem: quid eſt res? quàm ipſum eſſe DEI, & prædicata, quibus DEUS conſtituitur in ſuo eſſe, quàm etiam principium emanativum proprietatum DEI. Ergo.

4. Licèt verò Eſſentia, & Natura in Divinis, ſint idem realiter, & pro eodem ſumantur; hæc tamen videntur ſaltèm ex modo noſtro concipiendi, differre. Tum quia, conceptus Eſſentiæ eſt abſolutus; conceptus naturæ, eſt quodam̃odo relativus. Natura enim ex ſuo conceptu eſt principium operationis ad intra, ſeu emanationis ſuarū proprietatum. Eſſentiæ verò conceptus eſt, eſſe aliquid in ſe, ſeu habere prædicata realia, ſibi, per identitatē realem convenientia, quibus res hæc, vel illa conſtituitur. Tum quia, conceptus Eſſentiæ habet ſe per modū inclusi; Conceptus Naturæ habet ſe per modum includentis. Siquidem Natura, ſecundùm S. Doctorē Angelicum, in opuſculo de Ente & Eſſentia: *Eſt ipſa Eſſentia, ſecundùm quod habet ordinem ad propriam operationem.* In quo cōceptu includitur conceptus Eſſentiæ.

Quæritur III. *Eſſentia Divina quotupliciter accipi ſoleat?*

5. Reſpondeo: Eſſentiam Divinam ſumi tripliciter: Theologicè, Phyſicè, & Metaphyſicè. Theologicè accipitur Eſſentia Divina, quando accipitur ſecundùm prædicata Divina, neceſſaria, abſoluta, toti Trinitati com̃unia, prout diſtincta aliqua ratione à prædicatis Relativis. Hæc enim prædicata, nomine eſſentiæ veniunt apud Theologos, Concilia, & Patres; dum dicitur Eſſentia eſſe res, quæ non generat, non generatur, non ſpirat, non ſpiratur &c. Jam verò dum Paternitas dicitur generare, Filiatio dicitur generari, Spiritus S. ſpirari; dum item DEUS dicitur unus in Eſſentia, per Eſſentiam intelligitur Eſſentia Theologicè ſumpta. Eadem Eſſentia Theologicè ſumpta dicitur etiam Natura, prout nimirum intelligitur eſſe emanativa proprietatum Perſonalium & Relationum, nimirum Paternitatis, Filiationis, & Spirationis paſſivæ; emanativa inquam per cōmunicationē ſui tribus prædictis Perſonalitatibus Divinis, ſeu per realem identitatem cum iiſdem. Præterea Eſſentia Divina Theologicè accepta, dicitur alio nomine Eſſentia Divina adæquatè intēſivè accepta, hoc eſt, ſumpta, ſecundùm omne id, quidquid eſt perfectionis in DEO abſolutæ, toti Trinitati cōmunis.

6. Phyſicè accipitur Eſſentia Divina, quando ſumitur ſecundùm omne id, quidquid à parte rei, & in ſenſu reali, per identitatem realem, eſt DEUS. Adeóque quando ſumitur non ſolùm ſecundùm prædicata abſoluta Divina, ſed etiam ſecundùm prædicata Relativa, ſeu Perſonalitates Divinas. Rurſus Eſſentia Divina ſumitur Phyſicè, vel adæquatè non ſolùm intenſivè, ſed etiam extenſivè, vel inadæquatè extenſivè, quamvis adæquatè intenſivè. Adæquatè tam intenſivè, quàm extenſivè ſumitur Eſſentia Divina, quando ſumitur non ſolùm quoad omnia prædicata abſoluta, toti Trinitati Communia, ſed etiam quoad omnia prædicata Relativa, hoc eſt, quoad omnes Perſonas Divinas, ad quas per Communicationem ſui, ſeu per identitatem realem, ità ſe extendit Eſſentia Divina, ſumpta pro prædicatis abſolutis, toti SSS. Trinitati communibus, ut ultra jam ſe non extendat. Adæquatè intenſivè, jam verò inadæquatè extenſivè ſumitur Eſſentia Divina, quando ſumitur ſecundùm omnia prædicata abſoluta, toti Trinitati communia, & præterea ſecundùm aliquod, vel ſecundùm aliqua prædicata Relativa, hoc eſt: ſecundùm unam, vel ſecundùm duas Perſonalitates Divinas, non tamen ſecundùm omnes. Adeóque ſumitur ſecundùm aliquid, ad quod ſe extendit Eſſentia Divina, non ſumitur verò ſecundùm omne, ad quod ſe extendit, & cui ſe communicat per identitatem Eſſentia Divina. Taliter inadæquatè accipitur Eſſentia, ſeu eſſe Divinum, dum Dicitur: DEUS incarnatus. DEUS enim prout ſe extendit ad Perſonam Divinam Filii, eſt incarnatus; non autem prout ſe extendit ad Perſonam Patris, aut Spiritûs S.

Adverto: Eſſentiam Divinam adæquatè tam intenſivè, quàm extenſivè acceptam, eſſe Eſſentiam propriè Phyſicè ſumptam; ſeu Eſſentiam prout eſt à parte rei, & prout excludit conceptus præciſivos. Eſſentiam verò extenſivè inadæquatè, licèt adæquatè intenſivè acceptam, non eſſe Eſſentiam ità Phyſicè ſpectatam, ut excludat conceptum præciſivum; hunc enim neceſſariò dicit, quatenus ſinè aliqua Perſonalitate accipitur, ſinè qua accipi non poteſt, niſi dependenter à conceptu præciſivo Eſſentiæ ab eadem Perſonalitate. Taliter tamen ſumpta Eſſentia Divina, hoc ſenſu poteſt cenſeri accipi

cipi Physicè ex eo, quòd sumatur simul cum aliquo prædicato Relativo realiter identificato ipsis prædicatis absolutis, simúlque realiter distincto ab aliis prædicatis Relativis.

7. Metaphysicè accipitur Essentia Divina, quando sumitur secundùm prædicata DEI absoluta, illa, quæ ex modo nostro concipiendi sunt primò Essentialia, & differentialia ipsius DEI, per quæ DEUS definiri solet, aut debet.

Quæritur IV. *Essentia Divina, in quibus prædicatis consistat?*

8. Essentiam Divinam, Theologicè sumptam consistere in omnibus prædicatis necessariis absolutis, communibus toti SSS. Trinitati, seu omnibus & singulis Personis Divinis; patet ex dictis num. 5.

9. Essentia, Physicè adæquatè tam intensivè, quàm extensivè sumpta, quòd consistat in omnibus prædicatis necessariis, tam absolutis, quàm Relativis constat ex num. 6. Et Ratio est: Quia in eo consistit Essentia taliter accepta, à quo formaliter habet, quòd accipiatur adæquatè tam intensivè, quàm extensivè. Sed Essentia Divina, quòd adæquatè intensivè sumatur, habet per hoc, quòd sumatur secundùm omnia prædicata absoluta, communia SSS. Trinitati; quòd verò sumatur adæquatè extensivè, habet per hoc, quòd sumatur quoad omnia prædicata Relativa. Ergo Essentia Divina Physicè adæquatè tam intensivè, quàm extensivè sumpta, consistit in omnibus prædicatis DEI necessariis tam absolutis, quàm Relativis.

10. De Prædicatis non necessariis, aliter discurrunt Theologi & dicunt: quòd Essentia Physica adæquatè tam intensivè, quàm extensivè sumpta, non consistat in hujusmodi prædicatis. Cujus Ratio est: Quia in eo non consistit Essentia Physica, sinè quo potest, vel potuit esse. Sed sinè prædicatis non necessariis, quæ contingenter conveniunt DEO, potuit esse Essentia DEI. Ergo. Major patet. Quia Essentia physica non potest esse sinè suo constitutivo adeóque sinè eo, in quo consistit. Ergo si Essentia hæc potest esse sinè prædicatis DEI contingentibus, non constituitur iisdem prædicatis, nec in illis consistit. Minor hinc deducitur: Quia DEUS habuisset suam Essentiam adæquatam Physicam, etiamsi non vidisset venditionem Christi à Juda; item: negationem ejusdem Christi à Petro; conversionem boni Latronis in Cruce, &c. casu quo hæc non fuissent futura. Nihilominùs doctrina hæc est obnoxia difficultatibus quibusdam, quæ peti possunt ex num. 6, ratione identitatis realis prædicatorum contingentium DEI cum Essentia ejusdem, si quis identitatem realem adæquatam talium prædicatorum, cum Essentia DEI, defendere aut supponere velit. In sententia communiore, quæ talia prædicata complet per aliquid contingens extrinsecum DEO, occurritur hujusmodi difficultatibus, si dicatur: in prædicatis contingentibus DEI, sumptis secundùm id, quod dicunt in recto & pro forma sciendi & volendi (quod rectum non est contingens, sed est prædicatum necessarium DEI) consistere Essentiam Physicam DEI; non consistere verò in dictis prædicatis contingentibus DEI, sumptis secundùm id, quod dicunt in obliquo. Sic enim sumpta, sunt quid extrinsecum DEO. Clarum autem est, Essentiam Physicam DEI, non debere consistere in aliquo extrinseco, ipsi DEO.

11. Essentia Physica, inadæquatè extensivè accepta, consistit in Essentia Divina, sumpta quoad prædicata DEI absoluta, & in una vel duabus Personalitatibus Divinis. Ratio est: Quia Essentia Divina, per hoc, inadæquatè extensivè accipitur, quòd non dicat omnia, ad quæ se extendit per identitatem realem; sed per hoc, quòd dicat unam, vel duas tantùm Personas, non dicit omnia illa, ad quæ se extendit per identitatem realem; deberet enim dicere tres Personas, & in tribus Personis consistere. Cùm de facto Essentia Divina extendat se ad tres Personas. Posse autem sic accipi Essentiam Divinam patet, tum ex adducta superiùs instantia de DEO Incarnato. Tum quia, unum ex distinctis realiter, potest sumi sinè alio. Ergo & una Persona potest sumi sinè alio. Ergo & una Persona potest sumi sinè alia realiter à se distincta. Ergo ulteriùs & Essentia Divina potest sumi cum una Persona absque eo, quòd sumatur cum alia.

§. II.

Essentia Metaphysica DEI, in quo consistit?

Circa Essentiam Metaphysicam DEI, seu circa conceptum Essentialem Metaphysicum DEI, in quibus prædicatis Divinis consistat, diversæ sunt Philosophorum & Theologorum opiniones, usque adeò, ut omnes referre, nimis prolixum esset. Unusquisque

que enim ferè ex his, qui hanc Materiam tractârunt, alium & alium conceptum DEI, afferre, & defendere conatur. Magis præcipuas & Classicas refero: Aliqui itaque putant conceptum Essentialem DEI consistere in ratione Entis perfectissimi: seu in complexo omnium perfectionum, ut vocant, simpliciter simplicium, hoc est, omnium prædicatorum DEI absolutorum. Alii, in Intellectivo supercomprehensivo; alii, in ipsa Intellectione actuali substantiali, alii in esse illimitato, in esse simplicissimo; alii, in esse Entis existentis per essentiam. Alii denique hunc conceptum constituunt in ratione Entis, se ipso sufficientis ad esse, seu in esse Entis à se.

12. Respondeo, & Dico: Essentiam Metaphysicam, seu Conceptū Metaphysicū, primò essentialem DEI, consistere in esse Entis sufficientis sibi ad esse, seu Entis à se.

Probatur 1. authoritate Scripturæ: in qua Exodi 3. DEUS ipse suam explicat Essentiam per hoc: *Ego sum, qui sum.* Quæ verba sic plerique intelligi volunt: *Ego sum, qui sum, per memet ipsum, qui esse meum nulli debeo, qui mihi ipsi sufficio ad esse.*

Dices: hoc Scripturæ textu non significari ullatenus Aseitatem & sufficientiā sibi ad esse, nec significari differentiam DEI à Creaturis, sed nonnisi differentiam ejusdem à Diis falsis, qui non sunt; DEUS autem noster gloriosus est, qui est. Quare hoc textu significatur præcisè, quòd DEUS verè sit, non significari autem modum essendi quo est. Ità videtur docere S. Angelicus Doctor 1. parte. Quæstio. 11. Artic. 11. Sed Contra est 1. Quid prohibet adductum Sacræ Scripturæ textum ità intelligi, ut significetur utraque hæc differentia, & à Diis falsis, & à Creaturis? à Diis falsis; quòd DEUS verè sit, cùm illi non sint; à Creaturis per hoc: quòd sit à se, sibique sit sufficiens esse. Contra est 2. DEUS noster gloriosus, etiam à Diis falsis debet differre per esse à se. Quia debet differre, non per qualecunque esse, quomodo etiam differunt Creaturæ à Diis falsis, sed per esse verum Divinum. Esse autem verum Divinum, est esse imparticipatum ab alio. est esse à se, est esse sufficiens ad esse. Contra est 3. Dii falsi, per hoc non sunt Dii, quòd sint simulacra Gentium, & opera manuum hominum. Adeóque quòd esse, si quod habent, habeant ab alio. Ergo ut DEUS noster gloriosus sit DEUS verus, differátque à Diis falsis, debet esse Ens à se, seu Ens sufficiens sibi ad esse.

13. Probatur 2. authoritate S. Gregorii Nisseni lib. de hominis opificio cap. 16. dicentis: *Quid igitur in quo Naturæ Divinæ, & ejus quæ ad Divinam est conformata, discrimen perspici potest. Illud verò in eo perspicies, quòd* DEI *natura existit increata, hominum verò per creationem orta, hoc verò discrimen alia quædam consequuntur.* Ex qua authoritate sic arguitur: Prædicatū Entis increati, est prædicatum primò differentiale, & discriminativum DEI à Creatura, simúlque est radix, ex qua alia prædicata Divina consequuntur: ùt docet S. Doctor. Sed prædicatum Entis à se, seu sufficientis sibi ad esse, est formalissimè ipsum prædicatum Entis Increati. Ergo prædicatum Entis à se, seu sufficientis sibi ad esse, est prædicatum primò differentiale & discriminativum DEI, simúlq; est radix, ex qua inferuntur alia prædicata. Adeóq; est conceptus Metaphysicus primò Essentialis DEI.

14. Probatur 3. Rationibus: *Prima*: Conceptus DEI aliis conceptibus clarior, DEUMque nobis primò notificans est conceptus essentialis Metaphysicus DEI; de cujus ratione illud potissimum est, ut sit clarior suo definito, illúdque nobis primò notificet. Sed conceptus Entis à se, seu sufficientis sibi ad esse, est conceptus aliis conceptibus DEI clarior, nobísque DEUM primò notificans. Sub hoc enim prædicato, DEUS, ejúsque existentia, primò nobis innotescit ex Creaturis; ùt videbimus, dum demonstrabitur existentia DEI. Ergo. *Secunda.* Conceptus DEI constans genere proximo & differentiâ ultimâ, est conceptus primò essentialis ejusdem DEI; Sed Conceptus Entis à se, seu sufficientis sibi, ad esse, est Conceptus proprius DEI, & constat genere proximo, & differentiâ ultimâ; Genus proximū est prædicatum Entis. Quia prædicatum hoc ità est commune DEO & creaturæ, ut per differentias, Aseitatis, & Abalietatis contrahatur immediatè ad species, vel quasi species oppositas constituendas; nimirum ad esse DEI, & creaturæ. Porrò prædicatum comune oppositis duabus speciebus, quod immediatè ad easdem species constituendas contrahitur, est genus proximum. Prædicatū sufficientis sibi ad esse, seu, quòd sit à se, est differentia ultima. Tum quia per hoc prædicatum DEUS differt à creatura, quæ est species correlativa DEI. Sicut ipsa creatura differt à DEO per prædicatū Abalei-

Bibl. Jag.

Abaleitatis, & per insufficientiam sibi ad esse. Tum quia hoc prædicatum, ità est discriminativum DEI ab his, quæ non sunt DEUS, ut sit ratione nostra prius aliis prædicatis Divinis discriminantibus DEUM. Concipitur enim per hoc prædicatum, DEUS, per ordinem ad connotata priora quibuscunque aliis connotatis. Sicut enim ipsum esse est prius quibuscunque consequentibus ad esse, ità ipsum habere talis esse, & modus ejusdem habendi, est quid prius Ratione nostra aliis, quæ, ipsum habere esse, & modum ipsius habendi, supponunt. Deinde connotata causæ rei, vel exclusionis ipsius causæ, sunt priora connotatis quorumcunque effectuum. Porro connotata sufficientiæ sibi ad esse, sunt connotata exclusionis causæ. Ergo. Tum quia, prædicatum Aseitatis, & sufficientiæ sibi ad esse, ex modo nostro concipiendi est prima radix emanativa attributorum, seu prædicatorum absolutorum, & perfectionum simpliciter simplicium. Hæ enim ex prædicato Aseitatis & sufficientiæ sibi ad esse, tanquam ex prædicato priùs cognito, inferuntur, & à posteriori demonstrantur, ùt dicetur Puncto sequenti. Tandem quia hoc prædicatum, est prædicatum se ipso exclusivum primæ radicis imperfectionum, in opposita specie reperibilium; scilicet est exclusiva abalietatis, & insufficientiæ sibi ad esse; quæ non solùm est ipsa imperfectio; quia est dependentia in suo esse ab alio, & indigentia alterius ad suum esse, tanquam suæ sufficientiæ; sed etiam est radix plurimarum imperfectionum, quæ ex modo nostro concipiendi, ex abalietate, tanquàm ex radice pullulant. Sed prædicatum rei exclusivum primæ radicis imperfectionum oppositæ speciei, est prædicatum differentiale ejusdem rei, ùt inductione probari potest, nimirum, immaterialitas substantiæ, quia est exclusiva materialitatis, quæ ipsa est radix imperfectionum in opposita specie, qualis species est substantia corporea; ideo immaterialitas, est prædicatum differentiale substantiæ spiritualis. Esse itèm animatum, quia est prædicatum exclusivum radicis imperfectionum in opposita specie, quæ est corpus inanimatum; ideo esse animatum est prædicatum differentiale alterius oppositæ speciei, hoc est, Viventis. Rationalitas, quia est prædicatum exclusivum irrationalitatis primæ radicis imperfectionum convenientium oppositæ speciei, nimirum animali irrationali, ideo Rationalitas est prædicatum differentiale hominis, & sic de cæteris. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

15. Objicitur contra conclusionem: Conceptus primò essentialis DEI debet constare genere proximo, & differentia ultima. Sed conceptus Entis sibi sufficientis ad esse, non constat genere proximo, & differentia ultima. Ergo. Minoris prima pars imprimìs probatur: Prædicatum Entis, non est genus proximum respectu DEI. Tum quia genus debet esse ratio univoca respectu suorum inferiorum, non ratio analoga. Sed ratio Entis respectu DEI & creaturæ, non est ratio univoca sed Analoga, ut docent, Aristoteles & S. Thomas. Id enim, cujus nomen est commune, & ratio per nomen significata, partim eadem, partim diversa, est ratio Analoga. Sed prædicatum Entis, est illud, cujus nomen est commune, & ratio est partim eadem, partim diversa. Est eadem; ut dici debet. Est etiam ratio diversa. Ens enim prout convenit creaturis, dicit dependentiam, & participationem esse ab alio; prout convenit DEO, dicit independentiam & imparticipationem. Ens de DEO dicitur essentialiter, de creatura dicitur accidentaliter. Præterea ratio Entis prout est in creaturis, dicit aptitudinem ad existendum cum indifferentia; prout est in DEO dicit determinationem essentialiter ad existendum. Ergo. Confirmatur, si ratio Entis esset genus, DEUS contineretur sub genere, sed non continetur sub genere, nec habet supra se genus, ut docent Philosophi & Theologi. Ergo. Cujus ipsius ratio ulterior est. Quia si DEUS esset sub genere, tunc esset vel ùt species, vel ùt individuum generis. Neutrum dici potest. Non primum. Quia si ratio DEI esset species, deberet continere sub se plura singularia, quod repugnat summæ simplicitati, & unitati DEI. Non potest etiam dici secundum, quòd DEUS sit Individuum generis. Quia aliàs genus immediatè individuaretur, quod in Scholis nostris doceri prohibent nostræ Leges. Tum quia ratio Entis saltèm non est genus proximum. Possunt enim alia prædicata

proximiora assignari, quæ habeant rationem generis respectu DEI. v. g. potest dici prædicatum substantiæ aut Intellectivi, esse genus propius respectu DEI. Hæc enim prædicata sunt talia, in quibus DEUS cum paucioribus convenit, quàm conveniat in ratione Entis. Tum quia pro genere proximo respectu DEI, debet statui prædicatum, quod sit nobilius aliis prædicatis genericis communibus DEO, & creaturæ. Sicut in definitione hominis pro genere proximo ponitur prædicatum Animalis, quod prædicatum est nobilius aliis prædicatis genericis; qualia sunt prædicata substantiæ, corporis, viventis. Sed prædicatum Entis non est nobilius. Ergo.

16. Probatur deinde secunda pars primæ minoris; & probatur prædicatum Aseitatis seu sufficientiæ sibi ad esse, non esse differentiam ultimam respectu DEI. Tum quia differentia constitutiva Essentiæ Divinæ Metaphysicæ, debet esse prædicatum perfectissimum, & nobilissimum. Sed Aseitas non est tale prædicatum, cùm enim Aseitas præscindat ab omnibus perfectionibus Divinis, nullam formaliter dicit. Quòd si verò dicit aliquam, illa longè minor est, quàm sit perfectio Intellectivi. Cùm etiam gradus essendi ad quem pertinet Aseitas; in perfectione longè sit inferior quàm gradus vivendi aut intelligendi, in quo est prædicatum v. g. Intellectivi. Tum quia ultima differentia constitutiva Essentiæ Metaphysicæ DEI, debet esse prima radix omnium aliarum perfectionum Divinarum. Sed Aseitas, & sufficientia sibi ad esse, non est talis radix. Prædicatum enim relativum, non potest esse prima radix aliarum perfectionum; quia tale prædicatum supponit aliam radicem se priorem, scilicet prædicatum absolutum, in quo fundatur. Jam verò prædicatum Aseitatis est prædicatum relativum, dicit enim respectum ad causam, quam excludit: Ergo. Confirmatur: si Aseitas esset prima radix aliarum perfectionum Divinarum, prædicata substantiæ, spiritûs, viventis, Intellectivi, compararentur ad essentiam Divinam, tanquam proprietates. Sed hoc modo comparari non possunt. Prædicata enim quæ sunt de genere, & categoria substantiæ, non possunt comparari ad essentiam, ùt proprietates, & attributa: aliàs compararentur ùt accidentia, qualiter comparari, substantiæ repugnat. Ergo. Tum quia prædicatum per quod essentia DEI Metaphysica convenit cum attributis, non potest esse ultima differentia, constitutiva ejusdem essentiæ. Hæc enim debet differre etiam ab attributis. Sed per Aseitatem, & sufficientiam sibi ad esse, essentia Metaphysica DEI, convenit cum attributis; siquidem prædicatum Aseitatis, est prædicatum transcendens, transcenditque omnia attributa, & perfectiones DEI. Unumquodque enim attributum DEI, seu perfectio est à se, est increata sicut una quæque Perfectio creata, est ab alio. Maximè, cùm perfectio Divina, in esse Divinæ, constituitur per esse increatum, seu à se, & per hoc differat à perfectionibus non Divinis. Tum quia ultima differentia Entis positivi ejúsque perfectissimi, debet esse positivum. Ultima enim differentia debet explicare Quid sit Res, non verò quid non sit? quod solùm explicatur per prædicatum negativum. Sed Aseitas non est prædicatum positivum, conceptus enim Entis à se non est intelligendus positivè, quasi DEUS à se, & ex se procedat aliquo posterioritatis genere, nihil enim potest sibi esse causa vera & ratio essendi. Sed conceptus Entis à se intelligendus est negativè, quòd DEUS non sit Ens ab alio, ùt declarat S. Anselmus Monol. cap. 5. & S. Bernardus lib. 5. de consideratione. cap. 6. Ergo. Quodsi conceptus Aseitatis dicatur conceptus positivus, adhuc tamen non potest esse conceptus essentialis DEI, siquidem secundùm S. Damascenum lib. 1. de fide. cap. 12. *Omne positivum, & quidquid per Theologiam affirmativum à nobis de DEO dicitur, extra ejus essentiam est.*

Solvuntur Objectiones.

17. Respondeo ad primum negando Minorem, primæ probationis nego Antecedens, quod à multis negatur, & à me aliquando negatum est in Philosophia. Et dico: Analogiam Entis non bene deduci, ex eo: quòd Ens prout convenit creaturis, hoc est prout contrahitur ad creaturas, dicat dependentiam ab alio, dicat modum existendi contingenter, & accidentaliter, dicat aptitudinem ad existendum cum indifferentia. Jam verò Ens prout convenit DEO, & ad DEUM contrahitur, dicat independentiam ab alio, dicat modum

dum existendi essentialiter, dicat aptitudinem ad existendum cum necessitate existendi. Ad Analogiam enim impertinenter se habet, quod pro statu contractionis prædicatum aliquod dicat rationes diversas, aliàs nullum prædicatum dabitur univocum. Cùm omne in statu contractionis dicat rationes diversas, quatenus dicit differentias, per quas contrahitur, hæ enim sunt rationes diversæ. Potiùs, ut aliqua ratio sit Analoga, debet in statu abstractionis dicere rationes diversas, ità, ut si aliqua pro hoc statu non dicat rationes diversas, talis ratio sit univoca. Cum ergo ratio Entis, in statu abstractionis, hoc est, prout est communis DEO & creaturæ, non dicat pro hoc statu ullas rationes diversas, sed ab his omnibus præscindat; sequitur, rationem Entis in hoc statu esse univocam. Et in hoc statu accepta habet rationem generis. Omisso deinde Antecedente, negari potest consequentia, & dici: Quidquid sit an prædicatum Entis sit propriè genus, nec nè? tamen negari non potest idem prædicatum esse genus in latiori acceptione, benéque illud contrahi per Aseitatem. Sicut idem Ens per definitionem creaturæ, bene contrahitur ad esse Entis ab alio, quod sufficit, ut ly Ens ponatur pro genere in definitione DEI. Dum enim definitur DEUS, non spectatur, ut habeatur definitio in rigore Dialectico talis, sed duo hæc potissimùm spectantur: unum, ut conceptus definitivus DEI sit clarior ipso definito. Alterum, ut talis conceptus sit primò differentialis, & discriminativus DEI, hoc est, ut sit per prædicatum differentiale, quod sit radix aliorum prædicatorum DEI, eorundem ex modo nostro concipiendi emanativa, & illativa. Illud adverto: nomen seu prædicatum Entis, etiamsi extra definitionem, significet fortè rationem partim eandem, partim diversam, quòd transeat, tamen dum in definitione DEI ponitur, non habet nisi rationem eandem, nonnisi enim habet statum contractionis, idque statum contractionis per unam non nisi differentiam determinatam, qualis differentia est Aseitas. Quare, ratio Entis prout ponitur in definitione DEI, non est ratio Analoga. Ad confirmationem Respondeo DEUM non contineri taliter sub ullo genere ut DEUS sit species sive subalterna, sive infima propriè dicta. Quia DEUS non est quid prædicabile per modum totius Essentiæ de pluribus suis inferioribus. Neque etiam DEUS sub ratione Entis, tanquam sub genere continetur, ùt individuum propriè dictum. Individuum enim propriè dictum, est ratio conveniens uni ex pluribus in natura, & prædicatis essentialibus sibi omnino similibus, rationem eandem, hoc est similem participantibus. Prædicatum verò DEI non est talis ratio, cùm repugnet Ens, DEO in natura, perfectione, & prædicatis essentialibus, simile. Quamvis DEUS sit essentialiter individuus, & simplicissimus, hoc est, taliter unus, ut repugnet ipsum habere Ens in natura sibi simile, nec prædicatum DEI sit commune, in quo conveniat specie DEUS noster cum aliquo sibi simili rationem hanc ipsam DEI participante. Potest etiam dici, quod DEUS non contineatur sub genere propriè dicto, sub genere itèm prædicamenti alicujus, quod sit de DEO prædicabile in quod quid incompletè. Licèt contineatur sub genere latiùs sumpto, seu, sub genere transcendente omnia prædicamenta. Ad illud, quod additur: Implicat Genus immediatè individuari. Respondeo hanc propositionem ità intelligi debere: Quòd implicet genus ità immediatè individuari, ut genus præter unum individuum, nulla præterea inferiora sub se habeat, aut habere possit. Quod de Ente, prout est ratio communis DEO & creaturæ, dici non potest. Tale enim Ens non solùm ad DEUM, sed etiam ad alia inferiora, nimirum ad creaturas contrahitur, & contrahi potest.

18. Secundæ Probationis nego Antecedens. Ad ulteriorem rationem dico prædicata *substantiæ, Viventis, Intellectivi*. Etiamsi DEUS in his cum paucioribus conveniat non esse, nec posse esse genus proximum in definitione DEI. Illud enim prædicatum debet poni pro genere in definitione DEI, quòd, ità conveniat DEO ut sit commune omni creaturæ. Genus enim in definitione DEI positum, debet convenire toti correlativæ speciei. Quia debet posse contrahi ad constituendas species correlativas, per differentias ejusdem generis divisivas. Cùm ergo DEUS, & creaturæ sint species oppositæ correlativæ, in definitione DEI, illud prædicatum debet esse genus, quod conveniat alteri toti

toti speciei correlativæ, eámque contractam constituat per differentiam ejusdem speciei propriam, - - - Sed tale prædicatum, quod toti correlativæ speciei, nimirum omni creaturæ conveniat, eámque constituat contractam per differentiam ipsius creaturæ, non potest esse aliud nisi prædicatum Entis. Prædicata enim substantiæ, spiritûs, viventis, intellectivi, non sunt talia, quæ ità conveniant DEO, ut etiam conveniant omni creaturæ. Cùm multæ sint creaturæ, quæ nec sunt substantia, nec spiritus, nec vivens, nec intellectivum. Nec alia prædicata ulla ostendi possunt proximiora, & minùs universalia, quæ ità DEO conveniant, ut etiam conveniant omni creaturæ. Ergo prædicatum Entis debet esse Genus in definitione DEI. Confirmatur, Quod est genus in definitione creaturæ, illud ipsum debet esse genus in definitione DEI. Species enim correlativæ debent habere idem genus, ut inductione facilè ostendi potest. Et sic, quod est genus in definitione hominis, idem debet esse genus speciei correlativæ, animalis irrationalis. Quod est genus Viventis, idem debet esse genus corporis inanimati; quale corpus est species correlativa Viventis, & sic de cæteris. - Sed prædicatum Entis, est genus in definitione creaturæ, hæc enim definitur per esse Entis ab alio. Ergo etiam prædicatum Entis debet esse genus in definitione DEI.

19. Ad tertiam Probationem Respondeo cum Distinctione: Pro genere proximo in definitione Rei debet statui prædicatum nobilius aliis prædicatis, ubi prædicatum nobilius potest habere conditiones ad rationem generis proximi requisitas. Concedo probationem. De ratione generis proximi est, semper, & universaliter ut sit prædicatum nobilius. Nego, Et dico, de ratione generis proximi id solùm esse, ut sit prædicatum commune utrique correlativæ speciei, contrahatur immediatè per differentias talium specierum constitutivas, & ùt tali prædicato non sit dabile vicinius, hoc est minùs universale. Prædicatum ergo Entis, licèt non sit prædicatum nobilius aliis, quia tamen ità convenit DEO, ut sit commune toti correlativæ oppositæ speciei nimirum creaturæ, contrahatúrque immediatè per differentias constitutivas DEI, & creaturæ, nec dabile sit genus vicinius respectu earundem specierum; ideò Entis prædicatum bene statuitur pro genere ponendo, in definitione DEI.

20. Ad secundum Respondeo, primæ Probationis negando minorem. Ad rationem ulteriorem dico: Licèt Aseitas præscindat à perfectionibus, quæ ex modo nostro concipiendi dimanant ab Aseitate, non præscindit tamen, ab ea, quæ in ejus conceptu imbibitur, seu, quæ est de ratione Aseitatis, aliàs præscinderet à se ipsa. Talis perfectio inclusa, & imbibita in conceptu Aseitatis est, quòd Aseitas sit ratio exclusiva indigentiæ alterius extra se tanquam Principii dantis sibi esse. Quæ ratio est magna perfectio, cùm è contra indigentia alterius, ut det sibi esse, sit magna imperfectio. Talis itèm perfectio est, quòd Aseitas sit radix illativa quarúmcunque perfectionum DEI, simúlque radix exclusiva quarúmcunque imperfectionum, & radicis earundem. Idque hæ perfectiones sunt majores quibusvis aliis perfectionibus, etiam perfectione Intellectivi, quam, utpotè suam proprietatem ex modo nostro concipiendi ex se promanantem Aseitas eminenter continet. Licèt verò gradus essendi in creaturis sit imperfectior, quàm gradus vivendi, & intelligendi, non tamen in Divinis. In creaturis enim gradus essendi non est radix illativa, & emanativa ipsorum vivendi, & intelligendi. Cùm ex esse Entis ab alio, non inferatur determinatè Ens, quod est substantia vivens, aut intellectivum. Sicut gradus essendi in Divinis est radix emanativa talium perfectionum. Ex esse enim Entis à se infertur determinatè quòd sit substantia, quòd sit vivens, quòd sit intellectivum, ùt inferiùs ostendetur. Cùm ergo nulla radix illativa perfectionum sit inferior in perfectione, perfectionibus quas infert, prædicatum Entis à se, quod est radix graduum vivendi, intelligendi, &c. non est inferius in perfectione iisdem gradibus quos infert.

21. Secundæ Probationis nego minorem. Nego ulteriùs prædicatum Entis à se, esse prædicatum relativum. De ratione enim prædicati relativi est, referre unam rem ad aliam, realiter à priore distinctam. Ad quam enim talem rem refertur DEUS per prædicatum Entis à

se,

se, esse prædicatum relativum, quod ex vi hujus prædicati, DEUS non sit ab alio, potius enim hinc sequitur, conceptum Aseitatis non esse relativum, sed esse exclusivum conceptûs, & prædicati relativi: quale prædicatum non debet esse relativum, siquidem per tale prædicatum, habetur formaliter, quòd res aliqua non referatur ad ullam aliam à se realiter distinctam. Confirmationem Distinguo: si Aseitas esset prima radix (intellige Metaphysica) aliarum perfectionum Divinarum, prædicata *substantiæ*, *viventis*, *intellectivi*, compararentur ad essentiam Divinam tanquam proprietates Physicæ. Nego sequelam Majoris. Compararentur tanquam proprietates Metaphysicæ concedo sequelam: similiter distincta Minore, nego consequentiam. Ac dico: cùm Aseitas non sit radix Physica aliarum perfectionum Divinarum, sed sit non nisi radix Metaphysica, hoc est indistincta realiter, & distincta solùm ex modo nostro concipiendi, sequitur ipsas etiam perfectiones Divinas, quarum est radix Aseitas, quales perfectiones sunt prædicata *substantiæ*, *viventis*, *intellectivi*, esse proprietates non Physicas, hoc est non Physicè distinctas, nec Physicè emanatas à sua radice, sed esse proprietates Metaphysicas, sola ratione distinctas à sua radice, & per rationem emanatas. Unde non infertur prædicata *substantiæ*, *viventis*, *intellectivi*, esse de genere Accidentium Physicorum, quod repugnat.

22. Tertiæ Probationis nego minorem; ad ulteriorem Rationem dici potest; Negando imprimis, quòd prædicatum Aseitatis sit prædicatum transcendens, seu quod transcendat (intellige transcendentia formali, & ex parte actûs) attributa, & perfectiones DEI, nulla enim apparet ratio, ex vi cujus attributa Divina ex modo nostro concipiendi debeant esse à se, nec possint præscindi ab Aseitate. Certè non ex paritate à perfectionibus, & prædicatis creatis, quia etiam hæc solùm realiter sunt ab alio, non autem formaliter, & ex modo nostro concipiendi. Non etiam ex eo, quòd perfectiones Divinæ quâ Divinæ seu quatenus sunt DEO propriæ, in esse talium constituantur per esse increatum, Divinum, seu à se. Quia hinc non sequitur perfectiones DEI, secundùm se, & specificativè sumptas (quomodo sumpta sunt adhuc attributa DEI) ex modo nostro concipiendi, debere esse à se, quamvis perfectiones Divinæ, quâ Divinæ dicant rationem Aseitatis. Cùm enim per reduplicationem illam *quâ Divinæ*, veniat formaliter ipsa Essentia DEI, seu Deitas, consequens est, sub hac reduplicatione venire etiam Aseitatem, seu sufficientiam sibi ad esse, tanquam rationem formalem Deitatis. Cæterùm non infertur hinc Transcendentia attributorum DEI ab Aseitate, quia aliàs, omnis essentia Metaphysica transcenderet formaliter suas differentias. Dici enim potest, quòd omnis proprietas, quatenus est proprietas talis essentiæ, dicat formaliter ipsam essentiam. Et sic risibile, quatenus est risibile humanum dicet essentiam hominis. Illud Addo: quòd Perfectiones Divinæ, etiam ùt tales, dicant Aseitatem nonnisi in obliquo, vel certè quòd dicant connexionem cum Aseitate tanquàm sua radice, dicant itèm Aseitatem connexivè, non dicant verò Aseitatem in recto, & secundùm se formaliter, & constitutivè, quómodo dicit Aseitatem Essentia, & conceptus Metaphysicus DEI. Admissa deinde Transcendentia formali attributorum Divinorum ab essentia DEI, prout illam admittunt: Suarez Disp. 30. Metaph. Sect. 6. Num. 17. Granado Tomo 1. Disp. 7. Torrez, negari potest Essentiam Divinam transcendentem perfectiones à se emanatas, seu attributa non differre ab iisdem. Differt ab illis primo, per hoc, quod hæc Transcendentia sit non mutua. Etiamsi enim Essentia Divina transcendat sua attributa, tamen hæc vicissim non transcendunt ipsam essentiam, quatenùs per conceptum Essentiæ Divinæ non veniunt rationes attributorum, quàmvis sub conceptu attributorum veniat Essentia Divina. Sicut supposità Transcendentià, per quam Ens transcenderet suas differentias, per conceptum abstractum Entis ex parte actûs, non veniunt differentiæ, licèt per conceptum differentiarum veniat ratio Entis.

Differt secundò Essentia DEI ab attributis per hoc, quòd conceptus attributorum DEI dicat Essentiam Divinam contractam modò ad hanc, modò ad illam determinatè perfectionem Divinam; conceptus verò Essentiæ Divinæ dicat Essentiam DEI abstractam, & præcisam à qui-

quibusvis perfectionibus attributorum Divinorum. ità, ut in conceptu Essentiæ Divinæ non reluceat formaliter ullum attributum, licèt in conceptu attributi reluceat ratio Essentiæ Divinæ ad illud attributum contracta. Differt tertiò per hoc, quòd Essentia Divina ex vi sui conceptûs sit à se per exclusionem tam Principii Physici dantis sibi realiter esse, quàm etiam per exclusionem Principii Metaphysici. Si quidem Essentia Divina, cùm ipsa sit prima radix non supponit principium ratione nostra prius à quo, tanquam à sua radice procedat ex modo nostro concipiendi. Jam verò attributa Divina ex vi suorum conceptuum formalium sunt solùm à se per exclusionem principii Physici dantis sibi realiter esse, non sunt verò à se per exclusionem principii, seu radicis Metaphysicæ, siquidem ex modo nostro concipiendi habent tale principium, ab essentia enim Metaphysicâ DEI ex modo nostro concipiendi, profluunt, tanquam à sua radice.

23. Ultimæ Probationis nego minorem. Ad ulteriorem rationem dico: Etiamsi enim per prædicatum Aseitatis non significetur ulla dependentia vel processio Physica, & realis positiva DEI à se ipso, sed significetur exclusio abaleitatis, seu omnis dependentiæ ab alio, tamen prædicatum Aseitatis, est prædicatum propriè positivum; licèt apparenter, & quoad dici videatur esse negativum. Tum quia Aseitas est exclusiva abaleitatis, non per aliquam negationem propriè dictam, sed est exclusiva per ipsum esse verum, & positivum, imò per ipsam esse veri, & positivi plenitudinem, summámque ex se determinationem DEI ad existendum. Tum quia prædicatum, quod est exclusivum negationis propriè talis, est prædicatum positivum, negatio enim negationis est quid positivum, ùt docet Dialectica. Sed Aseitas est prædicatum exclusivum negationis propriè talis, per Aseitatem enim excluditur abaleitas hoc est indigentia alicujus extra se ad suum esse, & insufficientia sibi ad esse, quæ abaleitas, indigentia alterius, insufficientia sibi ad esse, ex modo nostro concipiendi, est aliquod non esse, & aliqua negatio. Cùm enim sit radix imperfectionum, in ipsóque suo conceptu imperfectionem involvat, imperfectio verò sit carentia, & non esse perfectionis, proveniátque, & originem ducat ex nihilo rei, per rationem nostram imperfectio est aliquod non esse, & quid negativum, idque tale est potiori jure, quàm prædicatum Aseitatis, quod exinde præcisè asseritur esse quid negativum, quòd sit exclusivum, abaleitatis, & insufficientiæ sibi ad esse. Ad authoritatem D. Damasceni dico: Hanc eo sensu intelligendam esse; quòd omne prædicatum positivum ex suo conceptu non exclusivum ullius prædicati, & imperfectionis creatæ sit extra essentiam DEI. Et sic prædicata, sapientis, misericordis, justi, &c. sunt extra essentiam DEI; nec per talia prædicata explicatur, & definitur hujusmodi essentia, quæ prædicata ità sunt positiva, ut non excludant à DEO ullū prædicatum, & imperfectionem creatam, imò potiùs dicant formaliter perfectiones, quibus similes, quamvis imperfectè reperiuntur in creatis. Non est verò intelligendus S. Doctor hoc sensu, quòd prædicatum DEI quod ità est positivum, ut simul sit exclusivum imperfectionis creatæ, quale est prædicatum Entis à se (hoc enim excludit abaleitatem, quæ est imperfectio propria creaturarum) debeat esse extra essentiam DEI. Fundamentum, quòd ità intelligi debeat S. Doctor, est: Quia is capite citato solùm vult evincere DEUM meliùs à nobis cognosci per prædicata exclusiva imperfectionum creatarum; qualia prædicata sunt saltèm quoad vocem negativa, quàm cognoscantur per prædicata positiva de DEO affirmantia perfectiones similes perfectionibus creatis.

Rejiciuntur Opiniones quædam aliorum.

24. Ex dictis concludes primò. Essentiam DEI Metaphysicam non bene constitui in complexo, seu collectione perfectionum DEI absolutarum, & necessariarum, hoc est necessariò convenientium DEO. Tum quia sic constituta essentia DEI Metaphysica, coincidit cum Essentia DEI Theologicè sumpta, éstque formalissimè talis essentia. Cùm tamen Essentia DEI Metaphysica possit commodè statui, & admitti ratione saltèm nostra inadæquatè distincta ab essentia Theologicè sumpta. Tum quia Essentia Metaphysica aliorum quorúmque Entium non consistit

sistit in collectione prædicatorum, & perfectionum illis Entibus convenientium, verùm talis essentia consistit in genere proximo, & differentia ultima, atque per hæc prædicata explicatur essentia Metaphysica cujusvis Entis creati. Ergo pariter essentia Metaphysica DEI, non consistit in complexo perfectionum, & prædicatorum DEI necessariorum, & absolutorum; sed consistit in conceptu constituto genere proximo, & differentia ultima, maximè, cùm talis conceptus dari, & assignari possit, ùt ostensum est. Num. 12.

Tum quia si Essentia Metaphysica DEI consisteret in collectione prædicatorum DEI necessariorum, & absolutorum, constitutionem talis essentiæ ingrederentur illa prædicata, quæ attributa DEI dicuntur. Sed hanc ingredi non possunt dicta prædicata. Eô enim ipso attributa non essent attributa. Ex eo, siquidem dicuntur attributa, quia attribuuntur essentiæ Metaphysicæ DEI, cui certò non attribuerentur, si hanc constituerent, nec ab ea ex modo nostro concipiendi distinguerentur. Nihil enim attribuitur sibi ipsi.

25. Nec obest, quòd è mente S. Thomæ attributa DEI prædicentur non de DEO essentialiter. Non obstat inquam, ut enim prædicentur essentialiter, sufficit, quòd sint de essentia DEI Theologicè vel Physicè accepta, non autem necesse, ut sint de essentia DEI Metaphysica, & ut hanc constitutivè ingrediantur. Dici deinde potest attributa DEI prædicari de DEO secundò essentialiter: quare non est necesse ut attributa constituant Essentiam DEI Metaphysicam, quæ constat solis prædicatis primò essentialibus.

26. Non obstat secundò. Quòd Essentia DEI sit quid optimum, & perfectissimum. Non obstat inquam, etiamsi enim Essentia Physicè, ac etiam Theologicè accepta debeat esse optima formaliter, per inclusionem formalem quarumvis perfectionum Divinarum, adeóque omnium prædicatorum DEI necessariorum, tamen essentia DEI Metaphysica non debet esse hoc modo perfectissima, sed solùm debet esse perfectissima per inclusionem formalem, seu ex modo nostro concipiendi illius nonnisi perfectionis formalis, quæ sit radix aliarum perfectionum Divinarum.

27. Non obstat tertiò, quòd Omnipotentia, ex modo nostro concipiendi includat potentias omnium effectuum productivas; & in talium potentiarũ collectione consistat. Itèm; quòd omniscientia includat Scientias repræsentativas omnium objectorum. Hinc enim non sequitur, quòd etiam Essentia Metaphysica DEI debeat ex modo nostro concipiendi includere omnes perfectiones. Hæc enim ex suo conceptu non dicit omnitudinem perfectionis, sicut omnipotentia in suo conceptu, dicit omnitudinem potentiæ productivæ effectuum: omniscientia, dicit omnitudinem scientiæ sed solùm Essentia Metaphysica dicit radicem talium perfectionum, quæ radix non est formaliter quævis perfectio, sed non nisi una perfectio, quæ ex modo nostro concipiendi est illativa aliarum.

28. Concludes secundò. Essentiam Metaphysicam DEI non consistere in prædicato Intellectivi, omnicomprehensivi. Tum quia etiamsi hoc prædicatum sit discretivum DEI à creaturis, & ab his quæ non sunt DEUS, non est tamen prædicatum primò discretivum, & primò differentiale, siquidem supponit aliud prædicatum ratione nostra prius, nimirum prædicatum Entis à se. Tum quia conceptus intellectivi, omnicomprehensivi, non constat tali genere, in quo DEUS conveniat cùm tota correlativa specie, hoc est cum creatura. Multæ siquidem sunt creaturæ, quæ non sunt intellectivæ. Tum quia ratio intellectivi omnicomprehensivi non est radix quorumvis attributorum DEI. Non apparet enim, qua ratione, ex esse intellectivi omnicomprehensivi inferantur plura prædicata Divina, ùt sunt: ratio summi boni, ratio finis ultimi, prædicata Immensi, æterni, omnipotentis, & his similia.

29. Dices primò: etiamsi Essentia Metaphysica DEI in ratione Essentiæ constituatur per prædicatum Entis à se, tamen in ratione Naturæ constitui debet per esse intellectivum, quia debet constitui per principium seu sufficientiam actûs, qualis sufficientia est esse intellectivum, hoc enim habet se ex modo nostro concipiendi per modum sufficientiæ respectu intellectionis actualis. Respondeo. In Divinis rationem Naturæ convenire propriè Essentiæ

ſumptæ Theologicè, quæ ex eo dicitur Natura, quòd ſit radix virtualiter ſive ratione noſtra, emanativa ſubſiſtentiarum ſive Perſonalitatum Divinarum, tanquàm ultimi ſubſtantialis complementi ejuſdem Eſſentiæ, non convenit verò propriè Eſſentiæ Metaphyſicæ DEI, ratio Naturæ. Quamvis dici poſſit etiam rationem Naturæ per quandam proportionem convenire eſſentiæ Metaphyſicæ DEI, & prædicato Entis à ſe, in quo hæc eſſentia conſiſtit, quatenus ratio Entis à ſe ex modo noſtro concipiendi, eſt prima radix emanativa quorumvis attributorum DEI, adeóque etiam intellectivi, tam illius, quod concipitur per modum actûs primi, quàm illius, quod concipitur per modum actûs ſecundi. Licèt verò intellectivum ex modo noſtro concipiendi, habeat ſe per modum ſufficientiæ reſpectu intellectionis actualis; quia tamen non eſt prima radix ejuſdem, cùm ipſum intellectivum ſupponat ulteriorem ſui radicem, ideo intellectivum in DEO, non eſt Natura Metaphyſicè ſumpta.

30. Dices ſecundò. Homo per eſſe intellectivum aſſimilatur Eſſentiæ Divinæ. per hoc enim quod ſit intellectivus eſt imago, & ſimilitudo DEI. Sed non poteſt homo per eſſe intellectivum aſſimilari DEO, ſi DEI Eſſentia non conſiſtit in eſſe intellectivi. Prædicatum enim in quo aliquid aſſimilatur alteri, debet utrique ſimilium convenire. Ergo Eſſentia DEI conſiſtit in eſſe intellectivi. Reſpondeo, Hominem per hoc, quòd ſit intellectivus aſſimilari Eſſentiæ Divinæ Theologicè acceptæ, non verò Eſſentiæ ſumptæ Metaphyſicè. Unde Eſſentia DEI Theologica debet dicere eſſe intellectivum, non verò Eſſentia Metaphyſica; Et quia homo non aſſimilatur Eſſentiæ Divinæ etiam Theologicæ, aſſimilatione perfecta, & tanquam imago ejuſdem univoca, adæquata, & perfecta, ſed ſolùm aſſimilatur aſſimilatione imperfecta, & tanquam imago analoga, & inadæquata; ideo homo Eſſentiæ Theologicæ DEI ità aſſimilatur per intellectivum ùt non aſſimiletur eidem in aliis prædicatis, quæ dicit Eſſentia Theologica. Nimirum non aſſimilatur in eſſe Omnipotentis, Immenſi, æterni; & imprimis non aſſimilatur in ratione Entis à ſe; per quod prædicatum DEUS differt, & differre debet, quemadmodum ab aliis creaturis, ità & ab homine. Hinc patet hominem non debere, imò nec poſſe aſſimilari DEO, quoad eſſentiam ejus Metaphyſicam. In ea enim ratione DEUS, & homo, non poſſunt ſecum convenire, ſibique aſſimilari quæ ratio, eſt ratio formalis diſconveniendi DEO, & homini. Sed Eſſentia Metaphyſica DEI, eſt ratio formalis diſconveniendi DEO, & homini: per ſuam enim hanc eſſentiam DEUS debet differre ab omni eo quod non eſt ipſe. Ergò.

31. Dices tertiò. Prædicatum differentiale DEI debet eſſe perfectiſſimum. Cùm ergo prædicatum intellectivi omnicomprehenſivi, ſit perfectiſſimum: ſi quidem etiam in creatis hoc prædicatum eſt perfectiſſimum; prædicatum intellectivi, omni comprehenſivi eſt prædicatum differentiale DEI. Reſpondeo, negando id quod in conſequenti ſupponitur, nimirùm, quod prædicatum intellectivi omnicomprehenſivi, ſit perfectiſſimum, hoc eſt aliis prædicatis Divinis perfectius. De creatis alia eſt ratio. In Divinis enim prædicato intellectivi datur prædicatum aliud perfectius, nimirum Aſeitas, quæ eſt fons quidam, ex quo fluunt omnes perfectiones Divinæ. In creatis verò nullum datur prædicatum perfectius prædicato intellectivi. Abaleitas enim non eſt prædicatum perfectius, cùm ſit radix imperfectionum in creaturis reperibilium.

32. Concludes tertiò. Eſſentiam Metaphyſicam DEI non conſiſtere in ratione Intellectionis actualis ſubſtantialis. Quia hoc prædicatum non eſt ratione noſtra prius, nec eſt prima radix quorumvis aliorum prædicatorum abſolutorum, & neceſſariorum DEI, cum & ipſum infeatur ex Aſeitate, & plura prædicata Divina non bene deducantur ex intellectione actuali ſubſtantiali.

33. Oppones primò. à Creaturis rationalibus DEUS per hoc differt quod ſit intellectio actualis ſubſtantialis excludens omnem potentialitatem, & dicens rationem actûs puri. Creatura verò rationalis, & intellectiva, quòd in ratione intellectivæ dicat potentialitatem, & quòd illius actus ſecundus intelligendi, ſupponat actum primum realiter à ſe diſtinctum, tanquam ſui principium. Ergo Eſſentia Metaphyſica DEI conſiſtit in ratione intellectionis actualis ſubſtantialis.

Respondeo Distinguendo Antecedens, à creaturis rationalibus per hoc differt primò, quod sit intellectio actualis substantialis, &c. nego antecedens. Per hoc differt sed non primò. Concedo Antecedens, & nego consequentiam. Ac dico: DEUM per hoc primò differre à creaturis rationalibus, per quod primò differt à quavis creatura, seu à creatura ut sic. Sed ab hoc differt per Aseitatem non per intellectionem substantialem. Prædicatum enim Aseitatis est prædicatum prius ratione nostra, & radix intellectionis substantialis, non è contra. Hinc Essentia Metaphysica DEI non consistit in prædicato intellectionis actualis substantialis, sed in prædicato Aseitatis. Hæc enim essentia debet consistere in prædicato primò differentiali, quod sit prima radix ceterorum. Adverto, & illud; rationem actûs puri, quæ includitur in ratione intellectionis substantialis, inferri ex alio prædicato priore ex modo nostro concipiendi, nimirum ex Aseitate, idque ex hac infertur non solùm ratio actûs puri contracti ad intellectionem substantialem, qualis ratio in tali intellectione includitur, sed etiam infertur esse actûs puri in omni ratione, & exclusio cujusvis potentialitatis propriæ dictæ, & imperfectionem in suo conceptu dicentis.

34. Oppones secundò. Filius æternus per intellectionem procedit à Patre in similitudinem Naturæ; sed ut hoc modo procedat, Natura seu Essentia Divina debet consistere in intellectione actuali substantiali. De ratione enim similitudinis in aliquo prædicato, est, ut illud prædicatum utrique similium conveniat. Ergo Natura seu Essentia Divina consistit in intellectione actuali substantiali. Respondeo cum Distinctione. Filius æternus procedit per intellectionem, in similitudinem Naturæ, hoc est Essentiæ Theologicè acceptæ. Transeat major. Procedit per intellectionem in similitudinem Naturæ, hoc est Essentiæ Metaphysicæ. Nego majorem. Similiter distincta minore, nego consequentiam. Vel hoc modo distingui potest idem argumentum. Filius æternus procedit à Patre per intellectionem, in similitudinem intentionalem Naturæ. Concedo majorem. In similitudinem Physicam Naturæ. Nego. Et dico: Inter Filium æternum, seu inter intellectionem, per quam procedit Filius, & inter naturam, esse similitudinem intentionalem; qualis est inter repræsentationem, & inter id, quod repræsentatur. Non est autem similitudo Physica inter Filium æternum, & inter Naturam, ità, ut quæ prædicata conveniunt Filio æterno, ea conveniant Naturæ Divinæ, vel è contra. Aliàs sicut Filiatio, est generatio passiva, est itèm processio à Principio realiter distincto, nimirum à Patre, ità, & Natura deberet eadem prædicata habere; si enim non haberet, Filius non procederet in similitudinem Naturæ. Potest etiam cum Haunoldo negari, quòd generatio Filii, quæ fit per intellectionem sit in similitudinem naturæ; similitudo enim debet esse inter distincta. Filiatio autem, & natura Divina, non sunt distincta. Siquidem natura Divina omnibus Personis Divinis identificatur. Potiùs ergo Filius à Patre æterno procedit in similitudinem ipsius Patris.

35. Concludes quartò. Essentiam DEI Metaphysicam non consistere in ullo alio assignabili conceptu diverso à conceptu Entis à se, seu sufficientis sibi ad esse. Ratio est, conceptus, quicunque demum assignabitur diversus à conceptu Entis à se deficit in aliqua conditione ad rationem talis conceptus requisita; nimirum, vel non erit clarior suo definito; per illúmque DEUS potiùs tenebris terminorum involvetur, & non in lucem per explicationem naturæ suæ educetur. Qualis est ille conceptus negativus: DEUS primò essentialiter est *Ens non ex non ente, ità ut super Ens, & ipse se Ens, à quo est, quidquid ex non ente est.* Vel conceptus qui assignabitur, non erit conceptus primò discretivus DEI, sed alium priorem se, supponet. Tales conceptus sunt: conceptus Entis æquivalentis omni Enti. Itèm: Essentiæ in ratione essentiæ perfectissimæ. Hi enim conceptus, cum sint comparativi, & relativi præsupponunt conceptum absolutum in quo fundantur. Et sic Ens in ratione Entis æquivalens omni Enti, supponit prædicatum absolutum, ratione cujus DEUS æquivalet omni Enti. Similiter Essentia in ratione Essentiæ perfectissima, supponit prædicatum prius absolutum, cui convenit esse talem essentiam, aliis essentiis perfectiorem, adeóque in ratione essentiæ perfectissimam. Talis

itèm conceptus sunt Entis ex se indefectibilis. Entis in se ipso, & per essentiam formaliter necessariò existentis. Itèm. Ejus, quod est simplicissimè. Vel conceptus DEI assignandus non erit prima radix illativa aliorum prædicatorum, ut visum est in conceptibus intellectivi, omnicomprehensivi, & intellectionis actualis substantialis. Talis itèm conceptus est viventis vitâ perfectissimâ. Tandem aliqui conceptus coincident cum complexo omnium perfectionum, confundentes Essentiam Metaphysicam DEI cum suis proprietatibus. Tales conceptus sunt: conceptus Entis illimitati, & infiniti in perfectione Essentiæ perfectissimæ. Entis continentis omnem latitudinem essendi. Entis indefectibilis per exclusionem omnis defectûs.

PUNCTUM II.
De attributis DEI.

TRia in hoc Puncto præstanda sunt. Primò, explicanda est ratio Attributi, ejúsque species. Secundò Attributa DEI in communi ex Aseitate deducenda. Tertiò, Attributa aliqua in particulari explicanda, & ex eadem Aseitate, demonstranda.

§. I.
Eplicatur Ratio Attributi ejúsque species.

36. Respondeo, & Dico primò: Attributum Divinum propriè dictum esse Perfectionem Divinam Necessariam, absolutam totalem in suo genere, communem toti Trinitati, ex modo nostro concipiendi consequentem ad conceptum primò essentialem DEI, significatam per modum adjacentis.

Explicatur Definitio. Dicitur *perfectio.* Ubi nomine perfectionis non intelligitur rei inchoatæ ad finem, & exitum deductio seu elaboratio, quam secundùm Grammaticam nominis Etymologiam perfectio significare videtur; talis enim perfectio DEO repugnat. Sed intelligitur prædicatum DEO intrinsecum, ex se prudenter æstimabile, & appretiabile.

37. Dicitur *perfectio necessaria.* ut à ratione Attributi excludantur prædicata DEI libera, & contingentia. Quia etiam in creatis illa tota prædicata, & proprietates veniunt nomine passionum, & attributorum, quæ necessariò fluunt ex natura, seu essentia, non verò quæ contingenter conveniunt ipsi essentiæ, possúntque adesse vel abesse. Porrò per necessariam perfectionem non intelligitur illa solùm perfectio, quæ est, & concipitur per modum actûs. Hinc in DEO etiam actus necessarii intelligendi, & volendi, possunt intelligi nomine Attributorum, idque ex eo, quia etiam in creatis nomine passionum, & proprietatum veniunt actus illi, qui necessariò, & stabiliter consequuntur essentiam. Et sic intellectio quâ Angelus se ipsum cognoscit ex multorum sententia est vera, & propria passio Angeli.

38. Dicitur *perfectio absoluta.* Nam perfectiones, & prædicata relativa non sunt propriè attributa DEI. Tum quia etiam in creatis ultimus Terminus naturæ, qualis terminus est subsistentia, aut personalitas, non venit nomine attributi. Prædicata autem relativa Divina sunt subsistentiæ, & personalitates Divinæ. Tum quia illud propriè est attributum DEI, quod itá consequitur essentiam DEI, ut per illam demonstrari possit. Sed prædicata Relativa non possunt demonstrari per essentiam DEI. Ergo non sunt propriè attributa.

39. Dicitur *totalis in suo genere.* Perfectiones enim partiales quantumvis necessariæ, & absolutæ, qualis v. g. est potentia productiva muscæ non tam sunt attributa, quàm potiùs partes seu gradus attributorum. Et ratio ulterior est. Quia attributa totalia ex communi sensu (ùt ait Velzenus) infinitatem quandam important.

40. Dicitur *Communis toti Trinitati.* Nam sicut Essentia Metaphysica, itá & omnia attributa Divina debent esse communia omnibus, & singulis Personis. Siquidem ex essentia Metaphysica, & ex attributis coalescit essentia Theologicè spectata, quæ debet esse communis iisdem omnibus Personis.

41. *Dicitur ex modo nostro concipiendi, consequens ad essentiam Metaphysicam DEI.* Perfectiones enim absolutæ, & necessariæ, quæ ingrediuntur essentiam Metaphysicam, seu conceptum primò essentialem DEI, & ex quibus

quibus resultant aliæ, non sunt attributa, sed nomine attributorum veniunt, propriè perfectiones essentiam consequentes, & ex illa profluentes. Quod ipsum ex eo est: Quia ex vi nominis, illud est propriè attributum, quod alteri in suo esse constituto attribuitur. Sed quod alteri in suo esse constituto attribuitur, est consequens ad esse ejusdem, seu ad essentiam illius, cui attribuitur; necessariò enim supponit id, cui attribuitur. Ergo attributum DEI propriè est, quod consequitur essentiam Metaphysicam DEI. Non est autem attributum DEI, aliquid realiter, aut nemine cogitante consequens essentiam DEI. Inter enim Essentiam Divinam, & inter attributa, non intercedit ulla distinctio realis aut objectiva, qualem distinctionem consecutio realis, aut nemine cogitante talis, attributorum ad essentiam DEI, necessariò supponit. Ergo attributum DEI est perfectio ex modo nostro concipiendi consequens essentiam, seu conceptum primò essentialem DEI. Cùm etiam attributum, nonnisi ex modo nostro concipiendi distinguatur ab essentia.

42. Additur postremo à quibusdam: *significata adjectivè, seu per modum adjacentis.* Perfectiones enim, quæ significantur substantivè, súntque de linea substantiæ licèt ex modo nostro concipiendi consequantur essentiam DEI; quales perfectiones sunt: *esse substantiam, esse spiritum,* &c. à plerísque excluduntur à ratione attributi propriè talis. Hoc additur quidem ab aliquibus, sed meo judicio minùs necessariè. Si enim hæc prædicata consequuntur essentiam, non sunt Essentia. Ergo sunt passiones essentiæ, adeóque attributa. Prædicata enim quæcunque necessaria, & absoluta DEI, communia toti Trinitati, vel sunt essentia, vel sunt passiones, nec dantur ulla talia prædicata, quæ neque sint essentia, neque passiones essentiæ. Licèt verò in creatis prædicata de linea substantiæ excludantur à ratione attributi, idque ex eo, quod non inferantur ex ratione Entis ab alio, & sunt differentiæ contrahentes alias rationes genericas; tamen in Divinis prædicata hujus lineæ, non debent excludi à ratione attributi; cùm hæc inferantur ex essentia DEI, hoc est ex ratione Entis à se, nec sint aut possint esse differentiæ contrahentes rationem Entis à se. Addo, prædicata quæ substantivè significantur, posse significari adjectivè, & per modum adjacentis. Et sic substantia potest significari per ly substantiale; esse spiritûs, per ly spirituale, & sic de ceteris. Sicut è converso prædicata adjectivè significata possunt significari substantivè, v. g. sapiens potest significari per ly sapientia. Ergo hoc non obstante, quòd aliqua prædicata significentur hoc vel illo modo, erunt attributa propriè dicta.

43. Definitionis explicatæ bonitas, patet tum ex ipsa explicatione; tum quia convenit omni, & soli attributo Divino; tum quia per hanc definitionem attributum Divinum explicatur per quandam similitudinem, & Analogiam cum passionibus Physicis naturæ seu essentiæ in creatis, quomodo attributum Divinum videtur debere explicari, cùm sit passio Mataphysica DEI; tum quia definitio hæc constat genere proximo, & differentiâ ultimâ. Genus proximum est *Perfectio Divina absoluta, necessaria, totalis in suo genere, communis toti Triniati.* In hoc enim prædicato, attributum DEI convenit cum Essentia Metaphysica DEI. Differentia ultima attributi est: *quòd ex modo nostro concipiendi promanet, & inferatur ex conceptu essentiali DEI.* Per hoc enim prædicatum, attributum differt ab essentia Metaphysica.

44. Respondeo, & Dico secundò. Attributa Divina alia esse affirmativa, seu positiva, alia negativa. Attributa positiva sunt, per quæ affirmantur de DEO perfectiones similes perfectionibus creatis, exprimuntúrque, & significantur terminis positivis. Ut: esse sapientem, omnipotentem, misericordem, justum, &c. Attributa negativa, sunt illa, quæ excludunt à DEO imperfectiones, quales solent reperiri in creaturis, & significantur terminis negativis; qualia attributa sunt: esse infinitum, immensum, immortalem, &c.

45. Circa attributa Divina negativa illud adverto. Talia attributa non esse negativa propriè, & quoad se; sed aliqua attributa solùm esse negativa, quoad dici, & quoad modum significandi. Ratio primi est: quia si aliquod attributum Divinum esset propriè negativum, & quoad esse, deberet esse tale, vel ratione subjecti, quatenus identificaretur subjecto, quod esset propriè negativum; vel certè deberet esse negativum ratione termini po-

sitivi exclusi, quatenus aliquod attributum Divinum excluderet esse positivum. Sed ex neutro hoc capite attributa Divina, possunt esse propriè negativa. Non ex primò. Quia attributa Divina identificantur DEO, qui est fundamentum talis identitatis purè positivum: quia in DEO est purum esse, & omnis gradus essendi cujusvis imperfectionis expers. Non etiam ex secundo capite. Attributa Divina posunt esse negativa; nullum enim attributum Divinum est exclusivum à DEO, esse veri positivi. Sed si aliqua attributa sunt exclusiva, negationum nonnisi sunt exclusiva; quia sunt exclusiva imperfectionum creatarum, quæ imperfectiones cùm sint carentiæ, & defectus perfectionis, adeóque defectus alicujus esse, sunt aliquomodo, saltèm ex modo concipiendi negationes, & quid negativum.

46. Ratio secundi est. Quia attributa illa per quæ significantur perfectiones Divinæ positivæ ad instar negationum realium sunt attributa negativa quoad dici. Sed attributa DEI quæ vocantur negativa sunt illa, per quæ significantur perfectiones Divinæ positivæ adinstar negationum realium: quia per ipsa significantur perfectiones DEI exclusivæ imperfectionum; quales perfectiones concipiuntur adinstar negationum, quarum essentia est esse exclusiones formales alicujus esse. Ergo.

47. Respondeo, & dico tertiò. Tam attributa Divina, quàm Essentiam Metaphysicam DEI esse perfectiones eásque simpliciter dictas, imò simpliciter simplices. Sunt perfectiones, quia hæc prædicata per esse perfectionis definiuntur, & in Ente perfectissimo, quale Ens est DEUS, omne prædicatum non potest esse nisì perfectio. Sunt perfectiones simpliciter dictæ: quia perfectio simpliciter dicta est illa, quæ in suo conceptu nullam involvit imperfectionem. Cùm è contra perfectio secundùm quid sit illa, quæ admistam habet imperfectionem, ità ut non subsistat talis perfectionis conceptus, si depuretur ab omnibus imperfectionibus. Sed attributa & essentia DEI Metaphysica in suis conceptibus essentialibus nullam involvunt imperfectionem. Id enim est de ratione Entis perfectissimi. Ergo.

Sunt denique tam essentia Metaphysica, quàm attributa DEI, perfectiones simpliciter simplices. Perfectio enim simpliciter simplex, prout illam definit S. Anselmus Monol. cap. 41. Est illa perfectio, *quæ melior est ipsa, quàm non ipsa.* Quæ definitio non est intelligenda hoc sensu, quòd perfectio simpliciter simplex debeat esse melior quàm sui carentia contradictiorè sibi opposita, aliàs quævis perfectio etiam secundùm quid, esset perfectio simpliciter simplex. Siquidem etiam talis perfectio est melior quàm carentia, & negatio illius. Sed intelligenda est dicta definitio hoc sensu, quòd perfectio simpliciter simplex debeat esse melior, quàm perfectio positiva alia, sibi opposita contrariè, vel secum incompossibilis, imò quàm quæcunque alia perfectio potissimùm ejusdem quasi generis, ab ipsa realiter distincta. Atqui attributa, & essentia Metaphysica DEI sunt perfectiones, quarum una quæque est melior quàm perfectio contrariè illi opposita, vel cum ipsa incompossibilis, ac etiam quàm quævis alia perfectio realiter ab ipsa distincta: ùt inductione Essentiæ Metaphysicæ, & quorumvis attributorum facilè ostendi potest; nimirum esse Ens à se, est perfectio melior, quàm esse Ens ab alio, quæ ratio est incompossibilis cum perfectione Entis à se, ab eáque realiter distincta. Misericordia, pariter Justitia, Sapientia, Omnipotentia, &c. sunt perfectiones simpliciter simplices, quia sunt meliores quàm earum oppositæ, vel quàm perfectiones aliæ ab his realiter distinctæ.

§. II.

Attributa DEI in communi, ex Aseitate deducuntur.

48. Dico Attributa DEI propriè talia tam positiva quàm negativa posse demonstrari omnia simul, & in communi per Aseitatem tanquam per suam radicem, & à priori.

Demonstratur. DEUS est Ens à se sibique sufficiens ad esse. Ergo DEUS est Ens perfectissimum, quo melius, & perfectius nec esse nec concipi potest. Sed si DEUS non esset infinitus, immensus, æternus, omnipotens, simplex, unus, &c. DEUS non esset Ens perfectissimum quo melius nec esse nec concipi potest. Ergo.

Ergo. Antecedens est definitio, seu conceptus primò essentialis DEI. Consequentia probatur aliquot rationibus.

49. Probatur primò, consequentia. Ens illimitatæ, & infinitæ perfectionis, in qnovis genere est Ens perfectissimum quo melius, & perfectius nec esse nec concipi potest. Si enim tali Ente aliud Ens perfectius dari, & concipi posset, eò ipso Ens illud, & esset illimitatæ, & infinitæ perfectionis ùt supponitur, & non esset. Ibi enim limitaretur, ubi excederetur in perfectione ab illo alio ente, quod esset vel conciperetur perfectius. Sed Ens à se, sibique sufficiens ad esse est illimitatæ, & infinitæ perfectionis. Si enim limitaretur in perfectione, limitatio illa vel esset à causa talis entis, vel à propria ejusdem essentia. Atqui talis limitatio ex neutro hoc capite potest convenire Enti à se. Imprimis enim non potest illi convenire limitatio quæ fit à causa. Quia Ens à se ex suo formali conceptu excludit essentialiter omnem sui causam. Non potest etiam Enti à se convenire limitatio ratione propriæ ipsius essentiæ. Quia hæc in tantùm illi conveniret, in quantùm essentiæ Entis à se repugnarent aliquæ perfectiones. Sed essentiæ Entis à se, nulla perfectio propriè talis repugnat: aliàs ex ratione Entis à se deberet inferri imperfectio exclusiva perfectionis illius oppositæ, cum eáque incompossibilis, quæ tamen inferri non potest. Cùm enim ratio Entis à se sit exclusiva radicis talium imperfectionum nimirum abaleitatis, non, potest ipsa ratio Entis à se, esse radix illativa ullius imperfectionis.

50. Probatur secundò, eadem consequentia. Ens à se est ens necessariò actu Physicè, intrinsecè, absolutè existens in se ipso. Sed Ens necessario actu Physicè intrinsecè absolutè existens in se ipso est perfectissimum, quo melius, & perfectius, nec esse, nec concipi potest. Ergo Ens à se est perfectissimum, &c. Major imprimis deducitur. Ens, quod necessariò est actu Physicè absolutè in se ipso, est Ens actu Physicè absolutè existens in se ipso. Esse enim aliquid actu Physicè absolutè in se ipso, est illud actu Physicè absolutè existere in se ipso, & è contra. Sed Ens à se est necessariò actu Physicè absolutè in se ipso; quia non est in alio; deberet enim esse in alio tanquàm in sui causa, quam tamen Ens à se essentialiter excludit. Est etiam actu necessario Physicè, absolutè. Quia aliàs non esset sufficiens sibi ad esse. Sed ut esset actu Physicè absolutè, requireretur aliqua sufficientia extrinseca, à qua determinaretur ad esse actu Physicè absolutè, & extraheretur ex nihilo. Ipsum enim illud Ens, non esset, nec posset sibi esse sufficientia ad esse. Omnis enim sufficientia ad esse, sive sibi, sive aliis, non potest fundari nisi in esse actuali Physico absoluto, seu in existentia actuali, & exercita. Unde etiam causa Physica non existens Physicè actu, non potest esse sufficientia effectui ad esse. Ergo si Ens à se, debet esse sibi sufficiens ad esse, idem Ens debet habere esse actuale Physicum absolutum, adeóque debet esse actu Physicè. Minor deinde deducitur. Ens necessariò actu Physicè existens in se ipso est Ens existens existentiâ perfectissima. Quia existens existentia, nullius prudentis displicentiæ fundativa, seu tali existentia, quæ nulla prudenti displicentia reprobari potest. Si nulla prudenti displicentia reprobari potest, caret omni imperfectione, ratione cujus per displicentiam reprobetur. Si omni imperfectione caret, dicit omnem perfectionem, per quam excludantur omnes imperfectiones. Adeóque est existens existentiâ perfectissimâ.

51. Probatur tertiò consequentia primi Enthimematis. Ens, & sibi & omnibus aliis extra se, sufficientissimum ad esse est perfectissimum. Tale enim Ens cùm sit causa omnium possibilium, necessariò debet continere formaliter vel eminenter, omnem omnino possibilem perfectionem, quam aliis Entibus tribuere potest: cùm nemo det, quòd non habet. Idque debet tales perfectiones continere modo perfectissimo, & infinito. Cùm enim perfectiones creaturarum possint esse plures, & majores in infinitum, nec sit possibilis ulla perfectio creata maxima. Ens sibi, & omnibus Entibus possibilibus sufficientissimum ad esse debet continere perfectionem majorem quacunque perfectione creata finita, adeóque debet continere perfectionem infinitam, consequenter modo perfectissimo, & infinito. Sed Ens à se, est Ens, & sibi & omnibus Entibus possibilibus sufficientissimum ad esse. Non aliud enim Ens à se sufficiens sibi ad esse dari evincunt demonstrationes existentiæ

DEI, niſi, quòd & ſibi, & omnibus creaturis ſit ſufficientiſſimum ad eſſe. Ergo Ens à ſe, eſt Ens perfectiſſimum.

52. Probata conſequentia primi Enthimematis, probatur ſubſumpta Minor. Quia ſi DEUS careret aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici, DEUS non eſſet Ens perfectiſſimum, quo perfectius nec eſſe, nec concipi poteſt. Illud enim Ens eſſet aut conciperetur perfectius DEO, quod haberet, vel habere conciperetur perfectionem, qua careret DEUS, Sed ſi DEUS non eſſet omnipotens, infinitus, immenſus &c. DEUS careret aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici; careret enim omnipotentia, infinitudine, immenſitate, quæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. Quævis enim illarum eſt melior, quàm quævis alia perfectio, ab ipſa realiter diſtincta, maximè illa, quæ ſit ejuſdem generis. Scilicet omnipotentia melior eſt, quàm potentia limitata, & certorum nonniſi effectuum productiva. Immenſitas eſt melior, quàm finita in certo loco ubicatio, & ſic de cæteris. Ergo, &c.

Objectiones proponuntur.

53. Objicitur, & probatur per Aſeitatem non poſſe demonſtrari attributa Divina, argumento, quod pro omnibus attributis ſit commune, & univerſale. Primò. Quia ſi per Aſeitatem demonſtrarentur Attributa Divina, Aſeitas deberet eſſe radix omnis perfectionis. Sed non eſt talis radix. Aliàs Enti poſſibili quâ tali deberet convenire omnis perfectio. Enti enim poſſibili quâ tali competit Aſeitas; ſiquidem Ens poſſibile quâ tale eſt improductum, adeóque à ſe. Secundò. In tantùm per Aſeitatem demonſtrarentur attributa Divina, inquantùm ex Aſeitate, inferretur DEUM neceſſariò ſibi velle omnem perfectionem. Sed hac ratione non poſſunt demonſtrari attributa, & perfectiones Divinæ, ſi enim demonſtrarentur, tunc ex velle ſibi omnem perfectionem, inferretur omnis perfectio; non poteſt autem inferri; aliàs ex velle inferretur eſſe; cùm tamen potiùs ex eſſe debeat inferri velle; cùm prius ſit eſſe, quàm velle. Ergo. Tertiò. Per Aſeitatem non demonſtrantur attributa DEI negativa; qualia ſunt: Immenſitas, infinitudo, immutabilitas DEI. &c. Aſeitas enim non eſt excluſiva ullius eſſe aut boni, cùm Ens à ſe, nullum ſibi poſſit negare eſſe aut bonum. Eſſet autem Aſeitas excluſiva alicujus eſſe aut boni, ſi eſſet radix immenſitatis, infinitudinis, &c. Cùm hæc prædicata excludant aliquod eſſe, aut bonum. Per immenſitatem enim excluditur præſentia incertæ, & determinatæ extenſionis loco, per infinitudinem excluditur eſſe terminatum, &c. Quartò. Ex Aſeitate non bene infertur illimitatio in omni genere perfectionis, ex qua ulterius inferuntur aliæ perfectiones, & attributa DEI. Ergo. Antecedens probatur. Ens à ſe, licèt non poſſit limitari à cauſa ſui, cùm hanc eſſentialiter excludat, poteſt tamen limitari à ſua & ex ſua propria eſſentia, cùm etiam in creatis creaturæ ità limitentur efficienter à ſuis cauſis, ut ſimul ſint formaliter limitatæ per ſuam eſſentiam, quia per prædicata ſibi adæquatè identificata. Et ſic homo v. g. ex ſua eſſentia habet quòd ſit corpus, quòd ſit mortalis &c. per quæ prædicata limitatur hominis perfectio. Licèt verò in creatis, limitatio effectûs non haberetur ex eſſentia ejuſdem effectus; tamen dici poteſt ex ſpeciali ratione Enti à ſe debere convenire limitationem ex propria ſua eſſentia; nimirùm ex hac ratione: Ens à ſe, eô ipſo, quòd per ſuam eſſentiam excludat cauſam ſui productivam, quemadmodùm per ſuam eſſentiam habet ſufficientiam ſibi ad eſſe, quæ in aliis Entibus habetur à cauſa, ità conſequens eſſe, ùt per ſuam eſſentiam, habeat limitationem ſuæ perfectionis, quæ in aliis Entibus habetur itidem à cauſa.

Solvuntur Objectiones.

54. Reſpondeo, ad primum negando ſequelam majoris cum ſua probatione, & immediata, & ulteriore, ac dico: Enti creato poſſibili quâ tali non convenire Aſeitatem. Neque enim convenit Aſeitas Enti creato poſſibili, dum actu exiſtit, talis enim Entis, ſicut exiſtentia, ità poſſibilitas, ab exiſtentia omnino indiſtincta, non eſt à ſe, cùm ſit ab alio, utpote creata, & producta. Neque eadem Aſeitas convenit Enti purè poſſibili, ſeu Enti poſſibili non exiſtenti, cùm enim tale poſſibile nihil ſit, nec habeat ullum eſſe actuale abſolutum, non poteſt eſſe à ſe, deberet enim eſſe à ſe, ſecundùm eſſe, quòd actu abſolutè habet, nullum autem eſſe actu abſolutè habet, ſed ſolùm

ſolùm haberet, ſi. Licèt verò purè poſſibile, ſit aliquid in ſua cauſa, nimirum in Omnipotentia DEI, in qua continetur; quia tamen non eſt quidquàm in ſe, non poteſt eſſe à ſe; ſed quemadmodum eſt poſſibiliter in alio, ità eſt poſſibiliter ab alio, quatenus poteſt produci à cauſa. Unde ſicut falſum eſt Eſſentias rerum creatarum poſſibilium eſſe aliquid in ſe actu abſolutè improductum, ità falſum eſt, eaſdem eſſentias eſſe Ens à ſe, & convenire illis Aſeitatem.

55. Ad ſecundum Reſpondeo, negando imprimìs cauſalem majoris. Licèt enim aliqui, in demonſtandis attributis Divinis per Aſeitatem utantur ratione, quòd Ens à ſe neceſſariò velit ſibi omnem perfectionem, cùm non ſit ſibi inimicum, non ſit ſibi invidum. Ego tamen ab hac ratione abſtineo aliiſque uſus ſum rationibus in attributis Divinis ex Aſeitate deducendis. Deinde, omiſſa majore. Nego minorem. Ad probationem dico: attributa Divina inferri, & deduci ex velle non elicito, & proprio appetitûs intentionalis eliciti, ſed deduci ex velle innato proprio appetitûs innati, quod velle nihil aliud eſt, niſi in Aſeitate exigentia omnis perfectionis, & ex modo noſtro concipiendi, connexio Aſeitatis cum omni perfectione ſeu attributo. Porrò ex tali velle inferri, eſſe perfectionum Divinarum nihil inconvenientis eſt, aut eſſe poteſt. Ad illud quòd additur: Ex eſſe debet inferri velle, non verò eſſe ex velle. Reſpondeo. Velle ità inferri ex uno eſſe, ut ex eodem ipſo velle inferatur aliud eſſe. Ex velle enim Divino, quòd ſupponit eſſe Divinum infertur omne eſſe creatum. Hac ratione, velle DEI impropriè dictum, ſumptum nimirum pro exigentia eſſentiali perfectionum Divinarum, ità ſupponit eſſentiam Metaphyſicam DEI, ut ex hoc velle inferatur eſſe attributorum Divinorum, ratione noſtra diverſorum ab eſſentia DEI Metaphyſica, hócque ipſum eſſe eſt poſterius quàm velle, licèt Eſſentia DEI Metaphyſica poſſit dici aliqua ratione prior quàm idem velle.

56. Ad tertium Reſpondeo, negando Antecedens, Probationis diſtinguo Majorem: Aſeitas non eſt excluſiva ullius eſſe ſeu boni involventis eſſentialiter in ſuo conceptu imperfectionem, nego majorem. Non eſt excluſiva ullius eſſe ſeu boni non involventis in ſuo conceptu ullam imperfectionem. Concedo majorem. Diſtinguo deinde minorem. Sed ſi Aſeitas eſſet radix immenſitatis infinitudinis, &c. Aſeitas eſſet excluſiva alicujus eſſe ſeu boni involventis in ſuo conceptu imperfectionem. Concedo minorem. Eſſet excluſiva eſſe ſeu boni non involventis imperfectionem. Nego minorem, & conſequentiam. Ac dico Aſeitatem per hoc, quòd ſit radix immenſitatis, infinitudinis &c. eſſe excluſivam alicujus eſſe & boni ſed involventis eſſentialiter in ſuo conceptu imperfectionem. Nimirùm eſt excluſiva limitationis ad exiſtendum nonniſi in certo loco; limitationis itèm, & finitudinis in perfectione, idque eſt excluſiva per eſſe perfectiſſimum, & purum bonum, quod nè minimum dedecet Aſeitatem. Dici deinde poteſt per infinitudinem, & immenſitatem excludi eſſe, & bonum, quòd ſaltèm ex modo noſtro concipiendi eſt non eſſe, & defectus boni, non excludi verò eſſe & bonum, quod tam à parte rei, quàm ex modo noſtro concipiendi ſit eſſe, & bonum. Infinitudo enim, & immenſitas, ùt ſupra diximus ſunt attributa negativa impropriè, & quoad dici propter excluſum tale eſſe, & bonum, quod à nobis concipitur, ut non eſſe, quia ùt carentia alicujus puri boni, & ùt defectus cujuſpiam perfectionis.

57. Ad quartum Reſpondeo, negando Antecedens cum ſua probatione. Paritati à creatis hanc diſparitatem aſſigno. Ideo Creaturæ per ſuam eſſentiam limitantur formaliter in perfectione. Quia habent radicem exigitivam talis limitationis, habent enim abaleitatem, quæ & ipſa ex ſuo conceptu eſt imperfectio, & præterea eſt radix exigitiva imperfectionum creatarum. È contra in Ente à ſe non eſt radix ullius limitationis in perfectione, ſed potiùs eſt radix excluſiva ejuſdem, nimirum eſt Aſeitas, quæ eſt radix excluſiva abaleitatis, à qua tanquam à ſua radice pullulant omnes imperfectiones, adeóque limitatio in perfectione. Hinc ulteriùs patet: quare Ens à ſe per ſuam eſſentiam non habeat limitationem perfectionis, ſicut per ſuam eſſentiam habet ſufficientiam ſibi ad eſſe. Id nimirum ex eo eſt, quia limitatio perfectionis repugnat ſufficientiæ ad eſſe. Quod enim ſufficit ſibi ad eſſe, ſufficit ad eſſe omni vero, & puro

esse, adeóque sufficit ad esse omni suæ perfectioni.

§. III.

Attributa aliqua in particulari explicantur, & ex Aseitate deducuntur ac demonstrantur.

58. Demonstratur imprimìs simplicitas DEI, prout opposita compositioni ex partibus nemine cogitante distinctis. Ens à se, est Ens carens omni defectu; quia est Ens perfectissimum ùt constat ex dictis. §. præcedente. Sed Ens dicens compositionem ex partibus nemine cogitante distinctis, non caret omni defectu. Ergo. Ens dicens compositionem ex partibus non est Ens à se. Minor probatur. Tum quia Ens dicens compositionem ex partibus, non caret partibus, quæ in suo conceptu dicunt defectum, una quæque enim pars dicit carentiam, & defectum perfectonis quæ est in altera comparte, dicit itèm carentiam perfectionis, quæ est in toto ex talibus partibus constituto. Siquidem partes ex eo ad totum constituendum concurrunt, quòd solæ à totius perfectione deficiant. Tum quia Ens habens modum essendi perfectissimum, est Ens carens omni defectu. Sed ens constans ex partibus nemine cogitante distinctis, non habet modum essendi perfectissimum. Cùm longè perfectior modus essendi sit, vi cujus summa, & consummata perfectio habetur per realem identitatem, & in simplici entitate, quàm modus essendi, cujus perfectio habetur per unionem, & ex adjunctione plurium. Tum quia, si ens compositum ex partibus nemine cogitante distinctis careret omni defectu, quævis pars talis entis compositi, singillatim accepta, deberet esse Ens à se. Si enim esset ab alio, Ens compositum ex tali parte diceret defectum, quia diceret imperfectionem propriam creaturæ, suæ parti identificatam. Sed nulla pars illius Entis compositi secundùm se sumpta, potest esse Ens à se: Quia, eò ipso soli huic parti conveniret adæquatus conceptus primo essentialis DEI, consequenter illi soli parti deberent identificari adæquatè omnia attributa DEI, illi enim soli parti conveniret infinitudo, & illimitatio, in omni perfectionis genere, ùt demonstratum est Num. 49. Adeóque una quæque pars componens esse Divinum, esset DEUS, & per consequens non tam DEUS componeretur ex partibus nem. cog. distinctis, quàm potiùs DEUS ille compositus, esset plures Dii, daretúrque multiplicitas DEOrum.

59. Demonstratur secundò. Per Aseitatem ratio actûs puri seu, quòd DEUS sit actus purus. Ens exclusivum omnis potentialitatis propriè dictæ, & involventis imperfectionem, est actus purus. Sed Ens à se est Ens exclusivum omnis potentialitatis propriè dictæ, & involventis imperfectionem. Ergo Ens à se est actus purus. Minor probatur. Ens à se ex ratione talis entis excludit tam potentialitatē objectivam seu Logicam, quàm potentialitatem subjectivam, quæ duæ species potentialitatis, veniunt præcisè nomine potentialitatis propriè dictæ, & involventis imperfectionem. Excludit imprimìs potentialitatem objectivam, quia excludit veram indifferentiam ad existere vel non existere, in quali indifferentia consistit potentialitas objectiva. DEUS enim, ex ratione Entis à se, est essentialiter determinatus ad existendum. Quia aliàs non esset se solo, sibi sufficientissimus ad esse, si deberet ab alio determinari ad existendum. Excludit etiā Ens à se ex ratione sua formali potentialitatem subjectivam. Quia excludit perfectibilitatem, & complebilitatem sui per actum ulteriorem; nisi enim DEUS illam excluderet, non esset perfectissimus. Quia non haberet per identitatem omnem perfectionem actûs ulterioris, per quem esset perfectibilis, & complebilis. Ergo excludit potentialitatem subjectivam, hæc enim consistit in perfectibilitate, & complebilitate rei per actum ulteriorem.

60. Demonstratur tertiò. Quòd DEUS sit immutabilis. DEUS ex prædicato Entis à se, est actus purus, ùt constat ex numero præcedente. Ergo est immutabilis. Consequentia probatur, ex ratione actûs puri sequitur, & infertur immutabilitas. Ex hac enim ratione seu prædicato, sequitur perfectio, ex vi cujus, repugnat, ut Ens, quod est actus purus, acquirat de novo esse vel perfectionem quam ante non habuit; vel deperdat esse seu perfectionem in ante habitam. Sed talis perfectio est immutabilitas. Cùm è contra mutabilitas sit potentia, ad acquirendam aliquam de novo perfectionem, aut in ante habitam deperdendam. Quia ulterius ipsa muta-

mutatio est transitus quidam à non esse ad esse; vel ab esse ad non esse.

61 Adverto Generationem in Divinis non esse mutationem. Cùm enim sit æterna, & necessaria, nullo modo potest dici transitus à non esse ad esse.

62. Demonstratur quartò. Quòd DEUS sit omnipotens. Ens continens in sua virtute omne id, quidquid extra DEUM est possibile, est Ens omnipotens. Sed Ens à se, est Ens continens in sua virtute omne id, quidquid extra DEUM est possibile. Ens enim à se est Ens perfectissimum, seu perfectionis infinitæ, & illimitatæ, quale non esset, si non contineret in sua virtute, hoc est, potentia productiva omne possibile. Tum quia careret perfectione illius entis, nec illam eminenter haberet, Entis inquam illius, quod in sua virtute non contineret. Si enim illius Entis omnem perfectionem contineret eminenter, nihil illi deesset, quò minùs tale ens contineret etiam virtualiter, seu in virtute sua. Ergo. Tum quia careret virtute productiva Entis alicujus possibilis extra se, qualis virtus est perfectio, nullam involvens imperfectionem; proindéque est perfectio requisita ad rationem Entis perfectissimi.

63. Demonstratur quintò. Vita, intellectivitas, & libertas DEI. Enti à se convenit nobilissimus, & perfectissimus modo essendi, & agendi. Hic enim modus debet convenire Enti perfectissimo, quale Ens est, Ens à se. Sed si DEUS non esset vivens, aut intellectivus, aut liber non haberet modum perfectissimum essendi, & agendi cum ex una parte, etiam in creatis, illæ creaturæ censeantur habere perfectiorem modum essendi, & agendi, quæ vivunt, intelligunt, suntque liberæ; ex altera parte, cum possit subsistere ratio viventis, intellectivi, liberi, demptis imperfectionibus, quæ in vita, intellectivitate, & libertate creata reperiuntur. Quales solæ rationes, & perfectiones, possunt, & debent dari in DEO formaliter, quæ scilicet depuratæ ab omnibus imperfectionibus, quibus in creatis misceri, & conjungi solent, retinent adhuc rationem, & conceptum suum essentialem, & differentialem.

64. Hæc ipsa attributa demonstrantur, etiam tali ratione. DEUS, eò ipso, quia est omnipotens debet esse liber. Ergo, si ex ratione Entis à se, sequitur, DEUM debere esse omnipotentem, ex eadem ratione sequitur, DEUM debere esse liberum. Antecedens probatur. Eò ipso, quia DEUS est omnipotens, potest non solùm ex nihilo producere effectus creatos, sed etiam potest illos in nihilo relinquere seu non producere. DEUS enim ratione suæ omnipotentiæ, potest omnia. Non posset verò omnia, si solùm posset producere effectus creatos, illósque per productionem extrahere ex nihilo, non posset autem eosdem in suo nihilo relinquere, seu non producere. Sed eò ipso, DEUS, quòd non solùm possit producere, sed etiam non producere effectus creatos, debet esse liber. Quia debet posse se ipsum determinare, ut potiùs producat aliquem effectum, quàm ut non producat, vel è contra. Non potest enim determinari ad id ab ullo alio. Quia hoc ipso non esset omnipotens. Quia in agendo non esset independens ab alio, non esset enim independens ab illo, cujus determinatione indigeret. Ergo. Quòd si autem DEUS debet esse liber, debet etiam esse intellectivus. Libertas enim essentialiter involvit rationem intellectivi, cum actus primus proximus libertatis includat cognitionem, seu propositionem indifferentem objecti per actum intellectus. Debet præterea esse vivens; cùm intellectivum, & liberum, in suo conceptu formali, dicant rationem viventis.

65. Demonstratur sextò. Unicitas DEI, seu quòd DEUS unicus sit. Ens à se necessariò est unicum. Sed DEUS est Ens à se. Ergo DEUS est unicus. Major probatur. Tum quia Ens à se, necessariò est perfectissimum; si autem non esset Unicum, non esset perfectissimum, posset enim esse, & concipi Ens, illo perfectius, nimirum quod esset à se, & simul quod esset unicum. Quia tali Enti conveniret specialis perfectio, quæ non conveniret Enti à se realiter multiplici; scilicet conveniret illi, omnibus præstare, quod certè prædicatum est specialis perfectio. Cùm melius sit omnibus præstare, & excellere, quàm parem admittere. Tum quia Ens à se, est Ens omnipotens, & perfectissimè liberum. Sed Ens omnipotens, & perfectissimè liberum, non potest esse nisi unicum. Si enim tale Ens esset multiplex, darentúrque plures omnipotentes, & perfectissimè

liberi, singuli illorum, & essent omnipotentes, ac perfectissimè liberi, & non essent. Essent, ùt supponitur; non essent, ùt probo. Vel enim omnium simul opera, & concursus requiretur ad producendum unum, eundémque effectum v. g. ad fabricandum hunc mundum; & hoc ipso non essent omnes & singuli illorum omnipotentes. Imbecillitas enim singulorum arguitur ex unius cujusque insufficientia se solo, ad producendum aliquem effectum. Non Essent etiam perfectissimè liberi. Quia unus non posset efficaciter velle productionem hujus v. g. mundi, quin alii, in simultaneum concursum consentirent. Si autem, uno volente efficaciter productionem mundi, deberent consentire alii, eò ipso, qui ità necessitarentur ad consensum, non essent perfectissimè liberi. Vel certè ex illis pluribus omnipotentibus, & liberis, non requireretur omnium simultanea opera ad unum, eundémque effectum; sed unus sinè aliis, posset illum se solo producere. Et iterum etiam hinc sequitur, quòd omnes, & singuli non essent omnipotentes, & perfectissimè liberi. Non essent omnipotentes. Quia posset aliquis effectus existere, & non dependere in actu. Secundò ab omnipotentia unius ex pluribus illis omnipotentibus, quod est contra rationem, & perfectionem omnipotentiæ. Præterea, si unus illorum posset se solo, efficaciter velle producere hunc mundum, in casu, quod id vellet, non posset efficaciter impediri ab aliis. Si enim posset impediri, eò ipso non esset se solo sufficiens ad producendum eundem effectum. Quia dependeret à carentia impeditionis ab aliis profectæ. Quodsi verò non posset impediri ab aliis, eò ipso illi alii non essent omnipotentes, quia non possent facere, ut effectus non existeret, quem ipsi non producerent. Non essent etiam perfectissimè liberi, quia non possent pro suo libitu impedire existentiam effectûs. Hanc rationem videtur innuisse S. Edmundus Cantuariensis in speculo Ecclesiæ, dum ait: *Nam si plures essent Dii, essent superflui simul, & semel. Nam primus foret superfluus, quia secundus sufficeret: per eandem rationem esset secundus, quia primus esset solus sufficiens.*

66. Adverto primò. Per Unicitatem DEI non intelligi hic præcisè unitatem transcendentalem, & illam, quæ cuivis Enti esset essentialis, ex vi cujus Ens est indivisum in se, & divisum à quovis alio. Sed intelligi unitatem singularitatis, & immultiplicabilitatis, ex vi cujus DEUS ità est unus, ut non sit dabile Ens realiter distinctum à DEO, illi simillimam, & specie eandem naturam habens.

67. Adverto secundò. Multiplicitatem personarum realiter ab invicem distinctarum non obesse unicitati DEI superiùs demonstratæ. Quia, stante hac multiplicitate, adhuc in DEO, una nonnisi est essentia, una omnipotentia, una libertas perfectissima, ratione cujus, omnes tres Personæ excellunt, & præeminent omnibus, quæ sunt extra DEUM. Nec plures sunt omnipotentes aut plures Dii sed unus omnipotens, unus DEUS.

68. Demonstratur primò. Immensitas Divina. DEUM esse immensum, est DEUM ex sua entitate esse essentialiter, formaliter, & ultimatè determinatum, ad coexistendum quibuscunque loci spatiis possibilibus, ità ut absque ulla sui mutatione existeret, essétque præsens in omnibus loci spatiis, si daretur. Atqui DEUS ex ratione Entis à se, essentialiter, formaliter, & ultimatè est determinatus ad existendum in quibuscunque spatiis loci. Ergo DEUS ex ratione Entis à se est immensus. Major patet ex definitione immensi. Minor probatur. Esse essentialiter, formaliter, & ultimatè determinatum ad existendum in quibuscunque spatiis loci, si darentur, est perfectio simpliciter simplex. Ergo, cum DEO ex ratione Entis à se debeat convenire omnis perfectio simpliciter simplex debet ex eadem ratione DEO convenire, etiam illa perfectio, ex vi cujus sit determinatus ad existendum in omni loco. Antecedens probatur Tum quia ex una parte etiam in creatis præsentia in loco seu determinatio ad existendum in loco est perfectio creaturæ, útque eò major est perfectio, quò major est locus, ad quem præsentia determinat, & in quo, res aliqua existit. Unde etiam, quò perfectior est Angelus, eò major sphæra locabilitatis ei conceditur. Ex altera parte determinatio essentialis formalis, & ultimata ad existendum, in quovis loco possibili, nullam in hoc suo conceptu dicit imperfectionem, éstque melior ipsa quàm non ipsa. Ergo. Tum quia talis determinatio præstat hoc, ut DEUS operetur cum præstantissi-

stantissima sui applicatione, qualis applicatio habetur, si causa operetur per indistantiam. Hic enim modus operandi, est præstantior aliis, facit enim, ut causa, si aliunde esset infirma, & debilis, tantò meliùs agat, quantò minùs distat. Tum quia talis determinatio facit, ut DEUS sit immutabilis, hoc est, ut non mutetur per novam præsentiam, quam acquireret, si uni tantùm loco præsens, in alio etiam loco, qui forte de novo produceretur, esset, illique præsens fieret.

69. Adverto primò. Immensistatem prout hæc est attributum, & perfectio DEI, adæquatè DEO identificata, analogicè correspondere præsentiæ, seu ubicationi creatæ eique absolutæ, non autem respectivæ. Ratio primi est; quia, sicut in creatis, ubicatio absoluta adæquatè intrinseca creaturæ ubicatæ. Hæc enim nihil aliud est, nisi forma modalis inhærens rei, eámque immobiliter affigens loco, eô sensu, ut ex vi talis formæ, res creata, certum gradum distantiæ vel indistantiæ, in serie præsentiarum, quas alia Entia habent, vel haberent, casu quo similiter fixa existerent, tenere debeat. Ità Immensitas Divina, est perfectio, DEO adæquatè intrinseca (intellige intrinseca per identitatem) ex vi cujus, DEUS est terminatus ut sit indistans à quibuscunque præsentiis creatis, & locis extrinsecis, si & quando dabuntur. Ratio secundi est. Quia ubicatio respectiva in creatis, creaturæ, quæ tali ubicatione afficitur, non est adæquatè intrinseca. Ubicatio enim respectiva, est forma, vi cujus res dicitur esse in loco extrinseco, estque coexistentia rei creatæ alicui loco extrinseco. Talis autem forma, & coexistentia, non est adæquatè intrinseca rei, cujus dicitur esse ubicatio. Ergo illi non bene correspondet immensitas DEI, quæ debet esse perfectio, DEO adæquatè intrinseca.

70. Adverto secundò. Ultra immensitatem, DEO adæquatè intrinsecam, admittendam esse existentiam DEI in loco extrinseco (ubiquitatem alii vocant) quæ ùt talis, sit semiextrinseca DEI, ex vi cujus DEUS est in quovis loco reali, eique coexistit: Cùm enim DEUS, vi immensitatis suæ sit determinatus ad existendum in quibusvis locis realibus si existant, ex suppositione quòd aliqua spatia loci realis existant, DEUS, necessariò est in talibus spatiis, illísque coexistit. Atque hæc coexistentia DEI spatiis realibus est semiextrinseca DEO, ità enim eidem identificatur, ut etiam intrinsecè, & constitutivè dicat spatia relia vel eorum ubicationes existentes. Quia coexistentia aliquorum, est simultanea existentia duorum. Ergo sicut simultanea duorum existentia, non uni, sed duobus identificatur, ità & coexistentia duorum illis ipsis duobus identificatur. Adeóque coexistentia DEI spatiis realibus, & existentibus identificatur duobus, nimirum ipsi immensitati DEI, & ubicationi seu præsentiæ in loco, spatiorum realium, quibus DEUS coexistit.

71. Adverto tertiò. DEUM pluribus modis existere in rebus creatis. Primò enim DEUS in rebus creatis existit per essentiam, quatenùs ex vi suæ immensitatis est indistans ab omnibus rebus, omniáque creata se ipso replet. Secundò, existit DEUS in creaturis per præsentiam. Hoc nomine existentiæ per præsentiam, intelligunt authores cognitionem DEI, qua DEUS videt supercomprehensivè res creatas eásque illarum intuitione sibi præsentes facit, estque ipse in omnibus præsens. Tertiò. DEUS existit in rebus creatis per potentiam, quatenus influit in res creatas, eas producendo, & conservando. Quia verò DEUS, non solùm ùt causa efficiens, sed etiam ùt causa exemplaris causat effectus creatos, quatenus est idea, & exemplar, secundùm quod efformantur omnes effectus creati, DEOque conformantur, participando varias DEI perfectiones; - - Modus, quo DEUS existit in creaturis ùt causa exemplaris, denominatione speciali appellatur inexistentia DEI creaturis per illapsum; cùm modus quo DEUS existit in creaturis, ùt causa efficiens, dicatur inexistentia per potentiam. Præter hos modos inexistentiæ DEI in creaturis communes, quibus inest omnibus; Justis, speciali modo inest DEUS in hac mortali vita per gratiam; Beatis inest per Visionem beatificam, per quam se illis summè communicat; Beatissimæ Virgini inerat per inhabitationem corporalem ipsius, & per assumptionem ejus purissimi sanguinis in carnem cui copulata fuit VERBI Divini Hypostasis. Humanitati tandem Christi inerat DEUS per unionem hypostaticam VERBI Divini cum eadem Humanitate.

72. Adverto quartò. DEUM in loco reali extrinseco non esse eo modo per essentiam, sicut Entia creata sunt in loco reali extrinseco. Hæ enim in tantùm sunt in loco extrinseco, inquantùm continentur, & concluduntur loco extrinseco tanquàm termino; unde etiam locus extrinsecus definitur esse *superficies immobilis corporis continentis locatum*. DEUS autem nequit concludi ullo loco reali tanquam termino. Cùm ratione suæ immensitatis excedat quoscunque terminos cujusvis loci, nec sit capax ut concludatur aliquo spacio tanquam termino. Et hinc est, quòd DEUS dicatur ab aliquibus non esse propriè, & rigorosè in loco reali, sed solùm minùs propriè. Hic tamen modus, quo DEUS est in loco reali, non stat præcisè in eo, quòd DEUS sit causaliter in loco, quatenus causando, & producendo corpora, iisdem replet formaliter locum. Aliàs tali ratione, etiam corpora cælestia essent in loco sublunari, cùm hunc repleant per corpora sublunaria, quæ suo influxu producunt. Potiùs ergo, modus, quo DEUS est in loco reali, stat in eo, quòd DEUS formaliter se ipso repleat omnem locum, & omnia corpora, licèt simul nullo loco extrinseco terminetur; ex eo, quòd sit determinatus ad existendum in loco ulteriore, & ulteriùs quantumcunque extenso loco, casu quo, hic daretur.

73. Adverto quintò. Secundùm ea, quæ communiùs docentur in Physica DEUM non esse verè, & propriè in spatiis imaginariis. Ratio est, quia imprimìs DEUS non continetur spatiis imaginariis neç illis concluditur tanquam suo termino, quod esset DEUM propriè esse in spatiis imaginariis. Sicut rem aliquam esse propriè in loco extrinseco, est illam contineri, ambiri, & concludi loco extrinseco, tanquam termino. Non continetur inquam propriè DEUS talibus spatiis. Tum quia spatia hæc non sunt à parte rei actualiter. Ergo non potest quidquàm iis contineri propriè. Tum quia DEUS vi suæ immensitatis, nullo simpliciter termino contineri potest. Ergo multò minùs spatiis imaginariis.

Sed nec in latiori acceptione DEUS est in spatiis imaginariis, in ea nimirum, in qua minùs propriè est in loco reali, secundùm dicta numero præcedente. Quia talibus spatiis non coexistit, talia enim spatia, non existunt verè realiter. Sicut ergo nemo potest dici, esse in civitate, quæ non habet esse actuale Physicum, sed solùm habet esse possibile, & imaginarium, ità nec DEUS potest esse in spatiis imaginariis, quæ non habent esse verum, & actuale, sed solùm possibile, & imaginarium. Potest nihilominus dici DEUS, aliquo sensu, & in acceptione minùs propria esse in spatiis imaginariis, ut salventur locutiones quædam scripturæ, & Patrum, quatenus scilicet DEUS ex se, est determinatus ad replenda se ipso quævis illa spatia, si existant. Hoc esse DEI minùs proprietate in spatiis imaginariis quidam appellant esse hypotheticum, quatenus in suo conceptu dicit sub conditione existentiam spatiorum, quæ non habent esse actuale, & reale. Alii appellant præsentiam absolutam, vel ex eo, quòd hoc esse, quoad rectum, sit ipsum attributum immensitatis Divinæ, quod attributum est prædicatum DEI absolutum, vel certè propter condistinctionem talis præsentiæ, à præsentia DEI respectiva, seu à coexistentia DEI loco exstrinseco.

74. Adverto postremò DEUM per hoc, quòd in aliquo spatio reali incipiat nunc primum esse non mutari intrinsecè. Rratio est. Quia, quòd DEUS dicatur coexistere alicui loco sive corpori, vel non coexistere, fit præcisè per hoc, quòd locus realis, seu corpus jam existat, jam non existat; per quod nulla fit mutatio in DEO quoad ipsius præsentiam absolutam, vel quoad aliud prædicatum DEO adæquatè intrinsecum, sed tota mutatio est in loco seu corpore jam existente, jam non existente. Sicut non fit ulla mutatio intrinseca in Templo v. g. Cracoviensi S. Petri, quoad ipsius præsentiam absolutam, quòd templum hoc, ratione aëris ipsum ambientis à vento commoti modò huic, modò alteri aëri coexistat, ab eóque contineatur, & ambiatur.

75. Demonstratur tandem Æternitas DEI, ex immutabilitate ipsius, & ex ratione Entis necessariò actu Physicè in se intrinsecè existentis. DEUM esse æternum est DEUM ex sua entitate esse formaliter ultimatè determinatum ad existendum semper, & in omni tempore; ità ut si daretur extensio temporis, major, & major in infinitum, sive à parte ante, sive à parte post, DEUS cuivis talis extensionis parti coexi-

coexisteret, essétque in illa formaliter. Atqui DEUM esse ità determinatum ad existendum semper, sequitur tum ex immutabilitate DEI, tum ex ratione Entis necessariò, actu Physicè intrinsecè in se ipso existentis. Ergo. Major est definitio æternitatis. Minor probatur quoad primam partem. Quia, eò ipso, quòd DEUS sit immutabilis, repugnat, ùt DEUS esse suum aut de novo acquirat, aut in ante habitum deperdat. Sed eò ipso quòd id repugnet DEUS est determinatus ad existendum semper, & in omni tempore possibili. Ergo. Probatur deinde eadem Minor quoad secundam partem. Eo ipso, quòd DEUS sit Ens necessariò actu Physicè in se existens, necessariò semper, absque initio, & fine exstitit, existit, & existet. Cùm non potuerit, nec possit unquam non existere. Sed eò ipso, quòd DEUS necessariò existit semper absque initio, & fine, est determinatus ad existendum semper, & in omni tempore, ipsa enim necessitas existendi semper, est determinatio ad existendum omni tempore. Ergo.

76. Adverto primò. De æternitate DEI in multis proportionatè discurrendum esse atque discurrebamus de immensitate DEI. Num. 69. 70. 72. &c. Sicut, immensitas Divina, prout est perfectio DEO adæquatè intrinseca correspondet per quandam similitudinē ubicationi creatæ absolutæ, non autem respectivæ, ità æternitas DEI, prout est perfectio, DEO adæquatè intrinseca, correspondet per quandam similitudinem Durationi creatæ absolutæ (quæ ipsa simili modo explicanda est, sicut explicatur ubicatio absoluta) non verò Durationi respectivæ, vi cujus res coexistit tempori reali extrinseco. Sicut itèm præter immensitatem, & præsentiam DEI absolutam adæquatè DEO intrinsecam, admitti debet præsentia seu existentia DEI in loco respectiva, ipsi DEO semiextrinseca, consistens in coexistentia DEI spatiis loci realiter existentibus. Ità præter æternitatem DEI, & existentiam in tempore absolutam, DEO adæquatè intrinsecam, admitti debet coexistentia DEI, cuivis tempori extrinseco realiter existenti, DEO semiextrinseca. Præterea, sicut DEUS, vi suæ immensitatis, non est propriè, & in rigore, in spatiis imaginariis sed solùm est, in his, minùs propriè Ità DEUS vi suæ æternitatis non est propriè, & rigorosè in tempore imaginario, sed solùm est minùs propriè. Tandem, sicut DEUS, per hoc, quod incipiat, coexistere alicui spatio reali, non mutatur intrinsecè, ità non mutatur per hoc intrinsecè, quòd incipiat coexistere alicui tempori reali extrinseco, cui antea non coextitit.

77. Adverto secundò. Definitionem illam æternitatis à Boëtio traditam lib. 5. de consolatione Philosophiæ, prosa 6. *Æternitas est interminabilis vitæ, tota simul possessio.* Esse definitionem æternitatis Divinæ. Ratio est. Quia hic conceptus æternitatis convenit æternitati Divinæ, illique soli. Convenit imprimis dicta definitio æternitati Divinæ. Convenit enim huic, esse interminabilem, quatenùs necessariò, & essentialiter caret omni termino tam à parte ante, quam à parte post. Æternitas siquidem DEI neque cæpit aliquando, aut potuit incipere, neque unquam finietur aut potest finiri. Convenit etiam dictæ æternitati esse possessionem Vitæ. Cùm enim in DEO existentia ipsius, sit ipsa vita ejusdem, Æternitas DEI, rectè dicitur possessio vitæ. Sicut in creatis duratio viventium, dicitur vita ipsorum; cùm è contra, desitio vitæ eorum, dicatur mors. Convenit ulterius æternitati Divinæ esse possessionem totam simul, ex eo, quòd in æternitate Divina non sit ulla multiplicitas aut successio partium vitæ Divinæ secundùm prius, & posterius, sed DEUS, vi suæ entitatis, omnino indivisibilis, & simplicissimæ, est determinatus ad coexistendum omni tempori creato, & creabili. Unde etiam in DEO, nihil est præteritum, nihil futurum, sed *unicum nunc, semper stans*, ùt loquitur S. Augustinus. ità ùt Pater æternus verè ac propriè semper dicat de Filio æterno: *Ego hodie, genui Te.* quatenùs generatio Filii DEI, est æterna, mensuratúrque æternitate existente tota simul. Convenit tandem eidem æternitati esse perfectam possessionem. Quia vita, existentia, & duratio DEI, est independens ab ullo alio, est indefectibilis, est essentialis DEO ejusque perfectio simpliciter simplex. Quòd autem eadem æternitatis definitio conveniat soli æternitati Divinæ, ex eo est. Quia nulli alteri potest convenire. Non potest enim convenire æternitati creatæ. Tum quia, cùm implicet, secundùm communiorem Philosophiam

phiam duratio categorematicè infinita, sive à parte ante, sive à parte post, solúmque sit possibilis duratio infinita syncategorematicè, qualis est finita simpliciter; Durationi creatæ non potest competere interminabilitas propriè dicta. Deinde etiamsi dabilis esset duratio Creata, infinita simpliciter, adhuc illa secundùm se, non esset interminabilis. Quia ejus entitati, singulísq; suis partibus non repugnaret terminari, Quare, ad summum, tali durationi conveniret esse interminatam, quatenus non terminaretur, nec esset terminanda actu, quamvis posset terminari. Tum quia, æternitas creata si daretur, non esset tota simul, sed haberet partes sibi succedentes, cum ordine prioris & posterioris. Tum quia, Creata æternitas, non potest esse vitæ perfecta possessio, quia non potest esse independens ab alio, nec potest ulli Enti creato convenire essentialiter, multò minùs potest esse perfectio simpliciter simplex.

In aliis Attributis Divinis demonstrandis non moror. Hæc enim vel ex ipsâ immediatè asseitate, vel ex aliis perfectionibus per aseitatem demonstratis, non difficile demonstrari poterunt. In iisdem etiam perfectionibus explicandis, non est specialis difficultas.

Objectiones proponuntur.

78. Objicitur & probatur ex Aseitate non posse demonstrari attributa Divina in particulari. *Primò:* Quia si possent Attributa singula demonstrari per Aseitatem, posset per hanc demonstrari Omnipotentia Divina. Sed non potest. Potiùs enim per omnipotentiam demonstratur Aseitas, tali v. g. argumento. Ens Omnipotens, est necessariò Ens à se. Ens enim Omnipotens non potest esse ab alio, quia eò ipso non esset omnipotens; quia non posset producere, quidquid esset producibile: quod est de ratione Entis Omnipotentis; non posset enim producere se ipsum; cùm tamen eò ipso, quia esset ab alio, esset necessariò producibile.

79. *Secundò:* Si Attributa DEI in particulari possent demonstrari ex Aseitate, ex eadem posset demonstrari Trinitas Personarum Divinarum. Siquidem Personæ Divinæ sunt perfectiones nullam involventes imperfectionem. Atqui per Aseitatem Trinitas Personarum Divinarum demonstrari non potest. Hæc enim non est cognoscibilis lumine naturali, sed nonnisi est cognoscibilis ex fide & Revelatione Divina. Ergo.

Solvuntur.

80. Respondeo ad primum, Negando Minorem. Probationem Distinguo. Per omnipotentiam demonstratur à posteriori aseitas. Concedo probationem. Demonstratur à priori. Nego: & dico: Aseitatem demonstrari per Omnipotentiam, sed à posteriori: hoc est: tanquam per aliquid consequens ipsam aseitatem, seu tanquam per proprietatem ejusdem. Cum quo stat, quòd vicissim omnipotentia demonstretur per aseitatem à priori tanquam per suam radicem, & prædicatum ratione nostra prius, quàm sit omnipotentia. Ità planè, sicut Rationale, licèt possit demonstrari à posteriori per admirativum, cum hoc tamen stat quòd vicissim admirativum possit demonstrari à priori per ipsum rationale.

81. Ad secundum respondeo Negando sequelam Majoris. Ad probationem dico illas nonnisi perfectiones, nullam imperfectionem involventes posse demonstrari per Aseitatem, quæ non superant vires naturales cognoscitivas intellectûs creati, non posse verò demonstrari illas, quæ has vires superant. Porrò Trinitas Personarum ùt identificata Naturæ divinæ (quomodo nonnisi sumpta est perfectio nullam involvens imperfectionem, cùm talis nonnisi Trinitas non repugnet Unitati Divinæ) superat vires naturales cognoscitivas intellectûs creati. Cùm sit supra principia lumine Naturæ nota, proindéque Trinitas Personarum Divinarum, non est demonstrabilis per Aseitatem.

QUÆSTIO II.
De Existentia DEI.

82. Contra communem Theologorum praxim infundatam authoritati Aristotelis. Secundi posteriorum cap. 1. dicentis: *Cum rem novimus esse, quærimus quid sit? veluti quid sit DEUS.* Tum etiam Authoritati D. Angelici Doctoris, prius de existentia ac deinde de Essentia DEI disputantis. Contra hanc inquam praxim, Quæstioni præsenti de Existentia DEI præmissi

nisi Quæstionem de Essentia DEI, seu quid sit DEUS? Hunc recessum à communi praxi suasit hæc potissimum ratio. Ex duabus Quæstionibus, illa ordine connaturali priùs resolvenda est, â cujus resolutione pendet resolutio alterius, non è contra. Sicut enim illationes scientificæ, debent fieri ex præcognitis & præmissis, ità & resolutiones Quæstionum debent fieri ità, ut priùs resolvantur & cognoscantur ea, à quorum notitia, pendent illæ resolutiones. Atqui resolutio Quæstionis: *An DEUS existit*: pendet â resolutione Quæstionis: *Quid sit DEUS.* Resolutio enim dictæ Quæstionis pendet à notitia subjecti in hac propositione: *DEUS existit*, Ut enim de hoc subjecto *DEUS*: affirmetur existentia, requiritur ut sit notum idem subjectum, nè fortè subjecto huic, antecedenter non cognito appingatur prædicatum repugnans. Porrò hujus subjecti notitia habetur per resolutionem Quæstionis: Quid sit DEUS? Ergo.

Circa Existentiam DEI, triplici puncto hæc inquiremus: *Primo*: An notum sit per se DEUM existere: seu, ùt alii quærunt: an per se nota sit hæc præpositio: *DEUS existit. Secundo*: An & quomodo sit demonstrabilis Existentia DEI? *Tertiò*: An possit dari invincibilis ignorantia existentiæ DEI.

PUNCTUM I.

An notum sit per se DEUM existere?

83. Præmitto *Primò*: Veritatem aliquam, seu propositionem esse; & dici notam per se, quæ constat talibus terminis, ut connexio illorum, immediatè ex sola debita terminorum apprehensione ab intellectu bene constituto deprehendi possit. Seu propositio per se nota est illa, quæ talibus constat terminis, ut hi debitè apprehensi, se solis, hoc est sinè ullo discursu & medio determinent intellectum, ad præstandum veritati talis propositionis assensum. Propositioni notæ per se contraponitur propositio nota per aliud; ad cujus assensum, præter debitam terminorum apprehensionem, necessarium est aliquod medium & principium ex quo deducatur veritas realis propositionis, nec intellectus aliter assentitur connexioni terminorum dictæ propositionis, nisi propter connexionem cum medio. Talis propositio *v.g.* est: *Roma existit.*

84. Præmitto *Secundò*: Propositionem notam per se dividi in propositionem notam perse, quoad se, & in propositionem notam perse quoad nos. Propositio per se nota quoad se est, quæ constat talibus terminis, qui rectè & debitè apprehensi & intellecti ab aliquo intellectu non impedito, & terminos quidditativè cognoscente, possunt determinare eundem intellectum ad præstandum assensum veritati talis propositionis. Vel propositio nota per se quoad se est propositio, quæ constat talibus terminis, ut illorum connexio possit deprehendi ex sola eorundem terminorum debita apprehensione, quamvis defactò non deprehendatur idque ex eo, quòd ejus termini non satis percipiantur & penetrentur, seu non apprehendantur ità, quomodo ad hunc finem apprehendi deberent. Propositio nota perse quoad nos, est, illa, quæ constat terminis, ità secum connexis, & eam proportionem ad intellectum nostrum pro hoc statu habentibus, ut si debitè percipiantur & apprehendantur (quomodo etiam pro hoc statu percipi & apprehendi possunt) intellectum se ipsis, hoc est, sinè ullo discursu determinent ad assensum. Propositio nota per se quoad nos subdividitur in Propositionem ex terminis, & sinè ullo discursu notam doctioribus nonnisi, & sapientibus, qui meliùs penetrant terminos. Qualis propositio est illud *v.g.* Axioma Mathematicum. *Duæ Lineæ spatium non comprehendunt.* Et in propositionem notam perse, quoad nos, quæ ex vi terminorum: nota est etiam minùs doctis & mediocriter sapientibus. Quales sunt illæ propositiones: *Quodlibet est aut non est. Omne totum est majus sua parte.* &c.

85 Præmitto *Tertiò*: Ex usu communi, & in propria vocis acceptione; nomine propositionis notæ perse simpliciter prolato venire solùm propositiones notas per se quoad nos. Propositiones verò notæ per se quoad se, quæ nimirum intellectum Angelicum, seu intellectum cognoscentem res quidditativè & per species proprias possent determinare ad assensum, hæ inquam propositiones non nisi cum magna improprietate dicuntur propositiones notæ per se.

86. His præmissis, explicatur status præsentis puncti Quæstionis. Dum quæritur, an notum sit per se DEUM existere, seu, an hæc propositio. *DEUS existit.* Sit propositio nota per se. Quæritur an sit nota per se propriè, adeóque an sit nota per se quoad nos dicta propositio, hoc est: an talibus constet terminis, ut si debitè apprehendantur, quomodo pro hoc statu ab Intellectu nostro humano, res dependenter à sensibus & per species rerum sensibilium cognoscente, apprehendi possunt, & solent, ut inquam debitè apprehensi dicti termini, possint intellectum se ipsis immediatè sinè ullo medio & discursu, determinare ad assensum dictæ propositioni. An verò eadem propositio: *DEUS existit*; sit nota per se, adeóque sit nota per se minùs propriè? non est tanta difficultas. Cùm enim DEUS, sit essentialiter suum esse & existere, certum est hanc propositionem: *DEUS existit*, esse notam per se quoad se. Quia constat dicta propositio terminis ità secum connexis, ut si debitè apprehendantur, possint seipsis sinè ullo medio determinare Intellectum ad assensum dictæ propositioni, licèt defactò non determinent intellectum nostrum humanum, ex eo quòd hic pro præsenti statu, terminos dictæ propositionis non possit apprehendere debitè & sufficienter. Quia subjectum dictæ propositionis non potest apprehendere quidditativè.

Circa hoc Quæstionis punctum, prout expositum est, duæ sunt oppositæ sententiæ: Una S. Anselmi in prosologio cap. 2. & sequentibus. Tostati in Exodum cap. 5. Quæst. 2. Ægidii Romani, Argentinæ &c. affirmantium hanc propositionem: *DEUS existit.* Esse notam per se propriè. Altera sententia est S. Thomæ, Scoti, aliorúmque communiter Theologorum, negantium hanc propositionem: *DEUS existit*: esse notam per se propriè, adeóque negantium esse notum per se nobis, quòd DEUS existat.

87. Dicendum est: propositionem hanc: *DEUS existit*: non esse notam per se propriè, seu quoad nos; adeóque non esse notum per se nobis DEUM existere.

Probatur. Illa veritas, & propositio est nota per se propriè & quoad nos, quæ constat terminis ità secum connexis, ut debitè apprehensi & percepti ab intellectu humano, pro hoc statu, hoc est, prout communiter nunc saltèm à doctis apprehendi & intelligi solent, eundem se ipsis sinè ullo medio determinent ad assensum dictæ veritati, seu propositioni. Sed hæc veritas, seu propositio: *DEUS existit*: constat terminis talibus, qui ab intellectu nostro pro hoc statu, debitè apprehensi & intellecti hoc est, prout communiter à doctis apprehendi, & intelligi solent, eundem intellectum se ipsis, sinè ullo medio non determinant ad assensum dictæ propositioni. Ergo. Major, est definitio propositionis notæ per se propriè talis. Minor probatur.

88. *Primò*: Authoritate Scripturæ ad Romanos 1. dicentis. Quod notum est DEO manifestum est in illis, DEUS enim manifestavit illis. Invisibilia enim ipsius à Creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque Virtus DEI & Divinitas, ità ut sint inexcusabiles. Ex qua authoritate sic arguitur. Eo modo nota est hominibus existentia DEI, quo ab iisdem invisibilia DEI intellecta conspiciuntur & Virtus DEI, ac Divinitas. Existentia enim est ipsa DEI Divinitas. Sed invisibilia DEI, & virtus ipsius ac Divinitas ab hominibus, quia à Creatura Mundi, intellecta conspiciuntur per aliud, quia per ea quæ facta sunt, non verò ità ut per se pateant. Ergo eodem modo nota est existentia DEI, nimirum nota solùm est per aliud, non verò nota per se, quoad nos.

89. Eadem Minor probatur secundò authoritate Theologorum. Termini hujus propositionis: *DEUS existit*: ab ipsis doctis non agnoscuntur esse tales, ut apprehensi, & debitè intellecti hoc est, prout communiter à doctis intelligi solent, determinent se ipsis eorum intellectum ad assensum. Defactò enim negantur esse tales à S. Doctore Angelico, itèm à Doctore subtili, aliísque plurimis. Ergo defactò termini hujus propositionis. *DEUS existit*: non sunt tales, ut debitè apprehensi & intellecti à Doctis eorum intellectum determinent ad assensum. Si enim essent tales, maximè de hoc constaret ipsis Doctis & præcipuis Orbis Magistris. Quia constaret per scientiam experimentalem. Deberent enim experiri in se ipsis, an hi termini ab ipsis intellecti determinent ipsorum intellectum ad assensum. Quodsi autem id illis constaret, non est de ipsis supponendum, quòd contra manifestam experientiam

entiam docuerint hanc propositionem: *DEUS existit*: non esse notam per se.

90. Hæc ipsa Minor probatur *Tertiò*: Si hæc propositio: *DEUS existit*; constaret terminis debita sui apprehensione determinantibus intellectum humanum, ad assensum; Philosophi, & Theologi tanta solicitudine non inquisivissent, nec inquirerent existentiæ DEI demonstrationem, quemadmodum illam inquisierunt, & inquirunt. Eorum enim quæ per se nota sunt non inquiruntur demonstrationes. Et sic non inquiruntur demonstrationes primorum principiorum. v.g. illius: *Omne est aut non est*. Sed contenti sunt omnes notitiâ talium veritatum & principiorum, quam habent per se, & ex ipsis terminis, rudibúsque eadem non aliter persuadent, nisi juvando illos in debita perceptione vel apprehensione terminorum. Atqui tam Philosophi, quàm Theologi, magna solicitudine, & conatibus inquirunt & proponunt demonstrationem existentiæ DEI. Ergo:

91. Probatur tandem eadem Minor. Dictæ propositionis: *DEUS existit*, termini sunt ly *DEUS*, & ly *existit*. Sed hi termini non sunt tales, ut apprehensi, quomodo communiter à viris doctis apprehendi solent, se ipsis determinent intellectum ad assensum eidem propositioni. Ergo. Minor probatur. Ly *DEUS* communiter apprehendi & concipi solet, vel sub conceptu *Entis necessariò existentis*. Vel sub conceptu *Entis, quo meliùs nec esse, nec concipi potest*. Vel sub conceptu *Entis à se*, aut *Actûs puri*. &c. Sed sub quocunque tali conceptu cognitus DEUS habita etiam debita apprehensione termini *existit*, non determinatur Intellectus ad affirmandum prædicatum de subjecto, existentiam nimirum de DEO. Verùm Intellectus hàbitis talibus dictorum terminorum apprehensionibus, hæret dubius an unum de alio debeat affirmare, suúmque suspendit judicium. Sicut habito conceptu *Creaturæ perfectissimæ*, vel *Creaturæ in se intrinsecè existentis ab æterno*, habita itèm apprehensione *existentiæ* idem Intellectus hæret dubius, quò minùs assentiatur talem creaturam existere, idque hæret & suspendit judicium ex eo, quia in terminis illis complexis: *Ens necessariò existens. Ens quo melius nec esse nec concipi potest. Ens à se*, &c. Non est per se nota Intellectui nostro connexio terminorum simplicium, quibus termini complexi constant. Scilicet non est notum ex terminis an hæc sibi non repugnent: esse ens, & tamen necessariò existens. Esse Ens, simúlque esse à se. Esse ens simúlque tale, ut eò melius nec esse nec concipi possit. Non sunt autem hæc nota ex eo; quia Intellectus noster, nullibi in creatis reperit similem connexionem hujusmodi terminorum. Cùm tamen idem intellectus, per species rerum creataram, pro hoc statu, omnia objecta cognoscat.

92. Ex hac ratione Colliges: Etiamsi termini hujus propositionis: *DEUS existit*: possint debitè apprehendi à Doctis, hoc est convenienter ad modum nostrum concipiendi objecta, pro hoc statu, non possunt tamen apprehendi debitè, hoc est, apprehensione sufficiente, ut termini apprehensi se ipsis determinent intellectum ad assensum dictæ propositioni. Talis enim apprehensio deberet esse propria & quidditativa, qualis etiam à Doctis in hoc statu non habetur, nec haberi potest.

Proponuntur Objectiones.

93. Objicitur *Primò* Authoritas S. Anselmi, qui cap. 3. & 4. Prosologii expreßè dicit: *Insipientem, cùm dixit; non est DEUS non cogitâsse rem ipsam nomine DEI significatam, sed habuisse conceptum tantummodò vocis. Infertque nullum esse, qui posset negare DEUM, si semel intelligatur, quid nomine DEI significetur*. S. Gregorii Nazianzeni, Eusebii, Gregorii Nisseni, Damasceni, Arnobii, &c. qui Patres asserunt agnitionem DEI inditam esse à natura hominibus. Illarum autem tantummodo veritatum agnitio est indita hominibus à natura, quæ veritates sunt per se notæ.

94. Secundò: illa propositio est nota per se, quæ nota est non ex medio à priori, per quod demonstretur, sed potiùs ex eo; quia prædicatum ità est de ratione subjecti, ut plenè intellectis terminis, propositio illa negari non possit. Sed hæc propositio: *DEUS existit*, est nota, & non ratione medii à priori per quod demonstretur, sed potiùs ex eo, quia prædicatum ità est de ratione subjecti ut plenè intellectis terminis dicta propositio negari non possit. Ergo.

95. Tertiò. In conceptu, quo DEUS communiter apprehendi solet involvitur

vitur existentia, hæc enim involvitur in conceptu Entis à se. Quia per hunc conceptum, non venit Ens purè possibile, sed Ens à se ipso existens. Involvitur etiam existentia in conceptu Entis necessariò existentis, ùt clarum est. In conceptu itèm Entis perfectissimi, similiter in conceptu Entis, quo melius esse, & concipi non potest. Tales enim conceptus haberi non possunt, nisi intelligatur Ens, his conceptibus significatum, existere. Par ratio est de aliis conceptibus. Ergo tali aliquo conceptu DEI habito, & habita apprehensione existentiæ, intellectus noster est determinatus ad affirmandam de DEO existentiam. Hic enim est determinatus ut affirmet Ens existens existere. Cùm clarum sit per se, fieri non posse, ut existens quà tale non existat. Ergo ulterius hæc propositio : *DEUS existit* est nota per se quo ad nos.

96. Quartò. Hæc propositio: *Homo est rationalis.* Est nota per se. Ergo hæc: *DEUS existit.* Est itidem nota per se. Consequentia probatur. Ex eo illa propositio : *Homo est rationalis.* Est nota per se, quia in conceptu subjecti involvitur prædicatum, estque prædicatum de ratione subjecti. Atqui etiam in conceptu subjecti hujus propositionis: *DEUS existit* involvitur prædicatum, nimirum existentia, estque hoc prædicatum de ratione subjecti. Sicut enim *homo* definitur per *animal rationale* in quo conceptu involvitur prædicatum, ly *rationalis*; ità *DEUS* definitur per conceptum Entis à se existentis, in quo conceptu involvitur ipsum *existere*, quod venit pro prædicato propositionis: *DEUS existit.*

97. Quintò. Notum est per se existere primam regulam honestatis, quicunque enim honestè agit, habet notam hanc regulam. Notum itèm est existere possibilitatem activam creaturarũ, cùm notum sit existere possibilitatem passivam earundem. Quia notum est plures creaturas existere. Notum ulterius est, existere finem ultimum, & beatitudinem objectivam creaturæ rationalis. Quia hæc naturaliter sinè omni discursu appetitur. Ergo etiam notum per se est, DEUM existere. Conceptus enim primæ Regulæ honestatis, Possibilitatis activæ creaturarum, & finis ultimi, ac beatitudinis objectivæ, sunt conceptus convertibiles cum DEO, proindéque, si notum est existere primam regulam honestatis, possibilitatem activam creaturarum, & finem ultimum, &c. notum etiam per se est DEUM existere. Confirmatur DEUM esse colendum est notum per se. Ergo etiam notum est per se DEUM existere. Cùm illa veritas: *DEUS est colendus*, essentialiter supponat hanc alteram: *DEUS existit.*

98. Sextò tandem. Si hæc propositio: *DEUS existit.* Non esset nota per se propriè, & simpliciter, seu nota per se quoad nos, non esset talis ex eo: quòd non habeatur conceptus proprius, & quidditativus subjecti dictæ propositionis. Sed hæc ratio non evincit. Imprimis enim conceptus definitivus DEI, videtur esse conceptus quidditativus DEI. Adeóque cùm detur conceptus definitivus DEI, etiam conceptus quidditativus dari debet. Deinde hæc propositio : *DEUS est aut non est.* Est nota per se, ùt docet Vasquez, eique consentiunt : Gillius, Arriaga, Esparsa, Platellius. Et tamen pari ratione, non debet dari conceptus quidditativus subjecti ejusdem propositionis. Hæc itèm propositio : substantia corporea est in loco circumscriptivè, est nota per se sapientibus, cujus tamen subjecti non habetur conceptus quidditativus, & proprius.

Solvuntur Objectiones.

99. Respondeo, ad primum. S. Anselmum explicari à quibusdam Theologis. Vasquez dicit S. Doctorem nihil plus voluisse, nisi quòd existentia DEI, ità sit evidens ex creaturis, ut non sit in potestate hominis illam negare, si semel concipiatur res significata per hoc nomen *DEUS.* Alii volunt è mente S. Doctoris hanc propositionem : *DEUS existit.* Esse notam per se non absolutè sed ex suppositione, hoc est : supposita realitate DEI: vel notam esse per se, si de DEO intelligatur prædicari Existentia signata, non exercita. Alii adhuc explicant S. Doctorem, & dicunt: Illum voluisse hanc propositionem *DEUS existit* esse notam per se sapientibus, per sapientes verò intellexisse Beatos, illos, qui in hac vita ad perfectionem sublimis sapientiæ pertingerent, quibus, in tantum hæc propositio nota esset, in quantum de veritate illius non possent dubitare. Communius tamen alii Theologi cum Arriaga concedunt simpliciter

S. An-

S. Anselmum hujus fuisse sententiæ: quòd propositio hæc: *DEUS existit.* Sit nota per se propriè, & simpliciter. Authoritate tamen S. hujus Doctoris censent non evinci veritatem ejusdem sententiæ. Ex eo, quòd pro opposita sententia stet authoritas S. Thomæ, Scoti, & plurium Theologorum consensus. Explicatio etiam illius scripturæ data à S. Anselmo, non acceptatur à Theologis, dicitúrque ab illis, hanc explicationem non esse convenientem textui. Nam in textu dicitur, Quod insipiens dixerit in corde. Si autem insipiens ille non habuisset conceptum rei significatæ, hac voce: *DEUS.* Sed tantùm conceptum vocis, non dixisset in corde. Volvere enim præcisè cogitatione voces more puerorum, non est loqui in corde. Cùm talis locutio, judicium mentale de objecto significet. Ad authoritatem aliorum SS. Patrum dico: Ex sensu illorum agnitionem DEI inditam esse à natura hominibus, quatenus homines à pueritia, ex institutione Parentum, per frequentem hujus veritatis inculcationem discunt DEUM existere, & hæc doctrina ità illis hæret, ut iisdem videatur esse per se notum; quòd DEUS existat. Quatenus itèm notitia DEI, ex rebus creatis ità est obvia, ut absque laboriosa ratiocinatione, per discursum maximè obvium, & vix perceptibilem, quisque sciat DEUM existere.

100. Respondeo, ad secundum. Omissa majore. Tum quia propositio nota ex alio, non solùm est illa, quæ est nota ex medio à priore, sed etiam est illa, quæ est nota ex medio à posteriore. Tum quia, non est universaliter necessarium ad rationem propositionis notæ per se, ut prædicatum sit de ratione subjecti, siquidem hæc propositio: *Homo est admirabilis*, à plerisque putatur esse propositio nota per se, cujus tamen propositionis, prædicatum non est propriè de ratione subjecti, quia non includitur formaliter in conceptu subjecti. Tum quia, in illa majore, aliqui termini egent pleniore explicatione, illud maximè additum: *plenè intellectis terminis.* Omissa inquam majore. Nego minorem quoad secundam partem, & dico: Hanc propositionem: *DEUS existit*, esse negabilem, intellectis plenè terminis, prout pro hoc statu à nobis intelligi possunt, siquidem negatur ab Atheis, iisque aliquando talibus, de quibus non potest supponi, quòd non plenè intelligant dictos terminos.

Quod si hæc propositio: *DEUS existit*, videatur non esse negabilis, provenit id, non ratione connexionis terminorum, quæ statim per solam apprehensionem eorundem, qualis pro hoc statu communiter habetur, innotescat, determinêtque intellectum ad assensum. Sed potiùs ratione obviæ demonstrationis existentiæ DEI, ex creaturis ad apprehensionem terminorum, imperceptibiliter concurrentis, præterea ratione fortis, & benè radicatæ persuasionis, de veritate dictæ propositionis, quæ persvasio in unoquoque nostrum, cum ætate crevit. Potest etiam negari suppositum, quòd pro hoc statu, in quo objecta sub sensum non cadentia cognoscuntur abstractivè, & per species alienas possint plenè intelligi termini hujus propositionis. *DEUS existit.* hoc est: apprehensione sufficiente ad determinandum intellectum ut is, absque alio medio assentiatur veritati ejusdem propositionis. Hæc enim apprehensio deberet esse apprehensio propria, & quidditativa DEI, qualis pro hoc statu non habetur.

101. Ad tertium Respondeo, distinguendo Antecedens. In conceptu, quo DEUS communiter apprehendi solet, involvitur existentia modo sufficiente, ut intellectus determinetur ad affirmandam existentiam DEI, ex sola terminorum apprehensione. Nego Antecedens. Involvitur modo insufficiente. Concedo Antecedens, & nego consequentiam. Ac dico: In conceptu, quo DEUS communiter apprehendi solet, involvi quidem existentiam, sed modo insufficiente, ùt intellectus, sola terminorum apprehensione determinetur absque omni medio ad affirmandam de DEO existentiam. Tum quia, in tali conceptu involvitur existentia nonnisi secundùm esse intentionale objectivum, signatè, & conditionatè, non involvitur verò secundùm esse reale, & actuale, exercitè, ac absolutè. Conceptus enim essentiales, tale nonnisi involvunt esse. Hic verò modus involvendi existentiam, non est sufficiens, ùt intellectus tali terminorum apprehensione determinetur ad affirmandam de DEO existentiam actualem, & exercitam. Aliàs intellectus determinaretur ad talem affirmationem. *Ens quod ego concipio existere à se, existit actu realiter.* Essetque hæc propo-

 posi-

positio nota per se. Quod quis asseret? Certè si hæc propositio esset nota per se; essent per se notæ, etiam sequentes propositiones: *DEUS unus in essentia, trinus in Personis existit.* Itèm: *Creatura perfectissima existit.* Quæ tamen notæ per se, esse non possunt. Tum quia. In conceptu DEI, tanquam in termino complexo ità involvitur existentia, ut non sit nota per se cohærentia existentiæ cùm aliis terminis simplicibus ingredientibus constitutivè dictum terminum complexum. Omnes enim conceptus, sub quibus communiter apprehendi solet DEUS, & in quibus dicitur involvi existentia, sunt conceptus, seu Termini complexi, in quibus cohærentia Terminorum simplicium, non est nota per se. Quia non constat ex terminis, quòd aliquod Ens possit existere à se; quod itèm aliquod Ens possit esse tale, quo melius dari, & concipi non possit. Porrò, modus, ratione cujus in conceptu aliquo ità involvitur existentia, ut non sit nota per se cohærentia ejusdem existentiæ cum aliis terminis simplicibus, quos idem conceptus involvit, non est modus sufficiens, ut de Ente aliquo, sic involvente existentiam, ex vi solius apprehensionis terminorum debeat affirmari, quòd existat. Aliàs, de subjecto hujus propositionis: *DEUS unus in essentia, trinus in Personis existit.* Cujus subjecti cohærentia terminorum simplicium, non est nota per se, ex vi solius apprehensionis terminorum, posset affirmari, quòd existat, essétque hæc propositio nota per se. Esset itèm nota per se hæc propositio: *Creatura perfectissima existit.* Quamvis cohærentia terminorum simplicium, in subjecto complexo non esset nota per se. Respondeo deinde, omisso Antecedente Distinguo consequens. Ergo tali conceptu DEI, & conceptu existentiæ, habitis, intellectus humanus, est determinatus ad affirmandum quòd DEUS existat, in sensu absoluto. Nego consequentiam. Quòd DEUS existat in sensu conditionato, & sub hac conditione, si in conceptu DEI, non involvatur repugnantia. Concedo consequentiam. Vel sic distinguo. Ergo intellectus humanus est determinatus ad assentiendum, quòd DEUS existat supposita, realitate Entis à se, & necessariò existentis, quo conceptu apprehenditur DEUS, suppositâ itèm reali cohærentia terminorum conceptûs istius complexi. Concedo consequentiam. Independenter ab hac suppositione. Nego.

102. Ad quartum Respondeo. Omisso Antecedente, quod simpliciter negat Arriaga. Nego consequentiam, & probationis causalem, per quam nonnisi probatur, quòd hæc propositio: *Homo est rationalis.* Sit nota per se impropriè, hoc est, quoad se; non probatur verò, quòd sit nota per se propriè, & quoad nos. Aliam proinde causalem, & disparitatem assigno, ac dico: ideo hæc propositio: *Homo est rationalis.* Est nota per se propriè; quia in subjecto ipsius æquivalenter complexo. Scilicet in ly *homo*, quod æquivalet termino complexo: *Animal rationale* involvitur prædicatum dictæ propositionis. Et quia ex terminis nota est cohærentia terminorum simplicium, animalis, & rationalis, quos complectitur subjectum propositionis *homo.* Nota inquam est ex terminis hæc cohærentia. Quia nota est per experientiam, per quam habetur dari principium sensationum, quod simul est principium ratiocinationum, quæ experientia est quædam manuductio, qua intellectus disponitur ad claram penetrationem terminorum simplicium in subjecto, eorúmque cohærentiam. E contra in subjecto hujus propositionis: *DEUS existit.* itidem æquivalenter complexo, non est nota per se cohærentia terminorum simplicium, ùt ostensum est Num. 91. Unde dicta propositio non potest esse nota per se simpliciter, seu quoad nos. Quia ùt bene advertit Scotus in primum Distin. 2. Quæst. 2. *Non potest esse notior connexio prædicati cùm subjecto complexo, quàm sit nota connexio partium subjecti.*

103. Ad quintum Respondeo. Nego imprimis Antecedens quoad omnes partes. Nego itaque notum esse per se, quoad nos dari primam Regulam honestatis. Prima enim Regula honestatis, est Regula universalissima respectu omnium actuum, quibus convenit ratio honestatis formalis. Est itèm regula illa, in qua ultimò sistitur in quæstionibus instituibilibus: cur aliquis actus sit honestus vel inhonestus! sed non est notum per se quoad nos dari talem regulam. Quia non est nota cohærentia terminorum simplicium, quos terminus hic complexus: *prima Regula* includit in se, & continet. Nego iterum notum

tum per se esse, quoad nos, dari Possibilitatem activam primam seu universalissimam respectu omnium creaturarum, sicut non est notum per se quoad nos, dari causam primam, sed hæc demonstrari debet à posteriori. Tandem nego notum esse per se quoad nos dari finem ultimum, qui habeat rationem finis ultimi, veri, & universalis, respectu omnium actuum appetitus rationalis. Cui item conveniat ratio supremæ beatitudinis objectivæ, quæ per omnes actus appetitivos creaturæ rationalis intendatur, verùm hoc ipsum etiam ratione probari, & demonstrari debet dari talem finem, & beatitudinem. Omisso deinde Antecedente nego consequentiam. Probationem ejus distinguo. Conceptus primæ Regulæ honestatis: conceptus Possibilitatis activæ omnium creaturarum; item conceptus finis ultimi universalissimi, & Beatitudinis objectivæ, sunt conceptus cùm DEO convertibiles, estque nota per se, quoad nos hæc convertibilitas dictorum conceptunm cùm conceptu essentiali DEI. Nego probationem. Sunt conceptus convertibiles cùm DEO, hæc tamen convertibilitas ipsorum, non est nota per se quoad nos. Concedo probationem, & nego consequentiam, quæ hinc deduci debet, quòd scilicet notum sit quoad nos, DEUM sub illis conceptibus existere. Et dico: Etiamsi conceptus primæ Regulæ honestatis, Possibilitatis, activæ omnium creaturarum, & Finis ultimi universalissimi, ac beatitudinis objectivæ, essent noti per se quoad nos, notúmq; per se esset quo ad nos dari hujusmodi Regulam, Possibilitatem activam, & finem ultimum. Etiamsi insuper hi conceptus essent convertibiles cùm conceptu essentiali DEI. Quia tamen non est nota per se quoad nos, hæc dictorum conceptuum convertibilitas, ideo, non est notum per se quoad nos, DEUM sub aliquo conceptu ejus proprio, existere. Et ratio ulterior est. Quia, ut esset nota per se consequentia sequentis syllogismi: *Prima Regula morum; item Possibilitas activa creaturarum; Finis ultimus appetitus rationalis existit. Sed DEUS est prima regula morum, est Possibilitas activa, & finis ultimus. Ergo DEUS existit.* Ut inquam esset nota per se consequentia adducti syllogismi, deberent notæ esse per se ambæ præmissæ. Sicut ùt conclusio qua talis alicujus syllogismi sit certa, & evidens, debent ambæ præmissæ esse certæ, & evidentes. Sed gratis concesso, quod major sit nota per se quoad nos; minor tamen adducti syllogismi, non est nota per se. Quia non est nota per se quoad nos convertibilitas prædicatorum, quæ enumerata sunt, cùm esse DEI, ipsiusque conceptu essentiali. Ergo. Illud adverto consequentiam, ùt deductam ex præmissis, quarum utraque esset nota per se quoad nos, non debere, imò nec posse esse notam per se quoad nos. Talis enim consequentia est necessariò nota ex medio, ex quo per præmissas deducitur. Ergo non est nota ex ipsis terminis debitè perceptis, adeóque non est nota per se quoad nos. Dices: si notum est per se, existere primam Regulam morum, Possibilitatem activam, Finem ultimum, & Beatitudinem objectivam; eò ipso notum est sub his conceptibus DEUM existere. Respondeo negando sequelam, dico: notum esse per se, quòd DEUS sub his conceptibus existat, non est præcisè notum esse per se dari tales conceptus; sed est aliquid plus. Et hoc plus non est aliud, nisi quod notum sit per se quoad nos, DEO tales conceptus convenire. Ergo è contrario si non est notum per se quoad nos, quòd tales conceptus DEO conveniant, non est notum per se quoad nos DEUM sub iisdem conceptibus existere. Ad Confirmationem Respondeo negando Antecedens. Ex qua enim ratione non est nota per se quoad nos hæc propositio: *DEUS existit*; ex eadem ratione, non est nota per se hæc altera: *DEUS est colendus.* Et insuper specialiter ex eo: Quia hæc secunda propositio essentialiter supponit DEUM existere. Non alius enim DEUS est colendus, nisi DEUS verus, & existens. Ergo si non est nota per se cohærentia terminorum simplicium, quos dicit terminus complexus: *DEUS verus, & existens*; non potest esse nota per se hæc propositio: *DEUS est colendus.* Potest etiam distingui Antecedens. Hæc propositio: *DEUS est colendus*; in sensu absoluto intellecta, est nota per se. Nego Antecedens. Intellecta in sensu conditionato, est nota per se; hoc est: sic intellecta: *si DEUS est, colendus est.* Concedo Antecedens, & nego consequentiam. Hæc enim propositio: *DEUS existit*; necessariò facit sensum absolutum, & de hoc modo intellecta, instituitur quæstio:

an nota ſit per ſe quoad nos hæc propoſitio: *DEUS exiſtit.*

104. Ad ſextum Reſpondeo. Conceſſa cauſali nego minorem. Ad probationem primam dico, per conceptum quidditativum non intelligi à Theologis conceptum definitivum rei, ſed intelligi conceptum, qui ſit per ſpecies proprias objecti, & non per ſpecies alienas, ſeu ænigmata. Cùm ergo ab hominibus, pro ſtatu viæ, in quo hi cognoſcunt objecta, dependenter à ſenſibus, non habeatur conceptus per ſpecies proprias DEI, ſed nonniſi per ænigmata, & per ſpecies proprias creaturarum, non habetur ab iiſdem conceptus quidditativus DEI. Secundæ Probationis Antecedente omiſſo, quod licèt admittatur à citatis in objectione Authoribus, bene tamen negari poteſt, propter rationem aliàs inſinuatam. Si enim ſubjectum non eſt ſufficienter intellectũ, & perceptum, quomodo poteſt notum eſſe per ſe quoad nos, tali ſubjecto, convenire prædicatum? Deinde, ſi non eſt nota per ſe cohærentia terminorum ſimplicium in ſubjecto complexo, non poteſt eſſe notum per ſe, an alterutrum contradictorium conveniat tali ſubjecto, an non utrumque potiùs. Omiſſo inquam Antecedente nego conſequentiam, & dico: Licèt ad hoc, ut illa propoſitio: *DEUS aut eſt, aut non eſt*; ſit nota per ſe, non requiratur, ùt habeatur conceptus quidditativus DEI, requiritur tamen talis conceptus DEI, ùt ſit nota per ſe hæc propoſitio: *DEUS exiſtit.* Etiamſi enim non requiratur conceptus quidditativus ſubjecti, ut nota ſit per ſe propoſitio, per quam enunciatur prædicatum ſupertranſcendens, & commune cuicunque ſubjecto quale prædicatum eſt expreſſum per ly: *eſt, aut non eſt.* Tamen requiritur conceptus quidditativus ſubjecti, ut nota per ſe ſit propoſitio, per quam de ſubjecto enunciatur prædicatum non tranſcendens, quod ſit de ratione propria hujus ſubjecti, & determinatè cum eodem connexa, quale prædicatum eſt in hac propoſitione: *DEUS exiſtit.* Tertiæ Probationis nego Antecedens, nimirum nego hanc propoſitionem: *ſubſtantia incorporea non eſt in loco circumſcriptivè.* Eſſe notam per ſe ſapientibus. Tum quia his non eſt notum per ſe dari aliquam ſubſtantiam incorpoream. Tum quia, inter terminos hujus propoſitionis, non eſt immediata connexio. Sicut inter ſubſtantiam corpoream, & inter exiſtentiam in loco circumſcriptivè, & commenſurativè non eſt immediata connexio, ſed hæc habetur ratione quantitatis exigentis, ut corpus quantum, ſit in loco circumſcriptivè. Nec obſtat, quòd S. Thomas, & Boëtius, hanc propoſitionem cenſeant eſſe notam per ſe ſapientibus. Puto enim nomen propoſitionis notæ per ſe, latiùs ab iis ſumi. Dici etiam poteſt ſubjecti dictæ propoſitionis: *ſubſtantia incorporea, ſeu non quanta, non eſt in loco circumſcriptivè*; haberi poſſe conceptum quidditativum; nimirum ſubſtantiæ non quantæ, quemadmodùm talis conceptus habetur ſubſtantiæ quantæ, quatenus habetur conceptus quidditativus quantitatis.

PUNCTUM II.

An & quomodo ſit demonſtrabilis Exiſtentia DEI.

105. Præmitto primò. Illud eſſe, & dici demonſtrabile, quod poteſt deduci ex præmiſſis certis, & infallibilibus. Seu, quod poteſt eſſe notum per diſcurſum certum, & infallibilem.

106. Præmitto ſecundò, Demonſtrabile ùt ſic dividi in Demonſtrabile Theologicè, & in Demonſtrabile Philoſophicè. Demonſtrabile Theologicè eſt quod poteſt deduci ex præmiſſis, quarum una ſit fidei Divinæ, altera naturalis, certa & evidens. Demonſtrabile Philoſophicè eſt, quod poteſt deduci ex præmiſſis naturalibus certis, & evidentibus. Demonſtrabile Philoſohicè ſubdividitur in demonſtrabile à priori, & in demonſtrabile à poſteriori. Demonſtrabile à priori eſt, quod eſt demonſtrabile demonſtratione procedente per cauſam ſive realem, ſive virtualem. Hoc eſt, quæ concipitur ùt cauſa, & radix illativa prædicati, quod demonſtratur. Demonſtrabile à poſteriori eſt, quod poteſt demonſtrari demonſtratione per effectum. Rurſus Demonſtrabile Philoſophicè ſubdividitur in Demonſtrabile Metaphyſicè, quod ſcilicet poteſt deduci ex præmiſſis Metaphyſicè certis, & evidentibus. In Demonſtrabile Phyſicè, quod poteſt deduci ex præmiſſis certis, & evidentibus Phyſicè, ſeu certitudine, & evidentia naturali, cui abſolutè poteſt ſubeſſe falſum. Et in Demonſtrabile Moraliter quod

quod poteſt deduci ex præmiſſis moraliter ſolùm certis, & evidentibus. Quid verò ſit certitudo, & evidentia Metaphyſica, quid certitudo Phyſica, quid moralis? notum eſſe ex Philoſophia ſuppono. Adverto hìc ſtatim, ſolùm demonſtrabile Metaphyſicè eſſe demonſtrabile maximè propriè. Quia ſola demonſtratio Metaphyſica eſt demonſtratio maximè (ſi non unicè) propria. Et ſcientia habens certitudinem, & evidentiam Metaphyſicam, eſt ſcientia maximè itidem (ſi non unicè) propriâ. Cùm de tali Demonſtratione, & ſcientia à nemine dubitatur, quòd ſit vera demonſtratio, & vera ſcientia. Dubitatur verò an Demonſtratio, & ſcientia, habens certitudinem, & evidentiam Phyſicam aut moralem, ſit vera demonſtratio, & ſcientia. Imò negatur eſſe talis, à quibuſdam, ab iis nimirum, qui negant ad rationem veræ ſcientiæ Ariſtotelicæ ſufficere certitudinem Phyſicam ac Moralem. Adverſioni huic ſuffragatur authoritas P. Martini Eſparza, celeberrimi Romani Theologiæ Profeſſoris. Qui Tract. de DEO. Quæſt. 2. Artic. 3. in ☉ ubi dicit Exiſtentiam DEI, eſſe Metaphyſicè demonſtrabilem, ſæpius aſſerit ſolam talem Demonſtrationem eſſe propriè talem. Suffragatur itèm authoritas R. P. Morawski, qui in ſuis Quæſtionibus de DEO Diſput. 1. Quæſt. 1. in ☉ dicit evidentiam de Exiſtentia DEI petibilem à Demonſtratione Metaphyſica à poſteriori, eſſe demonſtrationem maximè propriam. His præmiſſis Puncto præſenti hæc inquirentur primò. An Exiſtentia DEI ſit demonſtrabilis Theologicè? ſecundò. An ſit demonſtrabilis à priori? Tertiò. An ſit demonſtrabilis à poſteriori, idque an ſit demonſtrabilis Metaphyſicè.

§. I.

An Exiſtentia DEI ſit demonſtrabilis Theologicè?

107. Reſpondeo, & dico affirmativè. Probatur. Quod deduci poteſt per diſcurſum ex una præmiſſa à DEO revelata, ſeu fidei, & ex altera præmiſſa naturali certa, & evidente, illud eſt demonſtrabile Theologicè. Sed Exiſtentia DEI poteſt deduci per diſcurſum, ex una præmiſſa à DEO revelata, & ex altera lumine naturali certa, & evidente. Ergo. Major patet ex Num. 106. Minor probatur. Exiſtentia DEI deducitur defactò per hunc diſcurſum: *Qui dicit ſe eſſe, eſt, & exiſtit. Sed DEUS dicit ſe eſſe. Ergo DEUS eſt, & exiſtit.* Atqui in hoc diſcurſu una præmiſſa eſt revelata, ſcilicet Minor. nam Exod. 3. dicitur. *Dixit DEUS ad Moyſen, Ego ſum qui ſum.* Altera autem præmiſſa, ſcilicet major eſt lumine naturali certa, & evidens. Cùm certum, & evidens ſit debere illum eſſe, & exiſtere, qui loquitur; nec poſſe locutionem procedere à non exiſtente.

Proponuntur Objectiones.

108. Objicitur. Exiſtentia DEI non poteſt deduci, ex una præmiſſa revelata, ſeu fidei, ex altera præmiſſa lumine naturali certa, & evidente. Ergo non eſt demonſtrabilis Theologicè. Antecedens probatur primò. Si ex talibus præmiſſis deduceretur exiſtentiâ DEI, committeretur circulus vitioſus, & inutilis. Exiſtentia enim DEI deduceretur ex actu fidei, quo credimus DEUM dixiſſe ſe eſſe, qui ipſe actus fidei ſupponit tanquam pro priori notum, quòd DEUS ſit.

109. Secundò. Hoc argumentandi modo demonſtraretur ignotum per æquè ignotum. Demonſtraretur enim exiſtentia DEI quæ eſſet ignota, per teſtimonium DEI, & authoritatem primæ veritatis revelantis, & loquentis; quæ eſſet æquè ignota cùm notitia primæ veritatis revelantis dependeat à notitia exiſtentiæ DEI.

110. Tertiò probatur. Quia hac ratione demonſtratur idem per idem. Sicut enim idem per idem probaretur, ſi authoritas Viri ſpectatæ gravitatis aſſeverantis ſe eſſe nobilem aſſumeretur pro motivo, & medio aſſentiendi ejus nobilitati; ità idem per idem demonſtraretur, dum authoritas DEI revelantis, ejúſque exiſtentia aſſumeretur pro motivo, & medio aſſentiendi DEI exiſtentiæ.

111. Probatur quartò. In hoc ſyllogiſmo. *Qui dicit ſe eſſe eſt, & exiſtit. Sed DEUS dicit ſe eſſe. Ergo DEUS eſt, & exiſtit.* In hoc inquam ſyllogiſmo major non eſt lumine naturali nota, & evidens. Patitur enim limitationem, ſecundùm quam licèt in aliquo ſenſu ſit certa, & evidens: In alio tamen ſenſu in quo deberet accipi eſt negabilis. Poteſt enim ſic diſtingui major. Qui dicit ſe eſſe eſt, & exiſtit

stit semper talis, qualem se esse dicit, nego Majorem. Qui dicit se esse, est, & existit, eo modo qui sufficit ut sua locutio existat. Concedo Majorem. Omissa deinde Minore, Distinguo consequens. Ergo DEUS est & existit eo modo qui sufficit ut locutio sua existat. Concedo consequentiam. Ergo DEUS est talis, qualem se dicit. Negabitur.

112. Probatur quintò: In omni syllogismo, rectè concludente, potissimùm verò in syllogismo demonstrativo, idem debet esse motivum assentiendi conclusioni, quod est motivum assensûs præmissarum. Identitas enim extremorum, cum medio debet esse motivum tam præmissarum, quàm conclusionis. Atqui in discursu illo, qui dicitur esse Demonstratio Theologica existentiæ DEI, non est idem motivum conclusionis, quod est motivum præmissarum. Unius enim præmissæ, nimirum illius, quæ est revelata, & fidei, motivum, est testimonium DEI dicentis, quod tamen non est motivum conclusionis ex tali præmissa, & altera præmissa naturali, illatæ; potiùs enim hujus motivum est identitas extremorum cum medio. Ergo hic discursus, non est syllogismus demonstrativus Theologicè.

Solvuntur Objectiones.

113. Respondeo Negando Antecedens. Probationis primæ: Nego sequelam. Probationis ulterioris nego illam propositionem. Actus fidei supponit pro priori notum esse, quòd DEUS existat. Licèt enim à parte rei prius sit DEUM esse quàm loqui, hominibus, & locutio Divina supponat existentiam DEI, tamen cognitione & notitiâ, non necessariò est prior existentia, quàm locutio DEI. Sed unico actu, hæc cognosci & attingi possunt. Cùm possit cognosci causa per effectum, & ex pulsu Arteriæ cognito, cognoscitur quis vivere, quamvìs pulsus hujusmodi sit effectus vitæ, quod ipsum fit per actum, quo quis credit DEUM existere, quia ipse dixit se existere; per hunc enim actum indivisibiliter cognoscitur & existentia DEI, & locutio ejusdem ac innotescit utrumque. Potest etiam dici, quod actus fidei supponat notum pro priori, quòd DEUS existat, quatenus supponit judicium de motivis credibilitatis, per quod tamen non itâ clarè & explicitè notum est, quòd DEUS sit, neque sub hoc ipso conceptu, sub quo, & quàm explicitè id ipsum creditur per actum fidei. Quare, dum ex actu fidei deducitur existentia DEI, non committitur circulus vitiosus.

114. Secundæ Probationis Nego sequelam. Ad ulteriorem probationem dici imprimìs potest: Quòd in casu quo quis credit DEUM existere, quia ipse dicit se existere, quòd inquam tunc non moveatur authoritate & revelatione DEI, cognitis ùt talibus, seu sub hoc explicito conceptu authoritatis DEI revelantis; sed moveatur authoritate, quæ est omni humana & Angelica superior, omníque fide & veneratione digna. Hæc authoritas licèt in re sit Divina, non cognoscitur tamen sub conceptu explicito authoritatis Divinæ, seu authoritatis DEI revelantis quâ talis. Unde ignotum, non per æquè ignotum cognoscitur. Potest deinde dici, quòd is, qui credit DEUM existere, quia ipse dixit se existere, moveatur tunc authoritate DEI revelantis, etiam cognita ut tali, & sub conceptu explicito. Hinc tamen non sequitur quòd ignotum per æquè ignotum cognoscatur. Cognoscitur enim tunc existentia DEI per authoritatem DEI revelantis, quæ authoritas est notior, tum ex locutione ipsa tum ex indiciis, & signis, quæ loquentem & revelantem ostendunt esse DEUM, ac summæ authoritatis. Illud, quod ulterius additur. Notitia primæ veritatis revelantis dependet à notitia existentiæ DEI. Nego simpliciter, potiùs enim aliqua notitia existentiæ DEI, dependet à notitia veritatis primæ revelantis. Sicut, si quis in tenebris latens loquatur; notitia, quam audiens habet, de ejus existentia in tali loco dependet à notitia loquentis ùt talis in eodem loco.

115. Tertiæ Probationis Nego sequelam. Authoritas enim DEI revelantis & existentia DEI, neque ex parte rei significatæ, nec ex modo nostro concipiendi sunt omnino idem. Non ex modo nostro concipiendi. Alius enim est conceptus existentiæ DEI, & alius conceptus authoritatis summæ revelantis, potéstque hic conceptus esse notior ex signis, & argumentis sufficientibus credibilitatis, ostendentibus locutionem aliquam esse locutionem Entis maximè veracis, & summæ autho-

tho-

thoritatis. Non sunt etiam omnino idem, ex parte rei significatæ, authoritas DEI revelantis & existentia DEI; authoritas enim DEI revelantis, ultra Entitatem DEI, dicit etiam revelationem & locutionem ejusdem, quam non dicit existentia DEI. Quare, dum demonstratur Existentia DEI per authoritatem DEI revelantis, non demonstratur idem per idem, potéstque authoritas DEI revelantis, se existere, assumi pro medio & motivo assentiendi existentiæ DEI, si authoritas summa talis loquentis, & locutio ejusdem, sint aliunde nota, scilicet per sufficientia signa credibilitatis. Sicut authoritas Viri, spectatæ gravitatis, qui diceret se esse nobilem, potest assumi pro medio & motivo assentiendi ejus nobilitati, si talis Viri veracitas & locutio, aliunde, hoc est, persufficientia argumenta, sint nota.

116. Ad quartam probationem dico: Majorem syllogismi, quo Theologicè demonstratur existentia DEI, esse lumine naturali certam & evidentem, si hæc major accipiatur in sensu, in quo accipi debet, aut potest; ut ex ipsa & ex præmissa fidei inferatur conclusio affirmans existentiam DEI, non obstante, quòd secundùm limitationes aliquas impertinentes, non sit omnino certa eadem Major. Ut verò sit certa, & illativa existentiæ DEI, hoc sensu intelligi debet: *Quod dicit se esse, id defacto est, & quoad rem tale existit, quod & quale dicit & testatur.* Cui Majori hæc subsumitur Minor. *Sed defacto, & quoad rem DEUS & non aliud Ens dicit se esse*; ùt scriptura loquitur. *Ergo quoad rem DEUS existit.* Cujus argumenti Major est certa lumine naturali. Certum enim & evidens est, illud defacto Ens existere quod loquitur. Deinde sic ille syllogismus Theologicus proponi potest. Qui est summè verax, & infallibilis in dicendo & dicit se esse, talis est, qualem se esse dicit. Sed DEUS est summè verax & infallibilis in dicendo, & dicit se esse DEUM talémque existere. Ergo existit DEUS. Major hujus syllogismi est lumine naturali certa & evidens. Aliàs & esset summè verax & non esset, qui diceret se hunc, seu talem esse, nec tamen hic, seu talis esset. Minor est revelata & fidei; quoad secundam partem constat ejus revelatio ex verbis scripturæ. Prima verò pars continetur in secunda. Qui enim actu fidei assentitur DEUM esse, quia dixit se esse, assentitur huic veritati propter authoritatem DEI loquentis, adeóque assentitur, DEO convenire authoritatem. Consequenter cùm authoritas DEI loquentis consistat in summa veracitate & infallibilitate DEI in dicendo, assentitur DEO convenire veracitatem summam, & infallibilitatem in dicendo, Seu quod idem est, DEUM esse summè veracem & infallibilem in dicendo. Tandem sic idem discursus potest proponi: Qui locutione summè infallibili dicit se esse, est & talis est, qualem se esse dicit. Sed DEUS locutione summè infallibili dicit se esse, & DEUM esse. Quia dicit id Scriptura adducta. Qualis locutio est summè infallibilis. Ergo DEUS est, talísque existit, qualem se dicit.

117. Quintæ Probationis nego consequentiam, cum sua probatione, & dico: Etiamsi identitas extremorum cum medio debeat esse motivum conclusionis syllogismi, tamen eadem identitas extremorum cum medio, non necessariò est motivum formale præmissarum. Sed hæc identitas est potiùs objectum materiale & terminativum earundem præmissarum idque unius præmissæ objectum materiale est identitas unius extremi conclusionis cum medio, alterius præmissæ objectum materiale est identitas alterius extremi conclusionis cum eodem medio. Non est autem hæc identitas objectum formale motivum respectu præmissarum; nisi forte præmissæ essent per se ex terminis & primò notæ. Quæcunque verò præmissæ sunt notæ per aliud, illud ipsum aliud habent pro motivo formali ex quo deducuntur & inferuntur. Unde, quia præmissa fidei est nota per revelationem DEI, ejúsque authoritatem, hanc habet pro motivo formali. Motivum verò conclusionis Theologicæ, quæ infertur ex una saltèm præmissa fidei est identitas Extremorum cum medio, illa inquam ipsa identitas, quæ fuit objectum materiale præmissarum.

§. II.

An Existentia DEI sit demonstrabilis à priori?

118. Dicendum est, quòd Existentia DEI non sit demonstrabilis à priori.

Probatur. Illud est demonstrabile à priori, quod potest demonstrari per causam vel realem seu physicam, vel Metaphysicam (virtualem alii vocant) sed Existentia DEI, neque per causam physicam neque per causam Metaphysicam potest demonstrari. Ergo existentia DEI non est demonstrabilis à priori. Major est ex Num. 106. Minor quoad primã partem patet. Quia nulla datur, aut potest dari causa realis DEI, ipsiúsq; existentiæ. DEUS enim ex suo conceptu, nimirum ex conceptu Entis à se, sibiq; sufficientis ad esse, est essentialiter exclusivus cujuscunque causæ veræ, & realis seu physicæ sui ipsius, suæque existentiæ. Eadem Minor quoad secundam partem probatur. Tum quia respectu existentiæ DEI, nulla datur causa Metaphysica, & virtualis. In tantùm enim talis causa daretur respectu existentiæ DEI, in quantum daretur in DEO, tale prædicatum, quod ratione nostra esset priùs, quàm existentia DEI, ejusdémque existentiæ esset radix illativa. Siquidem per causam virtualem, & metaphysicam non intelligitur quidquam, nisi prædicatum ratione nostra priùs alio prædicato, ejusdémque prædicati radix illativa. Sed in DEO non datur ullum tale prædicatum, quod sit ratione nostra prius quàm Existentia DEI, sítque radix illativa ejusdem existentiæ. Si enim aliquod tale prædicatum esset, esset illud, in quo essentia Metaphysica DEI constituitur; aseitas nimirum, & sufficientia sibi ad esse. Atqui aseitas, & sufficientia sibi ad esse non est prædicatum ratione nostra prius, quàm existentia, nec est radix illativa ipsius. Prædicatum enim, quod in suo conceptu includit formaliter existentiam, non potest esse priùs, quàm existentia. Quia eô ipso tale prædicatum esset priùs se ipso. Porrò sufficientia sibi ad esse, seu aseitas, in suo conceptu includit formaliter existentiam. Conceptus enim essentialis aseitatis, seu sufficientiæ sibi ad esse, in hoc stat, quòd sit ratio, vi cujus res est actu physicè in se ipsa, per esse imparticipatum. Quæ ratio includit in se formaliter existentiam. Cùm existere nihil aliud sit, nisi rem esse actu physicè in se ipsa. Ergo. Tum quia, si existentia DEI esset demonstrabilis à priori per causam metaphysicam, deberet pro priori notum, & evidens esse dari talem causam existentiæ; non est autem pro priori notum, & evidens, dari ejusmodi causam respectu existentiæ DEI: admisso enim, quòd causa metaphysica, seu virtualis existentiæ DEI sit aseitas, & sufficientia sibi ad esse, hanc pro priori dari non est notum, neque enim id notum est ex terminis, ùt constat ex dictis puncto I. neque est notum per aliam causam, sive realem, sive virtualem, ùt clarum est. Quodsi autem à posteriori certum, & evidens est, dari Ens à se, & sufficiens sibi ad esse, hoc ipso formalissimè à posteriori nota est existentia DEI. Dari enim Ens à se, est propriissimè DEUM existere. Consequenter ante existentiam DEI, certò, & evidenter cognitam, non est pro priori notum dari aseitatem, & sufficientiam sibi ad esse.

Proponuntur Objectiones.

119. Objicitur. DEUM existere demonstratur per causam metaphysicam, & virtualem. Licèt enim non demonstretur Existentia DEI per aseitatem, & sufficientiam sibi ad esse, in quo prædicato stat conceptus primò essentialis DEI, demonstratur tamen per alia DEI prædicata. Qualia prædicata sunt: prædicata Entis perfectissimi, & optimi, Entis carentis omni defectu, Entis, quo majus cogitari non potest, Entis summè necessarii. Actûs puri. Quæ prædicata, cùm non sint posteriora, quàm Existentia DEI, ipsámque existentiam inferant. Sunt causa Metaphysia existentiæ DEI. Adeóque demonstratio Existentiæ DEI per talia prædicata, est demonstratio Existentiæ DEI per causam Metaphysicam, seu virtualem, consequenter est demonstratio à priori.

120. Ex prædicato Entis, quò melius concipi non potest, S. Anselmus in Prosologio cap. 2. demonstrat Existentiam DEI, quam demonstrationem fusiùs propositam, breviùs sic proponit P. Vasquez Disp. 20. num. 13. DEUS est id, quò melius cogitari non potest. Sed id, quò melius cogitari non potest, existit. Id enim, quò meliùs cogitari non potest, non est in sola cogitatione, aliás non esset tale, quale esse supponitur, melius enim cogitari potest, quod non solùm sit in cogitatione, sed etiam in re, & à parte rei, adeoque quod non solùm cogi-

cogitatur existere, sed etiam re ipsa existit.

121. P. Antonius Perez. ex prædicato Entis carentis omni defectu sic demonstrat Existentiam DEI. Ens carens omni defectu, * nullam dicit imperfectionem, aliàs diceret defectum. Cùm omnis imperfectio sit defectus. Sed chimera dicit aliquam imperfectionem. Ergo Ens carens omni defectu non est chimera. Ergo est possibile, simúlque idem Ens existit. Quod ipsum simili evincitur argumento. Ens carens omni defectu nullam dicit imperfectionem. Sed carentia Existentiæ est aliqua imperfectio. Ergo Ens carens omni defectu, non dicit carentiam Existentiæ, adeóque existit. Sed DEUS est Ens carens omni defectu. Ergo DEUS existit.

122. Ex conceptu Entis æterni, ac simpliciter necessarii, P. Esparza, & P. Morawski, demonstrant eandem Existentiam DEI; Quam demonstrationem sic proponit P. Morawski: Datur Ens aliquod, quod sit actu in se ipso æternum, ac simpliciter necessarium. Sed DEUS est Ens, quod est actu in se ipso æternum, ac simpliciter necessarium. Ergo datur DEUS, seu existit. Probatur imprimìs Major: Dantur propositiones simpliciter necessariæ, & æternæ Veritatis; quales sunt: Homo est actu ab æterno, necessariò possibilis; chimæra est impossibilis. Ergo datur talium propositionũ verificativum Necessarium, & Æternum. Idq; datur in se ipso, quia non in alio; Ergo ulteriùs, datur Ens, quod actu in se ipso est æternũ, & simpliciter necessarium. Ipsum enim verificativum propositionum æternæ Veritatis, est Ens actu in se ipso æternum, & simpliciter necessarium. Minor deinde probatur: DEUS est summum, & purum bonum. Ergo est Ens actu in se ipso summè necessarium, & æternum. Non esset enim summum bonum, si non esset summè necessarium, & æternum. Summum námque bonum non habet meritum ullius prudentis displicentiæ; haberet autem, si non esset necessarium, & æternum.

Solvuntur Objectiones.

123. Respondeo negando primum Antecedens. Ulterior Probatio, duo incerta continet; Primum: quòd prædicata Entis perfectissimi, optimi, Entis carentis omni defectu, Entis, quo majus, & melius cogitari non potest; Entis æterni, & summè necessarii, sint prædicata, ex modo nostro concipiendi priora, quàm Existentia. Alterum: quòd per hæc prædicata demonstretur Existentia. Incertum imprimìs est, illa prædicata esse priora, quàm sit Existentia DEI. Quia non est certum in his prædicatis non involvi Existentiam; imò valde probabile est ipsam involvi. Sicut involvitur in esse Entis à se, & in esse Entis sufficientis sibi ad esse. Quòd si in his prædicatis involvitur formaliter Existentia DEI, non est hæc posterior ratione nostra iisdem prædicatis. Quia nihil potest esse posterius se ipso. Deinde demonstrationes Existentiæ DEI per prædicata enumerata, quamvìs sint acutæ, & ingeniosæ, non sunt tamen subsistentes nec habent rationem veræ demonstrationis, ex hac potissimùm ratione: Quia demonstratio vera, & propriè talis alicujus veritatis debet procedere per præmissas notas nobis, vel per se, & ex terminis, vel per præmissas notas per aliud. Debet enim procedere per præmissas certas, & evidentes. Præmissæ autem, quæ neque per se, & ex terminis, neque per aliud sunt notæ nobis, non sunt evidentes. Sed adducti discursus neque procedunt per præmissas notas nobis per se, neque procedunt per præmissas notas nobis per aliud. Ergo. Non procedunt imprimìs per præmissas notas nobis per se; Qua ratione enim propositiones illæ: *DEUS existit*; *Ens à se existit*; *Ens summè necessarium existit*; non sunt nobis notæ per se, ùt dictum est Puncto I. hujus Quæst. Ea ratione non sunt notæ per se quoad nos, allatorum discursuum illæ præmissæ: *Id, quò melius cogitari non potest, existit*; *Ens carens omni defectu nullam dicit imperfectionem*; *Datur Ens, quod sit actu in se ipso æternum, ac simpliciter necessarium.* Sicut enim è sensu P. Esparza, & P. Morawski, illæ propositiones: *DEUS existit*; *Ens à se existit*; *Ens essentialiter existens existit.* Non sunt notæ per se quoad nos, ex eo: Quia in subjectis complexis non est nota per se quoad nos, cohærentia terminorum simplicium; Ità non debent esse notæ per se quoad nos adductæ propositiones, & præmissæ discursuum allatorum; Quia pariter subjectis complexis, earum non est nota per se quoad nos, cohærentia terminorum

norum simplicium. Ex eo adhuc eædem propositiones, seu præmissæ dictorum discursuum non sunt notæ per se quoad nos, quia non sunt notæ in eo sensu, in quo debent esse veræ. Nimirum non sunt notæ per se quoad nos sic intellectæ. *Id, quò melius cogitari non potest, existit exercitè, & à parte rei. Ens carens omni defectu, nullam exercitè, & à parte rei dicit imperfectionem. Ens, quod est actu in se ipso, æternum datur non solùm objectivè in intellectu, sed etiam verè realiter, & à parte rei.* Sicut in simili sensu non sunt notæ per se quoad nos propositiones: *DEUS existit. Ens sufficiens sibi ad esse existit. Ens necessariò existens, existit.* Non procedunt deinde discursus per præmissas notas per aliud. Tum, quia non sunt notæ per aliud præmissæ adductorum discursuum, deberent enim esse notæ ex aliquo medio, idque vel à priori, vel à posteriori, ex quo autem medio sunt notæ? Tum quia, quod est notum ex explicatione terminorum, non est notum per aliud, sed potiùs est notum per se, & ex terminis debitè perceptis, & intellectis. Sed præmissæ dictorum discursuum sunt notæ, aut deberent esse notæ per explicationem terminorum, si enim fiat reflexio supra probationes earundem præmissarum, facilè patebit præmissas hujusmodi declarari sola terminorum explicatione; nec ullum medium à priori, vel à posteriori assumi in probationem earundem. Tum quia, si præmissæ, quorumcunque hujusmodi discursuum essent notæ per aliud, deberent deduci rursùs ex aliis præmissis, ità ut tandem posset sisti in propositionibus notis per se quoad nos, sed in his discursibus probandis, non potest unquam sisti in propositionibus, in probationem præmissarum assumptis, quæ sint notæ per se quoad nos. Inter has enim propositiones, necessariò semper aliqua talis erit, in qua, de subjecto convertibili cum DEO prædicabitur existentia, vel prædicatum convertibile cum eadem existentia. Hujusmodi verò propositio non est, nec potest esse nota per se quoad nos. Ad singulos deinde discursus ab Atheis, imò, & ab aliis responderi potest.

124. Ad primum S. Anselmi discursum à Vasquez propositum dici potest Negando Minorem illam; sed Ens, quò melius cogitari non potest, existit. Ad probationem illius dici potest. Id, quò melius cogitari non potest, & esset in sola cogitatione, & non esset; non est in sola cogitatione, arguendo ex uno termino simplici, quem complectitur terminus complexus pro subjecto positus; scilicet arguendo ex esse ejus, quò melius cogitari non potest. Ex quo prædicato arguitur à P. Vasquez. Est verò in sola cogitatione, arguendo ex altero termino simplici, nimirum, ex ratione Entis, seu boni. Per Atheum enim omne Ens, seu bonum, est tale, quò melius, & perfectius cogitari potest; per quem, omne Ens est ab alio, quovis autem tali Ente posito, vel cogitato, melius, & perfectius cogitari potest. Neque id argumento P. Vasquez evincitur, præter Entia, in quibus quantumcunque processeris, semper melius cogitari potest, dari Ens, seu bonum, extra hanc seriem Entium constitutum, quò melius cogitari non potest. Non evincitur itèm inter terminos simplices subjecti complexi: *Ens, quò melius cogitari non potest:* dari cohærentiam, quam Atheus dicet esse impossibilem. Quemadmodùm veri DEI cultores negamus dari cohærentiam inter esse creaturæ, & inter esse talis, quà melior cogitari non potest. Docemus enim communiter quacunque creaturà quantumcunque bona, & perfecta, meliorem, & perfectiorem & cogitari, & dari posse. Dici secundò potest cum distinctione: Ens, quò melius cogitari non potest, supposito, quòd detur, vel sit dabile non est in sola cogitatione, sed actu existit. Concedet Atheus. Ens, quò melius cogitari non potest, independenter à tali suppositione, vel etiamsi non detur, nec sit dabile, est non in sola cogitatione, sed etiam exercitè existit. Negabit, & dicet. Ens, quò melius cogitari non potest, si dabile sit, debere esse non solùm in cogitatione, sed etiam in re, & actu, secùs si non sit dabile à parte rei. Porrò Atheus dicere potest ulteriùs. Ens, quò melius cogitari potest, non esse dabile. Quia quodcunque tale cogitabitur, illo melius, & perfectius semper cogitari poterit. Tum quia in hoc nulla est implicantia, vel certè nulla apparet. Tum quia hæc est natura intellectûs cogitantis, ut in infinitum possit progredi in Entibus perfectioribus, & melioribus semper cogitandis. Tertiò, Potest sic distingui eadem probatio. Ens, quò melius cogitari

tari non potest, cogitatione vera, & conformi objecto, est non solùm in cogitatione, sed etiam in ipso objecto actu existente. Concedet hanc partem distinctionis. Ens, quô melius cogitari non potest cogitatione quacunque etiam difformi objecto, vel non vera, est non solùm in cogitatione, sed etiam actu existit. Negabit, & dicet cogitationem, qua concipitur Ens, quô melius concipi non potest, aut esse falsam, aut, cùm hæc cogitatio, non sit ulla propositio, sed sit nonnisi terminus complexus, non est vera. Veritas enim solis convenit propositionibus. Quòd si autem talis cogitatio non est vera, non est necesse objectum illius exercitè existere. Cogitatio enim secundùm se, non potest facere, ut sit, vel non sit objectum.

125. Ad secundam demonstrationem respondebit Atheus cum distinctione. Ens carens verè, & realiter omni defectu nullam dicit (intellige à parte rei) imperfectionem. Concedet Majorem. Ens carens omni defectu per imaginationem, & apprehensionem, aut fictionem talis Entis, nullam dicit quoad rem imperfectionem. Negabit Majorem. Omissa deinde Minore, distinguet consequens. Ergo Ens carens omni defectu verè, & realiter non est chimæra. Concedet consequentiam. Sed negabit suppositum, dari tale ens, quod verè, & realiter careat omni defectu. Ergo Ens per apprehensionem, & fictionē carens omni defectu non est & chimæra. Negabit consequentiam, & dicet: Ens, quod verè, & realiter careat omni defectu, non involvere ullam imperfectionem, si detur, non evinci tamen argumento Perezii, quòd tale Ens verè detur. Quòd si autem concipiatur solùm, & fingatur, tale Ens involvit imperfectionem, imò & contradictionem hanc: quòd careat realiter, & non careat realiter omni defectu. Caret realiter omni defectu, ùt supponitur, & supponi debet, ab arguente. Non caret, quia non datur verè, & propriè. Quia itèm, cum quovis cogitato Ente, quantumvis perfecto sit cogitabile aliud perfectius, quodvis quantumvis perfectum, dicit defectum perfectionis amplioris, quæ cogitari potest in Ente perfectiore. Etiam aliæ responsiones numero præcedente allatæ, nimirum prima, & secunda possunt adhiberi ad demonstrationis Pereziana vim elidendam.

126. Tertiæ Demonstrationis Majorem Negabit Atheus. Ejus probationem sic distinguet: Dantur propositiones simpliciter necessariæ, & æternæ Veritatis affirmantes aliquod objectum esse actu in se simpliciter, & absolutè necessarium, & æternum. Negabit. Dantur propositiones simpliciter, & æternæ Veritatis, non affirmantes suum objectum esse aliquid in se actu simpliciter, & absolutè necessarium, & æternum; sed ad summum affirmantes, quòd suum objectum esset actu, si, quod ex suppositione, & secundùm quid sit necessarium, & æternum, impropriè. Concedet Probationem, & Negabit Consequentiam, quoad illam partem; quòd verificativum talium propositionum debeat esse actu absolutè, & simpliciter necessarium, ac æternum propriè. Dicet ulterius, tales nonnisi propositiones, necessariæ, & æternæ Veritatis dari, quæ affirmant suum objectum esse necessarium, secundùm quid conditionatè, & ex suppositione. Talésque propositiones sunt illæ: *Homo est necessariò possibilis. Chimæra est impossibilis.* Hæ enim propositiones faciunt sensum hypotheticum, non absolutum; Nimirum hunc sensum: *Si & in quantum existit, existet,* vel *existit homo necessariò est, erit, & fuit possibilis. Si, & in quantum existeret chimæra, esset necessariò impossibilis.* Non dantur verò propositiones affirmantes aliquod objectum esse actu in se ipso, absolutè, & simpliciter necessarium. Id enim per tertiam Demonstrationem supponitur magis, quàm evincitur, quòd tamen evinci deberet. Porrò licèt propositionum affirmantium objectum esse actu in se ipso absolutè, & simpliciter necessarium, & æternum, verificativum deberet esse actu in se ipso absolutè & simpliciter necessarium, & æternum, tamen propositionum affirmantium suum objectum esse nonnisi secundùm quid, ex suppositione, & conditione, necessarium, & æternum; talium inquam propositionum verificativum non debet esse actu in se ipso ab æterno absolutè, & simpliciter necessarium. Verificativum enim propositionis tale esse debet, & eo modo se habere, quale, & quomodo se habere enuntiat propositio, quæ dicitur esse vera. Quòd si aliter se habuerit,

rit, non erit verificativum, sed falsificativum propositionis. Circa propositiones necessarias, & æternæ veritatis, hoc insuper addi potest: Esse illas necessarias, non eo sensu quòd necessariò actu dentur, sed quòd ex suppositione si dentur, sint necessariò veræ, nec possint esse falsæ. Sunt verò æternæ veritatis non ex eo, quòd eorum veritas formalis fuerit in se actu ab æterno, sed ex eo, quòd per copulam *Est*, non significetur ullum determinatum tempus, in quo sint veræ, sed, quòd pro omni tempore si existant, sint, & debeant esse veræ.

§. III.

An Existentia DEI sit demonstrabilis à posteriori, idque an sit demonstrabilis Metaphysicè?

127. Dicendum est, Existentiam DEI esse Metaphysicè demonstrabilem à posteriori respectu intellectûs bene dispositi. Probatur. Illud est demonstrabile Metaphysicè à posteriori, quod est demonstrabile per effectus, potéstque deduci ex præmissis certis, & evidentibus certitudine, & evidentia Metaphysica. Sed existentia DEI est demonstrabilis per effectus, potéstque deduci ex præmissis certis, & evidentibus, certidine, & evidentia Metaphysica. Ergo. Major patet ex Num. 106. Minor probatur, imprimìs authoritate scripturæ: objectum, quod est demonstrabile per ea, quæ facta sunt, simulque per hæc ità est demonstrabile, ut manifestum sit, & intellectu conspiciatur, sintque in excusabiles illi, quibus hoc modo objectum est cognitum, est objectum demonstrabile per effectus, simúlque per præmissas certas, & evidentes certitudine, & evidentia Metaphysica; quatenus enim tale objectum est demonstrabile per ea, quæ facta sunt, est demonstrabile per effectus, quatenus verò est demonstrabile taliter, ut manifestum sit, ut intellectu conspiciatur, ut inexcusabiles sint, qui hoc modo tale objectum cognoscunt, est demonstrabile Metaphysicè. Manifesta enim cognitio objecti conspecti, ac visio ejusdem conjuncta cum inexcusabilitate, si sumantur propriè, & in propria significatione (in qua verba præcipuè scripturæ accipi debent, si nihil obstet) significant evidentiam, & scientiam propriè talem, qualis evidentia, & scientia est sola evidentia Metaphysica, & scientia Metaphysicè certa. Sed Existentia DEI est demonstrabilis per ea, quæ facta sunt, ità ut manifesta sit, & intellecta conspiciatur, síntque inexcusabiles illi, qui cum taliter cognoscant DEUM non sicut DEUM glorificant. Dicit enim scriptura ad Rom. 1. *Quod notum est DEI, manifestum est in illis, DEUS enim illis, manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas, ità ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent DEUM non sicut DEUM glorificaverunt.* Ergo.

128. Probatur secundò, minor primi argumenti Ratione. Existentia DEI est demonstrabilis per existentiam creaturarum, potéstq; deduci ex præmissis evidenter proponentibus connexionem Metaphysicam existentiæ creaturarum tanquã effectuum cum existentia DEI tanquam causæ earundem. Ergo Existentia DEI est demonstrabilis per effectus adeóque à posteriori, simúlque est demonstrabilis Metaphysicè. Quia potest deduci ex præmissis certis, & evidentibus Metaphysicè. Tales enim sunt præmissæ illæ, quæ evidenter proponunt connexionem Metaphysicam existentiæ creaturarum cum existentia DEI, tanquam causæ earundem. Antecedens probatur. Quia existentia DEI de facto demonstratur per existentiam creaturarum; per cujus demonstrationis præmissas evidenter ostenditur connexio Metaphysica creaturarum, cum existentia DEI, tanquam causæ.

129. Demonstrationem hanc Existentiæ DEI à multis fusiùs propositam breviter sic propono: Existunt creaturæ suum esse participantes ab alio, sibíque se ipsis insufficientes ad esse; Ergo hoc ipso debet existere Ens à se; seu Ens non participans suum esse ab alio, sibique se ipso sufficiens ad esse. Consequenter existit DEUS. Antecedens patet. Entia enim omnia visibilia, de quorum existentia constat nobis ab experientia sensuum, eô ipso, quòd ità existant, ut aliquando non extiterint vel non sint extitura, sunt Entia participantia suum esse ab alio, sibique se ipsis insufficientia ad esse. Si enim essent à se, sibique se ipsis sufficerent ad esse, eò ipso

ipso extitissent ab æterno, cùm ex ratione Aseitatis, necessariò profluat æternitas, ùt dictum est Num. 75. Consequentia probatur. Si non existeret Ens à se, & se ipso sibi sufficiens ad esse, non existerent etiam Entia participantia suum esse ab alio, sibique insufficientia ad esse. Ergo si existunt Entia participantia suum esse ab alio sibique insufficientia ad esse, debet etiam existere Ens à se, nec participans suum esse ab alio, sed ipsum sibi sufficiens ad esse.

Antecedens immediatum probatur. Ut aliquod Ens insufficiens sibi ad esse, existat, requirit existentiam alterius, quod sibi det esse. Quòd si etiam hoc fuerit sibi insufficiens ad esse, non potest existere, nisi rursùs existat tertium, quod sibi det esse. Et hoc iterum tertium, si est sibi insufficiens ad esse, non potest existere nisi existat quartum, & sic consequenter. In quo processu, si non devenietur ad tale Ens, quod ipsum non accipiat esse ab alio, sed & ipsum sit à se, sibique sufficiens ad esse, & simul alicui non sufficienti sibi ad esse, det esse, non poterit dari, & existere ullum Ens participans suum esse ab alio. Ergo.

130. Neque valet primò recurrere ad processum in infinitum, in Entibus participantibus suum esse ab alio. Non valet inquam. Tum quia per multiplicationem, & processum in infinitum in cæcis, stultis, nudis &c. non habetur, quòd collectio cæcorum videat, quod collectio stultorum sapiat, quòd collectio nudorum sit vestita. Ergo per similem multiplicationem, & processum in infinitum in Entibus insufficientibus sibi ad esse, non habetur, quòd collectio talium Entium sibi sufficiat ad esse. Tum quia nullo existente Ente, quod suum esse participet ab alio, non datur, nec potest dari processus in infinitum in talibus Entibus. Sed non existente Ente à se nullum existit Ens participans suum esse ab alio, ut numero proximè præcedente deductum est. Ergo. Tum quia potiùs argumento nostro ostenditur, quòd non existente ullo Ente à se debeat dari processus in infinitum in negationibus Entium participantium esse suum ab alio, seu in non existentiis talium Entium. Ergo.

131. Non valet secundò recurrere ad mutuam causalitatem. Hæc enim quoad primò esse evidenter implicat. Ut in Physica deduci solet. Mutua autem causalitas quoad secundò esse debet essentialiter præsupponere, quòd primum esse unius causæ ex iis, inter quæ est mutua causalitas, sit acceptum, & causatum à tertia diversa causa. Ex quo sequitur ulteriùs, ad hoc, ut aliquod Ens participans suum esse ab alio, existat, debere aliquando perveniri ad Ens, quod ità det esse alteri, ut ipsum à nullo alio accipiat suum esse. Seu debere perveniri ad Ens, quod sit à se. Ex eadem ratione non valet recursus ad causalitatem sui ipsius quoad secundò esse.

132. Non valet postremò dicere: Ex eo existere Entia participantia suum esse ab alio, absque eo, quod dari debeat Ens non participans suum esse ab alio, sibique sufficiens ad esse. Quia licèt singula Entia participantia suum esse ab alio, sint sibi insufficientia ad esse, tota tamen collectio horum actuum, est sufficiens sibi ad esse. Neque enim ex insufficientia sibi ad esse singulorum Entium rectè infertur insufficientia totius collectionis sibi ad esse. Cùm à sensu distributivo non valeat consequentia ad sensum collectivum. Non valet inquam. Tum quia ex non existentia omnium distributivè seu singulorum militum, rectè infertur non existentia exercitûs, aliàs nullo existente milite, posset existere exercitus. Ergo ex non existentia singulorum Entium participantium suum esse ab alio, rectè infertur non existentia totius collectionis talium Entium. Sed si non detur ullum Ens se ipso sufficiens sibi ad esse, habetur quod sit non existentia singulorum Entium participantium suum esse ab alio. Ergo si non detur ullum Ens se ipso sufficiens sibi ad esse, rectè infertur non existentia collectionis totius talium Entium sibi insufficientium. Ergo ulterius ex insufficientia singulorum Entium sibi ad esse, rectè infertur insufficientia totius collectionis. Si enim non posset inferri, cùm ex insufficientia sequatur non existentia singulorum, ex non existentia singulorum, non posset inferri non existentia totius collectionis, ut pote sufficiens sibi ad esse. Tum quia à sensu distributivo ad collectivum valet consequentia in iis prædicatis, quæ ità conveniunt singulis partibus collectionis, ut non repugnent toti collectioni, sed illi convenire possint, aut è converso,

verso, ità conveniunt toti collectioni ùt non repugnent singulis partibus ejusdem, illísque conveniant, aut convenire possint. Atqui prædicatum insufficientis sibi ad esse, ità convenit singulis partibus collectionis, ut non repugnet toti collectioni, sed possit illi convenire, & defacto conveniat; ùt patet in collectione quatuor Entium sibi insufficientium ad esse, quorum singula ità sunt sibi insufficientia ad esse, ut hoc ipsum prædicatum non repugnet eidem toti collectioni quatuor Entium, illique defacto conveniat. Ergo.

Proponuntur objectiones.

133. Objicitur, illúdq; potissimum probatur. Ex creaturis non posse demonstrari Metaphysicè Existentiam DEI. Primò. non est Metaphysicè certum, ea, quæ existere experimur, esse vera Entia realia, & veras creaturas, & non potiùs phantasmata.

134. Secundò. Quia cognitio creaturarum dependens à sensibus, non potest esse Metaphysicè certa. Quia non potest esse infallibilis; cùm sensus ipsi sint fallibiles.

135. Ens necessarium non potest demonstrari per effectum contingentem utpote sibi improportionatum. Sed Existentia DEI est Ens necessarium, existentia creaturarum est effectus contingens. Ergo Existentia DEI non potest demonstrari per existentiam creaturarum.

Solvuntur Objectiones.

136. Respondeo ad primum negando Antecedens, & dico: Etiamsi non esset nobis Metaphysicè certum, has in specie creaturas v. g. bovem, aut hominem, quas existere experimur, esse re ipsa tales, & non phantasmata; adhuc tamen certum nobis est Metaphysicè ea, quæ experimur existere, esse Entia realia, & veras creaturas. Cùm certum Metaphysicè sit, etiam ipsa phantasmata, debere esse Entia realia, & creaturas. Hæc enim, cùm non sint omnino nihil, sed habeant esse verum. Cùm itèm sint contingentia; incipiunt enim, & desinunt in tempore, necessariò sunt Entia ab alio sibíque insufficientia, adeóque sunt creaturæ. Porrò, quòd ea, quæ experimur existere, sint quacunque ratione creaturæ, sufficit ut per hæc, à posteriori Existentia DEI possit Metaphysicè demonstrari. Siquidem hæc non demonstratur ex creaturis his vel illis in specie, sed ex creaturis quibuscunq; rationem genericam creaturæ quomodocunque participantibus. Potest etiam distingui idem Antecedens. Non est Metaphysicè certum, intellectui rectè disposítio, ea, quæ experimur existere, esse veras creaturas, & entia realia &c. Nego Antecedens. Non est Metaphysicè certum intellectui non bene disposito. Omitto Antecedens, & distinguo consequens. Ergo non est Metaphysicè demonstrabilis Existentia DEI, respectu intellectus bene dispositi. Nego consequentiam. Non est Metaphysicè demonstrabilis respectu intellectûs non bene dispositi. Concedo consequentiam. Et dico: Intellectui bene dispositio, Metaphysicè certum est, quòd ea, quæ sensibus experimur existere, sint creaturæ, & Entia realia. Tum quia tali intellectui certum est, ipsa etiam phantasmata, quorum existentiam, sensuum experimento notam habet, debere esse creaturas. Tum quia intellectui rectè disposito certum Metaphysicè est, aliqua saltêm Entia, quæ existere sensuum experimento discit, non esse phantasmata; scilicet Metaphysicè certum est, quòd ille ipse, qui talia cogitat talésque reflexiones habet, non sit phantasma, sed homo verus, & realis; consequenter quòd sit creatura. Si enim etiam hoc, non est manifestum intellectui talia cogitanti dicam illum intellectum non rectè dispositum esse. Siquidem ipso consentiente timeri, & dubitari potest, an sit intellectus verus, & non potiùs phantasticus. Quòd si autem intellectui rectè disposito certum Metaphysicè est, Entia, quæ existunt esse veras creaturas respectu talis intellectûs, erit Metaphysicè demonstrabilis existentia DEI. Neque id curandum, quòd intellectui non bene disposito, non sit Metaphysicè certum, Entia, quæ experimur existere esse creaturas. Hinc enim solùm sequitur Existentiam DEI non esse demonstrabilem, respectu intellectûs non bene dispositi, quod facilè conceditur, & per conclusionem expresse asseritur. Illud addo: Etiam prima principia non esse ità manifesta, ut sint Metaphysicè certa, & evidentia cuivis intellectui. Siquidem, ut notat Arriaga, propositiones, quæ communiter censentur esse per se notæ, negantur plerumque à multis ex mala intellectûs

lectus vel affectus dispositione. Sic enim v. g. principium illud: *Omne totum est majus sua parte*. Negatur ab aliquibus admittentibus possibile Infinitum Cathegorematicum creatum in numero vel extensione, simúlque asserentibus, post ablationem partis à tali infinito, reliquum mansurum tantum, quantum fuit dum sumeretur simul cum parte, ante ablationem ejusdem. Alia etiam prima principia à multis limitantur, ut faciliùs suas opiniones defendere possint. Imò simpliciter negantur, vel negabuntur ab his, qui cum Renato des Chartes persuadent sibi, homines ità à DEO esse creatos, ut in omnibus fallantur.

137. Respondeo ad secundum: Per allatum argumentum, multum probari. Probatur enim nullas dari in nobis cognitiones Metaphysicè certas. Cùm omnis cognitio nostra, ortum ducat à sensibus, dependenter à quibus res cognoscimus. Probatur itèm non dari cognitiones etiam physicè certas; cùm hæ dependeant à sensibus etiam naturaliter fallibilibus. Directè Respondeo, Antecedens Negando, vel certè distinguendo: Cognitio dependens à sensibus, dum per illam de subjectis sub sensum cadentibus, affirmantur prædicata particularia, & propria certæ speciei, non potest esse metaphysicè certa. Transeat Antecedens. Cognitio dependens à sensibus, per quam de subjectis sub sensum cadentibus affirmantur prædicata valde communia, & quasi Transcendentia, non potest esse metaphysicè certa. Nego Antecedens. Et dico: Transeat hoc, quòd cognitio dependens à sensibus, per quam de subjecto per sensus proposito, affirmantur aliqua prædicata particularia & specifica, non sit metaphysicè certa. Talis enim cognitio potest esse fallibilis, potest enim ratione fallibilitatis sensuum, attribui & affirmari prædicatum de subjecto, quod defactò eidem non convenit. Nego tamen cognitionem dependentem à sensibus per quam de subjecto per sensus proposito, affirmatur prædicatum aliquod valde commune & quasi Transcendens, non posse esse metaphysicè certam. Talis enim cognitio non potest esse fallibilis. Quia prædicatum, quod per illam affirmatur, cùm sit valde commune & quasi Transcendens, cuivis subjecto convenire debet, adeóque ratione fallibilitatis sensuum, nulli subjecto tribui potest, cui non conveniat. Talis porrò est cognitio Creaturarum dependens à sensibus, ex qua demonstratur Existentia DEI, per hanc enim cognitionem de Entibus, quorum existentia per sensuum experientiam est proposita, affirmatur prædicatum Entis ab alio, & insufficientis sibi ad esse; quod prædicatum est valde commune, & quasi Transcendens. Quia convenit omnibus, quæ sub sensum cadunt, imò & quibuscunque aliis præter DEUM.

138. Ad Tertium Respondeo cum distinctione. Ens Necessarium non potest demonstrari per effectum contingentem, etiam illum, qui est connexus essentialiter cum ipso Ente necessario, ab eóque essentialiter dependens. Nego Antecedens. Ens necessarium non potest demonstrari per effectum contingentem, non connexum essentialiter cum ipso Ente necessario nec ab illo essentialiter dependentem. Concedo vel omitto Antecedens. Quare, cum Creaturæ sint effectus contingentes Entis necessarii, scilicet DEI, essentialiter connexi cum DEO, ab eóque essentialiter dependentes, per creaturas potest demonstrari existentia DEI, & defactò, sic eam demonstrari patuit. Num. 129. Ad id, quod ulteriùs additur: Ens contingens est improportionatum Enti necessario; Respondeo. Ens contingens esse improportionatum Enti necessario in ratione Entis, quatenus longè perfectiorem & diversum modum essendi habet Ens necessarium, quàm habet Ens contingens. Non est tamen improportionatum in ratione effectûs, siquidem Ens contingens est & potest esse effectus Entis necessarii. Non est itèm improportionatum in ratione medii, per quod evidenter cognoscitur & demonstretur Existentia Entis necessarii.

139. Dices non posse ostendi, quod præmissæ demonstrationis, per quam existentia DEI demonstratur ex creaturis, sint metaphysicè certæ & evidentes. Ergo. Respondeo negando Antecedens. & dico: Demonstratio per quam demonstratur Existentia DEI ex creaturis est hæc: Quando Entia, quæ experimur dari & existere, sunt Entia participantia su-

um eſſe ab alio, & inſufficientia ſibi ipſis ad eſſe, tunc datur Ens non participans ſuum eſſe ab alio, ſeu Ens à ſe & ſibi ſufficiens ad eſſe. Sed Entia, quæ experimur dari & exiſtere ſunt Entia participantia ſuum eſſe ab alio, ſúntque ſibi ipſis inſufficientia ad eſſe. Ergo datur Ens non participans ſuum eſſe ab alio, ſeu Ens à ſe, & ſibi ipſi ſufficiens ad eſſe, adeóque exiſtit DEUS. Atqui hujus demonſtrationis præmiſſæ ſunt Metaphyſicè certæ & evidentes, quia ſunt eſſentialiter veræ; ſeu ſunt veræ tali neceſſitate, ut per nullam potentiam poſſint eſſe falſæ. Siquidem attingunt connexionem eſſentialem Metaphyſicè neceſſariam prædicati cum ſubjecto, & prædicatum ità connexum affirmant de ſubjecto. Nam & Entia inſufficientia ſibi ad eſſe, dicunt metaphyſicè neceſſariam connexionem cum exiſtentia Entis ſufficientis & ſibi, & ipſis ad eſſe, Ut oſtenſum eſt per probationem conſequentiæ Num. 129. Et Entia, quæ experimur exiſtere, dicunt metaphyſicam connexionem, ſeu neceſſariam identitatem cum prædicato inſufficientiæ ſibi ad eſſe, cùm hoc prædicatum ſit illis eſſentiale, ùt oſtenſum eſt per probationem Antecedentis in Num. 129. Porrò certitudo metaphyſica actûs, conſiſtit in neceſſitate metaphyſica veritatis in actu, quæ ipſa oritur ex connexione metaphyſicè neceſſaria prædicati cum ſubjecto. Sunt etiam metaphyſicè evidentes eædem præmiſſæ. Quia ità clarè proponunt connexionem eſſentialem prædicati cum ſubjecto, ut ſecluſa indiſpoſitione intellectûs & inordinatione omni effectûs voluntatis, non poſſit eſſe locus formidinis, ſaltèm tenuem probabilitatem, vel probabilitatis apparentiam habentis. Ut patet ex objectionum ſolutione.

PUNCTUM III.
An poſſit dari ignorantia invincibilis Exiſtentiæ DEI?

140. Præmitto *primò*: Ignorantiam Exiſtentiæ DEI eſſe vel errorem poſitivùm, ſeu judicium erroneum, quo quis diſſentiretur exiſtentiæ DEI, DEUMque exiſtere negaret, vel eſſe carentiam Cognitionis proponentis ſufficienter intellectui DEI exiſtentiam, eámque affirmantis, ſeu eſſe negationem judicii, quo quis firmiter aſſentiretur DEUM exiſtere. Ignorantia conſiſtens in judicio erroneo negante DEUM exiſtere, dicitur Ignorantia Poſitiva. Ignorantia verò conſiſtens in carentia judicii aſſentientis exiſtentiæ DEI, ipſámque affirmantis dicitur Ignorantia Negativa.

141. Præmitto ſecundò: Ignorantiam ſive poſitivam, ſive negativam dividi in Ignorantiam Vincibilem, & in Ignorantiam Invincibilem. Ignorantia Vincibilis eſt, quam vincere, & à nobis removere poſſumus, aut etiam tenemur. Ignorantia invincibilis eſt, quam vincere & removere non poſſumus. Ignorantia vincibilis ſubdividitur in Ignorantiam vincibilem phyſicè, quam vincere poſſumus, non tamen tenemur, & in Ignorantiam vincibilem moraliter, quam non ſolùm vincere, ſeu removere poſſumus, ſed etiam tenemur. Hæc Ignorantiæ ſpecies, eſt & dicitur ignorantia culpabilis. Aliæ ſpecies Ignorantiæ, ſunt ignorantiæ inculpabiles. Ignorantiæ vincibili opponitur Ignorantia Invincibilis; quæ ipſa alia eſt invincibilis phyſicè, quam amovere & vincere non poſſumus; alia Invincibilis moraliter, quam removere non tenemur. His præmiſſis.

142. Status præſentis Puncti Quæſtionis in hoc conſiſtit: An poſſit dari Ignorantia exiſtentiæ DEI, ſive Poſitiva, ſive Negativa, ídque an utraque hæc ignorantia poſſit eſſe invincibilis phyſicè, aut moraliter, quam ſcilicet aliquis non poſſit aut non teneatur à ſe removere! Circa hanc controverſiam, diverſæ ſunt Authorum ſententiæ, Medina, Zumel, Arriaga, Quiros, & Orthega docent poſſe dari invincibilem ignorantiam DEI, in hominibus rudibus & incultis, ídque longiori, imò toto etiam vitæ tempore. E contra S. Anſelmus, Valentia, Card. de Lugo, Amicus, Comptonus, & communiter alii cenſent ignorantiam invincibilem DEI, in hominibus, poſtquam ad uſum rationis pervenerint, non poſſe dari longiori vel toto vitæ tempore; Poſſe tamen illam dari ad aliquod breve tempus.

143. Dicendum eſt ignorantiam Exiſtentiæ DEI ſive Poſitivam ſive Negativam invincibilem, in hominibus quibuſcunque poſtquam ad uſum rationis pervenerint, non

non posse dari, sive longiori, sive toto vitæ tempore, posse tamen illam dari ad breve & modicum tempus.

Plures partes habet conclusio, eas tamen ad tres revocabimus. Prima erit: Non posse dari Ignorantiam Existentiæ DEI sive positivam sive negativam invincibilem, longiori vel toto vitæ tempore in hominibus quibuscunque, postquam ad usum rationis pervenerint. Secunda pars erit: Posse ad breve tempus dari ignorantiam existentiæ DEI invincibilem positivam. Tertia: Posse itidem ad breve tempus dari ignorantiam existentiæ DEI invincibilem negativam.

Probatur prima pars: Tum authoritate Scripturæ Job. 36. dicentis: *Omnes homines vident eum, & unusquisque intuetur procul.* Sapientiæ itèm 13. Ubi cùm dixisset Sapiens: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia DEI, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus ostendentes, agnoverunt, quis esset artifex?* Et, cum ejusmodi homines aliquantum excusâsset, subjungit statim: *Iterum autem nec his debet ignosci; si enim tantum potuerunt scire ut possent æstimare seculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Ad Romanos etiam 1. S. Paulus dicit: simpliciter homines inexcusabiles esse, quibus ex rebus creatis & visibilibus, non est perspecta Divinitas. Tum authoritate Patrum: Tertuliani in Apologetico cap. 17. & Cypriani de idolorum vanitate, dicentium: *Summa delicti est, nolle eum agnoscere, quem ignorare non possunt.* Augustini in illa verba: Joan. 17. *Pater manifestavi nomen tuum hominibus.* Sic loquentis: *Hæc est vis veræ Divinitatis, ut Creaturæ rationali, jam ratione utenti, non omnino nec penitùs possit abscondi.* Hieronymi in cap. 36. Jobi: *Quamvis aliquis tam pravus sit & frigidus, ut alienus esse studeat à Creatore suo DEO, nullus tamen est, qui se abscondat à calore ejus, & ideo unusquisque mortalium, licèt de longè, sentit & intelligit DEUM.* Gregorii lib. 27. Moralium cap. 3. *Omnis homo, eò ipso quòd rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit, DEUM esse.* Joan. Damasceni lib. 1. de fide. cap. 1. *Nemo est mortalium, cui non hoc ab eo* (Authore scilicet Naturæ) *naturaliter insitum sit, ut DEUM esse perspectum habeat.* Tum authoritate Tullii Ciceronis hominis Ethnici, lib. 1. de legibus dicentis: *Nulla gens est tam immansveta, neque tam ferrea, quæ licèt nesciat, qualem DEUM habere deceat, habendum tamen ignoret.* Et lib. 2. de Natura Deorum. *Quid tam apertum esse potest, támque perspicuum, cum cælum suspeximus, cæléstiáque contemplati sumus, quàm esse aliquod Numen præstantißimæ mentis, quo hæc regantur.* Tum à ratione. Nullus homo habens usum rationis sive longiore, sive toto vitæ tempore, potest in tanta cæcitate & in advertentia ad DEUM, existere. Nullus itèm potest habere tam fortè motivum dissensûs existentiæ DEI, ut illi non occurrant plura & longè potiora ac fortiora motiva persuadentia existentiam DEI, vel certè ut illi non occurrat dubium aliquod & rationes dubitandi, an non existat DEUS? ut itèm non veniat in mentem obligatio inquirendi veritatem, nè per ignorantiam veri Numinis, homo exponat se alicui gravi periculo, & præcipitet in aliqua magna incommoda. Ergo nullus homo toto vel longiori vitæ tempore potest aut itâ dissentiri existentiæ DEI, aut non assentiri eidem, ut non possit aut non teneatur removere dissensum existentiæ DEI, vel negationem assensûs, adeóque nullus homo usum rationis habens, toto vel longiori vitæ tempore potest habere ignorantiam invincibilem existentiæ DEI positivam, aut negativam. Antecedens probatur. In uno quoque hominum tum ex ipso naturæ instinctu, tum ex consideratione Creaturarum, tum ex infusione luminis supernaturalis, subinde exoriuntur aliquæ cogitationes circa DEUM, dubia etiam aliqua, an non sit quodpiam supremum Numen? Occurrit prætereа menti obligatio inquirendæ veritatis. Quos ipsos instinctus debere necessariò dari in uno quoque homine; ex eo ulteriùs probatur. Quia tales instinctus postulat & exigit ordinatio naturæ rationalis, Creatæ ad DEUM, tanquam ad suum finem ultimum. Si enim Res naturales ad suum centrum, naturali; & indita sibi ab Authore naturæ, inclinatione & tendentia feruntur: Homo, & quævis creatura rationalis debet pariter ferri rationali impulsu ad suum finem ultimum, scilicet DEUM. Ergo.

144. Probatur secunda pars: Quia potest aliquis homo præcipuè rudis ad modicum tempus, authoritate alicujus Athei docti negantis Existentiam DEI, quem aliàs veracem in pluribus experiretur, aut etiam motivis ab ipso propositis ità moveri, ut propter ejusmodi authoritatem, vel propter motiva ab Atheo proposita dissentiatur, Existentiæ DEI; potéstque hic dissensus prævenire cogitationes illas omnes de DEO, quibus ex naturæ instinctu pulsari solet animus; potest itèm prævenire cogitationem circa obligationem comparandæ perfectioris notitiæ de existentia DEI. Ergo potest dari invincibilis ignorantia positiva DEI ad modicum tempus. Consequentia patet ex definitione ignorantiæ invincibilis positivæ. Antecedens etiam quoad primam partem videtur certum. Quoad secundam probatur. Cogitationes de DEO pulsantes animum, etiamsi sint à natura debitæ, tamen non debent esse continuæ; sed possunt impediri aut interrumpi per alias cogitationes circa objecta creata & sensibilia. Sicut motus rerum naturalium corporearum, quo illæ naturali inclinatione feruntur ad suum centrum, potest impediri aut interrumpi posito aliquo obice. Præterea ejusmodi cogitationes non sunt statim debitæ homini in primo usu rationis. Cùm enim intellectus hominis connaturaliter debeat priùs occupari circa objecta creata & sensibilia, ut deinde per horum cogitationem deveniat in notitiam DEI; communiter in primo usu rationis occupatur circa objecta sensibilia, adeóque non habet statim cogitationes de DEO, sed illis pulsatur processu temporis. Ergo fieri potest, ut ante omnes tales cogitationes excitantes ad assensum Existentiæ DEI, detur in aliquo puero, usum rationis habere incipiente, viva & fortis apprehensio veracitatis alicujus Athei, ejúsque dictorum, ac motivorum ab ipso propositorum. Consequenter fieri potest, ut ille puer usum rationis habere incipiens, ante advertentiam ad motiva pro Existentia DEI, itèm ante advertentiam ad obligationem de inquirenda perfectiore notitia DEI, dissentiatur Existentiæ DEI, propter authoritatem Athei, vel propter motiva ab ipso proposita.

145. Probatur tertia pars. Potest quis per aliquod breve tempus ità occupari circa objecta creata sensibilia, eorúmque consideratione ità abripi, ut nulla cogitatio de DEO animum ejus pulset, nec veniat in mentem obligatio circa inquirendam perfectiorem notitiam DEI; quod maximè contingere potest, tum in iis qui educantur sinè ulla Parentum institutione, & traditione majorum, tum in hominibus ingenii hebetioris & tardioris. Sed in tali daretur ad aliquod breve tempus ignorantia DEI invincibilis negativa. Quia dareur carentia assensûs existentiæ DEI, quam ille, aut non posset amovere, ex hoc ipso, quòd animum ipsius non pulsaret ulla cogitatio de DEO, aut certè amovere non teneretur, ex eo, quòd non adverteret ad obligationem de comparanda notitia perfectiore DEI. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

Contra I. partem Conclusionis.

146. Objicitur & probatur, quòd longiori, aut etiam toto vitæ tempore possit dari invincibilis ignorantia DEI in hominibus ratione utentibus. *Primò*: Quia multi sunt, qui longiori vitæ tempore defactò ignorabant, aut etiam ignorant DEUM. Talis enim imprimis videtur fuisse ille insipiens de quo refert Scriptura, quòd dixerit in corde suo: Non est DEUS: Tales itèm sunt Athei negantes Existentiam DEI. Præterea, tales aliquando fuerunt Incolæ Brasiliæ, de quibus ex certa multorum relatione habetur, quòd antè adventum, in regnum illud Lusitanorum, nullam penitus de DEO notitiam habuerunt. Tales postremò fuerunt illi qui falsos Deos colebant, in his enim fuit ignorantia veri DEI.

147. *Secundò:* Cognitio DEI perfectior non potest haberi nisì per discursum demonstrativum existentiæ DEI ex creaturis. Sed talis discursus non habetur longiori etiam vitæ tempore ab hominibus rudibus & ingenii hebetioris. Ergo. Minor probatur. Quia hic discursus, per quem ex Creaturis deducitur Existentia DEI, cùm sit circa objectum à sensibus remotum, indiget magna consideratione, & reflexione, qualis haberi non potest à rudibus & ingenii hebetioris, qui res faciliores, facillimis etiam exemplis declaratas,

aut simpliciter non percipiunt, aut ægrè & imperfectè percipiunt.

148. *Tertiò:* Etiamsi notum esset, DEUM existere, adhuc tamen in rudibus potest esse invincibilis ignorantia hujus veritatis. Cùm etiam in Doctioribus possit dari invincibilis ignorantia propositionis notæ per se, ùt defactò habetur invincibilis ignorantia aliquorum axiomatum Mathematicorum. Ergo multò magis cùm non sit notum per se, DEUM existere, dabitur in rudibus saltèm longiori tempore invincibilis ignorantia Existentiæ DEI.

149. Etiamsi ex instinctu naturæ, cuique identidem suboriatur aliqua cogitatio perfectior DEI; dubium itèm, an DEUS non existat? ratione cujus cogitationis & dubii, possit vincere ignorantiam Existentiæ DEI, non cuivis tamen venit in mentem obligatio de comparanda perfectiore notitia DEI, nec quisque sufficienter agnoscit talem obligationem, ad eámque advertit, ità, ùt ratione hujus advertentiæ teneatur vincere ignorantiam existentiæ DEI. Sicut etiamsi alicui, visis arboribus, possit venire dubium, quomodo creverint illæ arbores; tamen non necessariò venit eidem in mentem, debere illum ulteriùs hujus rei indagare modum & causam. Ergo potest in aliquo dari ignorantia DEI invincibilis saltèm moraliter, seu non culpabilis.

Solvuntur eædem Objectiones.

150. Respondeo ad Primum, Negando Antecedens. Ad primam Instantiam dico, Insipientem illum, qui dixit in corde suo: Non est DEUS, habuisse ignorantiam vincibilem & culpabilem, ratione enim hujus suæ ignorantiæ, sequenti ejusdem Psalmi versu dicuntur abominabiles facti esse. Ad secundam Instantiam pariter dico: Etiam in Atheis ignorantiam positivam existentiæ DEI, esse vincibilem & culpabilem. Hi enim ut effrænatis animi sui appetitionibus indulgeant, lumini rationis manifestanti existentiam DEI, & dictamini conscientiæ proponenti obligationem, circa comparandam perfectiorem notitiam existentiæ DEI, rebelles, nolunt agnoscere, quem ignorare non possunt. Ad Tertiam Instantiam dico: Brasilios eatenus ignorâsse DEUM, quatenus ab illis nullus DEUS externè colebatur, quatenus itèm, suum judicium & sensum de existentia veri Numinis, nullo signo prodebant; fieri etiam potuit, quòd non habuerint positivum assensum existentiæ DEI. Hæc tamen ignorantia fuit in ipsis vincibilis & culpabilis. Necessariò enim etiam illi habebant aliquas cogitationes de DEO, habebant itèm dubium circa existentiam supremi Numinis, ac etiam advertentiam ad obligationem de comparanda plena & perfecta notitia existentiæ DEI, ùt patet ex dictis Num. 143. Ad quartam Instantiam dico, quòd etiam in his, qui falsos DEOS colebant, fuerit ignorantia vincibilis veri Numinis, imò dici potest, etiam illos habuisse notitiam veri Numinis, agnoscebant enim inter Numina, unum Supremum Numen, errabant verò circa unitatem DEI.

151. Ad Secundum Respondeo Cognitionem DEI plenam & perfectam, stantem in firmo assensu existentiæ DEI. haberi posse vel per discursum & demonstrationem existentiæ DEI, ex creaturis propositam in ea forma, in qua in Scholis proponi solet dum existentia hæc contra Atheos in Scholis demonstratur, vel posse haberi illam per judicium, quo DEI existentia ex creaturis deducitur per discursum facillimum, maximè obvium, & vix perceptibilem, sic v. g. explicabilem. Datur DEUS; quia datur conditor cæli & terræ, qui nullum sui habet principium. Licèt ergo non possint omnes maximè rudes & hebetiores, habere priorem cogitationem DEI, possunt tamen habere hanc alteram, adeóque per talem cognitionem possunt amovere ignorantiam DEI, ad eámque amovendam obligantur.

152. Ad Tertium Respondeo Negando Antecedens. Probationis nego consequentiam. Quia etiam in Doctioribus non debent dari dubia & cogitationes, quæ ipsos excitent ad investigandam veritatem aliquarum propositionum notarum per se, v. g. Axiomatum quorundam Mathematicorum. Nulla etiam est obligatio investigandi veritatem hujusmodi propositionum; adeóque nec advertentia debet dari ad talem obligationem. Nulla enim

nim ratio evincit debere dari tales cogitationes, obligationem, & advertentiam. E contra in omnibus hominibus etiam rudibus debent dari cogitationes excitantes ad inquirendam veritatem circa exiſtentiam DEI, datur etiam obligatio comparandi plenam notitiam exiſtentiæ DEI; debet inſuper dari advertentia, ad hanc obligationem. Quia tales cogitationes & advertentias poſtulat ordinatio creaturæ rationalis ad DEUM, tanquam ſuum finem ultimum.

153. Ad quartum Reſpondeo Negando itidem Antecedens, Paritati in Probationem adductæ Nego conſequentiam. Diſparitas eſt. Quia ex nullo capite, illi, cui venit in mentem dubium, quomodo creſcant arbores, debet immitti cogitatio de obligatione indagandæ ulteriùs veritatis. Ex nullo itèm capite datur talis obligatio. Eſt autem ratio propter quam, homini, cui venit in mentem dubium de exiſtentia DEI, debet immitti cogitatio de obligatione indagandæ veritatis circa dictam DEI exiſtentiam. Scilicet eſt hæc ratio: Quòd homo ſit ordinatus à natura ad DEUM tanquam ſuum finem, ídque eſt ordinatus ut creatura rationalis, & taliter, ut motu rationali feratur in DEUM, eum amando laudando, ejúſque præcepta ſervando. Quod certè præſtare non poſſet, ſi non haberet immiſſas ſibi non ſolùm cogitationes excitantes ad pleniorem DEI, ejúſque exiſtentiæ notitiam, ſed etiam cogitationes de obligatione indagandi ulteriùs veritatem circa DEUM.

Proponitur objectio contra 2. & 3. Partem.

154. Objicitur. Qui in primo inſtanti usûs rationis, non convertitur ad DEUM, per actum dilectionis ejuſdem, peccat mortaliter, ùt docet S. Thomas 1. ſecundæ Quæſt. 89. Art. 6. ad tertium. Ergo in primo inſtanti usûs rationis, ignorantia DEI dari non poteſt. Si enim hæc tunc daretur, omiſſione actûs dilectionis DEI, non peccaretur. Omiſſione enim actûs dilectionis objecti, quod ignoratur invincibiliter peccari non poteſt.

Reſpondetur ad eandem Objectionem.

155. Nego Antecedens. Ad authoritatem S. Thomæ dico: S. Doctorem intelligi debere eo ſenſu; quòd puer peccet mortaliter, ſi ſe non convertat ad DEUM, per actum dilectionis DEI in primo inſtanti usûs rationis, quem haberet circa DEUM, & per quem tali puero proponeretur obligatio gravis inquirendæ veritatis circa Exiſtentiam DEI; gravis itèm obligatio eliciendi ſtatim tunc actum dilectionis DEI. Non debet verò intelligi S. Doctor eô ſenſu; quòd puer, dum primò habet uſum rationis circa objecta creata, peccet mortaliter, ſi non convertat ſe ad DEUM, per actum dilectionis ipſius. Ad hoc enim ut peccet tali omiſſione requiritur dubium aliquod circa exiſtentiam DEI, requiritur itèm advertentia plena ad obligationem inquirendi veritatem, & ad obligationem, inventa veritate, diligendi DEUM. Requiritur tertiò, ut per advertentiam ejuſmodi proponatur non qualiſcunque obligatio, ſed ut proponatur obligatio gravis. Quæ omnia in puero non ponuntur, nec in primo inſtanti cujuſcunque usûs rationis poſſunt poni poſſibilitate ſaltèm morali.



DI-

DISPUTATIO II.

De Simplicitate & Indivisibilitate DEI.

1. DEUM esse Ens simplicissimum exclusivum omnis compositionis constat tum ex demonstratione simplicitatis Divinæ adducta Num. 58. Disp. 1. tum etiam ex definitione Concilii Lateranensis sub Innocentio III. cap. firmiter definientis: *Naturam Divinam esse simplicem omnino.* Hoc tanquam certo & indubitato apud omnes Catholicos præsupposito, inquiri ulteriùs solet: An cum summa simplicitate DEI possit componi aliqua Distinctio objectiva, vel Distinctio Rationis, sive Perfectionum Divinarum absolutarum, inter se & ab essentia; sive Perfectionum relativarum, aut Personalitatum à Natura Divina. Id ipsum etiam à me inquiretur præsenti Disputatione in duas Quæstiones divisa, quarum Prima inquiret: an aliqua Distinctio sive objectiva, quæ nimirum sit ante omnem actum intellectûs, sive Rationis, admittenda sit inter essentiam DEI & attributa, ac inter hæc invicem. Secunda inquiret: an inter Essentiam Divinam & inter prædicata Divina Relativa, seu Personalitates, à se invicem realiter distinctas, detur aliqua Distinctio, & qualis illa sit?

QUÆSTIO I.

An aliqua Distinctio Objectiva, sive Rationis admittenda sit inter Essentiam & Attributa DEI, ac inter hæc ad invicem?

PUNCTUM I.

An aliqua Distinctione Objectiva, Attributa distinguantur ab Essentia DEI, & à se invicem?

2. Præmitto primò. Per Distinctionem Objectivam intelligi distinctionem independentem à nostris conceptibus. Seu Distinctionem quæ sit nemine cogitante, & præsupponatur ante omnem actum intellectûs. Hujus Distinctionis a Doctoribus tres communiter species assignantur. Prima est Distinctio realis simpliciter, seu realis rigorosa, quæ est inter rem & rem. Sub qua specie distinctionis venit tam distinctio realis adæquata, quàm Distinctio realis, inadæquata. Venit itèm tam Distinctio realis, quæ est inter duo Entia rata & fixa, quàm Distinctio realis modalis, quæ est inter modum & modificatum. Secunda species Distinctionis, quæ fit nemine cogitante est Distinctio formalis ex natura rei; quam alii distinctionem realem, secundùm quid, seu diminutam; alii Distinctionem realem non rigorosam appellant. Distinctio hæc ab Authoribus, qui illam admittunt dicitur esse ante omnem actum Intellectûs inter formalitates, uni eidémque Entitati realiter adæquatè indentificatas, ac definitur esse Aleitas nemine cogitante formalitatum, uni eidémque enti realiter identificatarum. Per formalitates verò ipsas, intelligunt prædicata seu rationes quaspiam unius ejusdémque entis, ab eo realiter indistinctas, diversimodè definibiles & conceptibiles. Tertia species Distinctionis objectivæ est Distinctio Virtualis, ratione cujus, una eadémque entitas æquivalet pluribus distinctis; quæ æquivalentia, si fuerit in ordine ad verificanda contradictoria de una eadem realiter adæquatè entitate: dici solet Distinctio Virtualis Intrinseca. Si autem sit æquivalentia nonnisi ad diversos effectus, in ordine itèm ad diversos conceptus, quibus potest concipi tota illa Entitas, relatè modò ad hæc, modò ad illa connotata dicitur Distinctio Virtualis extrinseca.

3. Præmitto secundò. Certum esse non solùm ex fide, sed etiam ex ratione, Attributa Divina, tum à se invicem, tum ab Essentia non distingui realiter, seu distinctione reali rigorosa. Certum id imprimìs

primis ex fide. Quia definitum est in Concilio Rhemensi contra Gilbertum; Divinitatem, Sapientiam, Magnitudinem, Æternitatem, Unitatem DEI, esse ipsum DEUM dum dicitur in symbolo: *Sicubi dicitur Dominum Sapientia sapientem, Magnitudine magnum, Divinitate DEUM, & alia hujusmodi, credimus nonnisi ea Sapientia, quæ est ipse DEUS sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quæ est ipse DEUS, magnum esse: nonnisi ea æternitate, quæ est ipse DEUS, æternum esse; nonnisi ea unitate unum quæ est ipse DEUS; nonnisi ea Divinitate DEUM, quæ est ipse DEUS, Id est: se ipso Sapientem, magnum, æternum, unum DEUM.* Idipsum colligitur ex communi consensu Patrum: Dionysii de Divinis nominibus cap. 3. dicentis: *Unus DEUS est: quia omnia unicè est secundùm unam eminentiam Unitatis.* Augustini lib 15. de Trinitate. *Non est aliud sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse.* Anselmi cap. 16. Monologii. *Idem igitur est quodlibet illorum unum, quod omnia sunt simul, sive singula, & cùm dicitur justitia vel essentia, unum significat.* Richardi à S. Victore lib. 1. cap. 18. *DEI sapientia, & DEI potentia, unum idèmque sunt per omnia.* Certum etiam idem est ex Ratione. Si enim Attributa DEI distinguerentur tum ab essentia, tum à se invicem, DEUS non esset Ens simplicissimum; esset enim Ens compositum ex pluribus realiter distinctis. Sicut Creaturæ, in quibus essentia & proprietates realiter distinguuntur, sunt entia composita. Sed DEUS est Ens simplicissimum. Ergo. His præmissis & præsuppositis.

4. Punctum præsens procedit de Distinctione formali ex natura rei, & de Distinctione Virtuali, illáque potissimum Intrinseca, & inquiritur: an alterutra ex his distinctione distinguantur attributa, hoc est prædicata DEI absoluta necessaria, sive à se invicem, sive ab Essentia. Inquiritur inquam de distinctione prædicatorum DEI necessariorum. De distinctione enim prædicatorum DEI liberorum (qualia prædicata sunt, actus DEI liberi, quibus DEUS vult rerum creatarum existentiam vel non existentiam, quibus itèm cognoscit futura libera, sive conditionata sive Absoluta) erit alius agendi locus. Circa hanc controversiam diversæ sunt Authorum Sententiæ. Prima Sententia est Scoti in primum Distin. 8. Quæst. 4. docentis, Attributa DEI tum à se in invicem tum ab Essentia distingui formaliter ex natura rei. Scotum sequitur tanquam suum Magistrum, tota Schola subtilis, Rubione excepto. Secunda sententia est Durandi, Richardi, Capreoli, Sylvii, aliorúmque communiter Thomistarum, & è nostris plurium, docentium, Attributa DEI, tum à se invicem, tum ab Essentia distingui virtualiter, seu distinctione virtuali Intrinseca, ex vi cujus, possint de Essentia & Attributis realiter adæquatè identificatis, verificari prædicata contradictoria. Tertia Sententia est: Occam, Gabrielis, Gregorii Aliacensis, Aurelii & è nostris Recentiorum, magis communiter docentium, Essentiam Divinam ab Attributis, & hæc à se invicem non distingui ulla distinctione, sive formali ex natura rei, sive virtuali Intrinseca, sed ad summum distingui distinctione virtuali Extrinseca.

§. I.

Inter Essentiam, & Attributa DEI, an detur Distinctio formalis ex natura rei?

5. Dicendum est: Attributa Divina, seu prædicata absoluta necessaria DEI, neque à se invicem, neque ab Essentia distingui Distinctione formali ex natura rei.

Probatur primò Conclusio ab authoritate Concilii Rhemensis. Secundùm hoc Concilium, nullæ sunt in DEO formalitates, quæ sint ab æterno, & non sit ipse DEUS. Dicitur enim in symbolo hujus Concilii conscripto à D. Bernardo, & subscripto à Patribus, ac approbato ab Eugenio Papa, ùt refert Baronius ex Ottone Frisigensi: *Credimus, nullas omnino res sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates, vel alia hujusmodi adesse DEO, quæ sint ab æterno, & non sint ipse DEUS.* Ubi per alia hujusmodi, videntur venire formalitates. Sed si attributa Divina à se invicem, & ab Essentia, distinguerentur formaliter ex natura rei, tunc aliquæ formalitates essent in DEO, quæ essent ab æterno, & non essent ipse DEUS. Attributa enim DEI, secundùm Scotistas sunt formalitates, quæ adsunt DEO, & sunt ab æterno, simul tamen

tamen non sunt DEUS. Quia non sunt Essentia, quæ formaliter est DEUS. Ab hac siquidem distingvuntur formaliter ex natura rei; quæ distinctio est ratio formalis, ex vi cujus unum ex distinctis non est aliud.

6. Neque valet, si dicatur, in adducto Concilii textu solùm asseri nullas formalitates adesse DEO, quæ sint ab æterno, & non sint realiter ipse DEUS; non asseri autem, quòd nullæ DEO adsint formalitates, quæ sint ab æterno, & non sint formaliter ex natura rei DEUS. Non valet, inquam, dicere. Tum quia adducto textu simpliciter, & irrestrictè negantur adesse DEO formalitates æternæ, quæ non sint DEUS. Ergo negantur tam illæ, quæ non sunt realiter DEUS, quàm illæ, quæ non sunt formaliter ex natura rei DEUS. Cùm negatio præfixa termino communi, & irrestricto neget eundem, secundùm totam suam amplitudinem. Tum quia dicto textu negantur formalitates, quæ eo modo non sunt DEUS, quo modo ex suo conceptu deberent non esse DEUS, formalitates autem ex natura rei tales secundùm Scotistas, ex suo conceptu solùm formaliter ex natura rei, debent non esse DEUS. Quia hæ à DEO solùm distingvuntur formaliter ex natura rei. Ergo. Tum quia, hoc textu, ùt asseritur, negantur formalitates in DEO, quæ sint æternæ, & non sint realiter DEUS. Ergo negantur & formalitates, quæ sint æternæ, & non sint formaliter ex natura rei DEUS. Formalitatem enim aliquam, non esse formaliter DEUM, est eandem non esse realiter DEUM. Cùm distingui formaliter ex natura rei aliqua extrema, sit illa distingui realiter, ùt passim contra Scotistas probatur à plerisque Philosophis.

7. Probatur secundò. Ab Authoritate Concilii Lateranensis, quod cap. 1. de summa Trinitate dicit: *DEUS æternus, immensus, incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis Pater, & Filius, & Spiritus S. tres quidem Personæ, sed est essentia, substantia, & natura, omnino simplex.* Sed si inter Essentiam, & Attributa DEI, ac inter hæc ad invicem daretur distinctio formalis ex natura rei, DEUS æternus, immensus, &c. non esset una essentia, substantia, seu natura omnino simplex. Ergo. Minor probatur. Tum quia, admissa distinctione formali ex natura rei inter Essentiam, & Attributa, ac inter hæc ad invicem, Essentia, substantia, seu natura Divina, non habet omnimodam simplicitatem. De ratione enim omnimodæ simplicitatis est, esse omnimodam unitatem, si enim de ratione simplicitatis, ùt sic, est, esse unitatem. Cùm simplicitas definiatur esse unitas compositionis expers. De ratione simplicitatis omnimodæ est, esse unitatem omnimodam. Quod ipsum clarè expressit S. Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 7. *Tam simplex DEUS est, quàm unus est. Est autem unus, & quomodo aliud nihil, si dici possit, unissimus est.* Sed admissa Distinctione formali ex natura rei Attributorum DEI ab Essentia, & eorundem inter se, non est omnimoda unitas substantiæ, seu naturæ Divinæ. Quia solùm est unitas realis, non est autem unitas formalis ex natura rei. Certè omnimoda unitas, non potest stare cum ulla multiplicitate actuali, nem. cog. quæ multiplicitas invehitur per distinctionem formalem ex natura rei, quia invehitur alietas formalitatum, & attributorum. Ergo admissa dicta distinctione, non est omnimoda simplicitas substantiæ, seu naturæ divinæ. Tum quia simplicitas, quâ major, & perfectior cogitari potest, non est omnimoda simplicitas. Sed admissa distinctione formali ex natura rei inter Essentiam, & Attributa DEI, simplicitas Naturæ, & Substantiæ DEI, est talis, quâ major cogitari potest. Major enim simplicitas cogitatur, quæ nullam compatitur distinctionem etiam formalem ex natura rei. Certè simplicior esset natura illa, in qua Attributa ab Essentia, & à se invicem non distinguerentur etiam formaliter ex natura rei. Tum quia, admissa distinctione formali ex natura rei inter Essentiam, & Attributa Divina, DEUS æternus, immensus, cum aliisque attributis sumptus, non est substantia, & natura ità simplex, sicut est simplex quodcunque attributum, secundùm se, hoc est, prout distinctum formaliter ex natura rei ab aliis attributis, sed quodvis illorum, longè est simplicius, quàm Essentia, & Substantia, seu Natura DEI, prout hæc sumitur Theologicè, hoc est, prout dicit Essentiam Metaphysicam DEI, & omnia collectivè Attributa, seu prædicata absoluta necessaria. Ergo.

8. Neque valet respondere cum Scotistis Naturam Divinam admissa Distinctione formali ex natura rei inter Essentiam, & attributa, adhuc esse simplicem omnino, ex eo, quòd inter prædicata illa, quæ distingvuntur formaliter ex natura rei, nulla sit compositio. Quod itèm illa, quæ distingvuntur formaliter ex natura rei, non comparentur ad invicem; ùt actus & potentia. Non valet, inquam. Tum quia de ratione omnimodæ simplicitatis est, omnimoda unitas incomponibilis cũ quavis multiplicitate. Supposita verò Distinctione formali ex natura rei, non est omnimoda unitas incomponibilis cum quavis multiplicitate, ùt ostensum est. Tum quia, si illa essent simplicia, quæ ità pluribus constant, ùt illa plura non comparentur ad se, ùt actus, & potentia, tunc acervus lapidum, Exercitus, & quævis tota per aggregationem essent Entia simplicia. Plura enim illa, quibus constant, non comparantur ad se ùt actus, & potentia. Tum quia Essentia Metaphysica, & Attributa DEI, si distinguuntur formaliter ex natura rei, comparantur ad se ùt actus, & potentia. Nam Essentia DEI formaliter sumpta, seu esse DEI, habet se ùt potentia; jam verò Sapientia, Bonitas, Æternitas, Omnipotentia, habent se ùt actus: tribuunt enim DEO secundùm Essentiam sumpto denominationem Sapientis, Boni, Æterni, Omnipotentis. Ergo.

9. Probatur tertiò. Ab Authoritate Patrum. In DEO, ejúsque substantia, & natura, non est aliud Sapientia, & Essentia. Non est itèm aliud Beatum esse, & aliud Magnum esse, aut Sapientem, aut Verum, aut Bonum esse, aut omnino Ipsum esse, ùt docet S. Augustinus lib. 6. de Trinitate c 5.6.7.9. lib. etiam 7. & lib. 15. cap. 5. Sed admissa Distinctione formali ex natura rei, inter Essentiam, & Attributa, aliud est Sapientia, & Essentia; aliud itèm est Magnum esse, aliud Beatum esse, aliud Sapientem esse. Scilicet est aliud formaliter ex natura rei. Ergo in DEO, ejúsque natura non est admittenda Distinctio formalis ex natura rei. Et iterum, *DEUS hoc ipso est, quo sapiens est, & non alio Magnus, alio DEUS, sed eô Magnus, quô DEUS,* ùt docet S. Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 1. Et in Quæstiunculis de Trinitate. *Eo ipso, quô est, vivit, & eô, quô intelligit, potest; & eô, quô potest, est.* Sed admissa Distinctione formali ex natura rei, non eo ipso est, quô Sapiens est, nec eo ipso Magnus, quô DEUS. Secundùm Scotistas enim, per aliam rationem, formalem, seu formalitatem DEUS est, & per aliam Sapiens est, per aliam itèm Magnus est, per aliam potens est. Ergo hæc distinctio non est admittenda. Rursus secundùm Boëtium, & secundùm D. Bernardum; in DEO, ejúsque substantia, & natura, nullus est numerus. Dicit enim Boëtius relatus à S. Bernardo lib. 5. de consideratione cap. 7. *Hoc verè unum, in quo nullus est numerus, & nullum in eo aliud præter id, quod est.* Addit ulteriùs idem S. Bernardus. *DEUS tam non habet hoc, & illud, quàm non hæc, & illa; Purus, Simplex non habet, quod ad numerum dividat, non, quæ colligat ad unum.* Nulla itèm in eadem Natura Divina est diversitas; ùt docet Nissenus lib. ad Ablahium ad finem, ubi dicit: *Omnem circa Essentiam diversitatem rejicit Divina simplex, & variationis inscia Natura.* Sed admissa Distinctione formali ex natura rei, inter Essentiam, & Attributa DEI, in DEO, ejúsque Natura, est aliquis numerus, est aliqua diversitas, est hoc, & illud, sunt hæc & illa; DEUS ità est simplex, ut ad numerum dividat, & colligat ad unum. Nimirum in DEO est Numerus attributorum nem. cog. formaliter ex natura rei distinctorum, est diversitas formalis, attributa per distinctionem formalem, ad numerum dividuntur, & sic divisa per identitatem realem colliguntur in unum, hoc est in unam entitatem realem. Ergo. Tandem substantia DEI est idem omnino, quod Sapientia DEI, Sapientia etiam, & Omnipotentia sunt unum idémque per omnia, ùt docet Richardus à S. Victore lib. 2. de Trinitate cap. 1., dicit enim: *Ipsa primordialis Substantia, idem omnino, quod summa Sapientia est.* & cap. 18. *DEI Sapientia, & DEI Omnipotentia unum idémque sunt per omnia.* Ergo inter attibuta, & Essentiam Divinam non est distinctio formalis ex natura rei. Siquidem hac admissâ, Substantia DEI, & Sapientia non sunt idem omnino, Sapientia, & Omnipotentia non sunt idem per omnia. Quia non sunt idem formaliter ex natura rei, seu in sensu formali, atque unitate, & identitate exclusiva distinctionis formalis ex natura rei.

10. Probatur deinde Rationibus: prima

ma eſt. DEUM eſſe Juſtum, Sapientem, Omnipotentem, taliter, ut eſſe Juſti, Sapientis, Omnipotentis, &c. diſtingvantur formaliter ex natura rei, eſt aut contra, aut ſupra lumen rationis. Sed DEUM eſſe Juſtum, ſapientem, Omnipotentem, &c. neque eſt ſupra, neque contra lumen rationis. Ergo DEUM eſſe Juſtum, Sapientem, Omnipotentem, non eſt taliter hæc prædicata habere, ut à ſe diſtinguantur formaliter ex natura rei. Minor patet, & conceditur à Scotiſtis. Alioquin DEUM eſſe Juſtum, Sapientem, eſſet aut chimæricum, & impoſſibile, aut eſſet myſterium tale, quale eſt eſſe DEUM unum in Eſſentia, trinum in perſonis. Nec eſſe Juſtum, Sapientem, &c. lumine rationis deduci, & demonſtrari poſſet. Major probatur. Verificari prædicata contradictoria de prædicatis abſolutis, & neceſſariis DEI, puta de eſſe Juſti, Sapientis, Omnipotentis, eſt aut contra, aut ſupra lumen rationis. Quia identificari ſecum realiter prædicata Contradictoria, nimirum, eſſe identificari ſuo non eſſe, & non eſſe, identificari ipſi ſuo eſſe, eſt aut contra, aut ſupra lumen rationis. Item eſſe, & non eſſe ejuſdem, non opponi ſibi maximè, nec ſe maximè excludere, ſed potiùs rem eſſe per ſuum non eſſe, & viciſſim eandem rem non eſſe per ipſum ſuum eſſe, in unámque realiter Entitatem componi per identitatem realem, & coadunari hujuſmodi prædicata, aut eſt contra lumen, aut ſupra lumen rationis. Quia eſt contra, aut ſupra illud Principium, lumine naturæ notum. Impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe. Porrò verificari prædicata contradictoria de identificatis realiter, eſt illa identificari cum iiſdem, & per conſequens, ſecum ipſis. Fundamentum ſiquidem verificationis prædicati de ſubjecto, eſt identitas talis prædicati cum ſubjecto. Sed diſtingui formaliter ex natura rei prædicata DEI abſoluta, Juſti, Sapientis, Omnipotentis, eſt de his verificari prædicata contradictoria. Diſtinctio enim formalis ex natura rei, facit, ut de prædicatis realiter identificatis verificentur prædicata contradictoria. Nimirum facit: quòd Miſericordia DEI miſereatur impio, Juſtitia DEI non miſereatur impio. Ergo

11. Secunda ratio eſt. Diſtinctio formalis ex natura rei inter Eſſentiam DEI, & attributa repugnat ſummæ perfectioni DEI. Tum quia admiſſa hac Diſtinctione inter Eſſentiam, & attributa DEI, DEUS non eſt Ens, quo melius, & perfectius eſſe, & concipi non poteſt. Quia non eſt tale Ens, in quo non ſolùm per identitatem realem, omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices ſint collectæ in unam realem entitatem, ſed etiam per identitatem formalem in unam, eandémque rationem formalem objectivam, ſeu formalitatem nem. cog. talem. Quale certè Ens eſt longè perfectius, & melius illo Ente, in quo perfectiones, per diſtinctionem formalem ex natura rei, eſſent diſperſæ, & diviſæ in plures nem. cog. formalitates. Sicut ens, in quo omnes eædem perfectiones per identitatem realem ſunt collectæ in unam ſimplicem entitatem realem, eſt melius, & perfectius illo ente, in quo per diſtinctionem realem perfectiones ſimpliciter ſimplices eſſent diſperſæ, & diviſæ in plures realitates. Ergo. Tum quia admiſſa Diſtinctione formali ex natura rei, DEUS, ejúſque attributa, non eſt Ens carens omni defectu. Cùm enim non careat formalitatibus diſtinctis formaliter ex natura rei, non caret omni defectu. Siquidem unaquæque formalitas, ùt diſtincta formaliter ab aliis, dicit defectum. Quia dicit negationem formalem, & non eſſe formale alterius formalitatis; ratione cujus negationis una formalitas non eſt alia, ſeu non eſt identificata formaliter ex natura rei cum alia. Conſequenter cùm alia formalitas ſit perfectio, una formalitas dicit negationem formalem, ſeu non eſſe formale perfectionis alicujus, adeóque dicit defectum.

12. Tertia Ratio eſt. Quia nulla eſt neceſſitas, & nullum fundamentum admittendæ Diſtinctionis formalis, ex natura rei inter Eſſentiam, & attributa DEI. Si enim eſſet aliqua neceſſitas; eſſet vel ratione verificationis prædicatorum contradictoriorum de Eſſentia, & attributis; vel ex eo, quòd Eſſentiæ, & attributis conveniant diverſæ definibilitates; vel quòd inter prædicata neceſſaria abſoluta DEI ſit aliquis ordo prioris, & poſterioris, vel certè, quòd unum attributum ſit reperibile ſinè alio. Atqui non eſt ulla ex his neceſſitas admittendæ Diſtinctionis formalis ex natura rei inter attributa Divina. Ergo. Ac imprimis; Non eſt neceſſitas

hujus Distinctionis ex verificatione prædicatorum contradictoriorum de Essentia, & attributis. Quia hoc ipsum, quòd aliqua contradictoria verificentur de Essentia, & attributis Divinis, nemine cogitante spectatis, non nititur firmo fundamento. Ad summum, si quæ contradictoria dicuntur de Essentia, & attributis, verificantur illa de Essentia, & attributis, prout substant diversis nostris conceptibus. Sicut dici pariter potest verificari contradictoria de gradibus unius, ejusdémque Attributi, non prout sunt diversi nemine cogitante. Hi enim gradus secundùm Scotistas non distingvuntur formaliter ex natura rei, sed verificantur contradictoria de gradibus, prout substant nostris diversis conceptibus. v. g. de potentia productiva leonis, & de potentia productiva hominis. Ergo. Secundò. Non est necessitas distinctionis formalis ex natura rei ratione diversæ definibilitatis. Quia hæc diversa definibilitas per hoc sufficienter explicatur, quòd tota Entitas DEI cognoscatur relatè modò ad hæc, modò ad illa connotata. v. g. modò per ordinem ad actus miserendi, atque hoc modo cognita, dicatur Misericordia; modò per ordinem ad actus puniendi, & taliter cognita, dicatur Justitia vindicativa. Talis enim explicatio diversæ definibilitatis prædicatorum identificatorum, est magis accommodata captui, & conformior Principiis lumine naturæ notis. Alia verò explicatio diversæ definibilitatis, secundùm quam diversa definibilitas est fundamentum distinctionis formalis ex natura rei, præterquam quòd non congruat primis principiis, non est præterea facilè perceptibilis, nec innititur solidæ rationi, & fundamento. Tertiò. Non est necessitas distinctionis formalis ex natura rei inter Essentiam DEI, & attibuta, ut defendatur, & salvetur ordo prioris, & posterioris inter Essentiam, & attributa. Tum quia ex parte Objecti, & nemine cogitante non datur ullus ordo prioris, & posterioris inter Essentiam, & attributa, sed ad summum est ordo prioris, & posterioris, ex modo nostro imperfecto cognoscendi, quatenus prædicata DEI cognoscuntur ad instar perfectionum creatarum, inter quas datur ordo prioris & posterioris. Ergo. Tum quia, si daretur ordo prioris, & posterioris inter Essentiam, & attributa, deberet ille inferre distinctionem realem rigorosam. Cùm nihil se ipso realiter sumpto, & in sensu reali rigoroso, possit esse prius. Deinde hic ordo prioris, & posterioris deberet esse ordo producentis, & producti; sed hic ordo in Divinis infert distinctionem realem rigorosam, non verò formalem. Ergo, & ordo prioris, & posterioris inter Essentiam, & attributa deberet inferre distinctionem realem, & non formalem. Tum quia, si ordo prioris, & posterioris daretur inter prædicata DEI absoluta, & necessaria, daretur hic ordo inter cognitionem DEI necessariam, & amorem DEI necessarium. Sed inter hæc non datur dictus ordo, nec infert distinctionem formalem. In tantum enim daretur talis ordo, & inferret distinctionem formalem, in quantum vera esset hæc causalis: Ideo DEUS amat se ipsum, quia cognoscit se ipsum. Ex veritate autem hujus causalis, non arguitur ordo prioris, & posterioris, inferens distinctionem formalem. Imprimis enim ex veritate dictæ causalis deberet argui ordo realis rigorosus, & non ordo formalis ex natura rei. Quemadmodum ex veritate similis causalis in creatis, arguitur, & infertur ordo realis. Ut cùm dicitur: ideo Petrus amat objectum, quia illud cognoscit. Deinde ex veritate hujus causalis, Petrus vult medicinam, quia vult sanitatem, non bene arguitur, volitionem sanitatis esse priorem volitione medicinæ: cum unico actu Petrus utrumque possit velle. Ergo neque ex veritate illius causalis; DEUS amat se ipsum, quia cognoscit se ipsum, bene arguitur ordo prioris, & posterioris, qui sit nemine cogitante inter cognitionem, & Amorem Divinum sui ipsius. Per hanc ergo causalem hoc nonnisì exprimitur, quòd DEUS non amet objectum, nisì quod cognoscit, quamvìs è contra cognoscat aliqua, quæ non amat. Quia peccatum cognoscit, & non amat. Postremò, non est necessitas distinctionis formalis ex natura rei inter Essentiam, & attributa Divina, ratione reperibilitatis diversæ. Nulla enim ratione attributum, quod defacto realiter identificatur DEO, est alicubi reperibile extra DEUM. Quòd si autem est reperibilis aliqua perfectio, tali attributo aliquo modo licèt valde imperfecto similis, ab eodem attributo realiter adæquatè

quatè diſtincta; Ex reperibilitate hujuſmodi, non video, qua ratione deduci poteſt, diſtinctio formalis ex natura rei, unius attributi ab alio. Sicuti ex reperibilitate ſimili unius gradûs attributi ſinè alio, non bene deducitur Diſtinctio formalis ex natura rei, unius talis gradûs ab alio.

Prætereo alias rationes, quibus impugnari ſolet hæc Diſtinctio.

§. II.

An inter Eſſentiam, & Attributa DEI detur Diſtinctio Virtualis?

13. Dicendum eſt *Primò*. Attributa Divina, ſive prædicata DEI abſoluta neceſſaria, nec à ſe invicem, nec ab Eſſentia diſtingui Diſtinctione Virtuali intrinſeca, ſive illa, quæ ſit in ordine ad verificanda Contradictoria Phyſica, & *Primò* intentionalia, ſive illa, quæ ſit in ordine ad verificanda Contradictoria Logica, & *Secundò* intentionalia.

Probatur. Inter Eſſentiam, & Attributa DEI, non datur, nec poteſt dari Diſtinctio formalis ex natura rei. Ergo etiam non datur nec poteſt dari inter eandem Eſſentiam, & Attributa Diſtinctio Virtualis intrinſeca. Conſequentia probatur, Tum quia Diſtinctio Virtualis intrinſeca, & Diſtinctio formalis ex natura rei, ſola voce, & diverſo Nomine differunt, non differunt verò re ipſa, & ex parte objecti. Sicut enim Diſtinctio formalis ex natura rei hoc præſtat, ut poſſint verificari Contradictoria de identificatis realiter; ità id ipſum præſtat Diſtinctio Virtualis intrinſeca; imò in hunc finem admittitur, ut ratione illius, de identificatis realiter verificentur contradictoria. Sicut itèm Diſtinctio formalis ex natura rei, hoc præſtat, ut intrà eandem indiviſibilem realiter Entitatem ſit aliud, & aliud, alia, & alia nemine cogitante ratio formalis; ità hoc ipſum præſtat, debétque præſtare Diſtinctio Virtualis intrinſeca. Quia de alio prædicato debet verificari unum Contradictorium, & de alio alterum Contradictorium. Quodſi inter dinſtictionem formalem, & inter diſtinctionem Virtualem intrinſecam eſt, & aſſignatur aliqua differentia, tamen in ea ratione, ex qua non datur, nec poteſt dari Diſtinctio formalis ex natura rei, nulla eſt differentia. Tum quia ex eo non datur, nec dari poteſt Diſtinctio formalis ex Natura rei inter Eſſentiam, & Attributa DEI. Quia tali Diſtinctione admiſſa, ſequitur *Primò* dari in DEO aliquid tale, quocunque demum id nomine appelletur, quòd ſit ab æterno, non ſit tamen nem. cog. in aliquo vero ſenſu DEUS. Sequitur *Secundò*: DEUM non eſſe omnino ſimplicem, & perfectiſſimum. Sequitur *Tertiò*: in DEO dari verè nem. cog. aliud, & aliud. *Quartò* ſequitur: quòd DEUS ſit Juſtus, Omnipotens, Æternus, &c. eſſe, id vel contra, vel ſupra lumen rationis. Hæc enim prædicata non aliter conveniunt DEO, niſi taliter, ut diſtinguantur nem. cog. à ſe; adeóque ità, ut de illis verificentur Contradictoria. Jam autem Contradictoria verificari de identificatis realiter, eſt aut contra, aut ſupra lumen rationis. Tandem Sequitur. Quia talis Diſtinctio in DEO adſtruitur ſinè juſto, & ſufficienti fundamento. Atque etiam admiſſa Diſtinctione Virtuali intrinſeca, omnia hæc ſequuntur, & verificantur de Eſſentia, & Attributis DEI. Ergo.

14. Reſpondetur. Inter Diſtinctionem formalem ex natura rei, & inter Diſtinctionem Virtualem intrinſecam eſſe magnam differentiam. Diſtinctio enim formalis ex Natura rei, eſt diſtinctio actualis, diſtinctio vera, & propria: Diſtinctio autem Virtualis intrinſeca, non eſt diſtinctio actualis, nec diſtinctio vera, & propria, ſed ſolùm eſt diſtinctio impropriè talis, & umbra diſtinctionis; conſequenter ratione Diſtinctionis Virtualis in una eadémque realiter Entitate, non ſunt plures formalitates, ſed eſt uniciſſima Entitas æquivalens pluribus in ordine ad verificanda Contradictoria. Quâ differentiâ poſitâ, licèt inter Eſſentiam, & Attributa, non poſſit admitti Diſtinctio formalis ex Natura rei, poterit tamen admitti Diſtinctio Virtualis intrinſeca.

Contra hanc reſponſionem eſt *Primò*. Admiſſa hac differentiâ, quæ affertur inter Diſtinctionem formalem ex natura rei, & inter Diſtinctionem Virtualem intrinſecam. Utraque hæc diſtinctio in eo adhuc convenit, quòd tam vi hujus, quàm vi illius diſtinctionis, de identificatis realiter poſſint verificari prædicata Contradictoria. Ergo cùm propter verificatio-nem

nem Contradictoriorum de Eſſentia, & Attributis repugnet Diſtinctio formalis ex natura rei, propter eandem repugnabit Diſtinctio Virtualis intrinſeca. Contrà eſt *Secundò*. Etiam Diſtinctio Virtualis Intrinſeca, eſt diſtinctio vera, & propria Actualis. Ergo. Antecedens probatur. Diſtinctio Virtualis intrinſeca, eſt diſtinctio, vi cujus de identificatis realiter verificantur prædicata Contradictoria. Sed talis diſtinctio, eſt diſtinctio actualis vera, & propria. Talis enim debet eſſe diſtinctio illa ratione, cujus tum ipſa prædicata Contradictoria, tum illa de quibus hæc verificantur, diſtingui debent. Cùm implicet contradictoria non diſtingui actu verè, & propriè. Quia implicat Contradictoria non opponi ſecum actu, non excludere ſe actu, non pugnare ſecum actu verè, & propriè. Contrà eſt *Tertiò*. Vi cujus Diſtinctionis Juſtitia, & Miſericordia DEI ſunt aliud, & aliud actu verè, & propriè, illa Diſtinctio eſt actualis vera, & propria. Sed vi Diſtinctionis Virtualis intrinſecæ Juſtitia, & Miſericordia DEI ſunt aliud, & aliud actu verè, & propriè. Quia Juſtitia aliud actu verificat prædicatum, & aliud actu verificat Miſericordia; Juſtitia actu verificat, quòd non miſereatur impio, Miſericordia verificat, quòd miſereatur impio. Ergo per aliud actu eſſe, tam hæc, quàm illa verificat ſua prædicata. Contrà eſt *Quartò*. Si Diſtinctio Virtualis intrinſeca, non eſſet Diſtinctio Actualis vera, & propria, talis diſtinctio evidentiùs implicaret, quàm diſtinctio formalis ex Natura rei. Evidentiùs enim repugnaret principiis lumine Naturæ notis; illi nimirùm: Impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe. Qui enim Diſtinctionem formalem ex Natura rei admittunt, limitant hoc principium, & dicunt: Impoſſibile eſt idem tam realiter, quàm formaliter eſſe, & non eſſe: Poſſibile autem eſt, ut idē realiter ſi ſit diſtinctum formaliter ex natura rei, ſecundùm unam formalitatem ſic diſtinctam ſit eſſe, ſecundùm aliam ſit non eſſe. Qui verò Virtualem intrinſecam admittunt, cùm hanc Diſtinctionem nolint eſſe actualem veram, & propriam, neceſſariò admittere debent, de uno eodémque, & nullatenus diſtincto, actu verè, & propriè poſſe verificari Contradictoria, adeóque idem identitate omni actuali, & ſecundùm omnino idem poſſe eſſe, & non eſſe.

15. Neque valet, ſi dicas. Admiſſa Diſtinctione virtuali intrinſeca, Principium illud: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, debere limitari hoc modo; Impoſſibile eſt idem ſecundùm omnino idem tam realiter, quàm virtualiter eſſe, & non eſſe, ſeu verificare prædicata Contradictoria; Concedendum. Impoſſibile eſt idem ſecundùm omnino idem realiter, non tamen ſecundùm idem virtualiter, verificare prædicata Contradictoria; Negandum. Non valet inquam. Tum quia vi Diſtinctionis Virtualis intrinſecæ, in una eadémque entitate non eſt aliud, & aliud virtuale, Per quid enim hoc aliud, & aliud; præter differentiam vocis, differt ab alio, & alio formali ex natura rei? Quomodo itèm tale aliud, & aliud, intra naturam Divinam, quòd ſit inter prædicata DEI abſoluta Neceſſaria, non repugnat Conciliis, Patribus, & rationi? Qua itèm ratione hoc aliud, & aliud, non eſt aliud actu verè, & propriè? ſi ſecundùm hoc aliud, & aliud, Contradictoria, uni eidémque realiter entitati actu conveniunt, & verificantur? Tum quia, aliquid ſecundùm aliud, & aliud virtuale, poſſe eſſe, & non eſſe, ſeu poſſe verificari prædicata Contradictoria, eſt aliquid ſecundùm unum idémque æquivalens pluribus, & ratione talis æquivalentiæ, potens verificare Contradictoria, poſſe ſimul eſſe, & non eſſe, adeóque poſſe verificare Contradictoria. Sed per hoc nihil poteſt verificare Contradictoria, quòd æquivaleat pluribus, & ratione talis æquivalentiæ, potens ſit verificare Contradictoria: aliàs unum idémque per hoc poſſet verificare Contradictoria, quia poſſet verificare Contradictoria, in quo manifeſta committitur petitio principii. Ergo nihil ſecundùm aliud, & aliud virtuale poteſt verificare prædicata Contradictoria.

16. Dicendum eſt *Secundò*. Prædicata DEI abſoluta Neceſſaria, tum à ſe invicem, tum ab Eſſentia diſtingui virtualiter diſtinctione Virtuali Extrinſeca.

Probatur. Prædicata abſoluta Neceſſaria DEI, tum à ſe invicem, tum ab Eſſentia diſtingui diſtinctione virtuali Extrinſeca,

ſeca, eſt Entitatem DEI indiviſibilem, ſeu Naturam Divinam, & Eſſentiam Theologicè acceptam omnino Simplicem, æquivalere pluribus in ordine ad diverſos præſtandos effectus, in ordine itèm ad diverſos conceptus, totam Entitatem Naturæ Divinæ referentes modò ad hæc, modò ad illa connotata. Sed defacto indiviſibilis Natura Divina æquivalet pluribus in ordine ad diverſos effectus, in ordine itèm ad diverſos conceptus, totam Entitatem Naturæ Divinæ referentes modò ad hæc, modò ad illa connotata. Ergo. Major eſt definitio Diſtinctionis Virtualis Extrinſecæ, ùt conſtat ex Num. 2. Minor probatur. Natura Divina indiviſibiliter ſumpta præſtat effectus, quos plura entia diverſa præſtare poſſunt, & ſolent; ſcilicet malos punit, præmiat bonos, quod præſtare ſolet juſtitia creata; miſeretur, & flectitur miſeriâ alienâ, quod præſtat Miſericordia creata; producit multiplices diverſos effectus, quod convenit Cauſis creatis &c. Ergo natura Divina æquivalet pluribus ad præſtandos diverſos effectus. Deinde, eadem Natura Divina indiviſibiliter ſumpta æquivalet pluribus in ordine ad diverſos conceptus, totam entitatem ipſius referentes, modò ad hæc, modò ad illa connotata. Quia defacto per tales conceptus cognoſci ſolet, ùt patebit ex dicendis Puncto ſequente.

17. Adverto *Primò*. Quod immeritò aſſeritur de Diſtinctione Virtuali intrinſeca, verè aſſeri de Diſtinctione Virtuali Extrinſeca; nimirum, quod hæc nomen tantùm Diſtinctionis, habeat non rem, potiùſque ſit fundamentum Diſtinctionis Rationis, prout hæc fit per præciſionem formalem. Conſequenter quod ex vi hujus Diſtinctionis ante omnem Actum intellectûs non detur aliud, & aliud, intrà Naturam Divinam Theologicè acceptam. Cùm enim de prædicatis abſolutis Neceſſariis DEI, nulla verificentur prædicata Contradictoria, dicta prædicata non ſunt nemine cogitante aliud, & aliud; ſed tota diverſitas, & aleitas, eſt in diverſis effectibus, quos diverſa poſſunt producere, & in diverſis connotatis, per ordinem ad quæ, indiviſibilis Eſſentia DEI poteſt cognoſci. Qui effectus, & Connotata, cùm ſint extrinſeca Eſſentiæ ſeu Naturæ, Divinæ, etiam ipſa Diſtinctio dicitur Virtualis Extrinſeca, quatenùs eadem Natura Divina capax eſt diverſarum denominationum, provenientium à diverſis, effectibus ſivè connotatis.

18. Adverto *Secundò*. Dari aleitatem in Natura non ſecundùm ſe ſumpta, ſed in Natura prout ſubſtante diverſis conceptibus: in natura itèm prout connotante diverſos effectus, ſive diverſa objecta, vel perfectiones creatas, quibus Natura Divina æquivalet, quatenùs aliud complexum eſſe debet Natura, prout ſubſtans uni conceptui, & aliud complexum Natura prout ſubſtans alteri conceptui, quatenûs itèm aliud debet eſſe complexum Natura prout connotans hos effectus, vel objecta, vel perfectiones creatas, & aliud complexum Natura prout connotans alios effectus, vel objecta, vel aliam perfectionem creatam. Hæc tamen aleitas inter dicta complexa eſt aleitas, & diſtinctio realis inadæquata, eáque intrinſeca quidem ipſis complexis, extrinſeca tamen Naturæ Divinæ ſecundùm ſe. Ad hanc complexorum talium diſtinctionem, in ſalvanda Diſtinctione Virtuali intrinſeca, fruſtra recurrunt aliqui, talis Diſtinctionis Patroni, non ſolùm ex eo, quia etiam hæc ipſa diſtinctio eſt Extrinſeca Naturæ Divinæ ſumptæ ſecundùm ſe, ſed etiam ideo, quia tali explicatione Diſtinctionis Virtualis intrinſecæ, tranſitur à difficultate controverſâ, ad non controverſam, & relicta Diſputatione circa rem, & objectum proceditur ad quæſitionem de voce terminis in diverſa ſignificatione uſurpatis, quàm communiter accipiantur ab aliis. Ad illud verò diligenter attendendum eſt, nè per recurſum ad diverſitatem complexorum Adverſarii occultare velint ſuam doctrinam, & declinare argumenta, quibus premuntur: nè itèm explicando Diſtinctionem Virtualem intrinſecam, per diverſitatem Complexorum velint non ſolùm inter obliqua eorundem complexorum dari diſtinctionem, ſed etiam in ſubjecta illorum, aliquam diſtinctionem invehant, ità, ut cenſeant aliud quid ex parte objecti directi cognoſci, & ſubſtare cognitioni referenti ad connotata, & effectus miſericordiæ, & aliud quid ex parte objecti itidem directi cognoſci per cognitionem referentem ad connotata, & effectus Juſtitiæ. Quod, ut cognoſcatur; ſic con-

contra Adverſarium arguendum erit: dum in ſalvanda Diſtinctione Virtuali Intrinſeca recurris ad diverſa complexa, quorum unum dicit Naturam DEI, ùt connotantem effectus miſericordiæ, vel Naturam cognitam cognitione referente eandem ad actus miſerendi; alterum complexum dicit eandem naturam, ùt connotantem actus retributionis ſecundùm cujuſque merita, aut naturam ùt cognitam relatè ad tales actus; vel id ſic intelligi debet: quòd Natura Divina ſecundùm idem omnino connotet actus retributionis cuique ſecundùm ejus merita, ſecundùm quod connotat actus miſerationis. Quod itèm ſecundùm idem omnino ex parte objecti directi cognoſcatur relatè ad hæc connotata, ſecundùm quod ex parte objecti directi cognoſcitur relatè ad alia connotata? vel certè ità intelligi debet, quòd natura DEI ſecundùm aliud attributum, ab aliis aliqua diſtinctione, quæ ſit nemine cogitante diſtinctum, connotet opera Miſericordiæ, & ſecundùm aliud attributum, ſimili ratione diſtinctum, connotet opera Juſtitiæ, adeóque, quod ſecundùm aliud attributum, ex parte objecti directi cognoſcatur relatè ad hæc connotata v.g. ad opera miſericordiæ, & ſecundùm aliud attributum ex parte objecti directi, cognoſcatur relatè ad opera Juſtitiæ. Si hoc ſecundum dictum fuerit, patebit Diſtinctionem Virtualem intrinſecam propriè talem, involutam eſſe difficultati minimè pertinenti ad ſolutionem argumentorum, quibus Num. 13. impugnatur Diſtinctio Virtualis intrinſeca. Si primum, difficultas, quæ hactenus realis fuit, reſolvetur tandem in vocem, & diverſam explicationem, & intelligentiam terminorum.

Objectiones proponuntur.

19. Objicitur, & probatur. Inter Eſſentiam, & attributa DEI dari Diſtinctionem formalem ex Natura rei, vel Virtualem intrinſecam. Primò Authoritate Scripturæ, & Patrum. Scriptura enim, & Patres in Natura Divina agnoſcunt aliquam multiplicitatem. Hanc exprimit Scriptura, dum numero plurali explicat perfectiones Divinas, appellando illas: *Inviſibila DEI, & ea, quæ ſunt.* Exprimit etiam eandem multiplicitatem S. Auguſtinus ſuperiùs citatus, DEUM denominans *Multiplicem Simplicitatem, & Simplicem Multiplicitatem.* S. Bernardus dum lib. 5. de conſider. cap. 7. dicit: *Multa dicuntur in DEO, & quidem ſanè Catholicèque, ſed multa unum.* Damaſcenus etiã, *Eſſe Divinum* appellat *pelagus quoddam infinitæ Subſtantiæ.* Quæ appellatio ſupponit multiplicitatem in Eſſentia Divina, idque multiplicitatem, quæ ſit nemine cogitante, à multiplicitate enim rationis, Eſſentia Divina non poteſt dici Pelagus infinitæ Subſtantiæ. Cùm in quavis Eſſentia etiam creata multæ poſſint concipi diverſæ rationes formales, & innumeræ relationes rationis.

20. Secundò. De Eſſentia, & Attributis Divinis verificantur prædicata contradictoria. Ergo ad hæc ſalvanda, debet dari aliqua diſtinctio. Sed hæc non poteſt eſſe, niſi aut Diſtinctio formalis ex Natura rei, aut Virtualis intrinſeca. Ergo. Antecedens probatur. Tum quia de Juſtitia v. g. verificatur, quòd Juſtitia, quâ talis ſit punitiva; de Miſericordia autem, quâ tali verificatur, quòd non ſit punitiva. Miſericordia flectitur alienâ miſeriâ, Juſtitia non flectitur: Tum quia de Eſſentia Divina verificatur, quod ſit univerſale Principium Proceſſionum ad intrà. De Intellectu verificatur, quòd non ſit Principium univerſale, ſed ſit Principium particulare unius proceſſionis ad intrà, ſcilicet, quòd Intellectus ſit nonniſi Principium proceſſionis VERBI Divini. Tum quia de Intellectu Divino verificatur eſſe Principium VERBI Divini, non eſſe autem principium Spiritûs S. De voluntate autē Divina verificatur non eſſe Principium Verbi Divini, eſſe verò Principium Spiritûs S. ùt docent Patres, & Concilia. Neque valet dicere hæc prædicata verificari de Intellectu, & voluntate prout diſtinctis per rationem. Debent enim verificari de intellectu, & voluntate, tali diſtinctione diſtinctis, quæ ſit fundamentum diſtinctionis inter ipſas proceſſiones Divinas. Sola autem diſtinctio rationis non poteſt eſſe tale fundamentum.

21. Tertiò. Eſſentia, & attributa DEI ſunt ratione ſinè ſe invicem perfectè conceptibiles, & diverſis definitionibus definibiles. Ergo Eſſentia, & attributa diſtingvuntur à ſe diſtinctione formali ex natura rei. Conſequentia probatur. Quia ſicut via inveſtigandæ diſtinctionis realis, eſt ſeparabilitas realis ſive mutua,

mutua ſive non mutua, ità via inveſtigandæ Diſtinctionis formalis ex natura rei, eſt ſeparabilitas intentionalis rationum objectivarum, adeóque perfecta conceptibilitas unius rationis objectivæ ſinè alia. Præterea Diſtinctio formalis ex natura rei per hoc ſolet definiri, quòd ſit aleitas rationum objectivarum ſinè ſe perfectè conceptibilium. Antecedens primum probatur. Tum quia ſi Eſſentia, & attributa, non eſſent rationes objectivæ ſinè ſe perfectè conceptibiles, & diverſis definitionibus definibiles, tunc concepta Eſſentia DEI, eò ipſo conciperentur attributa: concepta itèm uno attributo conciperetur aliud v. g. conceptâ Juſtitiâ conciperetur miſericordia. Hoc autem dici non poteſt. Quia hinc ſequeretur ulteriùs in conceptu formali juſtitiæ includi conceptum formalem miſericordiæ, imò rationem formalẽ, v. g. Juſtitiæ eſſe de ratione formali miſeſericordiæ, adeóque de ratione formali miſericordiæ eſſe vindicativam, & punitivam ſcelerum. Sequeretur præterea ex Eſſentia DEI, etiam ex modo noſtro concipiendi, non profluere attributa. Tum quia Eſſentia, & attributa concipiuntur diverſis conceptibus formalibus. Ergo debent dari rationes objectivæ ſinè ſe perfectè conceptibiles diverſis conceptibus formalibus, quarum rationum objectivarum una, ſit Eſſentia, aliæ rationes ſint attributa. Diverſis enim conceptibus formalibus, debent reſpondere diverſæ rationes objectivæ, per conceptus illos formales conceptibiles. Sicut pariter diverſis definitionibus formalibus, debent reſpondere diverſæ definitiones objectivæ, ſeu diverſæ definibilitates. Tum quia ſi Eſſentia, & attributa non eſſent rationes objectivæ ſinè ſe perfectè cognoſcibiles, propoſitiones procedentes de attributis Divinis, non eſſent veræ, adeóque, & cognitio intuitiva DEI quâ DEUS videt ſe intellectu generare non voluntate, non eſſet vera, non enim ità ſe haberet objectum, ſicut per has cognitiones cognoſceretur. Cognoſceretur enim una perfectio Divina eſſe diverſa ab alia, quæ tamen non eſſet diverſa. Cùm tamen ſecundùm Philoſophum; *ex eo, quod res prout concipitur, eſt vel non eſt, cognitio vera vel falſa eſt.* Tum quia, ſi Juſtitia, & miſericordia DEI non eſſent rationes objectivæ diverſis definitionibus definibiles, Juſtitia DEI non differret à miſericordia DEI; conſequenter Juſtitia, ità eſſet idem cum miſericordia, ſicut eſt idem ſecum. Atqui hoc non eſt dicendum. Si enim Juſtitia, & juſtum aliquomodo differunt, multò magis Juſtitia, & miſericordia debent differre. Deinde Juſtitia ùt ſic, & miſericordia ùt ſic, differunt nem. cog. Ergo etiam Juſtitia DEI, & miſericordia DEI debent differre nem. cog. Quod enim convenit Rationi communi debet convenire omnibus inferioribus contentis ſub tali rationi communi.

22. Quartò. Inter eſſentiam, & attributa DEI eſt ordo prioris, & poſterioris. Ergo inter hæc ipſa eſt aliqua Diſtinctio. Cùm igitur non ſit Diſtinctio realis, debet eſſe Diſtinctio vel formalis ex natura rei, vel virtualis intrinſeca. Antecedens Probatur. Tum quia Eſſentia eſt principium emanativum attributorum, attributa autem ſunt paſſiones conſequentes Eſſentiam DEI. Tum quia actus primus intelligendi, & volendi eſt prior nem. cog. ipſa actuali intellectione, & volitione. Cùm vera ſit hæc cauſalis: Ideo DEUS intelligit, & vult, quia poteſt intelligere, & velle. Tum quia cognitio neceſſaria DEI eſt prior nem. cog. quàm volitio, & amor DEI neceſſarius. Cognitio enim dirigit actum amoris allicit, & impellit, imò neceſſitat, & rapit voluntatem ad amorem neceſſarium; quod cognitio non præſtaret, ſi non præcederet amorem; prout id expreſſum videtur illo axiomate: *Nihil volitum niſi cognitum.*

23. Quintò. Si non daretur Diſtinctio formalis ex natura rei inter Eſſentiam, & attributa, ex eo non daretur: Quia illâ admiſsâ, natura Divina non eſſet omnino ſimplex. Sed hæc ratio non convincit. Tum quia cum pluralitate Perſonarum Divinarum ſtat omnimoda ſimplicitas DEI, nec pluralitas Perſonarum adfert ullam compoſitionem. Ergo etiam cum formali pluralitate attributorum Divinorum, ſtat in DEO omnimoda ſimplicitas. Tum quia natura Divina ſolùm debet eſſe realiter omnino ſimplex, non debet verò eſſe omnino ſimplex etiam formaliter ex natura rei. Tum quia cum multiplicitate formali, poteſt ſtare omnimoda ſimplicitas, ratione infinitudinis, & illimitationis Eſſentiæ Divinæ, ex eo itèm quòd natura Divina ſit actus purus, & increatus, realiter ſibi identificans omnes perfe-

perfectiones Divinas. Tum quia saltèm Distinctio virtualis intrinseca non adversatur simplicitati DEI, hæc enim distinctio nullam invehit pluralitatem formalem actualem. Quia nec aleitatem formalem. Sicut enim calidum virtualiter non est calidum formaliter actualiter; ùt patet in vino, pipere, & similibus; quæ sunt calida virtualiter non formaliter; ità, & distinctum virtualiter, non est distinctum formaliter actualiter.

24. Sexto. Non admissa aliqua Distinctione, quæ sit nem. cog. inter Essentiam, & attributa DEI, DEUS non est perfectissimus. Tum quia non habet omnem perfectionem sinè imperfectione. Non habet enim distinctionem ab attributis, & attributorum à se invicem; quæ Distinctio est perfectio sinè imperfectione. Quemadmodum distinctio Personalitatum ab Essentia est perfectio sinè imperfectione. quæ distinctio à plerisque Theologis admittitur. Tum quia negata Distinctione formali ex natura rei inter Essentiam, & attributa, DEUS non habet multitudinem, ac infinitudinem perfectionis, si quidem ad unius tantùm formalitatis angustias contrahitur. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

25. Respondeo ad primum. In adductis, Scripturæ, & Patrum textibus, exprimi, & intelligi solùm multiplicitatem rationis, non autem multiplicitatem, quæ sit nem. cog. Scriptura enim imprimis dum utitur numero plurali ad exprimendas perfectiones Divinas, loquitur de his, prout DEUS apparet in intellectu nostro, à quo cum cognoscatur per speculum, & ænigmata, nimirum per creaturas, cognoscitur adinstar Entis habentis perfectiones, quæ dispersæ per creaturas, habent in iisdem multiplicitatem, seu loquitur scriptura accomodatè ad imperfectum modum nostrum concipiendi unicam, & simplicissimam Entitatem ratione cujus, unica simplicissima Entitas repræsentatur, & apparet adinstar Entitatis complectentis plures diversas perfectiones; adeóque repræsentatur cum multiplicitate per rationem, perfectionum. S. Augustinus pariter non aliam multiplicitatem intelligit appellando *DEUM simplicißimam multiplicitatem, & multiplicem simplicitatem*, nisi multiplicitatem rationis. Quod ipsum colligitur ex eo: Quia lib 7. de Trinitate cap. 1. ait, *Magnitudinem, Bonitatem, Justitiam, pluribus vocabulis in eadem substantia intelligi.* Ubi per pluralitatem vocabulorum, satis clarè significatur multiplicitas Rationis. Eadem est mens D. Bernardi. qui lib. 5. de consideratione. cap. 13. cùm dixisset *DEUM esse longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum.* Subjungit: *Visus sum protulisse plura, sed unum est, unus DEUS signatus est pro captu nostro, non pro suo statu. Divisus est hic* (intellige captus noster) *non ille* (scilicet DEUS) *voces diversæ, semitæ multæ, sed unus per eas significatur, unus quæritur.* Et inferiùs: *Dum contendimus apprehendere DEUM, unum occurrit velut quadruplicatum, facit hoc speculum & ænigma, per quod solùm videre datur.* S. Damasceni textus, si completè, & integrè sumatur, aliud sonat. Dicit enim S. Doctor: *Universim, id, quod est, tanquam immensum, & infinitum essentiæ suæ pelagus complexu suo continet.* Quibus verbis significatur, DEUM unicissima sua Entitate complecti omnes perfectiones simpliciter simplices, complecti inquam per æquivalentiam pluribus Entibus creatis, aliquo modo similes perfectiones habentibus, ídque sinè ulla multiplicitate perfectionum Divinarum, quæ sit nem. cog. quam multiplicitatem, quantùm abhorreat S. Doctor, colligitur ex aliis ejusdem verbis. lib. 12. orthodoxæ fidei. cap. 1. ubi ait. *DEUM si ex tam multis differentiis confletur, non simplicem, sed compositum fore, id, quod extremæ impietatis fuerit dicere.*

26. Ad secundum Respondeo, negando Antecedens, vel certè distinguendo. De Essentia, & attributis prout sunt à parte rei, & secundùm quod realiter adæquatè identificantur DEO, verificantur prædicata contradictoria. Nego Antecedens. De Essentia, & attributis, prout substant nostris conceptibus, & secundùm quod dicunt aliquid extrinsecum DEO, verificantur contradictoria. Concedo Antecedens, & Nego consequentiam. Ad primam Probationem dico: quæcunque prædicata dicuntur de Justitia DEI prout est à parte rei, seu nem. cog. & secundùm quod adæquatè identificatur DEO, eadem prædicata dici verè de Misericordia DEI, prout est à parte rei, & secundùm quod adæquatè identificatur DEO. Unde sicut Justitia prout est à parte rei, & nem.

nem. cog. est punitiva scelerum; ità, & misericordia, prout est à parte rei, & nem. cog. est punitiva scelerum sicut misericordia à parte rei, & in statu objectivo spectata, movetur alienâ miseriâ, ità & Justitia in eodem statu spectata movetur eadem miseriâ. Cujus ipsius ratio est. Quia etiam secundùm ipsos oppositos; quidquid in sensu reali rigoroso dicitur verè de Justitia, idem verè dici debet in sensu reali rigoroso de misericordia DEI. Ultra sensum verò, & statum realem rigorosum, non datur ullus status formalis ex natura rei, vel alius objectivus, medius inter statum realem, & rationis. Ad summum ergo prædicata contradictoria dici possunt de Justitia, & misericordia DEI, prout substant diversis nostris conceptibus præcisivis, vel certè prout per Justitiam, & misericordiam DEI, non solùm venit Entitas DEI indivisibilis, sed etiam connotata diversa, modò hæc, modò illa; scilicet, modò actus puniendi, modò actus miserendi. Potest etiam Probationi huic negari suppositum, quòd Justitia quâ talis, vel misericordia quâ talis dentur independenter à nostris conceptibus. Siquidem per nomen Justitiæ, & tanto magis per hanc reduplicationem: *Justitia qua talis*, significatur tota Entitas DEI, prout cognita per ordinem ad actus puniendi, & retribuendi cuique secundùm merita. Per nomen verò: *misericordiæ*, & per hanc reduplicationem: *misericordia quâ talis*, significatur tota Entitas prout cognita per ordinem ad actus miserendi. Porrò Entitas prout cognita per ordinem ad actus puniendi; similiter Entitas prout cognita per ordinem ad actus miserendi, involvunt conceptus, adeóque non dantur independenter à nostris conceptibus. Secundæ Probationis Antecedens, distinguo: De Essentia DEI verificatur, quòd sit Principium universale Processionum Divinarum. De intellectu autem *notionali* verificatur quod non sit principium universale processionum, sed potiùs sit principium particulare processionis VERBI Divini. Transeat Antecedens propter primam partem Antecedentis. De Essentia DEI verificatur quòd sit Principium universale processionum Divinarum: De Intellectu autem *essentiali* verificatur quòd non sit principium universale processionum, sed potiùs quod sit Principium particulare processionis VERBI. Nego Antecedens. Distinctio explicabitur proximè inferiùs in responsione ad tertiam probationem. Tertia Probatio probat multum. Probat enim Intellectum Divinum realiter rigorosè distingui à voluntate DEI. Quia de intellectu, & voluntate DEI, in sensu reali rigoroso verificantur adducta contradictoria. Siquidem intellectus Divinus in sensu reali rigoroso, est Principium VERBI; voluntas autem Divina in sensu reali rigoroso, non est Principium VERBI. Id enim videntur evincere authoritates Patrum, & Conciliorum, quibus infundatur objectio. Verificatio autem in sensu reali rigoroso prædicatorum contradictoriorum, de aliquibus extremis, secundùm ipsos Scotistas, debet inferre Distinctionem realem rigorosam, in ea, de quibus sic verificantur. Directè, Antecedens distinguo cum Perez, Esparza, & aliis: De intellectu Divino notionali verificatur esse Principium VERBI, non esse autem Principium spiritûs S. E contra de voluntate notionali verificatur non esse Principium VERBI, esse autem Principium Spiritûs S. Concedo Antecedens. De intellectu *essentiali*, & absoluto, verificatur esse Principium VERBI, non esse autem Principium Spiritus S. E contra de voluntate essentiali, & absoluta verificatur non esse Principium VERBI, & esse Principium Spiritûs S. nego Antecedens. Et dico: in DEO dari duplicem intellectum, & duplicem voluntatem. Alium intellectum notionalem, & alium intellectum Essentialem, ac absolutum. Similiter aliam voluntatem notionalem, aliam essentialem, & absolutam. Intellectus essentialis, & absolutus, voluntas itèm essentialis, & absoluta, sunt perfectiones, & prædicata DEI, indistincta nem. cog. ab Essentia Divina, communia omnibus Personis SS. Trinitatis. Intellectus autem, & voluntas notionalis, sunt prædicata propria, & peculiaria, aliquarum nonnisi Personarum Divinarum. Scilicet intellectus notionalis est prædicatum proprium Patris. Voluntas notionalis est prædicatum proprium Patris simul, & Filii, prout Pater, & Filius sunt principium Spiritûs Sancti. Porrò dari in DEO talem duplicem intellectum, & talem duplicem voluntatem, colligitur: Tum ex Patribus, & Conciliis, nam ità aliqui Patres, & Concilia asserunt,

voluntatem non eſſe Principium VERBI, ut ſimul etiam aliqui Patres, & quædam Concilia, videantur aſſerere oppoſitum. Aſſerunt voluntatem non eſſe Principium VERBI. Imprimìs S. Auguſtinus lib. 65. Quæſtionum ad Orozium Quæſt. 7. dum dicit: *Pater voluntate non genuit Filium.* Concilium Toletanum, in confeſſione Fidei dicit: *Non eſt credendùm, quòd Pater voluntate genuerit Filium.* Concilium itèm Smyrnenſe Can. 25. *Si quis Conſilio DEI* (id eſt voluntate) *factum Filium DEI aſſerit, anathema ſit.* E contra, voluntatem eſſe Pincipium VERBI, aſſerunt: S. Athanaſius dum dicit: *VERBUM eſſe ex voluntate Paterna.* S. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate. cap. 20. qui dicit: *Filium æternum eſſe Conſilium de Conſilio, voluntatem de voluntate.* Et Concilium Sardicenſe damnat hanc propoſitionem: *Pater nec Conſilio, nec voluntate genuit Filium.* Hæ authoritates Patrum ad ſpeciem oppoſitæ, ut conciliari, & componi poſſint, admittendus eſt duplex in DEO intellectus, & duplex voluntas, ſcilicet intellectus Eſſentialis, & intellectus Notionalis. Voluntas itèm Eſſentialis, & voluntas notionalis. Ut ità Patres negantes VERBUM procedere ex voluntate, intelligantur loqui de voluntate notionali. Patres verò aſſerentes VERBUM Divinum procedere ex voluntate, intelligantur loqui de voluntate eſſentiali. Tum quia cùm Filius æternus ſit VERBUM Patris, ſit intellectio paſſiva, ſapientia ab æterno genita, non aliter produci poteſt, niſi per intellectionem activam, & ultimam determinationem, ad producendam intellectionem paſſivam. Intellectio autem activa, & ultima determinatio, ad producendam intellectionem paſſivam, rectè dicitur intellectus notionalis. Similiter Spiritus S. cum ſit amor paſſivus, & charitas, non aliter poteſt procedere à Patre, & Filio, niſi per amorem activum, & determinationem ad producendum amorem ipſum paſſivum; qualis determinatio, & amor, rectè iterum dicitur voluntas notionalis. Hoc poſito; Dico ulteriùs de intellectu Eſſentiali, & voluntate Eſſentiali, non verificari illa prædicata contradictoria: *Eſſe principium VERBI. Non eſſe Principium VERBI.* Sed ſolùm unum nonniſi prædicatum verificari; ſcilicet, quod intellectus, & voluntas eſſentialis ſit Principium VERBI, eô modo, quo natura Divina Theologicè accepta, eſt principium proceſſionum Divinarum. Verificari autem eadem Contradictoria de intellectu, & voluntate notionali. Cæterùm intellectus, & voluntas notionalis, diſtinguntur realiter inadæquatè. Adverto hic primò. Per intellectum notionalem, non plùs à DEO cognoſci, intelligi quàm per intellectum Eſſentialē, debere tamen dari intellectum notionalem, quia debet dari ultima determinatio ad producendum VERBUM. Adverto ſecundò. Licèt detur intellectus, & voluntas notionalis, præter intellectum, & voluntatem Eſſentialem; non debere nihilominus dari, Juſtitiam aut miſericordiam notionalem, præter Juſtitiam, & miſericordiam Eſſentialem. Cùm enim nulli Perſonæ productæ, ſpecialiter conveniat eſſe punitionem, ſeu retributionem paſſivam, nulli itèm conveniat eſſe miſerationem paſſivam; non debet etiam ex parte Principii ullius Perſonæ, dari punitio ſeu retributio activa, dari itèm miſeratio activa, ſeu determinatio ad producendam hujuſmodi punitionem, vel miſerationem paſſivam. Quæ determinatio ſit Juſtitia vel miſericordia notionalis. Ad eandem tertiam Probationem poteſt reſponderi ſecundò: Quòd illa prædicata: *Eſſe Principium VERBI, non eſſe Principium VERBI* verificentur de intellectu, & voluntate prout diſtinctis per Rationem. Sicut illa prædicata: intellectus creatus eſt principium intellectionis creatæ, voluntas non eſt principium intellectionis creatæ verificantur nonniſi de intellectu, & voluntate prout diſtinctis per rationem. Juxta hunc reſpondendi modum, dicendum eſt ulteriùs, intellectum (intellige eſſentialem) non eſſe Principium immediatum VERBI. Voluntatem pariter (intellige eſſentialem) non eſſe Principium immediatum Spiritûs S. ſed ſolùm eſſe Principium remotum radicale, & (ùt illud vocant Theologi) mediatum. Principium verò immediatum VERBI, eſt Paternitas; Principium immediatum Spiritûs S. eſt ſpiratio activa. Illud hìc obſervo, veritatem illarum propoſitionum: Intellectus eſt Principium VERBI. Voluntas eſt Principium Spiritûs S. eſſe quidem veritatem realem, quoad rem ſignificatam, & quoad eandem, eſſe independentem à noſtris conce-

conceptibus. Quoad modum tamen significandi, veritatem earundem propositionum, esse dependentem à nostris conceptibus; quatenus hoc dependet à nostris conceptibus, quòd tota Entitas naturæ Divinæ, quæ est principium radicale VERBI, dicitur Intellectus, prout connotat intellectionem passivam, seu VERBUM, tanquam terminum productum. Eadem verò Entitas dicatur voluntas, prout connotat amorem passivum, tanquam terminum productum. Potest Tertiò sic distingui dicta Probatio: Intellectus est Principium VERBI, & non voluntas, quæ sit libera libertate indifferentiæ, seu indifferens ad producendum VERBUM. Concedo Antecedens. Et non voluntas determinata ad producendum VERBUM. Nego Antecedens. Ad authoritates Patrum dico: quòd Patres negantes Filium esse productum voluntate, negent Filium esse productum per voluntatem liberam, & indifferentem. Negant enim Filium DEI, ità esse voluntate productum, quomodo productum asserebant Ariani. Qui cùm dicerent Filium DEI esse creaturam, asserebant consequenter Filium DEI, per talem voluntatem esse productum, per qualem producuntur Creaturæ, quæ producuntur per voluntatem liberam, & indifferentem.

27. Ad Tertium Respondeo cum distinctione. Essentia, & attributa sunt rationes objectivæ, sinè se perfectè cognoscibiles secundùm id, quod hæ rationes dicunt in recto. Nego Antecedens. Sunt rationes objectivæ sinè se perfectè cognoscibiles secundùm id, quod dicunt in obliquo. Concedo Antecedens. & Nego Consequentiam. Ac dico: Cùm rationes objectivæ, Essentiæ, & attributorum DEI, aliquid dicant in recto, scilicet naturam Divinam indivisibilem, & aliquid in obliquo, scilicet diversa connotata; quoad obliquum nonnisi sunt sinè se conceptibiles, non autem quoad rectum. Unde non sequitur dari distinctionem formalem ex natura rei inter Essentiam, & attributa. Sed solùm sequitur distinctionẽ realem connotatorum Distinctionem verò rationis inter Essentiam, & attributa secum realiter identificata. Hac ipsa distinctione distinguo sequelam Primæ Probationis, & dico: conceptâ Essentiâ DEI concipi attributa quoad rectum; concepto itèm uno attributo, concipi quodvis attributum quoad rectum, non verò quoad obliquum. Hinc verò non sequitur ulteriùs, in conceptu formali Justitiæ includi conceptum formalem Misericordiæ; nec sequitur de ratione formali Justitiæ DEI, esse rationem formalem Misericordiæ. Quia non eô ipso, quòd cognoscam totam indivisibilem Entitatem naturæ Divinæ, per ordinem ad actus puniendi (quod est habere conceptum formalem Justitiæ, ejúsque rationem formalem) non eô, inquam ipso, cognosco eandem naturam Divinam, per ordinem ad actus miserendi, quod requiritur essentialiter, ut habeatur conceptus formalis, & ratio formalis Misericordiæ. Non sequitur prætereà, ex Essentia, non profluere ex modo nostro concipiendi attributa. Eô enim ipso, quòd Intellectus noster judicet Entitatem Divinam dicere ordinem ad aliqua connotata, priora aliis connotatis, eáque inferentia; habet fundamentum judicandi prædicatum respiciens priora connotata, esse prius prædicato, quod respicit connotata posteriora, adeóque hoc secundum prædicatum promanare ex priore. Secundæ Probationis distingvo Consequens: Ergo debent dari diversæ rationes objectivæ, quæ sint diversæ, ratione objecti in recto importati. Nego consequentiam. Debent dari rationes objectivæ diversæ, ratione objecti in obliquo importati. Concedo consequentiam. Ulteriorem Probationem similiter distinguo. Diversis conceptibus formalibus debent respondere diversæ rationes objectivæ, quæ sint omnino diversæ quoad objectum in recto importatum. Nego Probationem. Quæ sint diversæ quoad objectum saltèm in aliquo importatum. Concedo Probationem. Tertiæ Probationis nego sequelam. Ulteriori Probationi negari potest suppositum: quòd DEUS habeat cognitionem intuitivam, qua videt se intellectu generare nõn voluntate, sed aut videt se generare tam intellectu, quàm voluntate, ùt volunt multi Theologi, in sensu superiùs explicato, & deducunt ex Patribus, & Conciliis; aut videt se intellectu notionali generare, non voluntate notionali, quæ visio est omnino vera. Veritas verò illius supponit distinctionem aliquam realem, inter intellectum notionalem, & voluntatem notionalem.

lem. Quodsi res sit de propositionibus, prout hæ eliciuntur ab intellectu creato; dico; has propositiones: *DEUS per intellectum generat*; *Per voluntatem non generat*; etiamsi per unam de una formalitate affirmetur, quod per alteram de alia formalitate negatur; esse veras in sensu formali, dependente à nostris conceptibus; idque veræ sunt per hoc, quod complexum ex natura Divina, & cognitione hanc referente ad certa connotata, quale complexum venit nomine unius formalitatis, vel attributi, non sit complexum ex eadem natura Divina, & cognitione referente eandem ad alia connotata. Quale complexum venit nomine alterius formalitatis, seu attributi. Ad Quartam Probationem dico: Justitiam DEI à Misericordia DEI non differre nem. cogit. secundùm id, quod tam Justitia, quàm Misericordia dicunt in recto; hoc est, secundùm quod tam Justitia, quàm Misericordia, DEO adæquatè identificantur, sed differre solùm ex modo nostro concipiendi, differre itèm secundùm diversa connotata. Ad ulteriorem Probationem dico: Misericordia à parte rei, & secundùm quod, realiter adæquatè identificatur DEO, ità esse idem cum Justitia, sicut est idem secum. Imò dico independenter à nostris conceptibus non dari Justitiam, & Misericordiam, prout his nominibus significantur. Solùm ergo Misericordia ex modo nostro concipiendi, non est ità idem cum Justitia, sicut est idem secum. Misericordia etiam à se ipsa non distinguitur per rationem, quomodo distinguitur à Justitia. Itèm Misericordia solùm ex modo nostro concipiendi magis differt à Justitia, quàm differat Justitia à justo; quatenus Misericordia DEI à Justitia DEI, distinguitur adæquatè per rationem, Justitia autem DEI, à DEO justo, distinguitur inadæquatè per rationem. Ex distinctione etiam Justitiæ ùt sic, seu Justitiæ in communi, non bene infertur differentia, quæ sit nem. cog. inter Justitiam increatam, & Misericordiam increatam. Si enim Justitia ùt sic, & Misericordia ùt sic, sumantur formaliter, ex communi multorum sententia, non dantur nem. cog. sed solùm dependenter à nostris conceptibus; Consequenter nec differunt nem. cog. Præterea sicut Justitia ùt sic, & Misericordia ùt sic, præscindunt ab esse creatæ, vel increatæ, ità præscindunt à differentia inter illas, quæ sit nem. cog. vel quæ sit differentia rationis. Quodsi Justitia ùt sic, & Misericordia ùt sic, sumatur materialiter, differunt à se, & distinguuntur realiter inadæquatè; quatenùs Justitia ùt sic, complectitur & Justitias creatas, quæ realiter adæquatè distinguuntur à Misericordiis creatis, & Justitiam increatam, quæ realiter adæquatè identificatur cum Misericordia increata. Unde non sequitur Justitiam increatam, à Misericordia increata, distingui formaliter ex natura rei. Principium illud: *Quidquid convenit rationi communi, convenit etiam inferioribus sub tali ratione contentis*, multum probat. Nimirum probat Justitiam DEI à Misericordia distingui realiter inadæquatè. Quemadmodum Justitia ùt sic materialiter sumpta, distinguitur realiter inadæquatè à misericordia ùt sic. Idem principium ità intelligi debere, docui in Philosophia: Quidquid convenit rationi communi, qnatenus hæc est tale, vel tale prædicatum rei, convenit etiam inferioribus sub illa ratione communi contentis. v. g. Quidquid convenit. Justitiæ ùt sic, quatenus Justitia est, convenit etiam inferioribus Justitiæ, v. g. Justitiæ Divinæ; non verò ità intelligi debet; ut quidquid rationi communi, prout est ratio communis, vel totum quoddam, convenit, debeat convenire singulis inferioribus, sub illa ratione communi, contentis.

28. Ad Quartum Respondeo Negando inter Essentiam, & attributa dari nem. cog. ordinem prioris, & posterioris. Ad Primam Probationem dico: Quòd essentia DEI solùm ex modo nostro concipiendi sit principium emanativum attributorum, & attributa sint solùm passiones ex modo nostro concipiendi consequentes Essentiam. Ad Secundam Probationem dico: Cùm non detur in DEO actus primus intelligendi, & volendi, sumptus pro potentia physica, & principio nem. cog. productivo intellectionum, & volitionum, sed solùm detur actus primus intelligendi, & volendi, sumptus pro potentia Logica; Ideo inter actum primum intelligendi, & intellectionem; itèm inter actum primum volendi, & volitionem, non datur nem. cog. ulla prioritas, Veritas illius causalis: *Ideo DEUS intelligit, quia potest intelligere*. Non infert distinctionem, quæ sit

sit nemine cogitante inter intellectionem, & actum primum intelligendi, sed solùm infert distinctionem rationis: sicut illius causalis veritas: *Ideò DEUS est productivus leonis, quia est Omnipotens.* Infert solùm distinctionem rationis inter potentiam productivam leonis, & inter omnipotentiam; Cùm alia distinctio, quæ sit nemine cogitante, dari non possit inter gradum attributi, & inter ipsum attributum. Tertiam Rationem nego. Ulteriorem distinguo: Cognitio necessaria in DEO dirigit formaliter, & propriè volitionem Divinam, & amorem necessarium. Nego. Dirigit æqualiter. Concedo. Hæc porrò æquivalens directio in eo est, quòd volitio Divina necessaria, non prosequatur bonum, nisi quod per cognitionem indistinctam ab eadem volitione, cognoscitur à DEO esse prosequendum, æquivaletque aliquatenus hæc indistinctio actuum, directioni volitionis creatæ à cognitione objecti, quæ directio habetur per cognitionem creatam, distinctam à volitione creata, & præviam. Axioma illud: *Nihil volitum nisi cognitum.* Si universaliter accipiatur, non plùs sonat, quàm quòd voluntas non prosequatur objectum, nisi quod per intellectum est cognitum. Non significat verò: quòd nihil sit volitum, nisi priùs sit cognitum, ità ut cognitio debeat præcedere volitionem, ab eàque distingui. In creatis id verum est; quòd nihil sit volitum, nisi priùs sit præcognitum. Quia hæc distinctio, & præcedentia cognitionis ante volitionem, non repugnat prædicatis rei creatæ. In Divinis verò distinctio, & prioritas cognitionis, quæ sit nemine cogitante ante volitionem, repugnat summæ simplicitati DEI.

29. Ad Quintum Respondeo negando Minorem. Prima Probatio multum probat. Probat enim, quòd sicut distinctio realis personarum inter se non officit simplicitati Divinæ, ità non officiat eidem simplicitati distinctio realis attributorum inter se. Directè, dico distinctionem realem Personarum à se invicem non officere simplicitati naturæ Divinæ. Tum ex eo: Quia Personæ Divinæ non ingrediuntur constitutionem naturæ Divinæ Theologicè acceptæ, quam nonnisi prout distinctam à Personalitatibus, Concilium asserit esse omnino simplicem. Tum ex eo; quòd unaquæque Persona Divina sit realiter immediatè identificata naturæ Divinæ, cum illâque constituat unam personam simplicem. Ratione ergo hujus identitatis, DEUS est in natura simplicissimus, licèt simul sit in Personis Trinus. E contra Attributa ingrediuntur constitutionem naturæ Divinæ Theologicè acceptæ; hanc enim ingreditur omne id, quòd est commune omnibus tribus Personis, éstque prædicatum necessarium. Quomodo communia tribus Personis sunt attributa, simúlque prædicata sunt necessaria. Quare, si hæc distinguantur nem. cog. destruunt simplicitatem naturæ Divinæ. Quia destruunt Unitatem ejusdem. Quia destruunt Indivisionem ipsius in se, per quam definitur Unitas. Præterea attributa, secundùm oppositam sententiam ità distinguuntur formaliter à se invicem, ut etiam distinguantur formaliter ab Essentia. Secundam Probationem simpliciter Nego. Tum quia naturam Divinam, uno nonnisi certo modo, & in aliqua ratione esse simplicem, non est illam esse omninò simplicem. Si verò natura Divina solùm excluderet simplicitatem realem, & compositionem realem, esset simplex uno nonnisi modo, & in una aliqua ratione. Ergo. Tum quia naturam Divinam esse simplicem, per identitatem realem prædicatorum DEI absolutorum, & necessariorum, ità ut hæc ipsa prædicata distinguantur formaliter ex natura rei, est aut supra, aut contra lumen rationis. De identificatis enim realiter, verificari prædicata contradictoria (quæ certè verificantur, si identificata realiter sint simul distincta formaliter) est aut contra, aut supra lumen rationis. Cùm ergo simplicitas naturæ Divinæ non sit supra lumen rationis: aliàs DEUM esse simplicem, simúlque justum, misericordem &c. esset supra lumen rationis, adeóque esset tale mysterium, quale est DEUM esse Unum in Essentia, Trinum in Personis. Cùm itèm eadem simplicitas Essentiæ Divinæ, complectens prædicata absoluta, & necessaria DEI, non sit contra lumen rationis; aliàs esset implicatoria, & chimærica, sequitur simplicitatem naturæ Divinæ non esse ità simplicem, ut attributa DEI distinguantur formaliter ex natura rei. Tum quia dum Concilium dicit naturam Divinam esse omnino simplicem, per simplicita-

citatem, non intelligitur solùm simplicitas opposita compositioni ex partibus substantialibus, sed etiam intelligitur simplicitas opposita compositioni ex substantia, & accidente, talísque compositionis exclusiva. Ergo pariter idem Concilium per hanc omnimodam simplicitatem, intelligit simplicitatem non solùm oppositam multiplicitati reali attributorum, ejúsque exclusivam, sed etiam oppositam multiplicitati formali ex natura rei eorundem attributorum, & hujus exclusivam. Tertiam etiam Probationem Nego. & dico: Sicut cum multiplicitate reali attributorum, non potest stare omnimoda simplicitas, ratione infinitudinis, & illimitationis Essentiæ Divinæ, ac etiam actus puri. Hinc etiamsi Essentia Divina sit infinita, & illimitata simpliciter, etiamsi itèm DEUS sit actus purus; si tamen hæc Essentia, & ratio actûs puri, itá sibi identificarent realiter attributa DEI, ut hæc à se realiter distingverentur, cum tali multiplicitate, ex vi infinitudinis, & ratione actûs puri, non staret omnimoda simplicitas. Itá admissa infinitudine, & illimitatione in Essentia DEI, & ratione actûs puri, si attributa Divina distinguuntur formaliter ex natura rei, cum multiplicitate formali attributorum ex vi infinitudinis, & ratione actûs puri, non stat omnimoda simplicitas. Cujus ipsius ratio ulterior est: Quia implicat ratione infinitudinis, & illimitationis esse omnimodam simplicitatem sinè suo conceptu, & sinè ratione formali. Si autem omnimoda simplicitas staret cum multiplicitate formali ex natura rei attributorum, staret omnimoda simplicitas sinè suo conceptu, & sinè sua ratione formali. Quia staret sinè omnimoda Unitate, quam suprà ostendi, esse de conceptu essentiali, & de ratione formali omnimodæ simplicitatis. Addo, quòd natura Divina, seu Essentia, non esset actus purus, si attributa Divina distingverentur formaliter ex natura rei ab Essentia. Essentia enim sic distincta ab attributis, esset perfectibilis nem. cog. ab iisdem attributis. Quia defactò per hæc perficeretur. Quia attributa Divina sunt perfectiones, idque non alicujus alterius, nisi DEI, ejúsque Essentiæ distinctæ formaliter ex natura rei à talibus perfectionibus. Ad Quartam Probationem Respondeo dupliciter. Primò Negando Antecedens cum sua Probatione; & dico: quòd etiam distinctio virtualis invehat pluralitatem actualem. Quia invehit contradictoriorum verificabilitatem, quæ ipsa, sicut aleitatem actualem, itá & pluralitatem actualem invehit. Tum quia aliud actu est, de quo verificatur prædicatum, quòd puniat impium; & aliud actu est, de quo verificatur, quòd non puniat impium. Aliás si non de alio & alio actu verificarentur hæc prædicata; æquè verum esset dicere: Misericordia punit. Atque verum est dicere: Justitia punit. Tum quia implicat prædicata contradictoria non distingui actu. Sicut implicat eadē contradictoria non opponi sibi actu, non se tollere, & excludere actu. Ergo implicat, & illa, de quibus verificantur contradictoria, non distingui actu. Hæc enim distinctionem, quâ ipsa distinguuntur, invehunt in ea, de quibus verificantur. Tum quia, si non essent distincta actu illa, de quibus verificantur contradictoria, tunc idem secundùm omnino idem, posset esse, & non esse; quod primo principio repugnat, adeóque distinctio virtualis evidentiùs implicaret, quàm formalis ex natura rei. Argumentum etiam ex vocabulo, & denominatione distinctionis virtualis petitum, non evincit, distinctionem virtualem non esse distinctionem actualem. Hæc enim secum non pugnant: esse distinctionem virtualem, & esse actualem. Nam distinctio virtualis, ex eo talis dicitur, quòd sit virtus, ratione cujus una res præstat illos effectus, quos præstant realiter distincta, quòd itèm sit æquivalentia ad verificanda contradictoria, quæ de distinctis realiter verificari solent. Cui conceptui, & rationi formali distinctionis virtualis, non repugnat, sed cum eo optimè stat, quòd ratione talis virtutis, una quidem res, per diversas tamen nem. cog. rationes formales, seu per diversa nem. cog. prædicata præstet diversos effectus, quos præstant plura diversa. Optimè itèm stat, quòd æquivalentia ejusdem rei ad verificanda prædicata contradictoria, in qua consistit distinctio virtualis intrinseca, sit æquivalentia, ùt de alio nem. cog. prædicato ejusdem rei, verificetur aliud contradictorium, adeóque hæc stant secum optimè: Esse distinctionem virtualem, & simul esse distinctionem actualem. Ex paritate

de

de calido virtualiter, & de calido formaliter, doctrina nostra confirmari, & illustrari potest. Sicut enim, quod est calidum virtualiter, potest simul esse, & frequenter, est simul calidum formaliter. Et sic vinum, si ad ignem calefiat, est simul & formaliter, & virtualiter calidum. Similiter piper, adhibitum pro codimento ferculi calidi, est simul & formaliter, & virtualiter calidum.Ità unum idémque attributum DEI in sententia opposita, est & virtualiter distinctum, & formaliter, seu actualiter distinctum. Est virtualiter distinctum, ùt volunt adversarii, est simul distinctum actualiter, ùt adductis rationibus deductum est. Responderi Secundò potest ad eandem Quartam Probationem cũ distinctione: distinctio virtualis non adversatur simplicitati Divinæ, neque adversatur ulli alteri perfectioni Divinæ. Nego Antecedens. Non adversatur simplicitati Divinæ, adversatur tamen alteri perfectioni Divinæ. Concedo, vel potiùs omitto Antecedens. Et dico: Quidquid sit de hoc, an distinctio virtualis tollat simplicitatem DEI, tamen tollit alias perfectiones Divinas, potissimùm verò tollit illam perfectionem Essentiæ Divinæ, ratione cujus, hæc, nec est supra, nec est contra lumen rationis. Cùm, tali distinctione admissa, necesse sit Essentiam Divinam, ejúsque attributa, & modum, quo hæc conveniunt DEO, esse vel supra, vel contra lumen rationis, ùt ostensum est in probatione conclusionis.

30. Ad Sextum Respondeo. Negando sequelam. Probationis Primæ itidem Nego sequelam. Ad ulteriorem Probationem dico negando distinctionem formalem ex natura rei, vel virtualem intrinsecam, inter Essentiam, & attributa DEI, esse perfectionem sinè imperfectione. Cùm talis distinctio sit chimærica, & destruat omnimodam simplicitatem naturæ Divinæ. Paritas à distinctione inter personalitates, & naturam Divinam, multùm probat. Probat enim Primò: Quòd sicut illa solùm distinctio formalis ex natura rei, vel virtualis intrinseca personalitatum à natura, est perfectio sinè imperfectione, quæ supponit distinctionem realem personalitatum à se invicem, ità, quòd illa solùm distinctio formalis ex natura rei, vel virtualis intrinseca attributorum ab Essentia DEI sit perfectio sinè imperfectione, quæ supponeret distinctionem realem inter ipsa attributa. Probat Secundò, simile esse mysterium, DEUM esse Omnipotentem immensum, &c. quale est DEUM esse unum. DEUM esse Unum in Essentia, Trinum in Personis. Quæ enim distinctio ad salvandum mysterium Trinitatis admittitur, inter Essentiam, & Personalitates, eadem distinctio ab Adversariis admittitur, inter Essentiam, & attributa, non aliô certè fundamentô, nisi ut adstruatur simile mysterium, & salvetur. Probat *Tertiò*. Quod sicut è mente aliquorum Theologorum, inter Essentiam, & Personalitates Divinas, est distinctio realis inadæquata extensivè, seu in prædicato tertio, quòd etiam sit similis distincto inter Essentiam, & attributa, Directè Nego paritatem. Tum quia per distinctionem Personalitatum à natura, non tollitur simplicitas omnimoda naturæ, cùm Personæ non ingrediantur constitutivè naturam, prout hæc sumitur à Theologis. Tollitur autem hæc simplicitas per distinctionem attributorum, quæ ingrediuntur constitutionem naturæ, Theologicè acceptæ. Tum quia cùm secundùm fidem de natura, & personis verificentur prædicata contradictoria, debet dari inter naturam, & personas aliqua distinctio, per quam talia prædicata salventur. Quodsi hæc distinctio est necessaria in DEO, est perfectio sinè imperfectione. Cùm omnis imperfectio DEO repugnet. E contra neque secundùm fidem, neque secundùm rationem, contradictoria verificantur de Essentia, & attributis nem. cog. spectatis, & secundùm quod, DEO realiter adæquatè identificantur. Unde non est ulla necessitas, distinctionis, quæ sit nem. cog. inter essentiam, & attributa, quæ ad sola contradictoria verificanda, & salvanda dari deberet. Consequenter talis distinctio non potest esse perfectio sinè imperfectione, etiam ex hac ratione. Quia, quod otiosum, & superfluum est, non potest esse perfectio sinè imperfectione. Ad Secundam Probationem dico; non admissa distinctione formali ex natura rei, ac virtuali intrinseca, DEUM habere infinitudinem, & omnitudinem perfectionis, per æquivalentiam pluribus distinctis, absque omni multiplicitate, quæ sit nem. cog. Cùm hic modus habendi omnitudinem perfectionis, sit longè perfectior, DEUMque magis deceat. Per

talem enim modum, magìs adunantur perfectiones, quæ illarum coadunatio est magna perfectio. Certè si esset imperfectio, omnes in DEO perfectiones redigi ad unam formalitatem, quæ nem. cog. sit una, esset pariter imperfectio easdem perfectiones ad unam realiter entitatem redigi. Adverto immeritò asseri; quod per identitatem essentiæ, & attributorum exclusivam distinctionis inter hæc formalis ex natura rei, perfectiones Divinæ contrahantur ad angustias unius formalitatis. Sicut immeritò quis diceret, per identitatem realem Essentiæ, & attributorum, contrahi perfectiones Divinas, ad angustias unius realitatis, seu rei, Per utramque enim hanc identitatem, non coarctatur ullo modo perfectio DEI, sed potiùs extenditur. Quia ratione hujus identitatis Natura Divina est omnino simplex, qua simplicitate multùm extenditur perfectio Divina. Potest etiam Negari Suppositum, quòd perfectiones Divinas absolutas, & necessarias à parte rei, & nem. cog. esse unicam non solùm realem entitatem, sed etiam formalitatem, sit tales perfectiones contrahi ad aliquas angustias.

PUNCTUM II.

An Essentiæ,& attributorum DEI, detur distinctio rationis, & qualis?

31. Præmitto *Primò* distinctionem rationis esse alietatem unius formalitatis ab alia, ipsi realiter identificata, provenientem à nostris conceptibus; seu, esse talem apparentiam in intellectu nostro alicujus objecti, ut illud in se unicum, & indivisibile, in intellectu nostro appareat multiplex, & divisibile. Distinctio rationis dividitur, in distinctionem rationis ratiocinatæ, & in distinctionem rationis ratiocinantis. Distinctio rationis ratiocinatæ illa dicitur, quæ est cum fundamento in re. Estque diversa objecti apparentia, orta ex diversitate connotatorum, per ordinem ad quæ, res cognoscitur. Distinctio rationis ratiocinantis dicitur illa, quæ non habet fundamentum in ipsa re. Estque diversa apparentia objecti, orta præcisè ex diversis conceptibus, eandem omnino rem, & in ordine ad eadem connotata cognoscentibus, vel per hoc unicè differentibus, quòd unica res jam pro subjecto, jam pro prædicato veniat: ùt cùm dicitur: *Petrus est Petrus*; vel differentibus ratione majoris, & minoris claritatis, quomodo differunt conceptus definitionis, & conceptus difiniti. v. g. cùm dicitur: *Homo est animal rationale*.

32. Præmitto *Secundò*. Præcisionem, per quam communiter dicitur fieri distinctio rationis esse divisionem, seu separationem intentionalem unius prædicati, seu formalitatis, ab alio prædicato seu formalitate, priori realiter identificata. Præcisio hæc, alia est præcisio formalis, alia præcisio objectiva. Præcisio formalis, ex communissima sui acceptione, est cognitio in tantum nonnisi separans intentionaliter unum prædicatum ab alio ipsi realiter identificato, in quantum totam Entitatem alicujus objecti, repræsentat per ordinem ad aliqua connotata, non repræsentando eam ad alia connotata, ad quæ repræsentari potest. Præcisio objectiva itidem ex communissima acceptione, est cognitio in tantum separans intentionaliter unum prædicatum rei ab alio, secum realiter identificato, in quantum ex parte objecti, etiam directi, hoc est in Recto significati, ità attingit unum prædicatum seu formalitatem priori adæquatè identificatam. Addidi. *Ex communissima acceptione* Præcisionem formalem, & objectivam ità intelligi, & explicari. Nam pauci aliqui Recentiores utramque hanc Præcisionem aliter explicant. Nimirum imprimìs quidam per Præcisionem objectivam, volunt intelligi objectum præcisionis, quæ fit per actum intellectûs, sicut per definitionem objectivam intelligitur objectum definitionis formalis, & per præmissas objectivas, intelligitur objectum præmissarum formalium. Per præcisionem verò formalem intelligi volunt ipsum actum intellectûs præscindentem, ídque eum, qui ex parte objecti directi, attingeret unam formalitatem, non attingeret verò aliam priori realiter identificatam. Secundò. Aliqui per præcisionem objectivam, volunt intelligi cognitionem objectorum realiter distinctorum, per præcisionem formalem intelligunt cognitionem prædicatorum, vel formalitatum realiter sibi identificatarum, unius sinè alia. Occasio-

casione talis explicationis præcisionum objectivarum, & formalium, iidem Recentiores applaudunt sibi, de novo aliquo, & singulari invento, ac viâ non vulgari salvandi præcisiones objectivas. Talibus enim explicationibus ostendunt ad summum, solum præcisè nomen præcisionis objectivæ, retineri posse, non verò rem hactenus eô nomine significatam. Neque etiam hæ explicationes sunt aliquod novum inventum; cùm non latuerint eruditissimum P. Thomam Mlodzianowski, qui in sua Metaphysica, utriusque hujus acceptationis Præcisionum objectivarum meminit, dum de priore sic dicit: *Posset & alia haberi acceptio præcisionis formalis, & objectivæ, ità ut nomine præcisionis formalis, veniat ipse actus præscindendi, nomine verò præcisionis objectivæ, veniat, ùt ità dicam, passio, vi cujus objectum se præscindi patitur, éstque in re ipsum objectum.* Posteriorem autem præcisionis objectivæ explicationem, simpliciter rejicit his verbis: *Non in hoc stat præcisio objectiva, quod unum ex distinctis* (intellige realiter) *cognoscatur sinè alio, potest enim cognosci Petrus, & non cognosci lutum, neque tamen fiet præcisio Petri à luto.* Qua instantia Doctissimus Pater insinuare videtur, quòd sicut nemo prudenter gladium exacuit, & vibrat contra lutum, ità acumen ingenii, & intellectûs nostri, non posse prudenter obverti ad faciendam præcisionem distinctorum realiter. Potiùs igitur illud commodi, an incommodi ex dictis explicationibus præcisionum objectivarum, & formalium habetur, quòd occasione illarum possint multiplicari Quæstiones de voce, & nomine, & quòd in hac materia possint fieri variæ æquivocationes. Ad quas observandas tum hìc, tum alibi, ubi in solo termino, & voce difficultas constitueretur, puto optimum esse consilium, si loco definiti, æquivocationibus obnoxii, in propositionibus, aut thesibus ponatur definitio. Quo consilio ipse aliquando usus sum, in impressis ex universa Philosophia Thesibus circa Præcisiones tali Thesi proposita. *Distinctio rationis fit per præcisionem, cujus tota Entitas rei attingitur per ordinem ad certa nonnisi connotata, non attingitur verò per ordinem ad alia. Non fit verò per præcisionem, vi cujus attingatur una formalitas objecti, non attingatur verò alia priori realiter adæquatè identificata. Imò talis præcisio, sive appelletur præcisio formalis, sive præcisio objectiva, in creatis, implicat.*

33. Ex his præmissis facilè intelligitur, quis sit sensus præsentis Puncti Quæstionis? Duo nimirum quæruntur: *Primum.* An indivisibilis natura Divina; prout complectitur prædicata DEI necessaria absoluta, possit habere diversas apparentias in intellectu nostro; per inadæquatas cognitiones, ex vi quarum appareat modò ùt Essentia Metaphysica DEI, modò ùt Sapientia, modò ùt Justitia, &c. *Secundum.* Quæritur. Utrum tunc, dum intellectui nostro, natura Divina apparet, modò ùt Essentia Metaphysica, modò ùt Sapientia, aut Justitia, &c. utrum, inquam, tunc intellectus attingat ex parte objecti directi, per cognitionem, v. g. Sapientiæ DEI, aliquam formalitatem, naturæ Divinæ realiter identificatam, non attingat verò ex parte objecti directi, eandem formalitatem per cognitionem aseitatis, seu sufficientiæ sibi ad esse, sed attingat formalitatem diversam, licèt cum hac formalitate realiter adæquatè identificatam? An certè per singulas cognitiones, sive Essentiæ DEI Metaphysicæ, sive attributorum DEI singillatim, attingat semper totam indivisibilem naturæ Divinæ Entitatem, licèt modò ad hæc, modò ad alia connotata? Circa primum videntur omnes Theologi consentire, illúdque docere, quòd per rationem possint distingui attributa tum à se invicem, tum ab Essentia. Circa Secundum divisi sunt Doctores. Quidam cum Thomistis, & Scotistis docent distinctionem rationis inter Essentiam DEI, & attributa fieri per præcisionem illam (objectiva communiter dicitur) vi cujus ex parte objecti directi, attingitur una formalitas, & perfectio naturæ Divinæ; non attingitur verò altera, priori realiter adæquatè identificata. E contra alii, potissimùm verò Recentiores, censent hanc distinctionem fieri per præcisionem formalem, hoc est, per præcisionem illam, ex vi cujus tota indivisibiliter natura Divina attingitur nonnisi per ordinem ad aliqua connotata, non attingitur verò per ordinem ad alia.

§. I.

An Attributa DEI distinguantur per rationem?

34. Dicendum eſt. Attributa DEI tum à ſe invicem, tum ab Eſſentia, diſtingui per rationem.

Probatur. Illa diſtinguuntur per rationem, quæ ex modo noſtro concipiendi, apparent ùt multa, & denominantur extrinſecè multa. Sed Eſſentia, & attributa DEI, ex modo noſtro concipiendi apparent ùt multa, & denominantur extrinſecè multa. Ergo. Major infundatur definitioni diſtinctionis per rationem. Minor probatur: tum authoritate Patrum, quos ſuprà adduxi Diſp. præſenti Num. 25. tum quia, quæ concipiuntur ad inſtar realiter diſtinctorum, illa concipiuntur ùt multa. Siquidem illa, quæ ſunt realiter diſtincta, ſunt multa. Sed Eſſentia Divina, & attributa concipiuntur adinſtar realiter diſtinctorum. Eſſentia enim DEI concipitur ad inſtar Eſſentiæ creatæ, Juſtitia DEI, adinſtar juſtitiæ creatæ. Cùm ergo Eſſentia Phyſica creata, Sapientia creata, Juſtitia creata, ſint diſtincta realiter; quando Eſſentia DEI, Sapientia, Juſtitia concipiuntur adinſtar illorum, concipiuntur adinſtar diſtinctorum. Tum quia, de quibus, prout ſub ſtant noſtris conceptibus, verificantur prædicata contradictoria, illa ex modo noſtro concipiendi, adeóque extrinſecè ſunt multa, & apparent ùt multa. Sicut de quibus, prout ſunt à parte rei verificantur contradictoria, illa ſunt à parte rei, & nem. cog. multa; ſed de Eſſentia DEI, & attributis, prout ſubſtant noſtris conceptibus, verificantur prædicata contradictoria; nimirum de aſeitate (in quo prædicato conſiſtit Eſſentia DEI) verificatur, quòd ſit radix illativa attributorum, de Sapientia DEI, prout ſubſtat noſtro conceptui, verificatur, quòd non ſit radix illativa attributorum. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

35. Objicitur, & probatur attributa DEI à ſe invicem, & ab Eſſentia non diſtingui per rationem. *Primò.* Si attributa DEI diſtinguerentur per rationem à ſe invicem, & ab Eſſentia, daretur in DEO multiplicitas ratione noſtra, atqui hæc non poteſt dari. Tum quia repugnat doctrinæ Patrum, qui univerſaliter negant in DEO dari aliud, & aliud. Tum quia multiplicitas etiam rationis, eſt imperfectio ex modo noſtro concipiendi. Atqui etiam talis imperfectio, non eſt admittenda in DEO, aliàs DEUS ratione noſtra, & ex modo noſtro concipiendi, non eſſet Ens perfectiſſimum. Ergo. Certè admiſſa ex modo noſtro concipiendi, una imperfectione in DEO, poterunt etiam aliæ imperfectiones admitti. Et ſic poterit in DEO admitti materialitas ex modo noſtro, ſi DEUS concipiatur totus ùt oculus, &c. Tum quia in DEO admiſſa multiplicitate rationis, admitti conſequenter deberet, compoſitio rationis. Hæc autem admitti non debet. Siquidem, ùt arguit Granado, unum attributum etiam ex modo noſtro concipiendi, eſt de Eſſentia alterius, includitur enim implicitè unum attributum in conceptu alterius, quatenus ſi cognoſcatur penitiùs, & penetretur intimiùs unum attributum, noſcuntur eô ipſo & alia. Sed interea quorum unum ex modo noſtro concipiendi, eſt de Eſſentia alterius, non poteſt admitti ulla compoſitio etiam rationis. Ergo. Confirmatur. Si poſſet admitti compoſitio rationis inter Eſſentiam, & attributa, poſſet quoque admitti compoſitio rationis in ipſa Eſſentia, poſſetque dici Eſſentiam componi ex genere & differentia, ſed hoc non debet admitti, utpote non conforme Doctrinæ Theologorum. Ergo. Tum quia, ſi daretur multiplicitas rationis inter Eſſentiam DEI, & attributa, natura Divina per hoc, quòd terminaret diverſas cognitiones, eſſet multiplex, ſicut materia prima non eſt per hoc multiplex, quòd ſucceſſivè recipiat plures formas.

36. *Secundò.* Admiſſa diſtinctione rationis inter Eſſentiam, & attributa, ſequitur, quòd natura Divina per talem diſtinctionem diſtincta, non ſit actus purus. Quia ſequitur ex modo noſtro concipiendi Eſſentiam Divinam eſſe perfectibilem, per attributa, à ſe per rationem diſtincta. Sed hoc dici non debet. Ergo.

37. *Tertiò* ſequitur Eſſentiam Divinam prout diſtinctam per rationem ab attributis, eſſe Ens rationis. Cùm enim Eſſentia hoc modo ſpectata, non ſit Ens reale, reſtat, ut ſit Ens rationis. Deinde diſtinctioni debet proportionari ratio Entis. Ergo ſi diſtinctio eſt rationis, etiam ratio Entis, eſt ratio Entis rationis.

38. *Quartò* ſequitur admiſſa diſtinctione Rationis inter Eſſentiam, & attributa, quòd

quòd Essentia ex modo nostro concipiendi, & distinguatur essentialiter, & non distinguatur essentialiter ab attributis. Distinguitur essentialiter, quia distinguitur ratione conceptûs essentialis diversi à conceptu essentiali cujusvis attributi. Non distinguitur essentialiter, quia distinguitur distinctione accidentali. Distinctio enim rationis est distinctio accidentalis.

Solvuntur Objectiones.

39. Respondeo ad Primum cum distinctione: Si attributa Divina distinguerentur per rationem ab Essentia, & à se invicem, daretur multiplicitas rationis in DEO; Et hæc esset propriè in DEO, essetque intrinseca eidem. Nego sequelam. Daretur multiplicitas rationis, & hæc non esset propriè in DEO, sed potius esset extrinseca eidem. Concedo sequelam. Et distincta Minore Nego Consequentiam. Ad Probationem Primam Minoris dico: Doctrinæ Patrum repugnare multiplicitatem, quæ sit propriè in DEO, eique sit intrinseca, non repugnat autem multiplicitas, quæ non tam sit in DEO, quàm potiùs in intellectu nostro, sitque extrinseca ipsi DEO. Dico ulterius Patres negare aliud, & aliud in DEO, ipsi intrinsecum, & quòd sit propriè tale. Non negant autem aliud, & aliud DEO extrinsecum, proveniens ab actu intellectûs, unicissimam, & indivisibilem naturam Divinam repræsentante ùt plura, & extrinsecè denominante, modò hoc, modò illo prædicato. Secundæ Probationis omissa Majore, quæ simpliciter est negabilis, Minorem distinguo. Non est admittenda in DEO ulla imperfectio per rationem verè affirmantem. Concedo Minorem. Non est admittenda in DEO ulla imperfectio, per rationem præcisivam unius perfectionis ab alia, absque omni affirmatione ullius imperfectionis de DEO. Nego Minorem. Imo Nego Suppositum. Quodsi admittatur multiplicitas rationis, per rationem præsertim præscindentem formaliter, eô ipso admittatur imperfectio, quæ sit in DEO, potiùs est hæc imperfectio intellectûs nostri, DEUM inadæquatè, & imperfectè cognoscentis, non verò ipsius DEI. Ulteriorem Probationem distinguo: DEUS non esset perfectissimus ratione nostra, hoc est, per rationem verè negantem de DEO prædicatum Entis perfectissimi, Nego sequelam: DEUS non esset perfectissimus per rationem nostram præcisivam; hoc est non repræsentaretur modo perfectissimo, & prout est in se, sed potiùs repræsentaretur adinstar objectorum creatorum, adeóque imperfectorum. Concedo Sequelam. Ad Confirmationem dico admissa multiplicitate rationis prædicatorum Divinorum in sensu explicato, posse in simili sensu admitti materialitatem ex modo nostro concipiendi; quatenus DEUS, qui est in se omnino, & summè immaterialis, potest repræsentari adinstar alicujus entis materialis. Materialitatem ex modo nostro imperfecto concipiendi, DEUS videtur habere, dum concipitur adinstar alicujus Principis in throno sedentis, senis barbati, &c. Tertiæ Probationis sequelam Concedo cum Suarez, Vasquez, & aliis contra Granado, & Nego Minorem. Probatio ulterior multum probat. Probat enim, quòd etiam ex animali, & rationali non possit esse compositio rationis, siquidem dici potest, quòd inspecto penitiùs rationali possit cognosci animal. Directè dico: unum attributum si cognoscatur formaliter, ùt est tale, vel tale prædicatum, hoc est, si cognoscatur relatè ad hæc nonnisi connotata, non ad alia v.g. relatè ad actus nonnisi puniendi, non posse, nec debere ità intimè cognosci, ut hoc ipso cognoscatur relatè ad connotata miserendi, adeóque non eô ipso, si penitiùs cognoscatur Justitia, cognosci debet misericordia. Hinc autem sequitur ulteriùs, non rectè asseri unum attributum, esse ex modo nostro concipiendi de essentia alterius. Ad confirmationem dico in DEO posse admitti compositionem rationis ex genere, & differentia, ex genere, inquam, minùs propriè tali, & differentia itidem minùs propriè tali. Secundùm dicta Disp. præcedente Num. 17. posse itèm admitti compositionem imperfectam similem illi, qualis compositio est, in definitione substantiæ. Quartæ Probationis Nego causalem; & dico: Admissa distinctione rationis inter Essentiam, & attributa DEI, naturam Divinam esse ratione nostra, aliquomodo multiplicem, non ex eo præcisè, quòd plures cognitiones terminet, sed quòd terminet cognitiones sive plures, si-

ve etiam unam repræsentativam perfectionum Divinarum adinstar perfectionum creatarum plurium, & distinctarum. Paritati Nego Consequentiam. Disparitas est. Quia natura Divina, exinde est ratione nostra multiplex, quod concipiatur adinstar plurium, & distinctarum perfectionum, appareat intellectui nostro secundùm suas perfectiones, multiplex. Materia autem ultra hoc, quòd plures recipiat formas, non habet quidquam tale, ratione cujus debeat esse, vel realiter, vel aliquo alio cogitabili modo, multiplex.

40. Ad Secundum Respondeo. Si ratio actûs puri est unum ex attributis Divinis, Essentia Divina ex modo nostro concipiendi, non est actus purus. Essentia enim Divina (intellige Metaphysica) supposita distinctione rationis inter Essentiam, & attributa, non est præcisivè, ullum attributum. Hinc tamen non sequitur Essentiam Divinam ex parte actûs, esse perfectibilem, sed potiùs sequitur dictam Essentiam ex parte actûs præscindere, sicut ab esse actûs puri, ità & ab esse perfectibilis, hoc est, non repræsentari ùt perfectibilem. Vel certè Essentia Divina est ratione nostra perfectibilis, purè extrinsecè, & denominativè ab actu intellectûs, repræsentante eandem Essentiam adinstar naturæ creatæ, perfectibilis per suas proprietates. Non est autem ullatenùs Essentia DEI perfectibilis, ex parte objecti directi, & intrinsecè, hoc est, ità, ut cognitioni præcisivæ respondeat in ipso objecto directo, scilicet DEO, formalitas, quæ sit Essentiæ secundùm se perfectibilis, per alias formalitates DEO realiter adæquatè identificatas, respondentes ex parte objecti directi aliis cognitionibus præcisivis.

41. Ad Tertium Respondeo. Sequelam Majoris posse certo sensu admitti, & sub distinctione: Nimirùm quòd Essentia Divina prout distincta per rationem ab attributis, sit Ens rationis non fictitium, & chymæricum, quod esse tantùm habet in intellectu; nec resultans, sive Thomisticùm, sive Scotisticum, sed sit ens rationis, per tale Ens intelligendo, denominationem provenientem ab actu intellectûs tanquam à forma. Cùm enim distinctio rationis sit forma intentionalis, sitque apparentia objecti adinstar plurium, indistincta ab ipso actu intellectûs; denominatio essentiæ distinctæ per rationem ab attributis est denominatio proveniens ab actu intellectûs, tanquam à forma.

42. Ad Quartum Respondeo. Admissa distinctione rationis inter Essentiam, & attributa, illa prædicata distingui essentialiter, non distingui essentialiter de diversis verificari. Scilicet non distingui essentialiter, sed potiùs distingui accidentaliter, verificatur de natura Divina sumpta pro statu reali, & objectivo. Huic enim pro hoc statu spectatæ, sicut contingens est repræsentari ab intellectu creato; sicut itèm contingens est, repræsentari, & apparere instar plurium, ità eidem contingens, & accidentale est, distingui per rationem. Eidem tamen naturæ Divinæ, prout cognitæ adinstar Essentiæ creatæ, & ab hac cognitione accipienti denominationem Essentiæ, ùt tali, non est contingens distingui per rationem ab attributis. Quia ut taliter cognitæ non est contingens apparere per modum Essentiæ distinctæ à passionibus, in quali apparentia consistit formaliter distinctio per rationem. Porrò diversa sunt: *Natura Divina secundùm se, & sumpta pro statu reali, & objectivo.* Et: *Natura Divina prout cognita adinstar Essentiæ creatæ.*

§. II.

Per quam Præcisionem, objectivam, an formalem, fiat distinctio rationis attributorum ab Essentia, & à se invicem?

43. Dicendum est. Distinctionem rationis Essentiæ ab attributis, & attributorum à se ipsis, non fieri per præcisionem objectivam. Illam nimirum, per quam, cognitione attingeretur una formalitas, seu perfectio Naturæ divinæ, & non attingeretur alia perfectio, priori perfectioni, ac etiam ipsi naturæ realiter adæquatè identificata. Sed fieri hanc distinctionem per Præcisionem formalem, & ex parte actûs. Illam scilicet, per quam, cognitione, tota indivisibiliter Natura divina, attingitur relatè, & per ordinem ad certa connotata, non verò relatè, & per ordinem ad alia.

Conclusionis prima pars Probatur *Primò.* Præscindi objectivè rationes aliquas, seu prædicata sibi realiter adæquatè identifi-

tificata, est aut contra, aut supra lumen rationis. Verificari enim prædicata contradictoria de realiter adæquatè identificatis, est aut contra, aut supra lumen rationis. Ut ostensum est Num. 10. Præscindi autem objectivè aliqua prædicata, est verificari prædicata contradictoria de identificatis realiter adæquatè. Vi Præcisionis enim objectivæ, verificantur contradictoria de præcisis objectivè, adeóque de identificatis realiter. Atqui distingui per rationem prædicata necessaria absoluta DEI, neque est contra, neque supra lumen rationis. Non est contra lumen rationis, ùt constat ex Num. 34. non supra: aliàs distingui per rationem Justitiam DEI à Misericordia ejusdem, esset simile mysterium, quale est naturam Divinam non generari, Filium generari. Ergo distingui per rationem Attributa ab Essentia non est illa præscindi objectivè. *Secundò*. Repugnat Patribus, & rationi, in Natura DEI verè, & propriè dari aliud, & aliud. Sed admissa Præcisione objectiva datur in DEO verè, & propriè aliud, & aliud. Vi præcisionis enim objectivæ intra ipsum DEUM, quia ex parte objecti directi alius est terminus cognitionis præscindentis Justitiam à Misericordia, alius est terminus cognitionis præscindentis Misericordiam à Justitia. Ergo. *Tertiò*. Non dato fundamento, quod essentialiter supponit præcisio objectiva, neque ipsa datur præcisio objectiva. Implicat enim illam dari sinè suo fundamento, maximè tali, quod essentialiter supponere debet. Sed non datur fundamentum præcisionis objectivæ, quod illa essentialiter supponit. Tale enim fundamentum deberet esse aut distinctio formalis ex natura rei, aut distinctio virtualis intrinseca, aut (ùt voluit P. Izquirdo) diversa phantasmata, in quibus diversa attributa DEI repræsentarentur. Sed nullum datur tale fundamentum. Non datur distinctio formalis ex natura rei, ùt probatum est Num. 5. & deinceps. Non datur pariter distinctio virtualis intrinseca, ùt constat ex dictis Num. 13. & sequentibus. Non dantur etiam talia phantasmata, quorum unum sit repræsentativum unius prædicati divini, & non sit repræsentativum alterius prædicati realiter adæquatè identificati cum priore, id enim non minùs est supra, aut contra lumen rationis, atque est supra, vel contra idem lumen, uni eidémque realiter Enti convenire prædicata contradictoria. Ergo. *Quartò*. si attributa DEI præscinderentur objectivè tum à se invicem, tum ab Essentia, verificarentur prædicata contradictoria, saltèm *Secundò* intentionalia, de identificatis realiter adæquatè. Sed non verificantur. Nulla enim est necessitas, & fundamentum, ex vi cujus debeant verificari etiam *Secundò* intentionalia de prædicatis Divinis necessariis absolutis, realiter adæquatè secum identificatis. Ergo.

44. Secunda pars Conclusionis probatur: Quæ distinctio fit per cognitionem, ex vi cujus tota indivisibilis entitas cognoscitur relatè per ordinem ad certa connotata, & non per ordinem ad alia, per ordinem ad quæ cognosci potest, illa distinctio fit per præcisionem formalem seu ex parte actus, éstque distinctio rationis. Cognitio enim referens unam eandémque indivisibilem Entitatem, jam ad hæc, jam ad illa connotata, est præcisio formalis; ut constat ex definitione talis præcisionis, data Num. 32. Est etiam distinctio rationis. Quia est diversa, & multiplex apparentia ejusdem indivisibilis objecti, quod certè aliter apparet intellectui creato, dum cognosceretur relatè ad hæc connotata, quàm si cognosceretur relatè ad alia. Sed distinctio rationis attributorum DEI ab Essentia, & à se invicem, fit per cognitionem, ex vi cujus tota Entitas naturæ Divinæ, cognoscitur relatè, & per ordinem ad certa connotata, & non cognoscitur relatè per ordinem ad alia. Ergo. Minor probatur. Tum quia dum justitia distinguitur per rationem à misericordia, non cognoscitur tunc ex parte objecti directi una perfectio Divina, non attacta altera perfectione, priori realiter adæquatè identificata, ùt patet ex numero præcedente. Ergo cognoscitur tunc tota indivisibiliter natura Divina per ordinem ad connotata punitionum, non verò per ordinem ad connotata alia. Cùm alius modus non supersit, quo habeatur distinctio per rationem, Justitiæ Divinæ à Misericordia, Tum quia, Entitas naturæ Divinæ, cùm sit simplicissima, nec partes ullas habeat, ex parte attingi non po-

poteſt; juxta axioma deſumptum ex Philoſopho 9. Metaph. *In ſimplicibus, aut totum attingitur, aut totum ignoratur.* Ergo dum per rationem diſtinguitur una perfectio naturæ Divinæ ab alia, attingitur tunc tota indiviſibilis Entitas naturæ Divinæ, quamvis attingatur modò ad hæc, modò ad illa connotata, per quæ extrinſecè ex modo noſtro concipiendi, ſpecificantur diverſæ perfectiones Divinæ.

Proponuntur Objectiones.

45. Objicitur, & probatur diſtinctionem rationis inter Eſſentiam, & attributa fieri per præciſionem objectivam prout hæc communiter explicatur; non verò per præciſionem formalem, ſeu ex parte actûs. Primò authoritate tum Scripturæ, quæ aſſerit DEUM nunc à nobis cognoſci ex parte. Prima enim ad Corinth. 13. dicitur: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmáte, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Sed ſi diſtinctio rationis inter Eſſentiam, & attributa non fieret per præciſionem objectivam, DEUS non cognoſceretur ex parte; quia ſemper attingeretur tota illius Entitas. Ergo. Tum authoritate S. Thomæ, qui in primum Diſtinct. 2. Quæſt. 1. Art. 2. in ☉. dicit: *Quidam dicunt, quòd iſta attributa* (intellige Miſericordia, v. g. & Juſtitia) *non differant, niſi penes connotata in creaturis, quod fieri non poteſt.* Et Art. 3. dicit: *Pluralitatem Divinorum Nominum, ſeu perfectionũ, non eſſe ſolùm ex parte intellectûs ſecundùm diverſas conceptiones, quæ dicuntur diverſæ rationes, ſed etiam ex parte ipſius DEI.* Et Diſt. 22. Art. 3. ad Tertium. *Horum* (id eſt attributorum DEI) *diverſitas non ſumitur per ordinem ad creaturas, imò potiùs è converſo. Quia ex hoc, quod ratio bonitatis, & Sapientiæ differt in DEO, diverſificantur in creaturis, Bonitas, & Sapientia, non tantùm ratione, ſed re.* Sed ſi diſtinctio rationis non eſſet præciſiva objectivè attributorum Divinorum ab Eſſentia, & unius attributi ab alio, attributa non different, niſi penes connotata. Pluralitas quoq; Divinorum nominum, ſeu perfectionum non haberetur ex parte ipſius DEI. Præterea diverſitas attributorum ſumeretur præciſè per ordinem ad creaturas non è contra. Ergo.

46. Secundò probatur ratione petita ex S. Thoma in Primum Diſt. 2. Quæſt. 1. Art. 3. ad quartum. Pro qua ratione adducit S. Doctor, Divum Joan. Chryſoſtomum. Conceptus, quibus repræſentantur attributa DEI, non ſunt conceptus comprehenſivi DEI, nec ſunt perfectè repræſentantes eundem, ſolum enim VERBUM Increatum eſt conceptio perfectè, & comprehenſivè repræſentans DEUM. Sed ſi diſtinctio rationis fieret per præciſionem formalem, ſeu ex parte actûs, tunc conceptus repræſentativi attributorum eſſent conceptus comprehenſivi DEI, eúmque perfectè repræſentantes. Quia ſinguli repræſentarent totam naturam Divinam, ſeu omne id, quod intrinſecè realiter, & ex parte objecti, eſt DEUS.

47. Tertiò probatur. Diſtinctio rationis inter Eſſentiam, & attributa debet eſſe diſtinctio propriè talis. Cûm enim Patres dicant Eſſentiam diſtingui ab attributis per rationem, intelligendi ſunt loqui de diſtinctione propriè tali. Locutiones ſiquidem Scripturarum, Conciliorum, & Patrum, accipiendæ ſunt in ſenſu proprio. Sed diſtinctio rationis, quæ fit per præciſionem formalem, non eſt diſtinctio rationis propriè talis. Tum quia talis diſtinctionis non ſunt aſſignabilia extrema. Dum enim Juſtitia v. g. diſtinguitur per rationem præciſivam formaliter à miſericordia; extrema hujus diſtinctionis, neque ſunt illa, quæ attinguntur, in recto per tales conceptus; tale enim rectum ſemper eſt eadem indiviſibilis entitas, quæ à ſe ipſa etiam per rationem non diſtinguitur. Neque ſunt illa hujus diſtinctionis extrema, quæ attinguntur in obliquo, per conceptus v. g. Juſtitiæ, & Miſericordiæ. Quia hæc potiùs ſunt extrema diſtinctionis realis. Neque demum talia extrema ſunt complexa ex recto, & obliquo objecti horum conceptuum. Quia talia extrema ſunt potiùs extrema diſtinctionis realis inadæquatæ, adeóque ſi ſimul eſſent extrema diſtinctionis per rationem, diſtinctio per rationem coincideret cum diſtinctione reali inadæquata. Tum quia vi diſtinctionis propriè talis, unum ex diſtinctis non debet eſſe aliud. Jam autem unum ex diſtinctis per diſtinctionem præciſivam formaliter, eſt aliud ex diſtinctis. Scilicet Eſſentia DEI eſt quodvis attributum, & viciſſim unumquodque attri-

attributum eſt Eſſentia. Quia tam attributum, quàm Eſſentia eſt tota indiviſibilis natura Divina. Tum quia diſtinctio per rationem propriè talis, debet eſſe diſtinctio rationis ratiocinatæ, & non ſolùm diſtinctio rationis ratiocinantis. Sed diſtinctio rationis, quæ habetur per præciſionem formalem, non eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, ad ſummúmque eſt diſtinctio rationis ratiocinantis. Tota enim hæc diſtinctio tenet ſe ex parte actûs, nullatenus ex parte objecti. Cùm tamen diſtinctio rationis ratiocinatæ, debeat ſe tenere ex parte objecti. Quia debet eſſe cum fundamento in re.

48. Quartò. Per illam præciſionem debent diſtingui attributa, ab Eſſentia, quæ faciat, ut nomina Eſſentiæ, & attributorum non ſint ſynònima. Sed præciſio formalis hoc non præſtat. Quia potiùs præſtat oppoſitum; ſcilicet præſtat, ut ſub nomine tam Eſſentiæ, quàm ſingulorum attributorum DEI, veniat tota indiviſibiliter natura Divina. Ergo.

49. Quintò. Aliquæ perfectiones Divinæ diſtinguuntur per rationē, quæ tamen non poſſunt præſcindi præciſione formali. Quia aliquarum perfectionum non poſſunt haberi conceptus referentes totam Entitatem naturæ Divinæ, modò ad hæc, modò ad illa connotata. Defacto enim intellectus Divinus, & voluntas Divina diſtinguuntur per rationem, & tamen non poſſunt haberi conceptus harum perfectionum referentes naturam Divinam ad diverſa connotata. Siquidem connotata intellectûs, & voluntatis Divinæ, non habentur diverſa. Hæc enim deberent eſſe diverſa objecta; non ſunt autem diverſa objecta intellectûs, & voluntatis Divinæ. Quia, quidquid voluntas Divina vult, & proſequitur, aut fugit, & adverſatur, illud ipſum intellectus Divinus intelligit.

50. Sextò. Inter naturam, & perſonalitates Divinas dantur præciſiones objectivæ. Dum enim de Eſſentia Divina affirmamus, quòd communicetur Filiationi, de Paternitate verò, quòd non communicetur Filiationi; per ſubjectum prioris propoſitionis: *Eſſentia communicatur Filiationi*; nullatenus attingitur Paternitas realiter identificata Eſſentiæ. Si enim attingeretur etiam Paternitas, eô ipſo verificaret hoc prædicatum, quòd communicetur Filiationi. Quod tamen ſecundùm fidem dici non poteſt. Ergo etiam inter Eſſentiam Divinam, & attributa dantur præciſiones objectivæ, per eáſque diſtinguitur Eſſentia ab Attributis, & hæc à ſe invicem.

51. Septimò. Negatis Præciſionibus objectivis inter Eſſentiam, & attributa, ſequuntur plura inconvenientia. Tum quia ſequitur debere eſſe æquè evidens, quòd DEUS ſit Trinus in Perſonis, atque eſt evidens, quòd DEUS exiſtat; imò ſequitur eô ipſo, quòd demonſtretur Exiſtentia DEI, demonſtrari etiam Trinitatem. Tum quia ſequitur, quòd DEUS revelaverit ſua attributa, imò & Perſonarum Trinitatem, per hoc formaliter, quia revelavit ſe eſſe; cùm hæc omnia attingere, & ſignificare debuerit. Tum quia ſequitur Arium non fuiſſe hæreticum. Cùm enim crediderit, & profeſſus fuerit DEUM eſſe Unum in natura, ſequitur eundem crediſiſſe, & Profeſſum fuiſſe, quòd DEUS ſit Trinus in Perſonis. Cùm Trinitatem Perſonarum non potuerit præſcindere ab unitate naturæ Divinæ, aut certè ſequitur Arium non tam fuiſſe hæreticum, quàm potiùs extremè ſtolidum, quòd ſibi contradiceret, & pugnantia loqueretur diſſentiendo Trinitati Perſonarum, cui aſſentiebatur ſub conceptu Unitatis in natura. Tum quia ſequitur illam in Theologia Quæſtionem: *In quo prædicato conſiſtat Eſſentia Divina?* (idem dici poteſt de aliis ſimilibus Quæſtionibus) eſſe futilem, & nugatoriam. Cùm enim unicum nonniſi objectivè ſit prædicatum, nimirum tale prædicatum eſt natura Divina, quæ uniciſſima, & ſimpliciſſima eſt. Nugatorium eſt quærere, in quo prædicato conſiſtat Eſſentia Divina; Hæc ſiquidem quæſtio eſſentialiter ſupponit dari plura diverſa objectivè prædicata Divina. Tandem ſequitur non poſſe explicari, quo ſenſu ſint veræ illæ propoſitiones: DEUS intellectu intelligit, voluntate vult, Juſtitia punit, Miſericordia miſeretur.

Solvuntur Objectiones.

52. Reſpondeo ad Primum. Et imprimis ad argumentum authoritati Scripturæ infundatum cum diſtinctione: Scriptura aſſerit DEUM à nobis nunc cognoſci ex parte, hoc eſt, aſſerit DEUM cognoſci imperfectè, obſcurè, & ænigmaticè,

ticè. Concedo Majorem. Scriptura aſſerit DEUM cognoſci ex parte, hoc eſt, attingi aliquam perfectionem ipſius DEI, & non attingi alias perfectiones DEI priori realiter adæquatè identificatas. Nego Majorem. Similiter diſtincta Minore. Nego Conſequentiam. Conformiter ad hanc diſtinctionem explico ſacræ Scripturæ textum, & dico: Dum Scriptura dicit: *Cognoſcimus ex parte.* Per cognitionem ex parte intelligi cognitionem DEI imperfectam, obſcuram, & ænigmaticam, non autem cognitionem præciſivam objectivè. Tum quia cognitio præciſiva objectivè attributorum ab Eſſentia, aut eſt implicatoria, aut deberet eſſe ſuper lumen rationis, perinde ac eſt ſupra lumen rationis, Myſterium Trinitatis. Tum quia Apoſtolus univerſaliter omnem cognitionem DEI, quæ pro hoc ſtatu à nobis haberi poteſt, vocat cognitionem ex parte. Non omnis autem cognitio DEI, etiam pro hoc ſtatu eſt præciſiva objectivè, poteſt enim haberi cognitio repræſentans unico actu DEUM, eſſe in omni genere perfectiſſimum, in natura Unum, in Perſona Trinum, quæ tamen cognitio ſecundùm ipſos Adverſarios non eſt, nec poteſt eſſe præciſiva ex parte objecti. Siquidem attingit omnes perfectiones DEI tam abſolutas, quàm relativas. Ad authoritatem S. Thomæ dico: adductis textibus S. Doctorem velle, quòd attributa Divina non ſolùm differant penès connotata in creaturis, ſed etiam, quòd in ipſo eſſe Divino, detur fundamentum conſiſtens in æquivalentia naturæ Divinæ pluribus diſtinctis; ratione cujus attributa Divina poſſunt differre ex modo noſtro concipiendi. Velle itèm S. Doctorem, rationes attributorum verè eſſe in DEO, eidémque verè convenire. Agit enim S. Doctor contra illos, de quibus infrà dicit; quòd nomina attributorum DEI, imponerent ipſis rebus creatis, nimirum nomen Sapientiæ DEI, qualitati cuidam à ſe productæ, nomen Eſſentiæ, cuidam rei, quæ non ſubſiſtit, qui proinde aſſerebant DEUM eſſe ſinè Eſſentia, ſapientem eſſe non tam per ſapientiam improductam. Quæ doctrina nullatenus ſuffragatur præciſionibus objectivis. E contra multa ſunt in S. Thoma, quibus S. Doctor clarè favet præciſionibus formalibus. Ut, cùm dicit citata Diſtinct. 2. Quæſt. 1. Art. 3. in ☉. *Pluralitas ipſorum nominum, non tantùm eſt ex parte intellectûs noſtri formantis diverſas conceptiones, ſed etiam ex parte ipſius DEI, in quantum eſt in DEO aliquid correſpondens omnibus iſtis conceptionibus, ſcilicet plena, & omnimoda ipſius perfectio.* Et deinde ad Tertium: *Multiplicitas iſta attributorum, nullo modo ponitur in DEO, quaſi ipſe ſecundùm rem ſit multiplex, ſed tamen ipſe ſecundùm ſuam ſimplicem perfectionem multitudini iſtorum attributorum correſpondet, ut verè de DEO dicantur.* Et iterum ad Sextum. *Tunc aliquid eſt unum re, & ratione multipliciter; quando una res reſpondet diverſis conceptionibus, & nominibus, ut de ea verificentur. Sicut Punctum, quod, cùm una res ſit, reſpondet ſecundùm veritatem diverſis conceptionibus de ea factis, ſive prout cogitatur in ſe, ſive prout cogitatur centrum, ſive prout cogitatur principium linearum.* Similia & in eundem ſenſum habet S. Doctor in 1. parte Quæſt. 13. Art. 4.

53. Ad Secundum Reſpondeo Negando Minorem. Probationem diſtinguo. Singuli conceptus attributorum, repræſentant clarè, immediatè, & intuitivè, & tantum, quantum eſt cognoſcibilis, repræſentant, inquam, totam naturam Divinam, & omne, quod realiter intrinſecè eſt DEUS. Nego probationem. Repræſentant abſtractivè, confusè, non diſcretivè, nec tantum, quantum eſt cognoſcibilis, totam naturam Divinam, & omne id, quod realiter intrinſecè eſt DEUS. Omitto hanc partem, propter ultimum illud additum. *Omne id, quod realiter intrinſecè eſt DEUS.* Et dico: Conceptus repræſentativos attributorum DEI, licèt ſinguli repræſentent totam Eſſentiam, ſeu naturam Divinam, nec præſcindant objectivè perfectiones Divinas, unam ab alia, non eſſe conceptus comprehenſivos, ex eo, quòd non repræſentent DEUM clarè, immediatè, intuitivè, & quantùm DEUS eſt cognoſcibilis. Ad rationem enim cognitionis comprehenſivæ, non ſufficit, quòd repræſentet totum eſſe rei. Aliàs per oppoſitæ ſententiæ defenſores, illo conceptu, quo conciperetur DEUS *eſſe infinitum ſubſtantiæ, & perfectionum pelagus.* Hoc, inquam, conceptu comprehenderetur DEUS. Siquidem hoc conceptu, ſinè ulla præciſione cognoſcitur totum eſſe Divinum. Requiritur itaque inter cætera ad rationem cognitionis comprehenſivæ; ut cognitio attingens totum eſſe Divi-

Divinum, sit clara, immediata, intuitiva, & commensurata cognoscibilitati Divinæ. Addo hanc rationem à S. Thoma adhiberi non ad probandam præcisionem objectivâ, sed potiùs, quòd DEUS, etiam ab Angelis, & Beatis, non possit tali nomine appellari, quòd respondeat cognoscibilitati Divinæ eámque adæquet. Ex hoc enim putat sequi, quòd DEUS possit comprehendi.

54. Ad Tertium respondeo Negando Minorem. Ad Primam probationem dico: Extrema distinctionis per rationem, qua distinguuntur attributa DEI, esse totam indivisibiliter naturam Divinam, seu omnem perfectionem DEI absolutam, necessariam, in quantum hæc, vi unius cognitionis referentis ipsam ad connotata puniendi, apparet ùt Justitia, & denominatur Justitia. Vi alterius verò cognitionis referentis eandem ad connotata miserendi, apparet ùt Misericordia, & hoc nomine denominatur. Secundam Probationem distinguo. Vi distinctionis per rationem propriè talis, unum attributum, per rationem, & ex modo nostro concipiendi, seu ex parte actûs, non debet esse aliud attributum. Concedo Probationem. Unum attributum, quoad rem significatam, & repræsentatam, & ex parte objecti directi, non debet esse aliud attributum. Nego Probationem. Et dico: Vi distinctionis præcisivæ formaliter unum attributum esse quidem aliud à parte rei, & ex parte objecti, ejúsque directi, tamen unum attributum non esse aliud ex modo nostro concipiendi, & ex parte actûs. Quatenus, vi unius cognitionis præcisivè formaliter, tota natura Divina apparet ùt Justitia; vi alterius verò cognitionis præcisivæ, apparet ùt Misericordia. Tertiæ Probationis Nego Minorem, & dico: Distinctionem rationis præcisivam formaliter attributorum ab Essentia, & à se invicem, esse distinctionem rationis ratiocinatæ. Licèt enim talis distinctio teneat se ex parte actûs, est tamen cum fundamento in ipsa re. Quia talis distinctionis fundamentum est Eminentia Divinæ Entitatis, se ipsa æquivalentis pluribus distinctis.

55. Ad Quartum respondeo Negando Minorem. Ad Probationem dico: Nomina attributorum, & Essentiæ non esse synonima. Etiamsi enim singula hæc nomina in recto significent eandem naturam Divinam; in obliquo tamen significant alia, & alia connotata. Nomina autem significantia diversa obliqua, licèt significent unum idémque rectum, non sunt synonima. Ut patet in his nominibus: *Lac album*, *lac dulce*.

56. Ad Quintum. Nego Antecedens, cum sua Probatione. Ad ulteriorem Probationem dico. Connotata diversa per ordinem, ad quæ referri debet natura Divina, ut habeantur conceptus intellectûs Divini, & voluntatis Divinæ, aut potiùs intellectionis, & volitionis, esse intellectionem, & volitionem creatam, ad quarum similitudinē concipi debet natura Divina, ut habeantur dicti connceptus. Qua occasione diligenter adverto (quod aliàs in Logica docui (nomine conotatorum venire, non solùm effectus rei, aut quoscunque terminos, & objecta, sed etiam similitudines, per quas aliqua res cognosci potest.

57. Ad Sextum respondeo transito Antecedente Nego consequentiam. Disparitas est. Tum quia de natura Divina, & personalitatibus verificantur prædicata contradictoria, quorum verificatio intelligi non potest sinè præcisione objectiva. Jam autem prædicata contradictoria verificari de Essentia, & attributis, in sensu objectivo acceptis, nec fides docet, nec recta ratio suadet. Tum quia, ùt plerique Theologi potissimùm recentiores docent: Natura, & personalitates ità identificantur realiter, ut simul distinguantur distinctione reali inadæquata extensivè, & in Tertio. Quæ distinctio facit, ut possit attingi natura, & non attingi personalitas. Adeóque ut possit præscindi natura à personalitate. E contra Essentia, & attributa, ità secum identificantur realiter, ut nullatenus distinguantur realiter. Transivi Antecedens, potest enim esse quæstio de voce. An supposita distinctione reali in Tertio inter naturam, & personalitates, cognitio naturæ Divinæ, non cognita personalitate, vel è contra, possit dici præcisio objectiva. Cùm præcisio propriè talis sit inter identificata realiter, & non inter distincta realiter. Natura verò, & personalitates admissa distinctione reali in Tertio, ità sunt realiter identificata, ut sint simul distincta realiter in Tertio. Communiter tamen cognitio naturæ Di-

vinæ non cognita personalitate dici solet præcisio objectiva, ex eo, quòd cum distinctione reali in Tertio inter naturam, & rationes, stet summa identitas immediata, quæ intensiva dicitur.

58. Ad Septimum respondeo, Negando, quòd ex non admissis præcisionibus objectivis inter essentiam, & attributa, sequantur aliqua inconvenientia. Prima sequela negari simpliciter potest. Cùm enim Trinitas personarum possit præscindi objectivè à natura, potest esse evidens DEUM existere, quin sit evidens DEUM esse in Personis Trinum. Potest etiam dici: Ex hoc, quòd evidens sit DEUM existere, non eò ipso debere esse evidens DEUM esse Trinum in Personis, sub conceptu explicito DEI in Personis Trini, sed solùm sub conceptu explicito DEI existentis. Secundam sequelam pariter nego, & dico: Licèt existentia DEI, aliáque attributa Divina, sint realiter, & ex parte objecti idem, non tamen DEUS per hoc revelavit sua attributa, quia revelavit suam existentiam, idque factum est, non ratione præcisionis objectivæ, quæ DEO ex speciali ratione, secundùm ipsos adversarios repugnat, sed potiùs, quia DEUS, in revelanda sua existentia, usus est vocibus talem existentiam explicitè, & discretivè significantibus, non significantibus verò alia attributa. Tertiam sequelam itidem Nego, & dico Arium, per hoc fuisse hæreticum, quod confitendo sub conceptu explicito DEUM esse in natura unum, non sit confessus itidem sub conceptu explicito, DEUM esse Trinum in Personis, imò quòd hunc sub dicto conceptu explicito, impiè negaverit. Neque illum excusat ab hæresi, quòd non admissis præcisionibus objectivis, assentiendo Unitati Divinæ in natura, eò ipso debuerit assentiri Trinitati Personarum indistinctæ ab unitate in natura, solùm enim ad summum debuit huic assentiri sub conceptu explicito Unitatis in natura, non autem sub conceptu explicito Trinitatis. Hæresis autem est nolle pertinaciter assentiri Trinitati Personarum sub conceptu explicito Trinitatis. Siquidem hæc sub dicto conceptu est revelata in Scripturis, supponitúrque esse sufficienter proposita. Addidi Arium assentiendo Unitati Divinæ in natura, *ad summum* debuisse assentiri Trinitati Personarum sub conceptu explicito Unitatis in natura. Dici enim potest conformiter ad dicta Num. 57. non debuisse illum assentiri Trinitati Personarum, etiam sub conceptu unitatis in natura. Siquidem sub hoc conceptu non venit Trinitas Personarum, utpote præcisa objectivè, & præscindibilis ab ipsa Unitate in natura, quomodo præscindi non possunt attributa tam à se invicem, quàm ab Essentia. Adverto *Primò* hanc objectionem urgere Adversarios. Quæro enim: Admissis præcisionibus objectivis inter Essentiam, & Trinitatem Personarum, quomodo Arius fuit hæreticus? An ex eo; quia de DEO uno ùt præciso objectivè à Trinitate, negavit Trinitatem? an certè ex eo, quia de DEO non præciso objectivè negavit Trinitatem? Primum dici deberet ab Adversariis: & si dicatur: sequitur Arium, neque hæreseos, neque stoliditatis debuisse damnari. Quia de facto secundùm ipsos Adversarios, una formalitas, vel perfectio præcisa objectivè ab altera perfectione, potest de hac altera negari. Potuit ergo etiam Arius sinè nota hæreseos, vel stoliditatis negâsse, quòd Unitas naturæ Divinæ sit Trinitas Personarum. Dicent fortè Oppositi Arium ideo fuisse hæreticum, quia DEUM, quem confitebatur esse unum in natura, negavit esse realiter Trinum. Accepto responsionem, & infero. Cùm ergo Arius potuerit id negâsse, sive de DEO in natura Uno præciso objectivè à Trinitate, sive de DEO præciso formaliter, fuit proinde hæreticus, independenter à negatis, vel admissis præcisionibus objectivis. Adverto *Secundò.* Arium assentiendo Unitati naturæ Divinæ; non eò ipso credidisse Personarum Trinitatem, etiam sub conceptu Unitatis in natura. Tum quia potuit præscindere objectivè Trinitatem Personarum à natura, juxta datam suprà responsionem. Tum quia Arius asserens DEUM esse Unum in natura, negans verò esse Trinum in Personis, non credidit DEUM Verum, sed credidit DEUM chimæricum. Credendo autem DEUM chimæricum, non debuit necessariò assentiri Trinitati Personarum, etiam sub conceptu Unitatis in natura. Quartam sequelam Nego, & dico: Cùm plura sint prædicata Divina per rationem formaliter præcisivam distincta, detúrque ex modo nostro concipiendi ordo prioris, & posterioris

rioris inter hæc prædicata; Utiliter quæritur: In quonam prædicato conſiſtat Eſſentia Divina? Quia utiliter quæritur: Quodnam ex illis prædicatis, eſt ratione noſtra prius aliis, & quod eſt prima radix illativa aliorum prædicatorum Divinorum; ut hæc per talem radicem demonſtrari poſſint. Tandem nego poſtremam ſequelam. Et dico illarum propoſitionum: *DEUS intellectu intelligit, voluntate vult*, eſſe hunc ſenſum: *DEUS* in quantum à me concipitur ad inſtar Principii creati productivi Intellectionum, concipitur intelligere; in quantum autem cognoſcitur adinſtar Principii creati productivi volitionum, *concipitur velle*.

QUÆSTIO II.

An inter Naturam Divinam & Prædicata Relativa ſeu Perſonalitates detur aliqua Diſtinctio, & qualis ſit?

59. De Diſtinctione & Identitate *Perſonarum Divinarum* ſive inter ſe, ſive cum *Natura Divina*, non ità diſcurrendum eſſe atque diſcurrebatur Quæſtione præcedente de diſtinctione Attributorum ab Eſſentia, & à ſe invicem, certum ex fide eſt, contra Sabellium hæreſiarcham, qui docuit erroneè *Patrem, Filium, & Spiritum S.* non ſolùm unum eſſe realiter DEUM, ſed etiam unam realiter & indiviſibiliter *Perſonam*. Eam tamen in Scripturis ſignificari diverſis nominibus, diverſa officia, connotationes, & reſpectus, ad extra exprimentibus; dicique modò *Patrem*, modò *Filium*, modò *Spiritum S.* Quemadmodum una eadémque Perſona Regis Auguſti dicitur Rex Poloniæ, Princeps Saxoniæ, Elector Imperatorum, Magnus Dux Lithvaniæ &c. Certum inquam ex Fide eſt. Quòd Perſonæ Divinæ realiter intrinſecè à ſe invicem diſtinguantur, DEUSque ità ſit realiter unus in eſſentia, ut ſimul ſit in Perſonis realiter diſtinctis, Trinus. Dogma hoc Fidei in Conciliis definitum, deduci ſolet; Tum ex Scripturis, ex quibus clarè patet *Patrem, Filium, & Spiritum S.* non eſſe unam, ſed plures Perſonas. Joan: enim 5. dicitur: *alius eſt* (intellige Pater) *qui teſtimonium perhibet de me.* Et Joann 14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* En alius eſt *Pater*, qui teſtimonium perhibet, alius *Filius*, alius *Spiritus S.* ſeu Paraclitus. Adeóque ſunt diſtinctæ tres Perſonæ. Et iterum *Filius DEI* negat ſe eſſe ſolum, dum Joan: 16. dicit: *Non ſum ſolus, ſed Pater mecum eſt.* Et cap. 8. *Qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* Ergo Perſonæ Divinæ ſunt plures, & non una ſolùm. Tum etiam deducitur Ratione Theologica: Oppoſitio producentis & producti, eſt ſignum infallibile Diſtinctionis realis in Divinis. Et quæ tali oppoſitione opponuntur, ſunt diſtincta realiter. Quæ major ſtabilitur Num. CXI. Sed *Perſonæ Divinæ* habent oppoſitionem producentis & producti. *Pater* enim habet ſe ad *Filium* per modum Principii *generantis. Filius* eſt productus & *genitus à Patre, Spiritus S.* ab utroque procedit: Quod ipſum conſtat ex Scripturis, & definitionibus Conciliorum, Ergo *Perſonæ Divinæ* ſunt à ſe realiter diſtinctæ. Hinc ulteriùs patet non ità diſcurrendum eſſe de *Perſonis Divinis*, atque diſcurritur de attributis Divinis. Cùm hæc non diſtinguantur à ſe realiter; diſtinguantur verò realiter à ſe invicem *Perſonæ Divinæ*.

60. Quomodo verò diſcurri debeat de iiſdem *Perſonis*, prout comparatis ad *Naturam Divinam*, difficultas eſt ſpecialis & propria hujus Quæſtionis. Cùm enim iterum ſecundùm fidem & Conciliorum definitiones, *Perſonæ divinæ* ità à ſe realiter diſtinguantur, ut identificentur realiter cum *Natura Divina*. Cùm itèm de *Natura & Perſonalitatibus Divinis* verificentur prædicata ſibi repugnantia (dicuntur hæc contradictoria) Nam de *Patre* dicitur: *generat*, de *Natura* dicitur; *Non generat*: de *Filio* dicitur: *generatur*, de Natura: *Non generatur*; de *Spiritu S.* dicitur: *procedit*, de Natura dicitur: *Non procedit*. Ut docet Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. dum cap. *Damnamus*, de Summa Trinitate dicit: *Nos Sacro approbante Concilio credimus & confitemur, quòd una quædam ſumma res eſt, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus S. tres ſimul Perſonæ, & ſingillatim quælibet earundem, & ideo in DEO ſolummodo eſt Trinitas, non Quaternitas. Quia quælibet earum Perſonarum eſt illa res, ſcilicet ſub-*

stantia & Natura Divina. Et illa res non est generans, neque genita, neque procedens. Sed est Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus S. qui procedit: ut Distinctiones sint in Personis, & Unitas in Natura. Resolvendum est. Adducta Dogmata Fidei quomodo conciliari possint cum Principiis lumine naturæ notis: *Impossibile est idem esse & non esse. Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* Et aliis, quæ ex his deducuntur. Conciliatio hæc, plurimùm multorum Theologorum erudita defatigat ingenia, & in diversas sententias Catholicos etiam traxit Doctores. Nam aliqui imprimìs, non obstantibus dictis Principiis censent inter Essentiam Divinam, & inter Personas Divinas nullam debere admitti Distinctionem, posséque conciliari Principia adducta cum Fidei dogmatibus, nulla hujusmodi distinctione admissa. Alii existimant aliquam Distinctionem omnino esse admittendam, qui ipsi inter se non conveniunt, qualis hæc distinctio esse debeat.

PUNCTUM I.

An sinè omni Distinctione inter Naturam & Personalitates Divinas, possint conciliari dogmata Fidei, cum Principiis lumine Naturæ notis?

61. Sinè omni Distinctione Personarum ab Essentia Divina posse conciliari dogmata fidei circa Sanctissimam Trinitatem, præcipuè verò dogma illud: quòd *Essentia non sit generans, non sit genita, non sit procedens. Pater sit, qui generat; Filius, qui generatur, Spiritus S. qui procedit.* Docent aliqui Theologi. Iique trifariam sunt divisi. Quidam ex eo censent non esse admittendam Distinctionem ullam, inter essentiam & Personalitates: Quia prædicata illa verificata de Personis & natura Divina: *generat, non generat; generatur, non generatur; procedit, non procedit; communicatur, non communicatur*; existimant non esse prædicata contradictoria, propter quæ sola salvanda, deberet admitti aliqua Distinctio inter Essentiam Divinam & inter Personas, supposita identitate reali immediata inter hæc ipsa.

62. Aliqui Recentiores in Manuscriptis docent prædicata illa: *generare & non generare*, aliáque similia licèt sint contradictoria (ùt communiùs docetur) posse verificari & salvari sinè omni Distinctione *Essentiæ Divinæ à Personis*, per solum respectum Identicum, quem dicit *Essentia ad Personas*, realiter inter se distinctas. v. g. de *Filio* dicitur: *generatur*; de natura Divina, *Non generatur*: quod prædicatum dicunt salvari per respectum identicum *naturæ* ad *Paternitatem & spirationem*, quæ non generantur. Contradictoria enim de identificatis verificari possunt, dummodo non dicantur de illis respectu eodem, sed dicantur respectu diverso. Modus hic salvandi contradictoria, quamvìs sub his terminis videatur novus, quoad rem tamen, terminis synonimis propositam, non est novus. Docuit eundem P. Vekenus asserens contradictoria de natura & Relationibus verificari per *connotationem DEO intrinsecam relationum inter se distinctarum.* Quæ connotatio intrinseca relationum distinctarum est ipsemet respectus identicus, adeóque intrinsecus ad Personas Divinas realiter à se distinctas. Docuit itèm P. Jacobus Platellius volens salvari contradictoria, quæ dicuntur de natura & Personis per *Identitatem Naturæ cum Personis realiter distinctis.* Respectus enim identicus Naturæ cum Personis, & identitas Naturæ cum Personis realiter distinctis quoad rem significatam sunt omnino idem, solísque differunt vocibus.

63. *Tertiò* Innominati quidam apud Majronum relatum à Recupito in Tractatu de DEO uno, parte prima lib. 3. quæst. 4. num. 79. & quidam Recentior volunt hæc prædicata contradictoria: *generat, non generat*; & alia similia, dicta de Natura, & Personalitatibus Divinis, posse verificari absque omni Distinctione inter naturam & Personalitates, propter infinitudinem & supereminentiam Mysterii *Trinitatis* suprà lumen rationis. Hanc infinitudinem & supereminentiam tenemur omnes admittere. Illa verò admissa censent memorati Theologi, non esse necesse Distinctionem ullam admittere inter *Naturam & Personas Divinas*, de *natura* enim *Divina & Persona Patris*, verificari prædicata: *non generare, & generare*; habetur per hoc, quod Mysterium Diviníssimum Sanctissimæ *Trinitatis* sit suprà

supra lumen Rationis, & supra Principia hoc lumine nota, adeóque, quòd dictum mysterium ejusmodi Principiis non teneatur, nec reguletur. Sicut Princeps, qui est supra leges à se latas, non tenetur iisdem legibus, nec illis circumscribi debet.

§. I.

An Prædicata; *generare*, *non generare* sint prædicata verè contradictoria, aut possint verificari de Natura & persona Patris, seclusa omni Distinctione?

64. Dicendum est Prædicata: *generare non generare*, *generari non generari* &c. dicta de Personis & Natura Divina, esse prædicata verè contradictoria, nec posse hæc prædicata verificari de personis & Natura, seclusa, inter ipsa omni Distinctione.

Prima pars Conclusionis probatur. Prædicata, quorum unum dicit esse, alterum dicit non esse ejusdem secundùm omnino idem formæ vel denominationis, sunt prædicata contradictoria. Quod ipsum constat: Tum ex conceptu prædicatorum contradictoriorum, tum ex eo, quia prædicata, quæ secum maximè pugnant, maximè se tollunt, & excludunt, sunt prædicata contradictoria. Illa autem prædicata, quorum unum dicit esse, alterum dicit non esse ejusdem, secundùm omnino idem formæ vel denominationis maximè secum pugnant, maximè se tollunt & excludunt. Quia ità se excludunt, ut si alicui subjecto conveniat esse alicujus formæ, vel denominationis, repugnet eidem omnino subjecto simul semélque convenire, non esse ejusdem formæ seu denominationis. Sed prædicata *generare*, *non generare*, *generari non generari* dicta *de Personalitatibus & Essentia Divina*, sunt talia prædicata, quorum unum dicit esse, alterum dicit non esse ejusdem formæ vel denominationis, ejusdem inquam secundùm omnino idem. Nimirum *generare* dicit esse *generationis* activæ, *non generare* dicit *non esse* ejusdem *generationis* activæ. *Generari* dicit esse *generationis* passivæ. *Non generari* dicit non esse *generationis* hujus ipsius passivæ &c. Ergo.

65. Responderi solet primò cum distinctione Majoris. Prædicata, quorum unum dicit esse, alterum dicit non esse ejusdem secundùm omnino idem formæ vel denominationis, & de eodem, sunt prædicata contradictoria; conceditur. Prædicata quorum unum dicit esse, alterum dicit non esse ejusdem formæ secundùm omnino idem, non tamen de eodem, sunt prædicata contradictoria. Negatur. Distinguitur deinde Minor: sed *generare, non generare, generari non generari*, &c. sunt esse & non esse ejusdem formæ, secundùm omnino idem, non tamen de eodem. Concedetur. Sunt esse & non esse ejusdem formæ, secundùm omnino idem, ac etiam de eodem. Negabitur Minor & consequentia, ac dicetur: Ad veram contradictionem requiri, ut prædicata contradictoria sint esse & non esse ejusdem formæ, secundùm omnino idem, & de eodem. Non verò sufficit quòd sint esse & non esse ejusdem formæ de diversis subjectis. Porrò *generare & non generare* non sunt esse & non esse ejusdem formæ de eodem. Nam *generare* est prædicatum dictum de *Patre*; *non generare* est prædicatum dictum de *Natura*. Contra hanc Responsionem: Arguo *primò* restaurando argumentum. Prædicata quorum unum est esse, alterum est non esse ejusdem omnino formæ de eodem subjecto, sunt prædicata contradictoria. Sed *generare*, *non generare* dicta de *Patre & natura Divina*, non admissa inter hæc ulla Distinctione, sunt esse & non esse ejusdem formæ de eodem subjecto; sunt enim de *Patre & Natura*, quæ, si inter illa non admittatur ulla distinctio sunt unum idémque subjectum. Ergo *generare & non generare* dicta de *Patre* & *Natura Divina*, non admissa inter hæc distinctione, sunt Contradictoria. Vel sic; prædicata; *generare non generare*, dicta de *Patre* & *Natura Divina*, non sunt contradictoria, ídque ideo, quia non sunt de eodem subjecto, & quia *Pater & Natura Divina*, non sunt idem subjectum, ùt asserunt Adversarii. Ergo, negato, quod *generare non generare* sint contradictoria, inter *Patrem & Naturam Divinam* est non identitas, ratione cujus non sunt idem subje-

ſubjectum; adeóque eſt alietas & diſtinctio. Ergo ulteriùs non bene Negatur diſtinctio inter *Patrem & naturam Divinam* ex eo, quia prædicata *generare non generare,* dicta de *Patre* & *natura Divina* non ſunt contradictoria. Cùm potiùs inter *Patrem & Naturam Divinam* debeat admitti diſtinctio, ut dicta prædicata non ſint contradictoria. Contra eſt *ſecundò:* Etiamſi de ratione propoſitionum contradictoriarum ſit, ut ſint affirmatio & negatio ejuſdem de eodem; adeóque ut ſint eſſe & non eſſe ejuſdem formæ de eodem ſubjecto; tamen non eſt de ratione prædicatorum contradictoriorum, ut ſint eſſe & non eſſe ejuſdem formæ de eodem ſubjecto. Sed ſolùm eſt de ratione contradictoriorum, ut ſint præcisè eſſe & non eſſe ejuſdem formæ, abſtrahendo ab eo, an ſint eſſe & non eſſe ejuſdem formæ de eodem ſubjecto, an de diverſis ſubjectis. Tum quia de ratione prædicatorum contradictoriorum eſt, non eſſe illa propoſitiones contradictorias, ſed ab his differre. De ratione enim talium prædicatorum eſt, eſſe illa partem propoſitionum contradictoriarum. Propoſitiones verò contradictorias eſſe totum, ipſis prædicatis Contradictoriis tanquam parte,conſtitutum. Ergo de ratione prædicatorum contradictoriorum eſt, illa non eſſe de eodem ſubjecto. Per hoc enim, ſi ex ſuo conceptu formali, eſſent de eodem ſubjecto, eſſent propoſitiones contradictoriæ, & nihilo differrent prædicata contradictoria à propoſitionibus contradictoriis. Nihil enim plùs, nihil minùs, nihil diverſum dicerent propoſitiones contradictoriæ, quàm deberent dicere prædicata contradictoria, & viciſſim. Tum quia potiùs de ratione prædicatorum contradictoriorum eſt illa non eſſe de eodem ſubjecto. Quia de ratione talium prædicatorum eſt, ut excludant ſe maximè, pugnent ſecum maximè, opponantur ſibi maximè,quomodo non ſibi opponerentur,non ſe excluderent,ſi eſſent de eodem ſubjecto. Quia in tali ſubjecto ſecum componerentur, & ſe compaterentur. Et hoc eſt de ratione prædicatorum contradictoriorum objectivè ſumptorum. De ratione verò contradictoriorum formalium eſt, ut præſcindant & abſtrahant ab identitate & diverſitate ſubjecti. Cùm ſint indifferentia, vel ut faciant propoſitiones contradictorias, ſive contrarias, ſive ſubcontrarias, vel etiam propoſitiones diſparatas, & non contradictorias. Tum quia de quovis ſubjecto verificatur & verificari debet alterutrum ex prædicatis contradictoriis. Ut fert commune Axioma receptum à Philoſophis & Theologis, innixum illis Principiis: *Quodlibet eſt, aut non eſt. Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe.* Idque frequenter de aliquo ſubjecto ità verificatur unum ex prædicatis contradictoriis, ut repugnet etiam diviſim verificari aliud. Ergo unum ex contradictoriis poteſt eſſe ità de ratione alicujus ſubjecti, ut alterum contradictorium repugnet convenire eidem ſubjecto. Et ſic v. g. Petro ità convenit non eſſe idem cum Paulo, ut eidem Petro repugnet eſſe idem cum Paulo. Ergo ulteriùs non poteſt eſſe de ratione contradictoriorum eſſe illa de eodem ſubjecto.

66. Reſpondetur *ſecundò* ad argumentum Num. 64. propoſitum, & negatur minor. Dicitúrque, quòd prædicata: *generare non generare,* prout verificantur in Divinis, non ſint eſſe & non eſſe ejuſdem omnino formæ ſeu denominationis. *Generare* enim Notionaliter, & *non generare* eſſentialiter; non ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ, alia enim eſt forma *generatio* notionalis, & alia forma *generatio* eſſentialis. Porrò in Divinis verificantur hæc prædicata de *Patre & Eſſentia: Pater generat* notionaliter, *Eſſentia non generat eſſentialiter*, adeóque in Divinis non verificantur contradictoria. Sed contrà *Primò* eſt. *Generare* notionaliter, *non generare* notionaliter ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ, ſecundùm omnino idem; adeóq; ſunt contradictoria. Sed de *Patre & Eſſentia Divina* verificantur dicta prædicata. Nimirum de *Patre* verificatur, quòd *generet* notionaliter, de *Eſſentia Divina,* verificatur, quòd *non generet* notionaliter. Quia de *Eſſentia* verificatur, quòd ratione ſui, nullatenus *generet*; adeóque quòd neque eſſentialiter, neque notionaliter *generet.* Aliàs ſi aliquomodo Eſſentia ratione ſui *generaret*, ratione ſui deberet diſtingui à Termino *genito,* nimirum à *Filio.* Certè de *Eſſentia Divina* verificatur, quòd ratione ſui *non generet* eô modo, quomodo *generat Pater.* Adeóque, cum *Pater generet* notio-

notionaliter, verificatur de *Eſſentia*, quòd ratione ſui *non generet* notionaliter. Præterea, cùm *Eſſentia Divina* ratione ſui & ſecundùm ſe, non ſit formaliter notio, nec ſit prædicatum Relativum, ſed ſit complexum prædicatorum neceſſariorum abſolutorum DEI, Eſſentia hæc, ratione ſui, *non generat*, nec poteſt *generare* notionaliter. Cui enim non convenit ratione ſui eſſe notionem, de eo ſecundùm ſe accepto, bene negatur omne prædicatum notionale: adeóque de *Eſſentia* ratione ſui & ſecundùm ſe ſumpta, bene negatur, quòd *generet* notionaliter; & hoc ipſo verificatur, quòd ratione ſui *non generet* notionaliter. Contrà eſt *Secundò*. *Generare* eſſentialiter, *non generare* eſſentialiter, ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ ſecundùm omnino idem, & per hoc ipſum, ſunt contradictoria. Sed negata omni Diſtinctione inter *Eſſentiam & Perſonalitates Divinas, de Patre* verificatur *generare* eſſentialiter, de *Eſſentia* verificatur *non generare* eſſentialiter. Ergo. Major conceditur & ſecunda pars Minoris. Prima pars negari debet, & probatur. De *Patre* verificatur, quòd *generet* notionaliter. Ergo negata omni diſtinctione inter *Patrem & Eſſentiam* de eodem *Patre* verificatur, quòd *generet* eſſentialiter. Conſequentia probatur. Quando idem omnino ſunt, *Eſſentia DEI* & prædicata notionalia, tunc idem omnino ſunt, eſſe eſſentialiter & eſſe notionaliter; idémque ſunt *generare* notionaliter, & *generare* eſſentialiter. Sed negata omni diſtinctione inter *Eſſentiam* & inter prædicata notionalia DEI, idem omnino ſunt *Eſſentia* & prædicata notionalia, ſeu *Perſonæ*. Ergo. Confirmatur. *Generare* notionaliter, eſt ſecundùm notionem *generare*. *Non generare* eſſentialiter, eſt *non generare* ſecundùm *Eſſentiam* Non alio enim ſenſu poſſunt aut debent hæc prædicata intelligi. Sed *generare* ſecundùm notionem, *non generare* ſecundùm *Eſſentiam*, eſt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ ſecundùm omnino idem, ſi *Eſſentia* & notio ſunt omnino idem, nec inter hæc ulla eſt diſtinctio. Ergo in ſuppoſitione negatæ omnis diſtinctionis inter *Eſſentiam* & notionem ſeu *Perſonam*, *generare* notionaliter, & *non generare* eſſentialiter, ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem omnino formæ; adeóque ſunt contradictoria. Confirmatur *ſecundò*: Suppoſita identitate reali inter hircum & cervum, & negata inter hæc omni diſtinctione; eſſe hirci ſecundùm hirceitatem, & non eſſe hirci ſecundùm cerveitatem, ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ ſecundùm omnino idem, ſúntq; hæc contradictoria, aliàs Hircocervus non erit chimæra. Quia nulla de illo verificabuntur contradictoria, cùm omnia aſſignabilia, ſic reſtringi poſſint. Ergo etiam *generare* ſecundùm notionem, ſeu notionaliter, & *non generare* ſecundùm *Eſſentiam*, ſeu eſſentialiter, ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ, ſecundùm omnino idem, ſi negetur omnis diſtinctio inter notionem ſeu *Perſonam*, & inter *Eſſentiam Divinam*. Contrà eſt *tertiò*. Diverſitas formæ affirmatæ vel negatæ per aliqua prædicata, non aliunde proveniens, niſi ex reſpectu ad diverſa ſubjecta, non tollit, nec deſtruit contradictionem eorundem prædicatorum. Sicut enim diverſitas ſubjectorum, de quibus dicitur eſſe & non eſſe ejuſdem formæ, non deſtruit prædicatorum contradictionem; ità & diverſitas proveniens ex reſpectu diverſorum ſubjectorum, non tollit contradictionem in eſſe & non eſſe ejuſdem formæ. Certè in his propoſitionibus: Petrus eſt albus, Paulus non eſt albus, prædicata albus non albus ſunt contradictoria, quamvìs hæc ſint eſſe albi, & non eſſe albi dicentis reſpectum ad diverſa ſubjecta. Sed in prædicatis harum propoſitionum: *Paternitas generat notionaliter*, *Eſſentia non generat eſſentialiter*, tota diverſitas habetur ex reſpectu ad diverſa ſubjecta, nimirùm ex reſpectu ad *Paternitatem* ſignificato per ly *notionaliter*, & ex reſpectu ad *Eſſentiam* ſignificato, per ly *Eſſentialiter*. Ergo hæc diverſitas non tollit, nec deſtruit contradictionem dictorum prædicatorum.

67. Reſpondetur *Tertiò*: à quibuſdam ſumpta occaſione ex quapiam Doctrina Patris Ruitz, per hanc Diſtinctionem: Prædicata, quorum unum dicit eſſe, alterum dicit non eſſe ejuſdem formæ, ſi non mutent appellationem, ſunt contradictoria. Conceditur. Si mutent & varient appellationem: Negatur. Sed hæc prædicata: *generare, & non generare*, dicta de *Patre & Eſſentia* ſunt eſſe, & non eſſe

esse ejusdem formæ, & mutant appellationem, dum sic dicuntur. Conceditur. Et non mutant appellationem. Negatur Minor, & Consequentia. Et dicitur horum prædicatorum *generare*, *non generare*, per hoc destrui contradictionem, quòd hæc varient appellationem. Licèt enim prædicati *generare*, appellatio cadat supra formale significatum *Paternitatis*, tamen appellatio prædicati, *non generare*, cadit non supra significatum *Paternitatis*, sed supra *Naturam*, quæ non est formale significatum *Paternitatis*, sive *Patris*. Contra hanc responsionem urgetur primò. Ut prædicata, *generare*, *non generare*, habeant diversam appellationem, requiritur essentialiter aliqua distinctio inter *Paternitatem*, & *Essentiam*. Ergo exclusa, & negata inter hæc omni distinctione, non potest recurri ad diversam appellationem; adeóque per hanc non salvantur à contradictione prædicata, *generare*, *non generare*. Antecedens probatur. Ut hæc prædicata, *generare*, *non generare*, habeant diversam appellationem, requiritur essentialiter, ut appellatio prædicati, *generat*, supra aliquid aliud cadat, & non supra illud, supra quod cadit appellatio prædicati, *non generat*. Adeóque ut *Paternitas* sit aliquid aliud, & aliquid aliud sit *Essentia*. Si enim hæc sunt omnino idem, supra unum, idémque cadit appellatio, tam prædicati, *generat*, quàm prædicati, *non generat*. Adeóque utriusque hujus prædicati eadem est appellatio. Ergo. Urgetur secundò. Si prædicata, *generat*, *non generat*, salvantur à contradictione per diversam appellationem, prout hæc explicatur, sequitur de *Essentia*, *&* *Paternitate* verificari contradictoria, quæ non salvantur, nec debent salvari per diversam appellationem; nimirum hæc contradictoria: esse id, supra quod cadit appellatio prædicati *generat*, non esse id, supra quod cadit appellatio ejusdem prædicati *generat*. Nam *Paternitas* est id, supra quod cadit appellatio prædicati *generat*; *Essentia* non est id, supra quod cadit appellatio prædicati *generat*. Adeóque sequitur adhuc, de *Paternitate*, *&* *Essentia* verificari contradictoria. Urgetur tertiò. Diversitas prædicatorum, quorum unum est esse, alterum est non esse ejusdem formæ, proveniens à respectu diversorum subjectorum, non destruit, nec tollit contradictionem eorundem prædicatorum, ùt constat ex dictis Numero præcedente. Ergo etiam diversitas appellationis, conveniens similibus prædicatis, ratione diversorum subjectorum, vel ex vi respectûs ad diversa subjecta, non tollit contradictionem, sed diversitas appellationis, per quam adversæ sententiæ Propugnatores prædicata, *generat*, *non generat*, volunt salvari à contradictione, est illa, quæ habetur ex respectu ad diversa subjecta; nimirum ex respectu ad *Patrem*, *&* *Essentiam*, tanquam diversa subjecta harum propositionum: *Pater generat*, *Essentia non generat*. Ergo hæc diversitas non salvat dicta prædicata à contradictione.

68. Secunda pars Conclusionis num. 64. propositæ probatur. Nimirum quòd prædicata: *generare*, *non generare*; *generari*, *non generari*, non possint verificari de *Personis*, *&* *Essentia Divina*, seclusa, seu negata omni distinctione inter *Personas*, *&* *Essentiam*. Idque probatur directè contra Authores hoc §. hactenus impugnatos. De *Patre æterno* verificatur hoc prædicatum, quòd *generet*; de *Essentia Divina* verificatur, quòd *non generet*: ùt Fides docet in adducto Concilio Lateranensi. Sed hæc prædicata verificari non possunt, nisi inter *Patrem*, *&* *Essentiam* detur aliqua Distinctio. Ergo debet dari talis Distinctio. Minor probatur. Prædicata *generare*, *non generare*, sive dicantur esse contradictoria, sive negentur, supponunt essentialiter, vel inferunt distinctionem aliquam inter *Patrem*, *&* *Essentiam*, si de ipsis verificantur. Si enim dicuntur esse contradictoria, inter *Essentiam*, *&* *Paternitatem* debet dari Distinctio, è mente ipsorum Adversariorum, contra quos agitur in præsenti, nè sequatur contradictoria dici de uno, eodémque in Divinis. Hi enim Adversarii prædicata hæc: *generare*, *non generare*, negant esse contradictoria, nè cogantur distinctionem admittere inter *Patrem*, *&* *Essentiam*. Ergo si eadem prædicata sunt, vel essent contradictoria, admittenda est, vel esset aliqua Distinctio inter ea, de quibus verificantur. Quodsi verò hæc prædicata non sunt contradictoria, ùt ab Adversariis docetur, admittenda adhuc esset Distinctio inter

inter *Patrem & Eſſentiam.* Non ex alio enim capite non ſunt contradictoria, niſi vel quia non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ de eodem ſubjecto: vel quia eatenus non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ, quatenus de *Patre* dicitur *generare notionaliter*, de *Eſſentia* dicitur *non generare* eſſentialiter. Vel quia prædicata: *generare*, *non generare*, dum dicuntur de *Patre*, & *Eſſentia*, habent diverſam appellationem. Sed quidquid ex his dicitur, requiritur, ut inter *Patrem*, & *Eſſentiam* ſit aliqua Diſtinctio. Ut enim dicta prædicata non ſint de eodem ſubjecto, neceſſe eſt, *Patrem*, & *Eſſentiam*, de quibus dicuntur, non eſſe idem ſubjectum, adeóque ut inter hæc ſit aliqua diſtinctio. Ut etiam, *generare*, *non generare*, ſint eſſe, & non eſſe diverſarum formarum, quatenus *generare* eſt *generare notionaliter*, *non generare eſt non generare eſſentialiter*. Neceſſe eſt diverſas eſſe formas, *generare* notionaliter, & *generare* eſſentialiter. Adeóque diverſa, & diſtincta eſſe, *Notionem*, & *Eſſentiam*, hoc eſt: *Patrem*, & *Eſſentiam*. Tandem ut prædicata: *generare*, *non generare*, habeant diverſam appellationem, neceſſe eſt, ut ſupra rem aliam cadat appellatio prædicati *generat*, & ſupra aliam cadat appellatio prædicati *non generat*. Adeóque cùm ex his prædicatis unius appellatio cadat ſupra eſſe *Patris*, alterius prædicati appellatio cadat ſupra eſſe, *Naturæ*, *ſeu Eſſentiæ*; neceſſe eſt aliam eſſe rem, adeóque aliquo modo diſtinctam eſſe *Patris*, & aliam rem *Eſſentiam*, ſeu *Naturam Divinam*.

Proponuntur Objectiones.

69. Objicitur, & probatur inter *Eſſentiam*, & *Perſonas* non dari ullam diſtinctionem. De *Eſſentia*, & *Perſonis Divinis* nulla dicuntur contradictoria. Ergo inter hæc nulla eſt diſtinctio. Hæc enim deberet non ad alium finem dari, niſi ad ſalvanda contradictoria, quæ de *Eſſentia*, & *Perſonis* dicerentur. Antecedens probatur *Primò*. Ut prædicata aliqua ſint contradictoria, neceſſe eſt, ut ſint eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ, de eodem ſubjecto. Sed prædicata, quæ dicuntur de *Perſona* aliqua *Divina*, & de *Eſſentia*, non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ de eodem ſubjecto. Ergo hæc prædicata non ſunt contradictoria. Major probatur. Tum quia prædicata contradictoria debent ſe tollere, & excludere ab eodem ſubjecto; Sed quæ ſunt de diverſis ſubjectis, non ſe excludunt ab eodem ſubjecto, nec ſe tollunt. Non enim ſe tollunt: *Europæum eſſe album*, & *Æthiopem non eſſe album*, ſed hæc poſſunt ſimul ſecum ſtare. Ergo. Tum quia prædicata, quæ ſalvantur à contradictione, non ſunt contradictoria. Sed prædicata, quorum unum eſt eſſe, alterùm eſt non eſſe ejuſdem formæ, ſalvantur à contradictione, per hoc, quòd non ſint de eodem ſubjecto, ſeu, quòd ſint de ſubjectis diſtinctis, Ergo. Tum quia prædicata contradictoria ſunt pars propoſitionum contradictoriarum, ſed talium propoſitionum non ſunt, nec poſſunt eſſe pars, ſi non ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ de eodem ſubjecto. Quia ipſæ propoſitiones non poſſunt eſſe contradictoriæ, ſi non ſunt affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem.

70. Probatur *Secundò* idem Antecedens. Illa prædicata ſunt contradictoria, quæ ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem omnino formæ. Sed prædicata *generare non generare*, quæ dicuntur in Divinis, non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem omnino formæ. Tum quia *generare generatione* activa propria *Paternitatis*, *non generare generatione* activa, quæ ſit propria *Eſſentiæ*, non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem omnino formæ, ſed potiùs ſunt eſſe & non eſſe formæ diverſæ. Diverſa enim forma eſt *generatio*, qua *Paternitas* activè *generat*, & diverſa forma eſſet *generatio*, qua *Eſſentia* activè *generaret*. Sed hæc prædicata verificantur in Divinis: *Pater generat generatione activa propria Paternitatis*, *Eſſentia non generat generatione activa, quæ ſit Eſſentiæ*. Ergo. Tum quia, eſſe formæ poſſibilis, & non eſſe formæ impoſſibilis, non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem omnino formæ. Sed *generare*, & *non generare* in Divinis dicta de *Patre*, & *Eſſentia* ſunt eſſe formæ realis, & poſſibilis, & non eſſe formæ impoſſibilis. Nam *generare* dictum de *Patre*, eſt eſſe formæ poſſibilis; nimirum eſt eſſe *generationis*, qua *Pater* verè, & realiter *generat Filium*. *Non generare* dictum de *Eſſentia* eſt non eſſe formæ impoſſibilis; nimirum eſt *non eſſe generationis*, qua *Eſſentia generet Filium*, qualis *generatio* eſt impoſſibilis. Cùm impoſſibile ſit, ut *Eſſentia generet Filium*. Tum quia, quæ dicunt re-

reſpectum ad diverſos conceptus præciſivos, non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ, adeóque non ſunt contradictoria. Sed prædicata *generare*, *non generare* dicta de *Patre*, *&* *Eſſentia* dicunt reſpectum ad diverſos conceptus præciſivos. *Generare* dicit reſpectum ad conceptum præciſivum *Patris* ab *Eſſentia*. Non generare dicit reſpectum ad conceptum præciſivum *Eſſentiæ à Patre*. Qui conceptus ſunt diverſi. Ergo. Tum quia prædicata, quæ habent diverſum connotandi modum, non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ; adeóque non ſunt contradictoria, ùt patet in actione, & paſſione. Sed *generare* dictum de *Patre*, *non generare* dictum de *Eſſentia* habent diverſum connotandi modum, non minùs atque actio, & paſſio. *Pater* enim, & *generare*, dictum de *Patre*, connotat *Filium*, *natura*, *ſeu Eſſentia*, & *non generare*, dictum de *Eſſentia*, non connotat *Filium*. Ergo.

71. Probatur *Tertiò* Antecedens. Quòd prædicata *generare*, *non generare* dicta de *Patre*, *&* *Eſſentia*, non ſint contradictoria, idque propter diverſam appellationem. Tum quia, ſi horum prædicatorum contradictio, non ſalvaretur per diverſam appellationem, non ſalvaretur vel ex eo, quia hæc prædicata: *generare*, *non generare*, dicta de *Patre*, *&* *Eſſentia*, non haberent diverſam appellationem; vel quia diverſa appellatio talium prædicatorum, non eſſet ſufficiens ad tollendam contradictionem eorundem. Neutrum dici debet. Non Primum: *Generat* enim dictum de *Patre*, habet appellationem formalem. Quia verba, & nomina adjectiva, dum dicuntur de ſubſtantivis, eam appellationem habent, quæ cadit ſuper explicitum ſignificatum nominis ſubſtantivi. Et ſic verbi adjectivi *generat*, appellatio eſt talis, quæ cadit ſupra explicitum ſignificatum ſubſtantivi. *Pater non generat* verò negat appellationem formalem verbi adjectivi: *generat* de ſubſtantivo *Eſſentia*; adeóque non habet appellationem formalem. Idque hanc appellationem negat de diverſo ſubjecto, nimirum de *Eſſentia*. Jam verò prædicatum: *generat*, appellationem habet, quæ cadit in ſubjectum *Pater*. Non debet etiam dici ſecundum. Quia illa diverſitas eſt ſufficiens ad tollendam contradictionem, ex vi cujus aliqua prædicata ſunt eſſe, & non eſſe formæ diverſæ. Sed prædicata illa, *generare*, *non generare*, ratione diverſæ appellationis habent, quòd ſint eſſe, & non eſſe formæ diverſæ. Diverſa enim appellatio facit, ut forma affirmata, & negata, cui talis appellatio convenit, ſit forma diverſa. Ergo ad tollendam contradictionem prædicatorum: *generat*, *non generat*, ex diverſa eorundem prædicatorum appellatione habetur diverſitas ſufficiens. Tum quia per diverſam appellationem ſalvatur, quòd ſinè contradictione de *Eſſentia Divina* verè dicatur, & affirmetur, quòd ſit *Pater*, & de eadem *Eſſentia* verè negetur, & dicatur, quòd *non ſit generans*. Ergo etiam per diverſam appellationem ſalvatur, quòd non ſit contradictio in his prædicatis: *generat*, *non generat*, & quòd ſinè contradictione hæc prædicata dicantur de *Patre*, *&* *Eſſentia Divina*. Tum quia, ſi per diverſam appellationem non ſalvaretur contradictio dictorum prædicatorum, fieret id ex eo, quòd non poſſit eſſe diverſa appellatio prædicatorum: *generat*, *non generat*, niſi ſupponatur aliqua Diſtinctio inter *Paternitatem*, *&* *Eſſentiam*. Sed hæc cauſalis non ſubſiſtit. Quia poteſt dari diverſa appellatio ſinè omni diſtinctione. Nam eodem actu Amoris DEI poteſt amari DEUS, & creatura inæquali intenſione. Quo ſuppoſito poteſt enunciari de eodem actu, quòd ille actus ſit amor DEI intenſus ùt 4. & quòd non ſit amor creaturæ intenſus ùt 4. Et tamen in hoc actu nulla eſt diſtinctio Amoris DEI ab amore creaturæ, licèt eſt diverſa appellatio prædicatorum: eſt intenſus ùt 4., non eſt intenſus ùt 4. Itèm de Humanitate Chriſti dicitur, quòd ſit infinitè ſancta, negatur, quòd ſit infinitè omnipotens, aut immenſa. Sed neque in Humanitate Chriſti eſt diſtinctio, neque eſt diſtinctio inter Sanctitatem, & Omnipotentiam DEI, & tamen abſque tali diſtinctione eſt diverſa prædicatorum appellatio.

Reſpondetur ad Objectiones.

72. Argumenti primi Objectionis, omiſſo antecedente, poteſt imprimis negari conſequentia. Oſtenſum enim eſt in probatione Concluſionis, & in impugnationibus reſponſionum adverſæ ſententiæ, hæc prædicata: *generare*, *non generare*, *generari*, *non generari*, quæ verificant-

cantur in Divinis, non posse negari, quòd sint contradictoria, nisi admittatur aliqua distinctio inter *Essentiam*, & *Personalitates Divinas*, de quibus verificantur. Hinc ulteriùs patet, ab Adversariis non obtineri finem, quem intendunt, dum negant, prædicata *generare*, *non generare*, &c. prout verificantur in Divinis, esse contradictoria, nè cogantur admittere aliquam Distinctionem inter *Personalitates*, & *Essentiam Divinam*. Siquidem sive hæc prædicata dicant, sive negent esse contradictoria, coguntur admittere aliquam distinctionem inter *Essentiam*, & *Personas Divinas*.

73. Nego deinde ejusdem Argumenti antecedens. Primi assumpti negatur Major, quamvis & Minor falsa esse debeat. Nimirum quòd *generare*, & *non generare* non sint esse, & non esse ejusdem de eodem supposito, quòd inter *Patrem*, & *Essentiam* non sit ulla distinctio. Si enim hæc non est, quomodo *generare* dictum de *Patre*, *non generare* dictum de *Essentia* non sunt esse, & non esse ejusdem de eodem? Primæ probationis, qua hæc Major probatur, Minorem nego, & dico: Esse, & non esse ejusdem formæ, dicta de diversis subjectis, itá convenire iisdem, ut se excludant ab eodem subjecto. Itá enim conveniunt diversis subjectis, de illisque verificantur, ut repugnet illa convenire eidem subjecto, & de illo verificari. Et sic esse albi, & non esse albi, licèt non repugnent diversis subjectis, v. g. homini Europæo, & Æthiopi, tamen repugnant uni, eidémque subjecto, & se ab hoc excludunt, quatenus impossibile est, unum, eundémque hominem Europæum & esse simpliciter album, & non esse simpliciter album. Eadem Minor potest sic distingui. Prædicata esse, & non esse ejusdem formæ, dicta de diversis subjectis, non se excludunt ab eodem subjecto formaliter, eo sensu, quòd tunc non dicantur de eodem subjecto, nec in uno subjecto sibi actu tunc repugnent. Concedo Minorem. Non excludunt se ab eodem subjecto exigitivè, hoc est, non exigunt essentialiter, ut si unum ex talibus prædicatis conveniat alicui subjecto, alterum eidem subjecto non conveniat. Nego Minorem, & Consequentiam. Secundæ Probationis distinguo Majorem: Prædicata, quæ salvantur à contradictione propria prædicatorum contradictoriorum, non sunt contradictoria. Concedo Majorem. Prædicata, quæ salvantur à contradictione propositionum, hoc est, quò minùs propositiones, in quibus hæc prædicata dicuntur, sint contradictoriæ, hæc inquam prædicata non sunt contradictoria. Nego Majorem. Sed prædicata, quorum unum est esse, alterum est non esse ejusdem formæ, per hoc, quòd non sint de eodem subjecto, salvantur à contradictione propria propositionum, hoc est, quò minùs constituant propositiones contradictorias. Concedo Minorem. Salvantur à contradictione propria prædicatorum, & quò minùs sint contradictoria. Nego Minorem, & Consequentiam. Ac dico: contradictionem aliam esse Propositionum, aliam Prædicatorum. Contradictio Propositionum stat in tali oppositione Propositionum, ex vi cujus de eodem subjecto per unam illarum enuntietur esse alicujus formæ, seu denominationis, per alteram de eodem subjecto negatur esse ejusdem omnino formæ, seu denominationis. Contradictio Prædicatorum stat in tali repugnantia, ex vi cujus unum prædicatum est esse, alterum est non esse ejusdem omnino formæ, & secundùm idem. Ut contradictio propositionum salvetur, satis est, quòd esse, & non esse ejusdem formæ dicantur non de eodem subjecto. Salvari enim talem contradictionem propositionum, est propositiones non esse contradictorias, etiamsi per illas enuntientur prædicata contradictoria, seu esse, & non esse ejusdem formæ. Si verò dicantur talia prædicata de diversis subjectis, & non de eodem, propositiones jam non sunt contradictoriæ, nec sibi eo modo repugnantes, quomodo sibi repugnant propositiones contradictoriæ. Patet id in propositionibus subcontrariis, in materia præsertim contingente: *Aliquis homo est doctus, aliquis homo non est doctus*, in quibus prædicata sunt contradictoria, salvantur tamen à contradictione propositionum per hoc, quòd enuntientur, & verificentur de diversis subjectis, quatenus alius est homo, qui est doctus, & alius, qui non est doctus. Ut verò contradictio prædicatorum salve-

tur, requiritur, ut prædicata, aut ambo ſint eſſe aliquarum formarum, aut ut unum ſit eſſe, alterum non eſſe, ſed diverſæ formæ, aut denominationis, aut ſint eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ, ſed non ſecundùm omnino idem. Prædicata ergo, quæ ſalvantur à contradictione propria prædicatorum, non ſunt contradictoria, ſiquidem per hoc ſalvantur à tali contradictione, quòd deſinant eſſe contradictoria, ſeu quòd deficiant in aliqua conditione requiſita ad eſſe prædicatorum contradictoriorum. Quæ verò ſalvantur à contradictione nonniſi propoſitionum, ſunt adhuc, & poſſunt eſſe contradictoria. Quia poſſunt eſſe prædicata contradictoria, quin ſint propoſitiones contradictoriæ, ùt patet in propoſitionibus contrariis, & ſubcontrariis. Porrò prædicata, quæ ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ ſecundùm omnino idē, per hoc, quòd non ſint de eodem ſubjecto, ſalvantur nonniſi à contradictione Propoſitionum, nullatenus verò ſalvantur à contradictione propria prædicatorum. Adverto in comuni Philoſophorum, & Theologorum acceptione, dum dicuntur aliqua prædicata ſalvari à contradictione, intelligi plerumque contradictionem propoſitionum, quòd ab hac ſalventur; hoc eſt, quòd prædicata alioqui ratione ſui contradictoria dicta de ſuis ſubjectis non faciant propoſitiones contradictorias, poſsintque de illis enunciari ſinè contradictione, & repugnantia. In hac acceptione ſi intelligatur ly *Salvari à contradictione*, falſa erit ſimpliciter Major illa: Prædicata, quæ ſalvantur à contradictione, non ſunt contradictoria. Quia facit hunc ſenſum: Prædicata, quæ enunciantur de ſubjectis taliter, ut ipſæ propoſitiones, & enunciationes non ſint contradictoriæ, non ſunt prædicata contradictoria. Secundùm quem ſenſum dicta Major eſt falſa. Tertiæ Probationis Majorem diſtinguo. Prædicata contradictoria ſunt pars propoſitionum contradictoriarum, determinata ad tales nonniſi propoſitiones conſtituendas. Nego Majorem. Sunt pars propoſitionum contradictoriarum, in actu primo indifferens vel ad propoſitiones contradictorias, vel ad alias conſtituendas. Concedo Majorem Minorem itidem diſtinguo. Sed prædicata, quæ non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ de eodem, non poſſunt eſſe pars propoſitionum contradictoriarum, determinata ad tales nonniſi propoſitiones conſtituendas. Concedo Minorem. Non poſſunt eſſe pars propoſitionum contradictoriarum indifferens ad propoſitiones vel contradictorias, vel alias conſtituendas. Nego Minorem, & Conſequentiam. Ac dico: Prædicata contradictoria eſſe partes propoſitionum contradictoriarum, ſed non determinatas ad has nonniſi propoſitiones conſtituendas, verùm potiùs eſſe partes indifferentes, ut conſtituant vel propoſitiones contradictorias, vel propoſitiones contrarias, vel ſubcontrarias, vel diſparatas. Unde non ſequitur, quòd prædicata contradictoria eſſe debeant eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ de eodem, imò potiùs ſequitur, huiuſmodi prædicata debere præſcindere, & abſtrahere à ſubjecto, ejúſque identitate, & diverſitate. Siquidem prædicata contradictoria, ſi ſunt pars propoſitionum ſubcontrariarum, vel diſparatarum, ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ de diverſis ſubjectis.

74. Ad ſecundum Reſpondeo cum hac Diſtinctione: Illa prædicata ſunt contradictoria, quæ ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem omnino formæ ſecundùm ſe ſpectatæ, & independenter à reſpectu ad diverſa ſubjecta. Concedo Majorem. Quæ ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem omnino formæ, ejuſdem inquam etiam ſecundùm reſpectum, quem talis forma dicit ad idem ſubjectum. Nego Majorem. Sed prædicata, *generare*, *non generare*, prout verificantur in Divinis, non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem omnino formæ, etiam ſpectatæ ſecundùm reſpectum ad idem ſubjectum. Omitto Minorem. Quæ etiam ſic intellecta deberet eſſe falſa. Eo ſenſu, quòd negata omni diſtinctione inter *Eſſentiam*, *&* *Perſonam*, in his prædicatis, *generare*, *non generare*, poſſit haberi reſpectus ad diverſa ſubjecta, Sed prædicata, *generare*, *non generare*, prout verificantur in Divinis, non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem formæ ſecundùm ſe, & independenter à reſpectu ad ſubjecta. Nego Minorem, & conſequentiam. Ac dico: cùm non ſit contra rationem prædicatorum contradictoriorum, eſſe illa, eſſe, & non eſſe formæ ejuſdem de diverſis ſubjectis; non eſt etiam contra rationem eorundem prædicatorum, quòd ſint eſſe, & non

non esse formæ, dicentis respectum ad diversa subjecta, & secundùm hunc respectum diversæ. Imò contradictoria, quæ sunt esse, & non esse formæ de diversis subjectis, per hoc ipsum sunt etiam esse, & non esse formæ diversificatæ, per respectum ad diversa illa subjecta. Et sic hæc contradictoria: Est idem cum Petro, non est idem cum Petro, dicta de diversis subjectis, v. g. de Petro, & Paulo; per hoc ipsum, quòd dicantur de diversis, sunt esse, & non esse formæ, nimirum identitatis cum Petro, ratione respectûs ad diversa subjecta, diversæ. Dum enim de Petro dicitur: Petrus est idem cum Petro, alia identitas affirmatur de Petro. Quia identitas Petri cum Petro, seu identitas, quâ Petrus est idem secum; & alia identitas negatur de Paulo, dum dicitur: Paulus non est idem cum Petro. Quia negatur identitas Pauli cum Petro. Similiter hæc alia prædicata: Albus non albus, dicta de diversis subjectis, v. g. de Petro, & Paulo; per hoc ipsum, quòd dicantur de diversis subjectis, sunt esse, & non esse formæ propter respectum ad diversa subjecta diversæ. Quia sunt esse albedinis unitæ Petro, & non esse albedinis unitæ Paulo. Albedo verò unita Petro, & albedo unita Paulo, sunt formæ diversæ propter uniones, earúmque respectum ad diversa subjecta. Primam Minoris Probationem distinguo: *Generare generatione* activa *Paternitatis*, & *non generare generatione* activa *Essentiæ*, sunt esse, & non esse formæ diversæ illa nonnisi diversitate, quæ habetur à respectu diversorum subjectorum. Transeat Major: Hæc enim deberet negarì, negata omni distinctione inter *Essentiam*, & *Personas*. *Generare generatione* activa *Paternitatis*, & *generare generatione* activa *Essentiæ*, sunt esse, & non esse formæ diversæ, diversitate independente à respectu diversorum subjectorum. Nego majorem. Concessâ Minore similiter distinguendum erit Consequens. Secundam itidem Probationem distinguo. Esse formæ possibilis, & non esse formæ impossibilis impossibilitate secundùm se absoluta, & independente à respectu ad diversa subjecta, non sunt esse, & non esse ejusdem omnino formæ. Concedo Majorem. Esse formæ possibilis, & non esse formæ impossibilis, impossibilitate respectiva, & dependente à respectu ad diversa subjecta, non sunt esse, & non esse ejusdem formæ. Subdistinguo. Non sunt esse, & non esse ejusdem formæ identitate pertinenter se habente ad rationem prædicatorum contradictoriorum. Nego Majorem. Non sunt esse, & non esse ejusdem formæ identitate impertinenter se habente ad rationem contradictionis in prædicatis. concedo hanc partem subdistinctæ Majoris. Eodem modo distincta Minore, nego Consequentiam, & dico: Cùm non sit de ratione prædicatorum contradictoriorum, ut sint esse, & non esse ejusdem formæ de eodem subjecto, ùt aliàs ostensum est; non est quoque de ratione eorundem prædicatorum, ut sint esse, & non esse ejusdem formæ, identitate tali, & in ea ratione, quæ repugnat diversitati subjectorum. Adeóque non est de ratione contradictoriorum; ut si unum est formæ possibilis, alterum etiam sit non esse formæ itidem possibilis, si identitas formæ in hac ratione repugnat diversitati subjectorum. Patet id in exemplo suprà allato. In prædicatis propositionum: *Petrus est idem cum Petro; Paulus non est idem cum Petro.* Quæ prædicata sunt esse, & non esse ejusdem formæ, tali identitate, quæ videtur esse independens à respectu à subjecto, non sunt tamen esse, & non esse ejusdem formæ, identitate respectiva ejusdem subjecti, & à tali respectu proveniente. In particulari, non sunt esse, & non esse ejusdem formæ identitate, in ratione formæ possibilis. Licèt enim identitas Petri cum Petro affirmata per propositionem: *Petrus est idem cum Petro*, sit forma possibilis, tamen identitas Petri cum Paulo, quæ negatur per propositionem: *Paulus non est idem cum Petro*, non est forma possibilis, sed est forma impossibilis. Doctrina hæc de prædicatis contradictoriis, & de identitate formæ, per hæc prædicata affirmatæ, & negatæ, est conformis doctrinæ de identitate prædicati, & subjecti in propositionibus contradictoriis traditæ in Dialectica à me impressa Disp. 2. num. 108. Nimirum sicut ibi docui, Propositiones contradictorias debere esse de eodem prædicato, & subjecto illa identitate, quæ stet cum repugnantia earundem propositionum, in quantitate, & qualitate ipsis essentiali. Ità nunc doceo, & dico: prædicata contradictoria esse debere esse, & non esse

ejuſdem formæ ea identitate, quæ ſtet cum diverſitate ſubjectorum, quando contradictoria dicuntur de diverſis ſubjectis. Tertiæ Probationis. Nego ſimpliciter Majorem, utpote nullatenus ſubſiſtentem. Tum quia nulli juſto nititur fundamento. Tum quia ex hac majore admiſſa, ſequitur nullam chimæram eſſe chimæram, & nulla prædicata contradictoria aſſignari & cogitari poſſe. Et ſic hircocervus non erit chimæra & impoſſibilis. Dici enim poteſt, quòd hircocervus nulla dicat & involvat contradictoria, quæcunque enim aſſignabuntur, non erunt talia, quæ non dicant reſpectum ad diverſos conceptus præciſivos per quos præſcinderetur hircus à cervo ſibi identificato. Non repugnabit etiam Animal Petri produci, Rationale Petri non produci. Quia, *produci, non produci*, non ſunt contradictoria, propter reſpectus ad diverſos conceptus præciſivos, per quos præſcinditur animal à Rationali. Tum quia ſequitur propoſitiones: *Petrus eſt homo, Petrus non eſt homo*, non eſſe contradictorias. Contradictoriæ enim propoſitiones debent habere prædicata contradictoria. Allatæ verò propoſitiones non habent prædicata contradictoria, prædicata enim harum propoſitionum dicunt reſpectum ad diverſos conceptus, per quos ſubjectum propoſitionis affirmativæ, poteſt præſcindi à ſubjecto propoſitionis negativæ. Tum quia contradictionem prædicatorum non tollit reſpectus ad diverſa ſubjecta; Ergo neque tollit eandem reſpectus ad ſubjecta â ſe præciſa, adeóque ad conceptus præciſivos. Circa Minorem ejuſdem Probationis illud adverto: Quòd prædicatorum: *generare, non generare*, reſpectus ad diverſos conceptus præciſivos ſubjecti, nimirùm ad conceptus præciſivos *Paternitatis, & eſſentiæ*, ſupponat præciſionem, adeóque diſtinctionem rationis inter *Perſonalitates Divinas & Eſſentiam*. Unde ulteriùs ſequitur, non poſſe aſſeri, quòd in Divinis, prædicata *generare non generare*, non ſint contradictoria, & quòd poſſint verificari excluſa & negata omni diſtinctione inter *Paternitatem, & Eſſentiam*. Ad quartam Probationem dico. Negando imprimis Majorem. Si enim ex hoc, quòd Petro conveniat eſſe dextrum reſpectu Pauli, eſſe ſiniſtrum reſpectu Joannis; non ſequitur Petrum ratione talis reſpectûs & connotationis, non eſſe eundem Petrum. Neque ex hoc ſequitur, quòd aliqua prædicata non ſint eſſe & non eſſe ejuſdem formæ, per hoc, quòd connotent diverſa, habeántque modum connotandi diverſa. Inſtantia de actione & Paſſione non videtur eſſe ad rem præſentem, imò eſt contra opponentem. Sicut enim non obſtante diverſa connotatione actionis, & Paſſionis, Actio & Paſſio, ſunt una eadémque entitas; ità non obſtante diverſa connotatione, quam haberet aliqua forma dum affirmatur vel negatur, illa forma adhuc eſt eadem & non diverſa. Omiſſa deinde Majore Negatur Minor, quòd prædicata: *generare non generare*, prout præſcindunt & abſtrahunt, à ſubjectis, habeant diverſam connotationem & diverſum connotandi modum. Licèt verò *Paternitas* & *Eſſentia* habeant diverſum connotandi modum, aut potiùs quòd *Paternitas*, utpote prædicatum Relativum habeat connotationem; connotat enim *Filium*. *Eſſentia* verò utpote prædicatum abſolutum, non dicat connotationem, tamen hoc ipſum ſalvandum eſt: Qua ratione, negata omni diſtinctione inter *Eſſentiam & Paternitatem*, de his verificantur illa prædicata: *Paternitas connotat Filium, Eſſentia non connotat Filium*; Salvandum etiam eſt: An: *connotare Filium, non connotare Filium ſint contradictoria*. Quodſi non ſunt, quare talia non ſint? Hoc denique ſalvandum: Quare propter diverſam connotationem ſubjectorum, prædicata *generare non generare*, non ſint contradictoria? cùm nec diverſitas ſubjectorum, nec reſpectus illorum tollat contradictionem, in prædicatis, ſi ſint eſſe & non eſſe ejuſdem formæ, ejuſdem inquam, independenter à tali reſpectu.

75. Ad Tertium Reſpondeo. Primæ Probationis Tranſita Majore propter diſjunctivam malè formatam: Nego Minorem. Nimirum nego hæc prædicata: *generare non generare* in Divinis, ſi negetur omnis diſtinctio inter *Paternitatem & Eſſentiam*, habere vel poſſe habere diverſam appellationem. Nego itèm, ſi detur diverſa appellatio horum prædicatorum, eam ſufficientem eſſe ad tollendam contradictionem eorundem. Non habent

impri-

imprimis hæc prædicata: *generare non generare*, diversam appellationem, negata omni distinctione inter *Paternitatem & Essentiam*. Quia appellatio prædicati *generat*, deberet cadere supra aliud subjectum, & significatum. Et iterum appellatio prædicati *non generat*, deberet cadere supra aliud & diversum subjectum & significatum. Non cadunt verò appellationes horum prædicatorum supra subjectum & significatum aliud & aliud. Quia cadunt supra *Paternitatem*, & *Essentiam*, inter quæ cùm nulla sit distinctio, nulla est subjectorum alietas. Licet verò esset diversa appellatio horum prædicatorum, tamen hæc non esset sufficiens ad tollendam contradictionem eorundem. Diversitas enim in esse & non esse alicujus formæ, per quæpiam prædicata significatæ, diversitas inquam proveniens à diversis subjectis, vel à respectu diversorum subjectorum, non tollit contradictionem talium prædicatorum, sed diversitas appellationis, quam habent prædicata: *generare*, *non generare*, est diversitas proveniens à diversitate subjectorum vel à respectu ad diversa subjecta. Quia hæc diversitas appellationis, secundùm objicientis explicationem, provenit ex eo, quòd appellatio prædicati, *generat*, cadat supra explicitum significatum *Patris* (en respectus unius subjecti) appellatio verò prædicati *non generat* cadat supra explicitum significatum *Essentiæ* (en respectus alterius subjecti) Ergo. Ad secundam Probationem Respondeo cum distinctione. Per diversam appellationem salvatur, quòd de *Essentia* verè dicatur, quòd sit *Pater*, & de eadem *Essentia* verè dicatur, quòd *non sit generans*, salvatur inquam, supposita aliqua distinctione inter *Patrem & Essentiam*. Concedo Antecedens. Nulla supposita inter hæc distinctione. Nego Antecedens & Consequentiam. Disparitas deinde est. Per diversam appellationem salvatur, quòd hæ propositiones: *Essentia est Pater*, *Essentia non est generans*. Non sint contradictoriæ etiam arguitivè & consequenter. Non autem salvatur, quòd esse & non esse ejusdem formæ, non sint contradictoria, idque salvatur per diversam appellationem convenientem prædicatis, ipsis: *Pater*, & *generans* sinè respectu ad diversa subjecta. Cùm unum idémque subjectum sit, de quo unum prædicatum affirmatur, alterum negatur. E contrà dum asseritur, quòd prædicata *generare non generare*, non sint esse & non esse ejusdem formæ, ratione diversæ appellationis, per diversam appellationem salvatur contradictio ipsorum prædicatorum. Vult enim objiciens, ipsa prædicata, *generat non generat*, non esse contradictoria propter diversam appellationem, quæ ipsa appellatio desumitur à respectu ad diversa subjecta, non convenit verò dictis prædicatis independenter à tali respectu. Idque diversitas appellationis explicatur per diversa significata & subjecta, supra quæ cadit. Cùm tamen negata distinctione inter Personalitates & *Essentiam*, nulla sit diversitas in ipsis significatis & subjectis. Tertiæ Probationis. Nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: Manifestam esse repugnantiam in terminis, si dicatur, quòd supra diversa significata cadat appellatio diversorum prædicatorum, & tamen non detur ulla diversitas inter ipsa significata, seu, quòd non detur ratio formalis, ratione cujus sint diversa. Porrò dum dicitur, quòd appellatio prædicatorum *generat non generat*, cadat supra diversa significata, nimirùm supra *Paternitatem & Essentiam*, dúmque simul negatur inter hæc omnis distinctio, asseritur hoc ipso, quòd horum prædicatorum appellatio cadat supra diversa significata, absque eo, quòd inter talia significata, detur aliqua diversitas, & ratio formalis, ratione cujus sint diversa. Hæc enim ratio formalis deberet esse distinctio aliqua eorundem significatorum, nimirum *Paternitatis & Essentiæ*, quæ tamen negatur. Ergo. Ad instantias quæ adducuntur, dico: Ad Primam: Prædicata illarum propositionum: *Amor DEI est intensus ùt* 4. *Amor Creaturæ non est intensus ùt* 4. Supposita identitate reali utriusque hujus amoris, esse prædicata contradictoria, nec per diversam appellationem, destrui in illis rationem contradictionis: Ipsas tamen propositiones, non esse contradictorias ob diversitatem in subjecto, sufficientem, ad tollendam contradictionem propositionum. Quæ diversitas subjecti habetur ratione respectûs ad diversa connotata. Secunda Instantia non videtur esse ad rem. In illis enim

enim prædicationibus: *Humanitas Christi est infinitè Sancta, Humanitas Christi non est omnipotens, immensa &c.* Prædicata non sunt contradictoria. Quia non sunt esse & non esse ejusdem denominationis. Alia enim est denominatio esse sanctum, alia est, esse Omnipotentem. Porrò etiam hæc prædicata dici possunt de eadem Humanitate Christi propter capacitatem ipsi convenientem unius denominationis, incapacitatem alterius. Humanitas enim Christi est capax denominationis, seu denominari infinitè sancta, non est capax denominari omnipotens, immensa. Ut docetur de incarnatione.

§. II.

An respectus Identicus salvet contradictoria quæ dicuntur de Essentia & Personis?

76. Dicendum est: Negata omni distinctione inter *Essentiam & Personalitates*, verificationem prædicatorum contradictoriorum, *generat non generat, generatur, non generatur* &c. de *Personalitatibus, & Essentia*, non bene salvari, nec cum Principiis lumine naturæ notis, conciliari, per duplicem respectum, quorum unus ex parte *Essentiæ* sit respectus Identicus ad *Personalitates*, alter respectus ex parte *Personæ*, ídque prout hæc respicit aliam *Personam*, à se distinctam, sit respectus physicus & realis.

Probatur *Primò*. Negata omni distinctione inter *Essentiam & Paternitatem*, hæc prædicata: *Paternitas generat, Essentia non generat*, ità verificantur de suis subjectis, ut verificatio prædicati: *non generat* de *Essentia*, non habeatur ex respectu identico *Essentiæ ad Filiationem*. Ex quo tamen, secundùm doctrinam oppositæ sententiæ, deberet haberi. Ergo. Antecedens probatur. In tantum verificatio prædicati: *non generat* de *Essentia*, haberetur ex respectu Identico *Essentiæ ad Filiationem*, in quantum *Essentia* dicit respectum Identicum ad *Filiationem*, seu in quantum dicit identitatem cum *Filiatione*, éstque identicè *Filiatio*, quæ *Filiatio non generat*. Sed in tantum non habetur verificatio dicti prædicati sinè distinctione aliqua *Essentiæ à Paternitate*. Ergo. Major est doctrina Sententiæ oppositæ. Minor probatur. Tum quia *Essentia* ùt dicens respectum Identicum ad *Filiationem*, seu, ùt dicens identicè *Filiationem* (hæc enim sunt omnino idem) distinguitur à *Paternitate*. *Essentia* enim, ùt dicens identicè *Filiationem*, dicit *Filiationem*, quam non dicit *Paternitas*, ratione cujus distinguitur à *Paternitate*. Ergo non sinè aliqua distinctione *Essentiæ à Paternitate*, de *Essentia*, ùt dicente respectum identicum ad *Paternitatem*, verificatur prædicatum: *non generat*. Tum quia, quando datur distinctio inter ea, de quibus verificantur hæc contradictoria: *generat non generat*, tunc eadem prædicata non verificantur sinè omni distinctione, sed est distinctio inter ea, de quibus dicta prædicata verificantur. Hæc enim verificantur de *Essentia* prout dicente respectum Identicum ad *Filiationem, & de Paternitate*. Est autem distinctio inter *Essentiam* prout dicentem respectum identicum ad *Filiationem*, & inter *Paternitatem*. Si enim *Essentia*, dicens respectum identicum ad *Filiationem*, & *Paternitas*, non essent ullatenus distincta, sed essent omnino idem; quidquid diceretur de uno, id ipsum dici deberet & de altero, omnino identificato cum priore: adeóque sicut *Essentia* dicens respectum identicum ad *Filiationem non generat*, ità id ipsum dici deberet de *Paternitate*, quòd *non generet*. Implicat enim idem esse & non esse. Tum quia de *Essentia* prout dicente respectum ad *Filiationem*, verificari prædicatum: *non generat*, est *Essentiam* identificari *Filiationi*, quæ *non generat*. Sed est distinctio inter *Filiationem*, quæ *non generat*, & inter *Paternitatem*, quæ *generat*; seu est distinctio inter verificativum hujus propositionis: *Essentia est identificata Filiationi quæ non generat, & inter verificativum hujus* alterius propositionis: *Paternitas generat*. Quia partiale verificativum hujus alterius propositionis: *Essentia* identificata Filiationi *non generat*, est *Filiatio non generans*, ídque est verificativum principale. Est autem distinctio inter *Filiationem*, & inter *Paternitatem*. Ergo. Tum quia *Essentia* propter respectum identicum in tantum *non generat*, qnia identificatur *Filiationi, quæ non generat*. Ergo etiam eadem *Essentia* propter respectum identicum ad *Filiationem*, est distincta à *Paternitate*. Quia *Filiatio* cui iden-

identificatur *Eſſentia*, & ad quam dicit reſpectum, eſt diſtincta à *Paternitate*.

77. Probatur *ſecundò*: Prædicata: *generat*, & *non generat* verificantur de *Paternitate* & de *Eſſentia* dicente reſpectum identicum ad *Filiationem*, ſeu de *Eſſentia* dicente *Filiationem*. Sed eſt diſtinctio inter *Paternitatem*, & inter *Eſſentiam*, dicentem identicè *Filiationem*. Ergo prædicata *generat non generat* verificantur de *Paternitate* & *Eſſentia*, inter quæ eſt diſtinctio; adeóque verificantur de diſtinctis. Minor probatur: Eſt diſtinctio inter *Paternitatem*, & inter *Filiationem*, ùt Fides docet. Ergo etiam eſt diſtinctio inter *Eſſentiam* dicentem *Filiationem*, & inter *Paternitatem*. *Eſſentia* enim dicens identicè *Filiationem* eſt *Filiatio*. Ergo ſi eſt diſtinctio inter *Filiationem* & *Paternitatem*, eſt diſtinctio inter *Eſſentiam* dicentem identicè *Filiationem*, & inter *Paternitatem*. Confirmatur. Si non eſt diſtinctio inter Eſſentiam dicentem identicè *Filiationem*, & inter *Paternitatem*, ſequitur verificari contradictoria, quæ neque per diſtinctionem ullam, neque per ullum reſpectum identicum ſalvari poſſunt. Nimirum ſequitur verificari hæc contradictoria: *Filiatio diſtinguitur à Paternitate*; *Eſſentia dicens Filiationem non diſtinguitur à Paternitate*. Hæc enim contradictoria: *Diſtingui à Paternitate, non diſtingui à Paternitate*, ità dicuntur de *Eſſentia* dicente *Filiationem*, & de *Filiatione*, ut nec ſalventur per diſtinctionem *Eſſentiæ* dicentis *Filiationem* à *Filiatione*. Quia hæc diſtinctio negatur. Nec ſalvantur per reſpectum identicum. Reſpectus enim identicus, quem dicit *Eſſentia*, dicens identicè *Filiationem*, nullatenus infert *Eſſentiam* dicentem hunc reſpectum, verificare prædicatum. *Non diſtingui à Paternitate*, quin potiùs infert verificare illam prædicatum huic oppoſitum; nimirum *diſtingui à Paternitate*, propter oppoſitionem Relativam *Filiationis* cum *Paternitate*.

78. Probatur *Tertiò*: Admiſſo modo ſalvandi contradictoria per reſpectum Identicum, æqualiter de *Eſſentia Divina* dicitur; *generat*, atque dicitur, *non generat*. Ergo hic modus ſalvandi contradictoria non eſt idoneus. Antecedens probatur. Non minùs *Eſſentia Divina* dicit reſpectum identicum ad *Paternitatem*, *quæ generat*; atque dicit reſpectum Identicum ad *Filiationem*, *quæ non generat*. Quia non minùs identificatur *Patri*, quàm identificetur *Filio*. Ergo ſi *Eſſentia Divina*, ratione reſpectûs identici ad *Filiationem*, verificat prædicatum *non generat*, eadem *Eſſentia* ratione reſpectûs Identici ad *Paternitatem*, verificabit prædicatum *generat*. Confirmatur *Primò*. *Eſſentia Divina* non ſolùm ex vi reſpectûs Identici ad *Filium*, eſt *Filius*, ſed etiam ex vi reſpectûs identici ad *Patrem*, eſt *Pater*. *Eſſentia* enim hæc juxta Definitionem Concilii Lateranenſis, *eſt quædam ſumma res*, *quæ veraciter eſt Pater*, & *Filius*, & *Spiritus S.* Ergo eadem *Eſſentia*, ſicut ex vi reſpectûs identici ad filium, non generat, ità ex vi reſpectûs identici ad *Patrem*, *generat*. Confirmatur *ſecundò*. Ex eo, *Eſſentia Divina non generat*, quia ex vi reſpectûs identici ad *Filium*, *eſt Filius*, *qui non generat*; ſed etiam eadem Eſſentia Divina, ex vi reſpectûs identici ad *Patrem*, *eſt Pater*, *qui generat*. Ergo ſicut ex vi reſpectus Identici ad *Filium*, *non generat*, ità ex vi reſpectûs identici ad *Patrem*, *generat*. Confirmatur *tertiò*: *Eſſentia Divina*, ex vi reſpectûs identici ad *Filium non generat*, ídque ideo, quia *Filius non generat*. Ergo eadem *Eſſentia* ex vi ejuſdem reſpectus identici ad *Filium*, *generatur*. Quia *Filius generatur*. Et iterum. *Eſſentia Divina*, ex vi reſpectûs Identici ad *Patrem non generatur*, ídque ex eo, quia *Pater non generatur*. Ergo ex vi ejuſdem reſpectûs, eadem *Eſſentia generat*; *quia Pater generat*. Adeóque ulteriùs, ex vi reſpectûs Identici *Eſſentia generat*, & *non generat*, & *eadem Eſſentia generatur*, & *non generatur*; debéntque de *Eſſentia* dici æqualiter hæc prædicata, quædam ex vi reſpectûs Identici ad *Patrem*, alia ex vi reſpectûs Identici ad *Filium*.

79. Probatur *quartò*: Inter tres *Perſonalitates Divinas* & inter unam *Perſonalitatem Divinam* intervenit aliqua diſtinctio; ùt videtur eſſe certum; éſtque hæc Diſtinctio realis inadæquata. Ergo etiam inter *Eſſentiam Divinam*, & inter unam *Perſonalitatem* debet intervenire aliqua diſtinctio. Adeóque non bene recurritur ad reſpectum identicum negata omni diſtinctione. Conſequentia probatur. Tres *Perſonalitates Divinæ*, & *Eſſentia Divina*, ſunt omnino idem, ùt docet Concilium Late-

Lateranense suprà num. 60. adductum. Ergo si tres *Personalitates Divinæ* distinguuntur aliqua distinctione ab una *Persona*; etiam *Essentia Divina* aliqua distinctione distinguitur, & debet distingui ab una *Persona*. Confirmatur. Si tres *Personalitates* distinguerentur aliqua distinctione ab una *Personalitate*, & *Essentia Divina* indistincta à tribus *Personalitatibus*, non distingueretur ab una *Personalitate*, sequeretur, quòd de *Essentia Divina*, & de tribus simul *Personalitatibus* verificarentur prædicata contradictoria, quæ nec per distinctionem ullam, nec per respectum identicum salvarentur. Nimirum de tribus *Personalitatibus* verificaretur hoc prædicatum, quòd distinguantur ab una *Personalitate*: de *Essentia* verificaretur, alterum hoc contradictorium, quòd non distinguatur ab una *Personalitate*. Quæ tamen verificatio contradictoriorum nec per distinctionem ullam salvatur; siquidem omnis distinctio inter *Essentiam*, & quamlibet *Personalitatem*, negatur. Et tantò magis negatur distinctio inter *Essentiam*, & tres *Personalitates*. Neque etiam hæc contradictoria salvantur per respectum identicum; quemcunque enim respectum dicit *Essentia*, eundem dicunt tres simul *Personalitates*. Si enim non dicunt eundem respectum, rursus alia contradictoria verificabuntur de *Essentia*, & tribus *Personalitatibus*: v.g. *Essentia* dicit respectum identicum A, tres simul *Personalitates* non dicunt respectum identicum A. Quæ verificatio nec per distinctionem salvabitur; cùm hæc ab Adversariis negetur, nec per alium novum respectum. Contra hunc enim iterum simile redit argumentum, sequitúrque processus in infinitum in respectibus, nec potest explicari, qui, & quales sunt futuri illi respectus. Ad hoc Argumentum à me aliquando propositum dabantur variæ Responsiones. Hæ tamen omnes tales erant, ut semper aliqua contradictoria dicerentur de *Essentia*, & de tribus *Personalitatibus*. De quibus omnibus contradictoriis urget Argumentum, quomodo salventur, ut sinè contradictione dici possint. Inter alia dicebatur: Quia *Essentia Divina* dicit in obliquo *Personas*, se ipsam in recto: Tres *Personalitates* dicunt se ipsas in recto, *Essentiam* in obliquo. Sed urgebam contra. Dicere *Personas* in obliquo, non dicere *Personas* in obliquo, sunt contradictoria, quæ dici non possunt, quin salventur, vel per distinctionem inter ea, de quibus dicuntur, vel per respectum diversum. Atqui hæc prædicata dicuntur de *Essentia*, & tribus *Personalitatibus*, nec tamen salvantur per distinctionem ullam, nec per ullum respectum, ut probatum est. Ergo.

80. Probatur quintò. *Essentia Divina* ratione sui verificat prædicatum *non generat*; Ergo verificatio hujus prædicati non habetur ratione respectûs identici ad *Filiationem*. Antecedens probatur. Tum quia *Essentia Divina* ratione sui est complexum prædicatorum absolutorum necessariorum DEI, seu *Essentia Dei*, secundùm se, sunt prædicata DEI absoluta. Sed his secundùm se sumptis, convenit *non generare*. Quia prædicatis absolutis secundùm se sumptis convenit quòd ratione sui non sint prædicata Relativa; adeóque cùm *generare* sit prædicatum relativum, prædicatis absolutis secundùm se, seu ipsi *Essentiæ* convenit, quòd *non generet*. Ergo. Tum quia vera est hæc propositio: *Pater* concretè sumptus secundùm *Essentiam non generat*, secundùm *Paternitatem generat*; sed non potest esse vera, nisi verum sit, quòd *Essentia* ratione sui *non generet*. Ergo *Essentia* ratione sui *non generat*. Major patet. Quia *Pater*, quasi concretè sumptus, dicit pro materiali *Essentiam*, pro formali *Paternitatem*. Licèt ergo *Pater* secundùm formale *Patris generet*, tamen secundùm materiale *non generat*. Quia hoc materiale idem est *in Patre*, quod est *in Filio* concretè sumpto, quod utique *non generat*. Minor probatur. *Pater* concretè sumptus secundùm *Essentiam* eo modo sumptam *non generat*, quo modo sumptam dicit pro materiali. Sed *Pater* concretè sumptus, pro materiali dicit *Essentiam* secundùm se; non enim dicit *Essentiam* sumptam cum respectu identico ad *Filiationem*; quia eo ipso dicendo taliter *Essentiam*, sumptam pro materiali, *Pater* concretè sumptus diceret pro materiali respectum identicum ad *Filiationem*, ipsámque *Filiationem*. Ergo. Tum quia *Pater* concretè sumptus, secundùm *Essentiam non generat* essentialiter; sed *non generare* essentialiter, convenit *Essentiæ* ratione sui, non ratione respectûs identici, ratione cujus solùm convenit *Essentiæ non generare* notiona-

naliter. Ergo *Pater* concretè ſumptus ſecundùm *Eſſentiam* ratione ſui *non generat.*

81. Probatur ſextò. Salvari contradictoria de *Natura*, & *Perſonis Divinis* per reſpectum identicum, eſt ſalvari contradictoria per diſtinctionem virtualem, intrinſecâ, aliàs Thomiſticam. Ergo non eſt ſalvari talia contradictoria ſinè omni diſtinctione. Antecedens probatur. Salvari contradictoria per diverſum reſpectum identicum, eſt unam, eandémque rem æquivalere pluribus, per ordinem ad verificanda contradictoria propter reſpectum identicum, quem illa res dicit ad plura diſtincta. Sed hoc ipſum dicit Diſtinctionem virtualem intrinſecam, ſive Thomiſticam. Æquivalentia enim pluribus diſtinctis per ordinem ad verificanda contradictoria propter reſpectum ad plura diſtincta, eſt Diſtinctio virtualis intrinſeca, ſeu Thomiſtica. Thomiſtæ enim hanc ſuam Diſtinctionem explicant per æquivalentiam unius, ejuſdémque entitatis per ordinem ad verificanda contradictoria. Neque excludunt reſpectum talis entitatis ad plura diſtincta, ſiquidem illam rem dicunt æquivalere pluribus in ordine ad verificanda contradictoria, quæ vel præſtat plures diverſos effectus, vel aliquem alium reſpectum dicit ad plura. Et ſic eadem entitas hominis dicitur æquivalere pluribus in ordine ad verificanda contradictoria. Quia præſtat diverſos effectus, dicitque reſpectum ad diverſa, nimirum ad ſenſationes, ratiocinationes, &c. Ad hoc Argumentum aliquando propoſitum reſpondebatur: Æquivalentiam hanc, quæ habetur ratione reſpectûs identici, non eſſe Diſtinctionem virtualem intrinſecam Thomiſticam. Hæc enim Diſtinctio eſt æquivalentia ad verificanda contradictoria propter reſpectus diverſos extrinſecos, non intrinſecos. Porrò, qui ſalvant contradictoria in Divinis per reſpectum identicum, admittunt in DEO æquivalentiam pluribus in ordine ad verificanda contradictoria, ratione reſpectûs identici, adeóque intrinſeci. Sed contra eſt. Etiamſi Thomiſtæ in creatis admittant Diſtinctionem virtualem intrinſecam, quæ ſit æquivalentia ad verificanda contradictoria ratione diverſorum reſpectuum extrinſecorum (intellige reſpectus extrinſecos terminativè, ſeu quoad terminos, non verò ſubjectivè, ſeu quoad ſubjectum, & fundamentum talium reſpectuum, tamen in Divinis in ordine ad verificanda contradictoria, quæ dicuntur de *Natura*, & *Perſonis*, non aliam admittunt Diſtinctionem virtualem, niſi quæ ſit æquivalentia ad verificanda contradictoria, ratione diverſorum reſpectuum intrinſecorum, ſeu identicorum, (intellige etiam terminativè.) Unde enim eſt, quòd illam admittant, vel hanc negent?

Confirmatur. Æquivalentia ad verificanda contradictoria ratione reſpectûs identici ad diſtincta, eſt aliqua Diſtinctio virtualis. Quia illi convenit conceptus Diſtinctionis virtualis. Hæc enim ex ſuo conceptu eſt æquivalentia ejuſdem entitatis ad plura. Sed hujuſmodi æquivalentia non eſt Diſtinctio virtualis extrinſeca. Hæc enim eſt ſolùm æquivalentia unius, ejuſdémque entitatis, ad præſtandos plures effectus, quales plures diſtincta præſtare ſolent. Ergo eſt virtualis intrinſeca, quæ ex ſuo conceptu eſt æquivalentia ad verificanda contradictoria de identificatis realiter. Quòd ſi dicas: hanc æquivalentiam eſſe Diſtinctionem virtualem intrinſecam, ſed non Thomiſticam. Reponam ego: Sit ſanè, quòd hæc æquivalentia ſit Diſtinctio virtualis intrinſeca, non tamen Thomiſtica. Tamen eſt Diſtinctio virtualis intrinſeca, valde affinis, & proxima Thomiſticæ: adeóque prædicata contradictoria, quæ de *Eſſentia*, & *Perſonis* verificantur, ratione reſpectûs identici non verificantur ſinè omni Diſtinctione.

Proponuntur Objectiones.

82. Objicitur, & probatur ſinè omni Diſtinctione inter *Eſſentiam*, & *Perſonas* poſſe ſalvari prædicata ſibi repugnantia, quæ ſecundùm Fidem dicuntur de eadem *Eſſentia*, & *Perſonis*, poſſe inquam ſalvari per reſpectum identicum. Primò: Contradictoria verificari de uno, eodémque reſpectu diverſo non implicat. Ergo poſſunt ſalvari contradictoria dicta de *Natura*, & *Perſonalitatibus* per ſolùm reſpectum identicum ſinè omni diſtinctione. Antecedens probatur. Etiamſi pleraque contradictoria verificentur, & verificari debeant, de diſtinctis tamen ſunt aliqua, quæ verificantur, & poſſunt verificari de eodem, ſed non reſpectu eodem. Et ſic

esse dextrum, non esse dextrum, possunt verificari de eodem Petro respectu diverso. Nam Petrus comparatus ad Paulum, quem habet à sinistris, est dexter; idem Petrus comparatus ad Joannem, quem habet à dextris, non est dexter. In Divinis etiam hæc prædicata: *Esse verè dicibile de Natura, non esse verè dicibile de Natura*, dicuntur de omnino identificatis; nimirum de *Patre, & generante*. Nam *Pater* est verè dicibilis de *Natura*. Cùm sit vera hæc prædicatio: *Natura seu Essentia Divina est Pater*. *Generans* non est verè dicibilis de eadem *Essentia*. Cùm falsa sit hæc propositio: *Essentia est generans*.

83. Probatur secundò. Propositiones illæ, in quibus contradictoria dicuntur de subjecto, respectum diversum dicente, non sunt contradictoriæ. Quia non sunt de eodem secundùm omnino idem. Quodsi non sunt contradictoriæ, possunt esse ambæ veræ; adeóque possunt verificari de eodem sinè omni distinctione, solùm ratione diversi respectûs. Ergo & in Divinis prædicata, *generare, & non generare*, possunt verificari de *Essentia, & Paternitate* sinè omni inter hæc distinctione, ratione solius diversi respectûs identici ex parte *Essentiæ*, non identici ex parte *Paternitatis*.

84. Tertiò. Si illa contradictoria, quæ dicuntur in Divinis, non possent verificari de *Natura, & Personalitatibus*, ratione respectûs identici, idque exclusa omni Distinctione, fieret id ex eo: Quia salvari contradictoria per respectum identicum, esset illa salvari per Distinctionem inadæquatam extensivè. Sed causalis non subsistit. Est enim magna differentia inter modum salvandi contradictoria per Distinctionem inadæquatam extensivè, & inter modum salvandi contradictoria per respectum identicum. Ex his enim prædicatis: *Generat, non generat*, dictis de *Patre, & Essentia*, admissa inter hæc Distinctione inadæquata extensivè, prædicatum *non generat*, verificatur de *Essentia*, ratione *Filiationis*, seu de *Essentia* sumpta cum *Filiatione*. Jam autem in sententia salvante eadem contradictoria per respectum identicum, ly *non generat*, verificatur de *Essentia* secundùm se, licèt dicente respectum identicum ad *Filiationem*, seu connotante *Filiationem*.

85. Quartò. Ex vi respectûs identici diversi, & multiplicis ad distinctas *Personas*. Non derivatur in *Essentiam Divinam* prædicatum *Distincti*. Si enim in *Essentiam Divinam* derivari non possunt illa prædicata, quæ solùm arguitivè important Distinctionem; qualia prædicata sunt: *generare, generari*, multò minùs poterit derivari ipsum formale prædicatum *distincti*. Ergo. Confirmatur. Etiamsi à *Persona Filii* derivetur in *Essentiam* prædicatum *non generantis*, ità ut simpliciter, & sinè addito possit dici *essentia non generans*, tamen secundùm Fidem, prædicatum *distincti*, non potest sic derivari in *Essentiam* à *Personis*, ut *Essentia* dicatur simpliciter *distincta* à *Persona*.

86. Quintò. Fides horret Distinctionem omnem inter *Essentiam*, & *Personas*. Ergo non est admittenda. Et prædicata, si quæ sunt contradictoria, salvari debent alia ratione, & non per Distinctionem. Possunt autem salvari per respectum identicum sinè omni Distinctione.

Solvuntur Objectiones.

87. Respondeo ad primum cum Distinctione. Contradictoria verificari diverso respectu de uno, eodémque secundùm se, simul tamen distincto ratione diversi respectûs, non implicat. Concedo Antecedens. Contradictoria verificari de uno, eodémque excludente etiam Distinctionem ratione diversi respectûs non implicat. Nego Antecedens, & Consequentiam. Ad Probationem Antecedentis dico: Eò ipso, quòd contradictoria verificentur de eodem respectu diverso, verificari illa de distinctis inadæquatè, verificari enim unum contradictorium, de re cum uno respectu accepta; alterum de eadem re cum alio respectu itidem accepta. Porrò si respectus ipsi sunt distincti, est distinctio inadæquata inter rem acceptam cum uno respectu, & inter eandem rem cum alio respectu itidem acceptam. Hæc ipsa Doctrina clara est in verificatione prædicatorum: *Dextri, non dextri*, de uno, eodémque *Petro*. Prædicatum enim *dextri* verificatur de *Petro*, prout comparato ad *Paulum*, & taliter ubicato, ut *Paulum* à sinistris habeat. Quia dictum prædicatum dextri non potest verificari, nisi de subjecto habente talem denominationem, adeóque habente formam, à qua dicitur *dexter*. Talis verò forma sunt ubi-

bicationes *Petri*, *&* *Pauli*, talem ordinem inter ſe ſervantes. Prædicatorum verò, *non dextri*, verificatur de *Petro* prout comparato ad *Joannem*, ejúſque ubicationem, imò comparato ad ubicationes tam *Petri*, quàm *Joannis*. Per has enim ubicationes, earúmque ordinem determinatur *Petrus* ad eſſe *dextri*, ſed *ſiniſtri* reſpectu *Joannis*. Exemplum de *Patre*, & *generante* in Divinis, non eſt pro objiciente, ſed potiùs contra eundem. Siquidem *Pater*, *&* *generans* non dicunt reſpectus diverſos. Sicut enim *Pater* dicit reſpectum phyſicum, & realem producentis ad *Filium*, tanquam terminum productum; ità eundem omnino reſpectum dicit *generans* Divinum. Et tamen de *Patre*, *&* *generante* verificantur contradictoria: *Dici verè de Eſſentia, non dici verè de Eſſentia.* Quomodo verò hæc prædicata ſalventur; dictum eſt ſuprà num. 15. Hic inſuper dico: Ideò verè dici de *Eſſentia*, quòd *ſit Pater*, non dici verè de *Eſſentia*, quòd *ſit generans*. Quia aliter ſumitur *Eſſentia*, dum de illa dicitur *Pater*; & aliter ſumitur, dum de illa dicitur *generans*. Eſtque diſtinctio aliqua inter *Eſſentiam* uno modo, & inter *Eſſentiam* alio modo ſumptam. Nimirum dum de *Eſſentia* dicitur *Pater*, *Eſſentia* ſumitur ſecundùm appellationem materialem, & inadæquatè extenſivè. Eſt enim ſenſus: *Unum aliquid, quod eſt Eſſentia, eſt Pater.* Dum verò diceretur: *Eſſentia eſt generans*; *generans* ſumeretur ſecundùm appellationem formalem, ſecundùm ſe, & adæquatè extenſivè. Eſtque ſenſus: *Omne, quod eſt Eſſentia, eſt generans.* Atqui eſt Diſtinctio inter *aliquid unum, quod eſt Eſſentia*; & *inter omne, quod eſt Eſſentia*: eſt inquam diſtinctio inadæquata extenſivè. Ergo eſt diſtinctio inter *Eſſentiam* eo modo ſumptam, quomodo ſumitur, dum de illa dicitur *Pater*. Et inter *Eſſentiam* eo modo ſumptam, quomodo ſumi deberet, ſi de illa diceretur *generans*. Adeóque ulteriùs non ſunt hæc contradictoria: *Dici verè de aliquo, quod eſt Eſſentia*; *non dici verè de aliquo, quod eſt Eſſentia.*

88. Ad ſecundum Reſpondeo pariter cum Diſtinctione: Propoſitiones, in quibus prædicantur contradictoria de ſubjecto reſpectum diverſum dicente, non ſunt contradictoriæ, nec tales propoſitiones ex parte ſubjecti ullam habent diſtinctionem. Nego Antecedens. Hæ tamen propoſitiones ex parte ſubjecti dicunt aliquam Diſtinctionem. Concedo Antecedens. Et dico: Propoſitiones has: *Paternitas generat*, *Eſſentia non generat*, non eſſe contradictorias. Quia non ſunt de eodem omnino ſubjecto Ex parte enim ſubjecti, licèt ſit ſumma realis immediata identitas inter *Paternitatem*, *&* *Eſſentiam*, eſt tamen aliqua Diſtinctio ratione tertii; nimirum Diſtinctio inadæquata extenſivè. Eo ipſo, quòd *Eſſentia* ſecundùm reſpectum identicum ad *Filiationem*, verificet prædicatum *non generet*. Reſpectus enim hic in ordine ad verificationem dicti prædicati non habet ſe omnino impertinenter; aliàs fruſtrà ad illum recurreretur. Non habet etiam ſe per modum connotati extrinſeci intrinſecè requiſiti; talia enim connotata negat objiciens. Habet igitur ſe ità, ut ſit pars ipſius ſubjecti in obliquo importata. Subjecti inquam adæquatè ſumpti, & prout verificantis prædicatum *non generat*.

89. Ad tertium Reſpondeo. Omiſſa cauſali. Nego Minorem cum ſecunda parte Probationis. Et dico: Aſſerere quidem Adverſarios, quòd prædicatum, *non generet*, verificetur de *Eſſentia* ſecundùm ſe ſumpta; cæterùm rationibus ſuprà allatis evincitur, *Eſſentiam* non ſecundùm ſe verificare hoc prædicatum. Siquidem illud verificat propter reſpectum identicum ad *Filiationem*; ſed verificare illud, *Eſſentiam* ſumptam cum tali reſpectu eſt verificare illud ratione ipſius reſpectûs. Adeóque eſt *Eſſentiam* ſumptam cum *Filiatione*, & ratione ipſius *Filiationis*, verificare dictum prædicatum *non generat*. Reſpectus enim identicus *Filiationis*, eſt ipſa *Filiatio*, prout identificata *Eſſentiæ*. Confirmatur. Hoc prædicatum *non generat*, *Eſſentia* verificat ſecundùm id, & ratione illius, quod eſt ratio formalis cur *Eſſentia non generat*, Sed ratio formalis: cur *Eſſentia non generat*, eſt reſpectus identicus ad *Filiationem*; ſeu *Filiatio Eſſentiæ* identificata, quæ *non generat*. Ergo *Eſſentia* ratione *Filiationis*, & ſecundùm reſpectum ad *Filiationem*, verificat hoc prædicatum *non generat*: Adverto, ſi reſpectus identicus *Filiationis* hoc præſtat, ut *Eſſentia* ratione ſui *non generet*, verificentúrque contradictoria de *Eſſentia*, & *Paternitate*: *Eſſentia non generat*, *Paternitas* ge-

generat. Ob respectum identicum, in *Essentia*, & *Paternitate*, secum realiter identificatis, dabitur capacitas, & æquivalentia in ordine ad verificanda contradictoria. Adeóque ratione respectûs identici dabitur Distinctio virtualis intrinseca. Et sic contradictoria dicta de *Essentia*, & *Paternitate*, salvabuntur per respectum identicum, non exclusa saltèm Distinctione virtuali intrinseca.

90. Ad quartum Respondeo distinguendo Antecedens. Ex vi respectûs identici diversi, & multiplicis ad *Personas* distinctas, non derivatur in *Essentiam Divinam* secundùm se sumptam, prædicatum *distincti*, ex vi cujus *Essentia* secundùm se distinguatur à *Personis*. Omitto hoc sensu intellectum Antecedens. Videtur enim derivari in *Essentiam* secundùm se, prædicatum *distinctæ* virtualiter. Ex vi respectûs identici non derivatur in *Essentiam Divinam* sumptam secundùm ipsummet respectum identicum ad *Personam*, seu secundùm *Personam*, non derivatur inquam prædicatum *distincti* ab alia *Persona*. Nego Antecedens. Ad Probationem ulteriorem dico: In *Essentiam* secundùm se sumptam, non derivari prædicata, quæ arguitivè important, seu inferunt distinctionem. In hanc tamen sumptam secundùm respectum identicum, seu secundùm *Personalitatem*, non apparet, quomodo non deriventur talia prædicata, quæ inferant Distinctionem. Nimirum quomodo non deriventur prædicata relativa, & notionalia. Hinc licèt sit falsa hæc propositio: *Essentia secundùm se est generans*; non apparet tamen ratio, ob quam debeat esse falsa hæc propositio: *Essentia secundùm respectum identicum ad Paternitatem, seu prout est Pater, est generans?* Quodsi falsam esse dixerit Adversarius, oportet illum reddere rationem. Quare supposito modo salvandi contradictoria per respectum identicum, non sit vera hæc propsitio: *Essentia, ex vi respectûs identici ad Patrem, est generans.* Si vera est illa alia propositio: *Essentia est Pater.* Et quare prædicata: *Pater, Filius, Spiritus S.* possint derivari in Essentiam, de illáque prædicari; possint itèm derivari prædicata: *Non generantis, non geniti, non spirati*: non possint verò ex vi respectûs identici derivari in *Essentiam* prædicata, *generantis, geniti, spirati.* Ad Confirmationem dico imprimìs. Quòd *Essentia Divina* secundùm se sit *non generans.* Tale verò prædicatum non videtur esse prædicatum derivatum à *Persona* ulla. Si enim esset derivatum, esset derivatum à *Persona Filii*, tanquam à ratione formali *non generandi.* Atqui prædicatum *non generantis*, derivatum à *Persona Filii*, tanquam à ratione formali *non generandi*, non convenit *Essentiæ* secundùm se sumptæ. Ergo prædicatum *non generantis*, prout convenit *Essentiæ*, non est derivatum à *Persona.* Dico deinde, quòd prædicatum *distincti* non possit ità derivari in *Essentiam*, ut *Essentia* ratione sui sit simpliciter *distincta à Personis*, quod præcisè docet Fides. Potest verò prædicatum *distincti* taliter derivari in *Essentiam à Personis*, ut *Essentia* ratione unius *Personalitatis* sit distincta ab alia; quomodo distinctam esse *Essentiam*, non est illam esse distinctam simpliciter, sed est illam esse distinctam cum addito. Dico ulteriùs objicienti incumbere onus ostendendi, quare *Essentia* non sit distincta à *Filio* propter respectum identicum, quem dicit ad *Patrem*, supposito, quòd *Pater* sit distinctus à *Filio.* Et per quid salvantur hæc contradictoria, dicta de Essentia, & Patre: *Pater est distinctus à Filio. Essentia, quæ est omnino idem cum Patre, seu Essentia, quæ est Pater, non est distinctus à Filio.*

91. Ad quintum Respondeo, distinguendo Antecedens. Fides horret omnem Distinctionem realem immediatam exclusivam identitatis realis immediatæ inter Essentiam, & *Personas*, per quam *Essentia* ratione sui, realiter immediatè distinguatur à *Personis.* Concedo Antecedens. Fides horret omnem Distinctionem inter *Essentiam*, & *Personas*, etiam illam, per quam *Essentia* ratione unius *Personæ* sibi identificatæ distinguatur ab alia, & quæ non sit exclusiva identitatis realis immediatæ inter *Essentiam*, & *Personas.* Nego Antecedens. Et dico: quòd Fides horreat Distinctionem realem immediatam inter *Essentiam*, & *Personas*, ratione cujus *Essentia* secundùm se realiter immediatè distinguatur à *Personis*, nec sit illis realiter identificata. Horret enim Quaternitatem damnatam in Concilio Rhemensi, quam adstruebat Gilbertus Porretanus. Horret itèm compositionem physicam, & realem ex *Essentia*, & *Personis.* Horret

ret adhuc eam distinctionem *Essentiæ à Personis*, ex vi cujus *Personæ Divinæ* ratione sui non sint actu realiter *DEUS*. Non horret verò Fides eam distinctionem inter *Essentiam & Personas Divinas*, ex vi cujus *Essentia* ratione unius *Personæ* sibi idendificatæ distinguatur ab alia *Persona* sibi itidem realiter immediatè identificata. Ex vi cujus itèm, alia Res sit aliquomodo, de qua negatur ly *generat*, & alia sit, de qua affirmatur idem prædicatum *generat*, dum dicitur: *Essentia non generat Filium, Pater generat Filium.* Tandem non horret Distinctionem, quæ in re, est summa realis immediata identitas Essentiæ cum omnibus & singulis *Personis* à se realiter distinctis.

§. III.

An Contradictoria, quæ dicuntur de *Essentia & Personis* salvari possint per supereminentiam Mysterii supra lumen Rationis?

92. Dicendum est. Per Infinitudinem & Supereminentiam Mysterii *Trinitatis* supra lumen Rationis non salvari contradictoria, quæ dicuntur de *Essentia & Personis*, si nulla inter hæc admittatur Distinctio. Hac tamen admissa in quibusdam difficultatibus hujus Mysterii, bene recurritur ad hujusmodi Supereminentiam, quæ ab omnibus Catholicis admitti debet.

Prima pars probatur *Primò*: Quando mysterium *Trinitatis* non intelligitur, nec intelligi ac cogitari quidem potest nisi admittatur aliqua Distinctio inter *Essentiam, & Personalitates*, tunc hac seclusa, per nullam infinitudinem & supereminentiam supra lumen Rationis salvari possunt contradictoria, quæ dicuntur de *Essentia & Personis*. Si enim mysterium *Trinitatis* non potest concipi & cogitari, nec possunt concipi & cogitari ea, quæ in hoc mysterio salvari debent nisi admittatur distinctio aliqua inter *Essentiam & Personas*, supereminentia talis mysterii supponit necessariò illam distinctionem, non excludit; sicut supponit ipsum mysterium non excludit. Sed mysterium *Trinitatis* non intelligitur, nec intelligi, imò nec cogitari potest, nisi admittatur & cogitetur aliqua distinctio, inter *Essentiam & Personas*. Ergo. Minor probatur. Non intelligitur mysterium *Trinitatis*, nisi intelligatur aliquod prædicatum affirmari verè de uno ex identificatis, quòd verè negatur de alio v. g. affirmari de *Paternitate*, quòd negatur de *Essentia*. Sed non intelligitur aliquod prædicatum verè affirmari de uno ex identificatis in Divinis, quòd verè negatur de alio, si non admittatur ulla distinctio. Ergo. Minor immediata probatur. Quando non potest intelligi unum & aliud, non potest etiam intelligi aliquod prædicatum verè affirmari de uno, quòd verè negatur de alio. Sed negata omni distinctione inter *Paternitatem* & *Essentiam*, non potest intelligi *Paternitas* esse quid unum, & *Essentia* esse quid aliqua ratione aliud. Ergo non potest intelligi de uno illorum verè affirmari prædicatum, quòd verè negatur de alio. v. g. non potest intelligi de *Paternitate* verè affirmari *quòd generet*, de *Essentia* verè negari quòd *generet*.

93. Probatur secundò: Nisi admittatur distinctio aliqua inter *Essentiam & Paternitatem*, non potest responderi ad aliqua argumenta Infidelium & hæreticorum, nec potest recurri ad supereminentiam mysterii supra lumen rationis. Ergo non admissa ulla distinctione, per supereminentiam mysterii non possunt salvari in mysterio *Trinitatis*, quæ salvari debent. Antecedens probatur. Si Ethnicus vel hæreticus vel quiscunque alius infidelis ità arguat: Dum verè dicitur: *Pater generat*, iterùmque dum verè dicitur: *Essentia non generat*. Vel idem omnino venit per subjectum *Pater*, propositionis: *Pater generat*, quòd venit per subjectum *Essentia*, propositionis: *Essentia non generat*. Vel non idem. Si dicis, quòd idem omnino veniat ex parte utriusque hujus subjecti. Ergo idem omnino est in Divinis quòd *generat, & quòd non generat*. Adeóque sicut *Pater generat*, ità & *Essentia generat*; vicissímque sicut *Essentia non generat*, ità *Pater non generat*. Cùm *Pater*, & *Essentia*, sint per omnia idem. Quod si dicas non idem venire ex parte subjecti utriusque illius propositionis: *Pater generat. Essentia non generat*. Ergo est aliqua non identitas seu distinctio inter hæc subjecta: *Pater & Essentia*.

sentia. Ratione cujus aliud assignatur subjectum, quod de se verificat prædicatum *generat*; & aliud subjectum, quod de se verificat prædicatum *non generat*. Ad hoc argumentum responderi non potest, nisi admittatur aliqua distinctio inter *Essentiam & Paternitatem*. Nec dictum argumentum solvit recursus ad supereminentiam mysterii *Trinitatis* supra lumen rationis exclusa omni distinctione. Itâ enim urgetur ulteriùs. Supereminentia mysterii *Trinitatis* vel taliter salvat contradictoria, ut de ipsa *Essentia* dicatur tam prædicatum *generat*, quàm prædicatum *non generat*. Vel hoc modo salvat, ut de *Patre* nonnisi dicatur verè: *Pater generat*. Falsum autem sit dicere de *Essentia*: *Essentia generat*. Primum dici non potest secundùm fidem. Si secundùm dicitur. Ergo est aliquid, quod verificat hanc propositionem: *Pater generat*, & est aliquid, quod non verificat, sed potiùs falsificat hanc alteram: *Essentia generat*. Adeóque admitti debet distinctio aliqua inter *Patrem & Essentiam*, ut ità ostendatur aliquomodo diversum verificativum hujus propositionis: *Pater generat*, à falsificativo hujus propositionis: *Essentia generat*, nè unum idémque sit verificativum, simúlque falsificativum ejusdem omnino prædicati de se affirmati. Hoc ipsum argumentum, in aliorum contradictoriorum exemplo, quæ dicuntur de *Essentia & Patre*, sic potest proponi: Veræ sunt istæ propositiones: *Pater distinguitur realiter immediatè à Filio. Essentia non distinguitur realiter immediatè à Filio.* Ergo debet dari verificativum utriusque hujus propositionis. Sed hoc non potest esse unum idémque omnino. Si enim esset unum idémque omnino; per subjectum utriusque hujus propositionis, idem omnino significaretur. Adeóque per subjectum *Pater*, significaretur Essentia, & per subjectum *Essentia*, significaretur *Pater*. Esśetque perinde dicere: *Pater distinguitur immediatè à Filio.* ac dicere: *Essentia distinguitur immediatè à Filio.* Sed hoc Fidei repugnat. Ergo. Confirmatur. Falsa est hæc propositio: *Essentia realiter immediatè distinguitur à Filio.* Est autem vera illa: *Pater realiter immediatè distinguitur à Filio.* Ergo cùm hæ propositiones non differant prædicatis, debent habere aliquomodo diversa subjecta, quorum unum verificet prædicatum commune, quod est: *realiter immediatè distinguitur à Filio.* Alterum non verificet, sed potiùs falsificet hoc ipsum prædicatum. Adeóque subjecta harum propositionum: *Pater distinguitur realiter immediatè à Filio. Essentia distinguitur realiter immediatè à Filio,* debent esse aliquomodo distincta, ut prioris propositionis subjecto conveniat prædicatum, idem autem prædicatum non conveniat subjecto secundæ propositionis, debétque proinde esse aliqua distinctio inter *Patrem & Essentiam*.

94. Probatur tertiò. Aliqua distinctio inter *Essentiam & Personalitates*, admitti omnino debet, nec potest negari nisi perperam. Ergo per recursum ad distinctionem hujusmodi bene respondetur ad argumenta infidelium, vel si aliquando ad supereminentiam mysterii *Trinitatis* supra lumen rationis recurri est necesse, non bene ad illam recurritur exclusa omni distinctione inter *Essentiam, & Personalitates*. Antecedens imprimis probatur. Est distinctio inter *tres Personas* & inter *unam Personam*, nec debet aut potest negari talis distinctio. Aliàs deberet negari distinctio includentis ab incluso, & partis à toto. Est itèm distinctio inter unam *Personam*, & inter *aliam Personam*, v. g. inter *Patrem & Filium*, ùt Fides docet. Ergo etiam est distinctio inter *Essentiam* sumptam cum tribus *Personis*, & inter unam *Personam*. *Essentia* enim sumpta cum tribus *Personis* dicit *tres Personas*. Adeóque ratione illarum distinguitur ab una *Persona*. Est itèm distinctio inter *Essentiam* cum una *Persona*, v. g. cum *Patre* acceptam, & inter alteram Personam v. g. *Filium*. Præterea est aliqua distinctio inter *Essentiam* secundùm se, & inter unam quámque *Personam*. Quia non de eodem omnino verè dicitur: *Distinguitur realiter immediatè à Filio.* de quo verè dicitur contradictorium prioris prædicati: *Non distinguitur realiter immediatè à Filio.* Itèm non idem omnino est quod *generat*, cum eo, quòd *non generat*. Ut probatum est numero præcedente. Consequentia deinde primi argumenti probatur. Supposito, quòd admitti debeat aliqua distinctio inter *Essentiam & Personalitates*, supereminentia mysterii *Trinitatis* super lumen rationis, non est talis, quæ excludat omnem

distin-

diſtinctionem, illáque excluſa ſalvet contradictoria in Divinis. Si enim admitti debet aliqua diſtinctio, non eſt ratio cur ad talem diſtinctionem non recurratur in reſpondendo ad aliqua argumenta infidelium. Nimirum:

Ad illud Argumentum Infidelium: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Sed Paternitas & Filiatio, ſunt eadem uni tretio. Quia ſunt eadem cum Eſſentia ſeu Natura Divina.* Ergo *ſunt eadem inter ſe.* Non apparet ratio, quare ad hoc argumentum non reſpondeatur per recurſum ad Diſtinctionem Inadæquatam extenſivè. Hoc modo idem argumentum diſtinguendo: Quæ ſunt eadem adæquatè tam intenſivè, quàm extenſivè cum uno tertio, ſunt eadem inter ſe. Concedo Majorem. Quæ ſunt eadem uni tertio inadæquatè extenſivè ſunt eadem inter ſe. Nego Majorem. Sed *Paternitas & Filiatio*, ſunt eadem adæquatè tam intenſivè quàm extenſivè cum uno tertio, ſcilicet cum *Eſſentia.* Nego Minorem. *Paternitas* enim non eſt itá eadem cum *Eſſentia*, ut *Eſſentia* non extendatur ad ullam aliam Perſonalitatem. Seu *Paternitas* non eſt eadem cum omni eo, quod eſt per realem identitatem *Eſſentia.* Sed *Paternitas & Filiatio*, ſunt eadem adæquatè intenſivè, non tamen eadem adæquatè extenſivè cum uno tertio ſcilicet cum *Eſſentia.* Concedo Minorem & Nego conſequentiam.

Ad alterum argumentum infidelium. Quòd eſt tale: *Implicat de uno eodémque verificari prædicata contradictoria. Sed in myſterio Trinitatis de uno eodémque verificantur contradictoria.* Nimirum *de Eſſentia verificatur, quòd non generet, non generetur,* &c. de *Paternitate verificatur quòd generet, de Filiatione, quòd generetur.* Quæ *Eſſentia* & *Paternitas*, cùm ſint realiter identificata ſunt quid unum & idem. Ergo. Ad hoc inquam argumentum Reſponderi poteſt cum diſtinctione. Implicat de uno eodémque, indentitate excludente omnem diſtinctionem verificari prædicata contradictoria. Concedo Majorem. Implicat de uno eodémque admittente aliquam diſtinctionem verificari contradictoria. Nego Majorem. Sed in myſterio Sanctiſſimæ *Trinitatis*, de uno eodémque, identitate excludente omnem diſtinctionem verificantur contradictoria. Nego Minorem. De uno eodémque admittente aliquam diſtinctionem verificantur contradictoria. Concedo Minorem. Et Nego Conſequentiam. Et dico eô ipſo, quòd contradictoria verificentur de uno eodémque admittente aliquam diſtinctionem, non verificantur de eodem ſecundùm omnino idem, nec de eodem in omni ratione. Sed verificantur de eodem aliquomodo diſtincto. Non implicat autem verificari contradictoria de eodem non tamen ſecundùm omnino idem; ſeu de eodem aliquomodo diverſo, & de Rationibus, ſeu prædicatis aliquomodo diſtinctis, licèt ſecum identificatis realiter immediatè.

95. Probatur quartò, eadem pars. Talis admittenda eſt ſupereminentia Myſterii *Trinitatis*, ex vi cujus idem myſterium, itá ſit ſupra lumen rationis, ut non ſit ſimul contra lumen rationis, nec tali lumini repugnet. Sed ſi negetur omnis diſtinctio inter *Eſſentiam & Perſonalitates*, talis ſupereminentia myſterii admittitur, quæ non ſolùm eſt ſupra, ſed etiam eſt contra lumen rationis, illíque repugnat. Ergo. Major patet. Quia talis admittenda eſt ſupereminentia myſterii, ratione cujus hoc myſterium non ſit chimæra & impoſſibile. Præterea. Quia ex unanimi omnium Theologorum, imò omnium Fidelium ſenſu, myſterium *Trinitatis* debet eſſe ſupra, non contra lumen rationis, nec debet eſſe huic lumini repugnans. Minor probatur. Tum quia repugnat lumini rationis de uno eodémque omnino verificari prædicata contradictoria. Repugnat enim hoc illi Principio, lumine naturæ noto. *Impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe.* Sed negata omni diſtinctione inter *Eſſentiam & Perſonas Divinas* myſterium *Trinitatis* eſt tale, in quo de uno eodémque nullatenus diſtincto verificantur prædicata contradictoria? Quia de *Eſſentia & Patre*, nulla omnino diſtinctione à ſe diſtinctis, verificantur hæc prædicata: *generare non generare diſtingui realiter immediatè à Filio, non diſtingui realiter immediatè à Filio.* Ergo negata omni diſtinctione inter *Eſſentiam & Perſonas*, myſterium *Trinitatis* lumini rationis repugnat. Tum quia. Id eſt contra lumen rationis illíque repugnat, quod

quod verificat propositiones contradictoriè oppositas Principiis lumine naturæ notis. Nihil enim magis potest esse contra lumen rationis, illique repugnans, quàm id, quod contradictoriè opponitur lumini rationis. Cui certè eo modo opponitur, quod contradictoriè opponitur Principiis lumine naturæ notis. Sed negata omni Distinctione inter *Personas Divinas, & Essentiam*, Mysterium *Trinitatis* verificat propositiones contradictoriè oppositas Principiis lumine naturæ notis. Quia verificat, *quòd ea, quæ sunt eadem uni tertio, non sint eadem inter se*. Verificat itèm, *quòd poßibile sit idem esse, & non esse. Seu, quòd poßibile sit de uno, eodémque omnino verificari prædicata contradictoria*. Tum quia negata omni Distinctione inter *Personas Divinas, & Essentiam*, non potest ostendi, qua ratione Mysterium *Trinitatis* non sit contra lumen rationis, sed solùm supra idem lumen. Non potest itèm reddi ratio: Quare, si de *Paternitate* diceretur, *generat*, & de eadem *Paternitate* diceretur rursus, *non generat*, esset id contra lumen rationis, & non præcisè supra. Dum autem dicitur de *Paternitate*, *generat*, de *Essentia* (quæ ità est idem cum *Paternitate*, atque *Paternitas* est idem secum) dum dicitur, *non generat*: hoc ipsum sit supra, & non contra lumen rationis. Non potest ulteriùs ostendi differentia inter esse contra lumen rationis, & inter esse supra lumen rationis. Quod tamen totum ostenditur sufficienter, si admittatur aliqua Distinctio inter *Essentiam, & Personas*. Nimirum hæc differentia ostenditur inter esse, contra lumen rationis, & inter esse supra lumen rationis. Quia id, quod est contra lumen rationis, primis principiis repugnat, eáque subruit, & subruere asseritur. Id verò, quod est supra lumen rationis, licèt non subruat Principia lumine naturæ nota, nec illis repugnet, tamen non potest primò intelligi, & cognosci, nisi ex Principiis Fidei, quæ cùm sint supra lumen rationis, etiam id, quod per talia nonnisi principia primò cognoscitur, censetur esse supra lumen rationis. Secundùm hanc doctrinam, Mysterium Trinitatis non est contra lumen rationis. Admissa enim aliqua Distinctione inter *Essentiam, & Personalitates*, nulla Principia lumine naturæ nota subruuntur, sed per talem Distinctionem salvantur, per illámque respondetur ad argumenta Arianorum, & quorumvis infidelium. Idem Mysterium est supra lumen rationis Quia ipsa Distinctio, per quam salvantur prima Principia in Divinis, talis admittitur, quæ non potest intelligi, nisi ex Fidei doctrina, & principiis. Adeóque ex Principiis, quæ sunt supra lumen rationis. Secundùm eandem doctrinam redditur ratio. Quare esset contra lumen rationis, si de *Paternitate* diceretur utrumque contradictorium, nimirum *generat, & non generat*. Non est autem contra lumen rationis, si hæc dicantur de *Paternitate, & Essentia*. Nam *Paternitas* ità secum identificatur, ut non sit ulla Distinctio inter *Paternitatem*, & *Paternitatem*. Implicat autem de eodem nullatenus distincto verificari contradictoria, éstque idem contra lumen rationis. Jam autem *Paternitas, & Essentia* ità secum identificantur, ut aliqua distinctione distinguantur. Non est verò contra lumen rationis de distinctis aliquomodo verificari contradictoria.

96 Dices. DEUM non contineri sub his Principiis: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Impoßibile est idem esse, & non esse*. Hæc enim Principia locum non habent, nisi in creatis, & de creatis tantùm procedunt. Dices itèm: DEUM, cùm sit Supremus Rerum omnium, & Naturæ Author, esse supra Naturam, & supra Principia lumine naturæ nota. Adeóque in DEO, quòd non cohæret his Principiis, non esse contra, sed esse supra hæc principia, & per hoc ipsum esse supra lumen rationis. Sicut Supremus Legislator, cùm sit supra omnem legem, si aliquid agat non conformiter ad legem, non censetur transgredi legem, & agere contra legem. Sed contra est primò. Quid prohibet dari aliqua Principia prima, & universalissima, quæ etiam in DEO verificantur, nec possint esse falsa, si debitè intelligantur. Et quòd talia Principia sint illa: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Impoßibile est idem esse, & non esse. Impoßibile est de eodem omnino verificari contradictoria*. Cùm ostendatur hæc Principia debitè intellecta verificari in DEO. Certè DEUS est Supremus Legislator, & tamen non est supra omnem legem, ut nulla teneatur; verùm pluribus legibus tenetur maximè illis,

lis, quæ sunt juris naturalis, ut impossibile sit eum tales leges non servare, & sic DEUS non est ità supra legem, *de non mentiendo, de non blasphemando, de non stando promissis, de non complacendo sibi in peccatis creaturarum*, ut has leges possit non servare. Idem DEUS ità est supremus Naturæ Author, & supra exigentias creaturarum, ut etiamsi possit contravenire plerisque exigentiis, illis scilicet, quas physicas, & naturales dicimus. Tamen nullatenus contravenire potest exigentiis quibusdam, illis nimirum, quas metaphysicas appellamus. Præterea etiamsi DEUS sit supra legem rationis, ità ut virtus ejus productiva operum ad extra possit multa producere, quæ intellectus lumine naturali plenè cognoscere, & quorum naturam investigare non potest, tamen non est ità supra lumen rationis in effectuum creatorum productione, ut possit effectum producere, in quo Principia lumine naturæ nota, locum non habeant, seu de quo hujusmodi Principia falsificentur. Tandem DEUS tenetur his Principiis, & quasi legibus: *Impossibile est de eodem verificari contradictoria. Quæ sunt eadem uni tertio.* Tenetur inquam in iis omnibus, in quibus per omnes Theologos, & Philosophos, non potest dari Distinctio ulla, per quam salventur dicta Principia. Et sic de *Paternitate* non potest verificari utrumque contradictorium, v.g. *Paternitas generat, Paternitas non generat. Essentia non generat, Essentia generat.* Id item fieri non potest, ut *Paternitas, & generatio activa* sint idem cum *Intellectione notionali activa*, & non sint idem secum. Ergo, quòd *Paternitas generet, Essentia non generet*, quòd *Paternitas, & Filiatio sint idem cum Essentia, non sint verò idem secum realiter*, non provenit id ex eo, quòd Deus non teneatur illis Principiis: *Impossibile est idem esse, & non esse. Quæ sunt eadem uni tertio.* Sed potiùs ex eo provenit, quia hæc Principia salvantur per aliquam Distinctionem inter *Essentiam, & Personalitates*, ùt insinuatum est num. 94. Contra est secundò. Si dicatur in DEO prima Principia aliqua locum non habere, & falsificari propter supereminentiam Mysterii *Trinitatis* supra lumen rationis. Fides sancta, & sanctissimum *Trinitatis* Mysterium ludibrio, & derisioni exponitur Atheorum, Arianorum, & quorumvis infidelium. Quis enim illorum non rideat, DEUM per hoc, quòd supereemineat omnibus entibus, sitque supra lumen rationis, & Principia hoc lumine naturæ nota habere rationem formalem definitivam chimeræ, neque tamen esse chimæram? In DEO identificari esse, & non esse ejusdem secundùm omnino idem, neque tamen per hoc DEUM involvere cortradictionem implicatoriam. Quis non rideat, DEUM per hoc, per quod aliud quodvis ens formalissimè esset impossibile, & chimæra, per hoc inquam, adeóque per rationem formalem chimeræ esse Ens perfectissimum, & supereminens supra lumen rationis. Timendum sanè est, nè occasione talis supereminentiæ Athei confirmentur in impiissimo suo errore, quo negant Existentiam, & Possibilitatem DEI. Nè infideles avertantur à sancta Fide, dum intelligunt Esse Divinum tale esse, quo convelluntur Principia lumine naturæ nota; seu in quo talia Principia falsificantur, nec id aliter, nisi sola Fide defendi. Cùm præsertim id à plerisque negetur Fidem docere Principia lumine naturæ nota falsificari in Deo.

96. Secunda pars conclusionis num. 92. propositæ; nimirum, quòd admissa Distinctione aliqua inter *Essentiam, & Personas Divinas*, in difficultatibus Mysterii *Trinitatis*, bene recurratur ad supereminentiam ejusdem Mysterii supra lumen rationis; & quòd hæc ab omnibus Catholicis admittatur. Probatur. Per hoc, quòd inter *Essentiam, & Personas Divinas* admittatur aliqua Distinctio salvans Principia lumine naturæ, non sunt exhaustæ omnes difficultates Mysterii, nec ipsa Principiorum salvatio est lumine naturæ nota, ac cognoscibilis; sed hæc maximè ex Fidei principiis salvantur, & cognoscuntur. Ergo admittenda est supereminentia Mysterii *Trinitatis* supra lumen rationis, & admissa etiam distinctione aliqua inter *Essentiam, & Personalitates*, ad illam est recurrendum. Antecedens probatur. Quia imprimis Mysterium *Trinitatis* salvandum, non est lumine naturæ notum, imò nec hoc lumine est cognoscibile. Præcipuè verò in hoc Mysterio non est lumine naturæ notum: Quòd *Personæ Divinæ* sint plures, eæque realiter identificatæ cum *Essentia Divina*, neque tamen sint inter se realiter immediatè identificatæ, sed potiùs

tiùs realiter immediatè inter se distinctæ. Non est itèm lumine naturæ notum, quòd de *Personalitatibus*, *&* *Essentia* cũ qua realiter immediatè identificantur, quòd inquam de his verificentur contradictoria: *Paternitas generat, Essentia non generat. Filiatio generetur, Essentia non generetur, &c.* sed hæc innotescunt ex definitione Ecclesiæ, adeóque ex lumine supernaturali. Deinde ipsa primorum Principiorum salvatio non habetur ex lumine naturæ, siquidem ipsa etiam Distinctio hæc Principia salvans, cùm innotescat, inferatur, atque eruatur ex his, quæ per Fidem circa dictum Mysterium cognoscuntur, non ex lumine naturæ, sed ex Principiis Fidei habetur. Salvatio quoque Principiorum lumine naturæ notorum, cùm sit Theologica, & per discursum Theolgicum fiat, fit per unam præmissam naturalem, alteram Theologicam: adeóque & hæc habetur non ex meris Principiis naturalibus; consequenter est supra lumen rationis. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

97. Objicitur, & primò adducuntur varia Patrum testimonia, præcipuè S. Augustini, S. Anselmi, pluriúmque SS. Patrum, & Theologorum cum tota antiquitate (quæ omnia, & singula referre longum esset) quæ evincunt Mysterium sanctissimæ *Trinitatis*, ejúsque difficultates salvari debere per hoc, quòd sit supra lumen rationis. Plerique SS. Patrum hoc Mysterium salvari volunt per Fidem. Ergo volunt salvari per hoc, quòd sit supra lumen rationis, cùm ipsa Fides sit supra tale lumen. Confirmatur, & tale dilemma proponitur: Ecclesia, Concilia, & Patres veteres vel sufficientissimè, & solidissimè salvabant Mysterium *Trinitatis* contra Argumenta infidelium, vel non sufficienter? secundũ non dicetur à quoquam Catholicorum. Ergo primum dici debet. Atqui Ecclesia, Concilia, & Patres veteres per hoc salvabant Mysterium *Trinitatis* contra Argumenta infidelium, quòd hoc Mysterium esset supra lumen rationis, & ex lumine Fidei notum. Ergo per hoc salvabatur sufficientissimè, talique modo etiam nunc salvari debet. Cùm præsertim hodierni infideles nihil plus novi, & solidi afferant supra veteres itidem infideles, hujus Mysterii impugnatores.

98. Secundò opponitur. Quando omnia infidelium Argumenta, contra Mysterium *Trinitatis* pugnantia, possunt per hoc sufficientissimè solvi, quòd Mysterium *Trinitatis* sit supra lumen naturæ, & rationis, tunc eô ipsô salvatur per se ipsum positum supra lumen rationis, salvatur inquam ab Argumentis infidelium, & à chimerieitate infidelibus apparente in hoc Mysterio. Sed de facto omnia infidelium argumenta, contra Mysterium sanctissimæ *Trinitatis* pugnantia, sufficientissimè solvi possunt per hoc, quòd dictum Mysterium sit supra lumen naturæ, & rationis. Ergo. Major patet. Quia salvari Mysterium *Trinitatis* ab argumentis infidelium, & à chimerieitate infidelibus apparente nihil aliud est, nisì dari modum, & rationem, qua solvi possunt talia argumenta possibilitatem Mysterii impugnantia. Minor probatur, tum negativè. Nullum enim est argumentum infidelium contra Mysteriũ sanctissimæ *Trinitatis*, quòd non possit solvi sufficientissimè prædicta ratione, scilicet illâ, quòd Mysterium *Trinitatis* sit supra lumen rationis. Quod enim est illud argumentum? Ergo. Tum quia ad omnia infidelium argumenta potest responderi vel per simplicem negationem primi principii, per quod impugnatur Mysterium sanctissimæ *Trinitatis*, vel per hanc distinctionem: *Et hoc Principium, seu hæc Principia procedunt de rebus creatis, & de iis, quæ sunt lumine naturæ cognoscibilia, vel nota.* Concedendum. *Et hæc Principia procedunt etiam de ipso increato sanctissimæ Trinitatis Mysterio, posito supra lumen rationis.* Negandum. Quod ipsum ità intelligi debet: Principia lumine naturæ nota ad illa nonnisì extendi, ubi incontra non habetur, nec haberi potest potior ratio ex lumine supernaturali Fidei; ad illa verò non extendi, ubi habetur, vel haberi potest talis ratio. Hæc enim ratio, cùm sit superior, & potior, est supra quamcunque rationem naturalem, adeóque supra Principia lumine naturæ nota, cujusmodi Principia non debent se extendere, ubi in contra habetur, vel haberi potest ratio potior ex Fide Divina. Tum quia duo potissimùm sunt argumenta infidelium contra Mysterium sanctissimæ *Trinitatis*: unum ex illo Principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Cui ab infide-

fidelibus subsumitur minor. Sed *Pater, & Filius sunt eadem uni tertio*, nimirum *sunt eadem Essentiæ Divinæ*, cui identificantur. Et ex his præmissis infertur contra fidem. *Ergo Pater, & Filius sunt idem inter se*, seu realiter secum identificantur. Alterum argumentum est ex illo Principio: *Impossibile est idem esse, & non esse simul. Sed si Essentia, quæ non generat, & Paternitas, quæ generat, essent unum idémque realiter, possibile esset, idem esse, & non esse simul. Ergo Essentia, & Paternitas non sunt unum, idémque realiter.* Sed ad hæc argumenta sufficientissimè respondetur per hoc, quòd Mysterium sanctissimæ *Trinitatis* sit supra lumen rationis. Primi enim Argumenti Major sic distinguitur. Quæ in creatis, & in his, quæ sunt lumine naturali nota, aut cognoscibilia, quæ inquam ex his sunt eadem uni tertio, illa sunt eadem inter se. Conceditur. Quæ etiam in Mysterio Increato *Trinitatis* posito supra lumen rationis, sunt eadem uni tertio, illa sunt eadem inter se. Negatur Major. Similiter distincta Minore. Negatur Consequentia. Secundi Argumenti Major simili modo distingui potest. Impossibile est idem esse, & non esse, impossibile inquam solùm in creatis, & in iis, quæ sunt lumine naturali cognoscibilia. Conceditur. Impossibile est idem esse, & non esse etiam in Divinissimo *Trinitatis* Mysterio, per solum lumen supernaturale, lumen rationis superante, noto. Negatur. Similiter distincta Minore, negatur Consequentia.

99. Tertiò. Si Mysterium *Trinitatis* non salvaretur per Supereminentiam supra lumen rationis, fieret id ex eo, quòd non ostenderetur infidelibus, ipsum non esse chimericum, nec lumini rationis, ac primis principiis repugnans. Sed ostenditur, & ostendi potest infidelibus Mysterium *Trinitatis* non esse chimericum, nec contra principia lumine naturæ nota. Ergo. Minor probatur. Eo ipso, quòd ostenditur Mysterium *Trinitatis* esse supra lumen rationis, & supra Principia hoc lumine naturæ nota, ostenditur idem Mysterium, non esse chimericum, nec contra lumen rationis. Sed ostenditur Mysterium *Trinitatis* esse supra lumen rationis, & supra principia lumine naturæ nota, idque per hoc ostenditur, quòd ostendatur esse à DEO revelatum, tanquam reale, & existens, atque Fide Divina credendum. Ergo. Confirmatur. Eo ipso, quòd Mysterium sanctissimæ *Trinitatis* sit de Fide Divina, Mysterium hoc est certò, & infallibiliter verum, si certò est verum, repugnat illud esse falsum; adeóque repugnat esse chimericum, & contra lumen rationis, ejúsque principia. Consequenter hujus Mysterii repugnantia, non potest ullis Argumentis demonstrari. Quia non potest demonstrari falsitas illius, quod certò, & infallibiliter est verum. Cùm implicet unum, idémque simul esse verum, & falsum.

100. Quartò. Argumenta, quæ ab infidelibus contra Mysterium *Trinitatis* proponuntur, eo modo solvi debent, quo solvuntur gloriosè tum ipsi Mysterio, tum Fidei sanctæ, tum Orthodxæ Ecclesiæ, & Theologiæ. Sed hujusmodi Argumenta hoc modo solvuntur, si solvantur per Supereminentiam Mysterii supra lumen rationis, & supra Principia lumine naturæ nota. Est imprimìs gloriosum ipsi Mysterio, per Supereminentiam ipsius salvari Argumenta infidelium. Quia est gloriosum eidem, quod ab intrinseco per suos proprios terminos, sinè extraneis suppetiis vocum, & formalitatum sufficienter se vindicet ab omni repugnantia. Est itèm gloriosum id Fidei Divinæ circa hoc Mysterium, quòd ad illam solam recurratur in solvendis Argumentis infidelium. Et quòd vera sit hæc propositio: *Mysterium Trinitatis optimè contra infideles defenditur sub his terminis, quòd sit de Fide.* Est præterea id gloriosum Orthodoxæ Ecclesiæ, & veræ Theologiæ, quòd Mysterium sanctissimæ *Trinitatis* defendatur per infinitudinem Perfectionis, & Supereminentiam Mysterii supra lumen rationis, & Principia hoc lumine nota. Ità enim fit, quòd non cogatur recurrere ad terminos, & formalitates antiquis Patribus, & Theologis inusitatos, quódque vindicando huic Mysterio contra infideles providerit defensiones à repugnantia lumini rationis, sinè novis purè scholasticis suppetiis. Ergo.

101. Quintò. In tantum Mysterium *Trinitatis* non salvaretur per suam Supereminentiam supra lumen rationis, in quantum secundùm hunc salvandi modum prima Principia lumine naturæ nota, in dicto Mysterio locum non habe-

rent, esséntque dicta de *Essentia, & Personis Divinis* simpliciter falsa. Sed hæc ratio non evincit prædictum salvandi Mysterii modum non valere. Ergo. Major patet. Ex hac enim ratione præter alias impugnatur sententia docens Mysterium *Trinitatis* salvari per Supereminentiam suam supra lumen rationis. Minor probatur. Tum quia de illis ipsis principiis dubitatur, ex quibus infideles arguunt contra Mysterium *Trinitatis*; dubitatur inquam, an sint vera, & lumine naturæ nota Principia. Dubitatur imprimis de illo Principio: *Quæ sunt eadem uni tertio.* Idque meritò propter retorsiones, quæ in quocunque salvandi Mysterii modo, dum ab hoc Principio arguitur, fieri solent, aut possunt. Dubitatur deinde de illo Principio: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse.* Hoc enim irrestrictè propositum, negatur verum esse universaliter à P. Isquiedo in Pharo Scientiarum Disp. 1. Quæst. 5. num. 87. Illud etiam Principium: *Implicat de uno, eodémque verificari prædicata contradictoria*; bene negari potest, esse Principium lumine naturæ notum. Falsò enim supponitur, esse idem cum illo altero Principio: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse.* Hoc enim id præcisè sonat, quòd impossibile sit idem esse simpliciter, & non esse simpliciter. Seu, quòd impossibile sit unum, idémque simul existere, & non existere. Illud verò impossibile est de uno simul verificari contradictoria, Procedit de quibuscunque contradictoriis. Ergo. Tum quia ex eo, quòd aliqua Principia lumine naturæ nota locum non habeant in Mysterio *Trinitatis*, sintque simpliciter falsa, & negabilia, non bene infertur, idem Mysterium esse contra lumen rationis. Sicut ex eo, quòd in aliquo Principe supremo, & absoluto, Legis cujuspiam obligatio locum non habeat, nec Princeps ille tali legi sit subjectus, non bene infertur, quòd Princeps ille, si legi se non conformet, quòd, inquam, violet legem, & contra legem agat. Sed sicut Princeps hujusmodi censetur esse supra legem, ità pariter sanctissimum *Trinitatis* Mysterium per hoc, quòd in illo locum non habeant Principia lumine naturæ nota, est supra lumen rationis, & contra eadem Principia. Cùm præsertim Principia lumine naturæ nota, habeant se per modum cujusdam legis naturæ, vel propter ipsam vocum affinitatem: *Lex*, *Lux*. Confirmatur. Mysterium *Trinitatis* est supra lumen rationis, ùt omnes fideles fatemur, & infidelibus tenemur persuadere, ut eos ad cognitionem sanctissimæ *Trinitatis* pertrahamus. Ergo non debet subjici lumini rationis. Si enim huic subjiceretur, esset infra lumen rationis, non supra. Ergo non debet subjici etiam Principiis lumine naturæ notis, ità ut hæc in dicto Mysterio verificari debeant. Eo enim ipso hoc Mysterium subjiceretur lumini rationis, siquidem subjici Principiis lumine naturæ notis, est subjici lumini rationis.

102. Sextò. Mysterium sanctissimæ *Trinitatis* contra infidelium Argumenta bene salvatur per admissam aliquam distinctionem inter *Essentiam, & Personas Divinas*, vel per alium modum. Ergo idem Mysterium contra eadem Argumenta bene salvatur per Supereminentiam Mysterii supra lumen rationis, negata omni Distinctione inter *Essentiam, & Personalitates.* Consequentia probatur. Tum quia non est ratio, cur hoc Mysterium non salvetur per modum in consequenti propositum, si potest salvari per modos in Antecedenti memoratos. Tum quia, quæcunque difficultates ab infidelibus possunt opponi contra modum salvandi Mysterium *Trinitatis* per Supereminentiam ejusdem Mysterii supra lumen rationis; eædem omnes possunt opponi contra modum salvandi dictum Mysterium per distinctionem aliquam inter *Essentiam, & Personas Divinas.* Et ad hæc Argumenta infidelium, quidquid respondebunt, admittentes Distinctionem inter *Essentiam, & Personas*; hoc totum responderi potest in sententia salvante Mysterium per Supereminentiam ejusdem supra lumen rationis. Quodsi argumenta infidelium, vel alia quæcunque opposuerint Theologi, impugnantes Supereminentiam Mysterii supra lumen rationis; omnia hæc retorquebuntur contra eosdem in ipsorum sententiis. Ergo. Tum quia faciliùs, planiùs, & compendiosiùs Mysterium *Trinitatis* defenditur per Supereminentiam ejusdem supra lumen rationis. Quia defenditur per illos terminos, qui sunt notissimi, & toti Ecclesiæ communes, ac communiter recepti. Per alios verò modos salvandi idem Mysterium, mul-

multiplicantur novæ & novæ difficultates ſinè neceſſitate, quæ contra has ſententias ſpecialiter opponi poſſunt & ſolent. Multiplicantur etiam voces & termini, qui myſterium magis involvunt, quàm explicant; qui præterea ſunt novi inuſitati & antiquis Theologis incogniti. Tum quia omnes Theologi Catholici, qui myſterium *Trinitatis* ſalvant per diſtinctionem aliquam *Eſſentiæ à Perſonis Divinis*, in ſolvendis difficultatibus contra hoc myſterium proponi ſolitis, poſt aliquam vocum & terminorum multiplicationem, tenentur tandem recurrere ad ſupereminentiam Myſterii ſupra lumen rationis. Difficultates enim hæ ex lumine naturali, & rationibus naturalibus, plenè & adæquatè ſolvi & exhauriri non poſſunt, ſed tandem ad lumen fidei in his ſolvendis recurri debet. Eſtque captivandus Intellectus in obſequium fidei. Quod enim aliàs eſſet Fidei noſtræ meritum? Cur ergo omiſſa inutili vocum & terminorum multiplicatione, non recurritur immediatè ad ſupereminentiam myſterii ſupra lumen rationis, in qua aliquando ſiſti debet?

Solvuntur objectiones.

103. Ad primum Reſpondeo & dico S. Auguſtinum, Thomam & alios SS. Doctores ac Theologos cum tota antiquitate, docere *primò* Myſterium Sanctiſſimæ *Trinitatis* eſſe ſupra lumen rationis, eò ſenſu, quòd myſterium hoc ejúſque exiſtentia, orbi, ſeu creaturis rationalibus, ex nulla ratione purè naturali innotuerit, aut innoteſcere potuerit, ſed quòd unicè ipſis innotuerit per Revelationem Divinam, & per lumen ſupernaturale Fidei. Docent ſecundò Patres: difficultates & argumenta infidelium contra myſterium *Trinitatis* (ſi qui Patres hæc argumenta examinant) à fidelibus omnibus ſolutione, cujus etiam rudiſſimi capaces ſint, ſolvi debere per hoc, quòd dictum myſterium ſit ſupra lumen rationis & quòd intellectus, ut ei aſſentiatur, captivari debeat in obſequium fidei. Non docent verò iidem ſancti Patres non poſſe hujuſmodi difficultates ſolvi aliter, niſi per recurſum ad ſolam fidem, ídque cum excluſione cujuſvis diſtinctionis inter *Eſſentiam & Perſonas Divinas*. Cùm S. Thomas & longè plures Theologi Scholaſtici, iíque tales, quibus utpote vicinioribus temporum, in quibus vixerunt, SS. Patres, mens eorundem, & totius antiquitatis, innoteſcere potuit, docuerint inter *Eſſentiam & Perſonas Divinas* dari aliquam diſtinctionem, quam alii volebant eſſe diſtinctionem rationis; alii Virtualem Intrinſecam, alii Formalem ex natura rei, alii aliam. & per recurſum ad tales diſtinctiones ſolverint argumenta infidelium. Docent tertiò Patres & antiqui Theologi, Myſterium *Trinitatis* eatenus eſſe ſupra lumen rationis, & per hoc, quod ſit ſupra lumen rationis, difficultates contra illud ſolvi debere, quòd debeant ſolvi aut per fidem, aut per rationem Theologicam, quæ cum ſemper innitatur veritati revelatæ, eámque eſſentialiter præſupponat. Non eſt ratio merè naturalis, ſed etiam hæc cenſenda eſt ſupra lumen rationis. Tandem docent eſſe aliquas Myſterii *Trinitatis* difficultates, in quibus ſolvendis ſiſti debet in Supereminentia Myſterii ſupra lumen rationis; cæterùm in Supereminentia non excluſiva omnis diſtinctionis inter *Eſſentiam & Perſonas Divinas*, ſed potius in Supereminentia compatiente talem aliquam diſtinctionem. In Supereminentia itèm non tollente prima Principia, nec ea in myſterio *Trinitatis* falſificante; ſed potius in Supereminentia ità ſalvante myſterium, ut ſalvet etiam Principia lumine naturæ nota, ipſorúmque veritatem conciliet cum his, quæ de hoc myſterio per fidem creduntur. Ad Confirmationem dico, quòd concilia & Patres veteres ſufficientiſſimè & ſolidiſſimè ſalvabant Myſterium, quantum neceſſe fuit ad hoc Myſterium ſinè ulla hæſitatione credendum ab omnibus; non verò quantum neceſſe fuit ad oſtendendam inanitatem & infirmitatem argumentorum, quæ ab infidelibus contra *Trinitatis* myſterium proponuntur. Ad id enim non deſcendebat Eccleſia, & Patres veteres, ſed hoc negotium plenè relinquebant Catholicis Theologis, qui ut eorum argumenta confutatarent, & inania oſtenderent, veritatem primorum Principiorum conciliabant cum veritatibus Fidei, & oſtendebant has utraſque veritates ſibi non repugnare.

104. Ad ſecundum Reſpondeo. Omiſſa Majore quæ intelligi debet non in ſenſu

sensu Adversariorum, sed in sensu explicato per numerum præcedentem. Nego Minorem. Ad primam illius Probationem dico: ex rationibus pro Conclusione allatis constare argumenta infidelium contra mysterium *Trinitatis*, non posse solvi illa ratione, quòd sit supra lumen rationis, prout ly: *Supra* &c. intelligitur ab adversariis. Si enim ly: *Supra lumen rationis* ità intelligatur, ut opposita sententia vult intelligi, id totum conceditur infidelibus, quòd concedi sibi volunt, id negatur, quòd minimè judicant. Negari debere. Non defenditur autem ab impossibilitate mysterium, sed impossibilitas hujusmodi supereminentiæ nomine palliatur. Secundam Probationem Nego simpliciter & dico. Ad argumenta infidelium, neque posse responderi per negationem primorum Principiorum. Hæc enim, cùm sint universalissima æternæ ac Necessariæ veritatis, falsa esse non possunt, adeóque non sunt negabilia. Neque ad eadem argumenta potest responderi per distinctionem, quæ in objectione affertur. Quia ex vi talis Distinctionis, sequitur Mysterium *Trinitatis*, non conciliari cum Principiis lumine naturæ notis, nec talium Principiorum veritatem, cum veritate hujus mysterii stare posse. Propositio illa: *Principia lumine naturæ nota, ad illa nonnisi extenduntur, ubi in contra non habetur, nec haberi potest ratio, ex lumine supernaturali Fidei.* Falsa suppositione laborat, quòd in aliquibus, & in particulari, in Mysterio *Trinitatis,* contra Principia lumine naturæ nota, habeatur, vel haberi possit ratio ex lumine Fidei supernaturali. Hoc enim nil aliud esset, nisi revelatum esse, & Fide Divina, credi, quòd mysterium *Trinitatis* sit contra Principia lumine naturæ nota, ipsísque adversetur, & per hoc, quòd sit supra talia Principia. Quod omnino falsum est. Illud etiam: *Rationem ex lumine supernaturali Fidei esse superiorem & potiorem ratione naturali primorum Principiorum.* Non ità intelligi debet, quòd rationis superioris & potioris veritas tollat veritatem naturalem primorum Principiorum, nec eam compatiatur, sed potiùs, quod assensus veritati rationis superioris, firmior esse debeat, quàm assensus rationi naturali. Tertiæ Probationis Nego Minorem. Nimirùm Nego sufficientissimè responderi ad duo illa argumenta, infidelium, quæ in objectione adducuntur, per hoc, quòd Mysterium *Trinitatis* sit supra lumen rationis in sensu, in quo, ab Adversariis, ly *supra lumen rationis*, intelligitur. Ad argumenta enim infidelium non respondetur sufficientissimè per illum respondendi modum, qui docet prima Principia in DEO locum non habere, illáque falsificari, qui itèm docet mysterium *Trinitatis* per hoc esse supra lumen rationis, quòd de eo non procedant prima Principia, & quòd in hoc mysterio falsificentur. Certà esse supra lumen rationis, non est lumen rationis tolli & extingui, sed est illud superari, adeóque est tale lumen componi cum eo, à quo superatur. Sicut lucem solis, esse supra lucem accensæ facis, non est lucem facis tolli & extingui, sed est hanc lucem superari & excedi, quamvis componatur cum luce solis. Adeóque mysterium *Trinitatis* esse supra lumen rationis, non est lumen rationis tolli & extingui, nec est per illud falsificari prima Principia, & in mysterio hoc locum non habere; sed potiùs dictum Mysterium per hoc est supra lumen rationis, quòd per nulla Principia lumine naturæ nota Existentia & Possibilitas hujus mysterii sit cognoscibilis certò & evidenter, omnísque ejus certa notitia habetur dependenter à lumine fidei, quod est supra lumen rationis. Confirmatur hæc Responsio. Possunt hæc optimè stare; quòd mysterium sit supra lumen rationis, & quòd tale lumen non omnino extinguat & tollat per falsificationem Primorum Principiorum. Imò hoc videtur esse omnino necessarium, nè dictum Mysterium, ab Ethnicis, Atheis, Arrianis, aliísque infidelibus censeatur esse chimæricum, & impossibile. Cum tota impossibilitas & chimæricitas alicujus rei habeatur ab ejusdem repugnantia primis Principiis, & maximè illi: *Impossibile est idem esse & non esse.* Quia per hoc Principium explicatur ratio adæquata chimæræ & impossibilis, éstque formalissimè definitio ejusdem. Ergo hæc concilianda sunt, & ità est respondendum ad argumenta infidelium, ut ostendatur cum veritate Fidei circa mysterium *Trinitatis* stare veritatem primorum Principiorum.

105. Ad

105. Ad tertium Respondetur primò per Distinctionem. Si Mysterium sanctissimæ *Trinitatis* non salvaretur per Supereminentiam sui supra lumen rationis, exclusivam omnis Distinctionis inter *Essentiam*, *&* *Personas Divinas*, fieret id ex eo, quòd non ostenderetur infidelibus tale Mysterium esse chimæricum. Concedo causalem. Si Mysterium *Trinitatis* non salvaretur per supereminentiam sui supra lumen rationis, stantem cum aliqua Distinctione *Essentiæ Divinæ* à *Personis*, fieret id ex eo, quòd non ostenderetur infidelibus, idem ipsum Mysterium non esse chimæricum. Nego causalem, & distinguo Minorem. Sed admissâ Supereminentiâ nõ exclusivâ omnis Distinctionis, & salvante ipsa Principia, ostenditur Mysterium *Trinitatis* non esse chimæricum. Concedo Minorem. Sed admissa Supereminentia exclusiva omnis Distinctionis, & falsificativa primorum Principiorum, ostenditur Mysterium *Trinitatis* non esse chimæricum. Nego Minorem, & Consequentiam. Responderi secundò potest. Omissa Majore, negando Minorem. Potéstque dici in adversa sententia non ostendi infidelibus, Mysterium *Trinitatis* non esse chimæricum. Ut enim id ostenderetur, deberet ostendi nec ex rationibus intrinsecis, nec ex rationibus extrinsecis esse chimæricum. Sed ex utrisque his rationibus non ostenditur esse tale. Eo enim ipso, quòd pugnet cum Principiis lumine naturæ notis, eáque falsificet, sequitur Mysterium hoc, ex rationibus intrinsecis esse chimæricum. Quia est chimæricum per hoc, quòd de uno, eodémque, seu identificatis omnino, verificentur prædicata contradictoria. Solùm ergo dictum Mysterium ex ratione extrinseca non est chimæricum, quatenus dicitur esse revelatum, quæ ratio est extrinseca Mysterio. Imò neque ex hac ratione potest esse non chimæricum. Quia à DEO revelari non potest ùt verum, quod ex ratione intrinseca, & prædicatis intrinsecis est chimæra. Probationis ulterioris, & Major in sensu Adversariorum intellecta, & Minor est falsa. Nego enim id ab Adversariis ostendi posse, quòd Mysterium *Trinitatis*, prout exclusivum omnis Distinctionis inter *Essentiam*, *&* *Personas Divinas*, sit revelatum, & ùt tale Fide Divina credendum. Adverto: Mysterium *Trinitatis*, prout præscindens à Distinctione, esse revelatum, & Fide Divina credendum, adeóque taliter sumptum esse supra lumen rationis. Cæterùm per talem Superioritatem non liberatur à chimæricitate, nisi dicatur ab hac salvari per rationem Theologicam non exclusivum alicujus Distinctionis inter *Essentiam*, *&* *Personas*. Adverto prætera, etiamsi non sit revelatum clarè, & explicitè, quòd in Mysterio *Trinitatis* sit Distinctio aliqua inter *Essentiam*, *&* *Personas*, est tamen id revelatum virtualiter, & implicitè, quatenus ex Principiis revelatis, vel uno revelato, altero lumine naturæ noto, infertur legitimè debere dari Distinctionem aliquam inter *Essentiam*, *&* *Personas Divinas*. Confirmatio est pro nobis, si post ultimam consequentiam inferatur adhuc: Ergo non potest demonstrari, quòd de eodem omnino, quòd inquam sit idem omni identitate exclusiva cujusvis Distinctionis, verificentur contradictoria: *generare*, *non generare*; adeóque non potest demonstrari, quòd *Paternitas*, *&* *Essentia*, de quibus hæc ipsa contradictoria verificantur, sint eadem, seu identificata omni identitate, & exclusiva cujusvis Distinctionis. Aliàs hoc ipso demonstraretur Mysterii implicatorii existentia.

106. Ad quartum Respondeo negando Minorem quoad omnes, & singulas partes. Et sic nego imprimis gloriosum esse ipsi mysterio salvari illud per Supereminentiam sui supra lumen rationis contra Argumenta infidelium, per Supereminentiam inquam exclusivam omnis Distinctionis inter *Essentiam*, *&* *Personas*, & falsificativam primorum Principiorum. Nego itèm Mysterium per hujusmodi Supereminentiam salvari esse idem, quod salvari per terminos proprios & ab intrinseco, Talis enim Supereminentia, cùm sit implicatoria, non potest esse intrinseca Mysterio huic summè necessario, eíque propria. Similiter nego: Supereminentiam, quæ supponit aliquam Distinctionem inter *Essentiam*, *&* *Personalitates*, esse suppetias extraneas vocum, & formalitatum. Secundò. Nego gloriosum esse Fidei Divinæ circa Mysterium *Trinitatis* ad Fidem ità recurri, ut in hoc Mysterio negentur locum habere Principia lumine naturæ nota, in eóque falsificari asserantur.

tur,

tur. Potiùs id valde est inglorium Fidei sanctæ; videtur enim per talem recursum exponi ludibrio, & irrisioni infidelium. Præterea Fides Divina, cùm debeat esse summè certa, & simul obscura, & inevidens, imprudenti solùm formidini in oppositum debet esse conjuncta, ùt docetur communiter. Illa autem fides, qua crederetur Mysterium *Trinitatis*, ejúsque Supereminentia exclusiva omnis Distinctionis inter *Essentiam*, *&* *Personalitates Divinas*, ac falsificativa primorum Principiorum, esset fides conjuncta prudenti formidini, & dubitationi, imò magnæ præsumptioni in oppositum, quia infundatæ Principiis lumine naturæ notis. Hoc etiam non pertinet ad gloriam sanctæ Fidei, ut sit vera illa propositio: *Mysterium Trinitatis optimè contra infideles defenditur sub his terminis, quòd sit de Fide.* Sed potiùs hoc est Fidei gloriosum, quòd sit vera hæc altera propositio: *Mysterium Trinitatis ità est de fide, ut lumini rationis non repugnet, & Theologicè defendatur contra infideles.* Tertiò nego: Gloriosum esse veræ Ecclesiæ, & Theologiæ defendi Mysterium *Trinitatis* per infinitudinem, & Supereminentiam supra lumen rationis Mysterii, prout hæc explicatur ab opposita sententia. Quia non est gloriosum veræ Ecclesiæ, & Theologiæ, si neget *tres Personas* distingui ab una. Itèm si neget *Essentiam sumptam cum tribus Personis* distingui ab una *Persona*. Similiter si neget, *Essentiam sumptam cum una Persona* distingui ab alia *Persona*. Non est itèm gloriosum veræ Theologiæ, ac ipsi Ecclesiæ dicere in illis prædicationibus: *Paternitas generat*, *Essentia non generat*, per idem omnino verificari prædicatum *generat*, per quod verificatur prædicatum *non generat*. Ergo non est gloriosum veræ Ecclesiæ, & Theologiæ, Mysterium *Trinitatis* defendi, & salvari per Supereminentiam exclusivam omnis Distinctionis inter *Essentiam*, *&* *Personalitates*. Illud, quod additur: Si Mysterium *Trinitatis* defendatur per admissam aliquam Distinctionem inter *Essentiam*, *&* *Personalitates Divinas*, defendi illud per voces, & terminos Patribus, & Theologis præcipuè antiquis inusitatos, falsum omnino est. Hoc enim modo defenditur à S. Thoma, & à tota Thomistarum Schola. Hoc itèm modo defenditur à Scoto, & Scotistis. Aliquorum etiam novorum terminorum usurpatio, si quæ est, vel esset, non debet quenquam offendere. Hi aliquando multùm conferunt ad meliùs explicandam doctrinam, & veritatem antiquam. Novi erant aliquando termini *Usiæ*. *Homousiæ*, *&* *Hypotaseos*, *&c.* Hi tamen contra Arrium, & alios hæreticos bene usurpabantur ad doctrinam Fidei, de Divinitate Christi declarandam. Falsum adhuc & illud est, quòd Ecclesia sancta non providerit defensiones sufficientes contra repugnantiam Mysterii *Trinitatis* lumini rationis, si ad Distinctionem aliquam inter *Essentiam*, *&* *Personas* recurri debeat in solvendis infidelium Argumentis. Providit defensiones, easque meliores, & fortiores, quàm in adversa sententia. Talem enim Supereminentiam admittere, vi cujus Principia lumine naturæ non subsistunt, & falsificantur, est succumbere Argumentis infidelium, non contra illa defendere Mysterium *Trinitatis*. Quia est id dare talibus Argumentis, quo infideles fortissimè sibi persuadent, evinci apertissimè impossibilitatem Mysterii. Ut verò per sententiam admittentem Distinctionem aliquam inter *Essentiam*, *&* *Personas*, defendatur Mysterium *Trinitatis* contra Argumenta infidelium, eatenus Ecclesia providit defensiones, quatenus ab eadem Ecclesia circa hoc ipsum Mysterium ea sunt definita, ex quibus à Theologis legitimè deducitur cum veritate Fidei conciliari veritatem primorum Principiorum, nec de eodem secundùm omnino idem verificari prædicata contradictoria, v. g. *generare*, *non generare*.

107. Ad quintum Respodeo Negando Minorem. Ad Probationem primam dico: Non esse attendendum ad id, quòd de illorum primorum Principiorum veritate, ex quibus infideles contra *Trinitatis* Mysterium arguunt, dubitetur à quibusdam. Tum quia, si ad id attendi deberet, nulla darentur prima Principia. Nullum enim tale Principium est assignabile, de cujus veritate non dubitetur, aut non possit dubitari Et sic de illo Principio: *Omne totum est majus sua parte*; dubitatur à quibusdam, illis nimirum, qui infinitum cathegorematicum in extensione admittunt; nec putant, posse aliter tale infinitum defendi, nisi negato illo Princi-

cipio. Dubitatur & de illo universaliter sumpto: *Omne aut est, aut non est.* Tum quia Barthesius dubitavit, an DEUS non ità creaverit hominem, ut in omnibus eum falli voluerit, neque tamen propterea sequitur, nullas dari propositiones evidenter veras. Tum quia talis dubitatio est imprudens, nec videtur esse dubitatio intellectûs rectè dispositi, adeóque ad eam attendi non debet. Ad hoc enim ut propositio sit nota per se quoad nos, non requiritur, nisì ut constet terminis ità secum connexis, & eam propositionem ad intellectum nostrum rectè dispositum habentibus, ut si debitè apprehendantur, possint se ipsis eundem intellectum determinare ad assensum. Ad ulteriorem Probationem dico: De illo Principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* dubitari à quopiam posse, sed immeritò. Retorsiones, quæ solent opponi contra modum, quo dictum Principium in Mysterio *Trinitatis* salvatur, & conciliatur cum veritate Fidei, non impugnant hujus Principii veritatem, sed impugnant Distinctionem, per quam salvatur ejusdem Principii veritas, & conciliatur cum Doctrina Fidei circa dictum Mysterium. De illo Principio: *Impossibile est idem esse, & non esse*; accepto sinè ullo additamento, dubitatur à P. Izquirdo. Cæterùm nisi subintelligatur additamentũ, non est primum Principium; debet autem cum hoc additamento intelligi: *Impossibile est unum, idémque adæquatè secundùm omnino idem, simul esse, & non esse ejusdem omnino formæ, seu denominationis.* Illa etiam veritas: *Impossibile est de uno, eodémque adæquatè verificari simul prædicata contradictoria.* Non bene negatur esse primum Principium. Non bene itèm asseritur quoad rem significatam esse propositio diversa ab illo Principio: *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Illud, quod dicitur: quòd hoc Principium: *Impossibile est idem esse, & non esse,* significet, & sensum faciat: *Impossibile est idem esse simpliciter, & non esse simpliciter.* Seu: *Impossibile est idem existere, & non existere.* Gratis, & sinè fundamento asseritur. Quare enim non facit sensum universalem: *Impossibile est idem esse, & non esse cujuscunque formæ, & denominationis.* Et quod est fundamentum restringendi dictum Principium ad illa nonnisi contradictoria: *Existere, non existere.* Certè hoc Principium, cùm sit negativum, & de modo negativo. *Impossibile est*; juxta doctrinam Dialecticam debet significare universaliter, & distributivè, adeóque debet significare; quòd impossibile sit idem esse, & non esse cujusvis formæ, & denominationis. Illud etiam falsò asseritur, vel supponitur, quòd esse simpliciter, & non esse simpliciter, pro eodem sumantur; ac existere, & non existere. Cùm existere sit esse tale seu esse restrictum. Esse autem simpliciter, sit irrestrictum, & indifferens, sive ad esse actuale, sive ad esse potentiale. Præterea esse simpliciter videtur significare prædicata essentialia rei. Hæc enim sunt esse simpliciter, & quidditas rei. Existere autem non est prædicatum essentiale rei saltèm creatæ. Tali enim rei, contingens est ipsam existere, vel non existere. Dato verò, non concesso, quòd hoc Principium: *Impossibile est idem esse, & non esse*; sensum faciat: Impossibile est idem esse simpliciter, & non esse simpliciter. Hunc itèm sensum: Impossibile est idem existere simul, & non existere. Adhuc ex hoc Principio taliter intellecto rectè infertur: Quòd impossibile sit de uno, eodémque verificari quæcunque prædicata contradictoria. Ex contradictoriis enim quibuscunque inferuntur: esse simpliciter, & non esse simpliciter. Quia ex esse restricto bene infertur esse simpliciter. Ex ratione specifica bene infertur ratio generica. Ex esse animalis rationalis, bene infertur ratio animalis simpliciter. Ergo si repugnat de eodem verificari esse simpliciter, & non esse simpliciter. Etiam repugnat de uno, eodémque verificari ulla alia prædicata contradictoria. Per quævis etiam contradictoria significatur existere, & non existere ejusdem prædicati, v. g. per *generare* significatur existentia generationis; per *non generare* significatur non existentia generationis. Ergo. Secundæ Probationis nego Assumptum. Paritati oppono paritatem, sic institutam, ùt institui debet. Etiamsi in supremo Principe obligatio legis (quæ vocatur positiva, & quam ipse Princeps liberè tulit) locum non habeat, nec Princeps tali legi sit obnoxius, & subjectus. Tamen etiam in supremo Principe obligatio legum quarundam (quæ vocantur leges naturæ) locum habet, nec talibus legibus potest con-

travenire dictus Princeps, & casu quo violaret aliquam peccaret, & ageret contra legem. Tales leges sunt de non mentiendo, de stando promissis, de servando juramento promissorio, de displicendo sibi in malo culpæ &c. Ergo similiter licèt aliquæ veritates & quasi principia exigentiis rerum infundata, sint talia, ut DEUS illis non teneatur, possitque iisdem contravenire. Tales veritates sunt v. g. *Ignis approximatus urit, sol in suo cursu non consistit.* & similes. Tamen sunt aliæ veritates & Principia, eáque prima & universalissima exigentiis Metaphysicis infundata. Quibus ità DEUS tenetur, ut falsa esse non possint. Talis veritas est: *Quod Creatura si existat non poßit non dependere à DEO.* Talia itèm Principia sunt: *Impoßibile est idem esse & non esse. Quæ sunt eadem uni tertio &c.* Certè sicut repugnat summæ Sanctitati Divinæ, ità DEUM esse supra quascunque leges, etiam supra leges naturæ, ut DEUS nullis teneatur, sed possit contravenire omnibus. Ità repugnat summæ & perfectissimæ Essentiæ Divinæ, DEUM ità esse supra quæcunque principia etiam universalissima & quæ sunt lumine naturæ nota, ut hæc in DEO locum non habeant, nec DEUS illis teneatur, sed hæc de DEO dicta falsificari debeant. Confirmationis Distinguo consequens. Ergo Mysterium *Trinitatis* non debet subjici lumini rationis, ità ut hujus Mysterii existentia & Possibilitas per lumen rationis ejúsque Principia clarè & certò cognoscatur. Concedo consequentiam. Non debet subjici lumini rationis, ità ut Principia lumine naturæ nota hæc locum non habeant in dicto Mysterio, & de illo verificentur. Nego Consequentiam. Et dico: Mysterium Sanctissimæ *Trinitatis* eò nonnisi sensu non subjici lumini rationis, quòd per sola Principia lumine naturæ nota, certò & evidenter cognosci non possit. Non autem eò sensu: quòd Principia lumine naturæ nota in eo falsificentur. Principia enim lumine naturæ nota, non ex eo sunt, & censentur esse talia, quod falsificari debeant in his, quæ sunt supra lumen rationis. Non posse enim illa falsificari, est ratio communis tam Entibus, quæ sunt secundùm lumen rationis, quàm his, quæ sunt supra tale lumen. Ex eo potiùs Principia lumine naturæ nota sunt talia. Quia ex debita terminorum apprehensione, & ipso rationis lumine, statim innotescunt, & intellectum necessitant ad assensum.

108. Ad sextum Respondeo. Concesso Antecedente Nego consequentiam. Primæ Probationis Nego Antecedens. Et dico: ex Probationibus Conclusionis patere Mysterium Sanctissimæ *Trinitatis* non bene salvari per supereminentiam supra lumen rationis negata omni Distinctione inter *Essentiam Divinam & Personalitates.* Quia non conciliantur veritates Fidei circa hoc mysterium cum veritate primorum Principiorum. Sed hæc simpliciter Negantur de Mysterio in eóque falsificari asseruntur. Et per hoc non ostenditur infidelibus, quòd sit possibile dictum mysterium. Per alios verò modos respondendi ad argumenta infidelium, ad missa aliqua Distinctione inter *Essentiam & Personas Divinas* bene conciliantur veritates Fidei cum veritate primorum Principiorum, quia ostenditur non de eodem omnino dici contradictoria. Ostenditur itèm, non cum uno eodémque adæquatè, aliqua duo esse idem, quæ negantur esse eadem inter se. Secundæ Probationis Nego Antecedens. Nego itèm ad argumenta infidelium id totum posse responderi in sententia salvante Mysterium per supereminentiam exclusivam omnis Distinctionis inter *Essentiam & Personas Divinas,* quod respondetur in sententiis admittentibus aliquam Distinctionem. Et sic, si arguatur: *Impoßibile est etiam in Mysterio Trinitatis de uno eodèmque verificari contradictoria. Sed hæc verificantur juxta doctrinam Fidei, circa hoc Mysterium, de uno eodèmque. Ergo.* Sententia, quæ vult salvare Mysterium Trinitatis per supereminentiam à se explicatam, Negat Majorem hujus argumenti, Concedit verò Minorem. E contra aliæ sententiæ, recurrentes ad aliquam Distinctionem inter *Essentiam & Personalitates.* Concedunt Majorem, eámque intactam relinquunt, Negant verò Minorem. Argumenta, quæ à Catholicis Theologis opponuntur contra Supereminentiam Mysterii *Trinitatis* exclusivam omnis Distinctionis inter *Essentiam & Personas Divinas,* quomodo retorqueantur contra eosdem, in ipsorum Sententiis & qua efficaciâ, patebit suo loco. Per has certè retorsiones nulla ratione evincitur, ut de

hoc

hoc Mysterio Negentur prima Principia, sicut illa neganda esse existimat sententia salvans hoc Mysterium per supereminentiam à se propugnatam. Tertiam Probationem Nego, & dico. Compendiosè quidem Argumenta infidelium contra Mysterium *Trinitatis* expediri, si negentur prima Principia, prout hæc de tali Mysterio dicuntur, vel dicerentur, sed non faciliùs, nec planiùs. Hoc enim valde difficile, nec ullatenus perceptibile est, quomodo Mysterium *Trinitatis* sit possibile, reale, & existens, & tamen prima Principia falsificet, idque taliter, ut dicto Mysterio conveniat tota ratio chimæræ, & definitio ejusdem contenta illo Principio: *Impossibile est idem esse, & non esse*; nec tamen Mysterium *Trinitatis* sit chimæra. Per alios modos salvandi idem Mysterium contra Argumenta infidelium, multiplicantur novæ, & novæ difficultates, sed non sinè necessitate. Quia multiplicantur ex fine conciliandi prima Principia cum dogmatibus Fidei circa hoc Mysterium. Voces enim, & termini, qui in hac materia usurpantur, non involvunt Mysterium, sed satis illud explicant, dum non involvunt in illud contradictionem. Imò ostendunt, Mysterium non esse chimæricum, doctrinamque Fidei, non repugnare primis Principiis. Plerique ex his terminis, Theologis antiquis non fuerunt incogniti, nimirum, quòd de Distinctis per rationem verificentur contradictoria. Itêm de Distinctis virtualiter, aut de Distinctis formaliter ex natura rei. Quodsi aliqui non fuerunt illis usitati, non debet esse mirum. Quia præsens difficultas methodo scholastica non examinabatur ità ab antiquis, sicut examinatur à Theologis hujus ævi, potissimùm post Concilium Lateranense; in quo factæ aliquæ definitiones provocârunt Theologos ad hanc difficultatem diligentiùs discutiendam. Quartam Probationem distinguo: Omnes Theologi etiam illi, qui admittunt Distinctionem inter *Essentiam*, & *Personas*, post multiplicationem aliquam terminorum, tenentur recurrere ad Supereminentiam Mysterii, supra lumen rationis, exclusa omni Distinctone inter *Essentiam*, & *Personas*. Nego Probationem. Tenentur recurrere ad Supereminentiam admissa aliqua Distinctione. Concedo. Vel certè hæc Probatio sic distinguenda: Omnes Theologi tenentur recurrere ad Superementiam Mysterii, ità ut ratione illius negent prima Principia locum habere in dicto Mysterio. Nego hoc sensu intellectam Probationem. Tenentur recurrere ad Supereminentiam Mysterii supra lumen rationis conciliando prima Principia cum veritate Fidei. Concedo. Quodsi quæras: quare non statim respondetur ad difficultates, & Argumenta, quæ ab infidelibus opponuntur per recursum ad Supereminentiam, si ad hanc aliquando recurrere est necesse? Respondeo: Quæ difficultates solvi possunt sinè recursu ad Supereminentiam, in iis solvendis non est recurrendum ad eandem. Est verò recurrendum in iis solvendis, quæ aliter solvi non possunt, nisi per talem recursum. Responsiones enim impertinentes, aut minùs pertinentes ad difficultatis solutionem non sunt obtrudendæ, sed ibi sunt adhibendæ, ubi sunt necessariæ. Porrò circa Mysterium *Trinitatis* sunt aliquæ tales difficultates, quæ solvi possunt sinè recursu ad talem Supereminentiam. Talésque illæ sunt; quæ probant impossibilitatem ex illis Principiis: *Impossibile est idem esse, & non esse. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Ut si arguant infideles: *Omne id, ratione cujus unum, idèmque est esse, & non esse ejusdem; seu, quod verificat prædicata contradictoria, dicta de eodem, est impossibile. Sed Mysterium Trinitatis est id, ratione cujus unum, idèmque est esse, & non esse ejusdem; seu est id, de quo verificantur contradictoria. Ergo Mysterium Trinitatis est impossibile.* Si itèm arguant: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Paternitas, & Filiatio sunt eadem uni tertio; nimirum hæc sunt eadem cum Essentia Divina. Ergo Paternitas, & Filiatio sunt eadem inter se.* Hæ difficultates, & Argumenta possunt, & debent solvi sinè recursu ad Supereminentiam, per debitam Principii expositionem, hoc v. g. modo: Impossibile est de uno, eodèmque, & nullatenus distincto verificari prædicata contradictoria, seu idem omnino, & nullatenus distinctum simul esse, & non esse. Cui Principio sic exposito subsumpta Minor hæc. Sed *Essentia*, & *Paternitas* sunt unum, idèmque, & nullatenus distincta. Negari debet. Simili modo debet solvi & aliud Argumentum. Quæ sunt eadem adæquatè, & omnimodè uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pa-

Paternitas, & *Filiatio* sunt eadem adæquatè, & omnimodè cum uno tertio, nimirum cum *Essentia Divina*. Et hæc Minor negabitur. Præter has difficultates sunt aliæ ab his diversæ, quæ solvi debent per Supereminentiam; illæ nimirum, per quas in dubium, aut controversiam vocantur ea, quæ de Mysterio *Trinitatis* ex Fide innotescunt, vel ex his per legitimam Consequentiam deducuntur. Hoc ipsum in certis difficultatibus solvendis tenetur facere Adversarius. Si enim quæratur: *Quare tres Personæ simul sumptæ sint Trinitas, jam verò Pater non sit Trinitas?* & per quid hæc prædicata: *Esse Trinitatem, non esse Trinitatem*, dicta de *tribus Personis*, & *de Patre*, salventur à contradictione? Respondebitur: Salvari hæc prædicata à contradictione per Distinctionem realem inadæquatam includentis, & inclusi, quæ est inter ea, de quibus hæc verificantur. Tali enim distinguuntur Distinctione *tres Personæ ab una Persona*. Si verò quæratur ulteriùs. Quomodo fieri potest, ut *tres Personæ Divinæ* distinguantur realiter inadæquatè ab una, si tam *tres Personæ*, quàm una, identificantur realiter uni, eidémque *Essentiæ Divinæ* absque ulla Distinctione inter eandem *Essentiam*, & *ipsas Personas Divinas*, ùt asserit Adversarius. Respondebitur: Id totum haberi per Supereminentiam Mysterii supra lumen rationis. En etiam ab Adversario recurritur priùs ad Distinctionem realem inadæquatam includentis, & inclusi, tum deinde ad Supereminentiam. Et quare similiter in aliis difficultatibus solvendis non licebit priùs recurrere ad Distinctionem inadæquatam extensivè, vel aliquam aliam, tum deinde ad Supereminentiam Mysterii *Trinitatis* supra lumen rationis. Adverto in solvendis difficultatibus, quæ contra Mysterium *Trinitatis* opponi solent, aut possunt, duplicem fieri posse recursum ad Supereminentiam; unum exercitum, & implicitum, alterum reflexum, explicitum, & signatum. Recursus ad Supereminentiam exercitus, & implicitus tunc est, quando in solutione alicujus difficultatis respondetur per aliquid tale, cui quoad rem convenit ratio Supereminentiæ supra lumen rationis: licèt non sub conceptu talis Supereminentiæ, sed sub alio diverso sibi proprio conceptu. Et sic recursus ad Distinctionem inadæquatam extensivè, vel aliam deductam ex principiis Fidei, inter *Essentiam*, & *Personas*, recursus inquam ad dictam Distinctionem, sub ratione talis Distinctionis, est recursus exercitus, & implicitus ad Supereminentiam. Siquidem eidem Distinctioni convenit ratio Supereminentiæ supra lumen rationis, eô ipso, quod hæc Distinctio inferatur ex principiis Fidei. Recursus ad Supereminentiam reflexus, explicitus, & signatus est, quando ad aliquam difficultatem, respondetur per Supereminentiam, sub conceptu formali, & explicito Supereminentiæ. Licèt ergo in solvendis difficultatibus Mysterii *Trinitatis*, recursus reflexus, & explicitus ad Supereminentiam non statim fiat. Recursus tamen exercitus, & implicitus statim fieri consuevit, quatenus respondetur per Distinctionem ex Fidei Principiis, quæ responsionis ratio est recursus exercitus, & implicitus ad Supereminentiam.

PUNCTUM II.

Quæ, & qualis Distinctio admitti debeat inter *Essentiam*, & *Personalitates*, ut concilientur dogmata Fidei cum Principiis lumine Naturæ notis.

PLures sunt Sententiæ circa Distinctionem *Essentiæ à Personis*, pluréſque modi conciliandi Mysterii *Trinitatis* cum Principiis lumine naturæ notis. De his agemus diversis Paragraphis.

§. I.

An *Personalitates Divinæ* distinguantur realiter adæquatè immediatè ab *Essentia Divina*, Distinctione exclusiva identitatis veræ, & realis inter *Essentiam*, & *Personas*? Tali Distinctione distingui *Personas ab Essentia*, *seu Natura Divina*, docuit erroneè Gilbertus Porretanus Episcopus Pictaviensis, asserendo *Personas Divinas* non esse verè, & realiter identificatas *Naturæ*, seu *Substantiæ Divinæ*, sed esse realiter ab ipsa distinctas, eidémque affixas, & assistentes. Qui error damnatus est à Concilio Rhemensi sub Eugenio III. & ab ipso Gilberto revocatus.

109. Di-

109. Dicendum est: *Naturam Divinam à Personalitatibus* non distingui realiter immediatè distinctione exclusiva omnis identitatis veræ, & realis inter *Naturam Divinam, & Personas*, est de Fide.

Probatur primò Authoritate tum Concilii citati Rhemensi, & Eugenii III. damnantis oppositum errorem Gilberti. Tum Authoritate Concilii Lateranensis, negantis dari in DEO Quaternitatem. Ubi dicit: *Ideò in DEO solummodo est Trinitas, non Quaternitas.* Ex qua Authoritate sic arguitur. Implicat in DEO Distinctio, quæ in eo inferat Quaternitatem. Sed Distinctio realis immediata inter *Personalitates, & Essentiam*, infert in DEO Quaternitatem. Si enim talis Distinctio admittatur, in DEO sunt quatuor à se realiter immediatè distincta, distinctione excludente omnem veram, & realem identitatem. Talia nimirum sunt *Tres Personalitates*, à se realiter immediatè distinctæ, & quarta esset *Substantia, seu Natura Divina* (ùt asseritur) realiter immediatè distincta à *Personalitatibus*. Ergo.

110. Probatur secundò. DEUS est Ens essentialiter simplex, ùt Fides, & recta ratio docet. Sed si *Essentia* realiter immediatè distingueretur à *Personalitatibus Divinis*, DEUS non esset Ens essentialiter simplex. Ergo. Minor probatur. Ens compositum ex *Natura, & Subsistentiis* realiter distinctis, non est Ens essentialiter simplex. Simplicitati enim essentiali maximè opponitur compositio realis, & vera. Sed si *Natura* distingueretur realiter à *Subsistentiis*, DEUS esset Ens compositum ex *Natura*, & iisdem *Subsistentiis*, realiter ab ipsa *Natura* distinctis; ab iisque tanquam à forma physicè denominante, haberet denominationem *Suppositi, & Personarum*. Ergo.

111. Probatur tertiò. Ea nonnisì in Divinis distinguuntur realiter immediatè, quæ habent oppositionem producentis, & producti. Sed inter *Essentiam Divinam, & inter Personalitates Divinas* non est oppositio producentis, & producti. Quæ enim habent talem oppositionem, illa debent esse aut *generans, aut genitum, aut spirans, aut spiratum, aut producens, aut productum. Essentia* verò *Divina neque est generans, neque genita, neque spirans, neque spirata, &c.* ùt docet Concilium Lateranense adductum num. 60. Ergo. Major probatur. In Divinis, quæ habent oppositionem producentis, & producti, distinguuntur realiter immediatè, quæ verò non habent talem oppositionem, non distinguuntur distinctione reali immediata. Ergo ea nonnisì in Divinis distinguuntur realiter immediatè, quæ habent oppositionem producentis, & producti. Consequentia patet. Antecedens enim est propositio exponens consequentis exclusivi facta juxta regulas Dialecticas; adeóque si Antecedens est verum, etiam Consequens per ipsum Antecedens expositum debet esse verum. Antecedentis prima pars probatur. Tum Inductione. Quia in Divinis, quæ secundùm Fidem distinguuntur realiter immediatè, sunt, *Pater, Filius, & Spiritus S.* Atqui inter has Personas sanctissimas est oppositio realis producentis, & producti. *Pater* enim *est producens, Filius est productus.* Itèm *Pater, & Filius*, est principium *spirativum Spiritûs S. Spiritus S. est procedens ab utroque.* Tum quia universaliter implicat, ut aliquid producat, se ipsum saltèm quoad primò esse. Quia implicat aliquid existere, antequam existat. Si autem aliquid produceret se ipsum quoad primò esse, existeret, antequam existeret. Producens enim physicè aliud, debet existere ante suum productum. Quia non potest dare existentiam producto, nisì ipsum existat. Priùs enim est, esse aliquid in se, quàm dare esse producto. Ergo implicat producens non distingui realiter immediatè à producto, adeóque, quæ habent oppositionem producentis, & producti, realiter immediatè distinguuntur. Secunda pars bipartiti Antecedentis probatur. Tum quia Patres in Divinis nullibi admittunt Distinctionem realem immediatam, inter quæ non intercedit oppositio producentis, & producti. Pro hoc Principio inter alios Patres adducitur S. Anselmus Epistola de Processione *Spiritûs S.* Hoc Principio Joannes Theologus usus est in Concilio Florentino, dum contra Græcos Processionem *Spiritûs S.* etiam à *Filio* probavit ex eo: Quia si *Spiritus S.* non procederet *à Filio*, non distingueretur *à Filio*. Cùm illa nonnisì in Divinis à se realiter distinguantur, inter quæ est oppositio producentis, & producti. Tum quia in Ente summè simplici non est alibi admittenda Distinctio realis immediata, nisì

ubi illam admitti debere, Fides docet. Sed Fides docet in DEO, qui est Ens summè simplex, debere admitti Distinctionem realem immediatam inter opposita relativè, seu inter ea, quæ habent oppositionem producentis, & producti, de aliis prædicatis id Fides non docet; imò de Personalitatum Distinctione reali immediata ab *Essentia* oppositum docet. Ergo in Ente summè simplici, adeóque in DEO non est admittenda Distinctio realis immediata inter ea, quæ non habent oppositionem producentis, & producti.

Proponuntur Objectiones.

112. Objicitur. De quibus verificantur contradictoria realia, illa sunt distincta realiter. Si enim oppositio realis relativa producentis, & producti infert Distinctionem realem extremorum hac oppositione oppositorum, à fortiori infert talem Distinctionem oppositio contradictoria realis, utpote omnium oppositionum maxima. Sed de *Essentia*, & *Paternitate* verificantur prædicata contradictoria realia. Ergo *Essentia*, & *Paternitas* sunt distincta realiter. Minor probatur. Prædicata, quorum unum affirmat esse relativum, alterum negat idem esse relativum, sunt prædicata contradictoria realia. Prædicatum enim relativum est prædicatum reale, cùm dicat relationem realem. Pariter prædicatum negativum, quod negat esse relativum, est prædicatum reale. Sequitur enim naturam ejus prædicati quod negat. Negat autem prædicatum & esse reale. Quia negat prædicatum relativum, quod est esse reale. Sed de *Essentia*, & *Paternitate* verificantur prædicata contradictoria, quorum unum affirmat esse relativum, alterum negat idem esse relativum; de Paternitate enim affirmatur, quòd *generet*, de Essentia negatur, quòd *generet*. Ergo.

113. Secundò. De quibus verificantur quæcunque prædicata contradictoria, illa sunt distincta realiter. Quævis enim contradictoria, cùm sibi opponantur maximè, tollunt se, & excludunt maximè, identificari sibi realiter non possunt. aliàs ut supra Num. 10. à nobis arguebatur, esse identificaretur suo non esse, ipsúmque esse, esset per suum non esse & è contra. Sed de *Essentia* & *Personalitatibus Divinis* verificantur prædicata contradictoria. De Essentia verificatur: *non generare, non generari, non spirare, non spirari*, de Patre verificatur: *generare*; de Filio: *generari*; de Spiritu S. *spirari*. Ergo Essentia & Personalitates distinguuntur realiter.

Solvuntur Objectiones.

114. Respondeo ad Primum, negando Majorem, quæ multis instantiis infringi potest. Nam de misericordia & Justitia Divina verificantur prædicata contradictoria realia: Nimirum de Misericordia, quòd *parcat delinquentibus*, de Justitia: quòd *non parcat delinquentibus*, De Animali & Rationali hominis verificantur prædicata contradictoria realia: animal *est principium sensationum*; Rationale *non est principium sensationum*; Quæ tamen prædicata non dicuntur de distinctis realiter. Quia Misericordia & Justitia in DEO non distinguuntur realiter; pariter Animal & Rationale in homine non sunt distincta realiter. Cujus Ratio ulterior est: Quia neque ex ratione prædicatorum contradictoriorum, rectè infertur, quòd debeant dici de distinctis realiter; Plura enim contradictoria assignantur, quæ dicuntur de distinctis intentionaliter. Neque ex ratione prædicatorum realium id ipsum infertur; cùm multa prædicata realia dicantur de indistinctis realiter; ut: *punire*, *misereri* &c. Neque ex ratione contradictoriorum realium; Tum quia nulla id evincit ratio. Tum quia contradictoria Realia sicut rationem contradictoriorum non habent ab identitate subjectorum de quibus dicuntur, nec à respectu ad idem subjectum: ut dictum est superius: Ità nec rationem contradictoriorum realium habent à realitate & distinctione reali subjectorum de quibus dicuntur; sed habent hanc rationem à realitate formæ, cujus sunt esse & non esse; seu habent inde, quod sint esse & non esse ejusdem formæ vel denominationis realis. Quare prædicata contradictoria realia, possunt esse talia, & possunt verificari de aliquibus subjectis, etiamsi subjecta illa non sint distincta realiter. Adverto, diversa hæc esse verificari prædicata contradictoria realia, & verificari illa de distinctis realiter: Verificantur prædicata contradictoria realia, dum verificantur contradictoria, quæ per hoc sunt realia

realia, quod importent formam realem, & negationem formæ realis; seu quòd respiciant connotata physica & realia, non verò secundo intentionalia, & per ordinem ad illa, non per ordinem ad hæc concipiuntur. Verificantur autem contradictoria de distinctis realiter, quando ipsa subjecta propositionum, de quibus affirmantur vel negantur, sunt & debent esse distincta realiter. Dum ergo de justitia & misericordia DEI, verificantur hæc prædicata: *Misericordia parcit delinquentibus, Justitia non parcit delinqnentibus*; verificantur de his contradictoria realia. Quia parcere delinquentibus, est denominatio proveniens à forma reali, non verò à forma intentionali, eadémque prædicata, respiciunt connotata physica & realia. Non verificantur verò de subjectis realiter distinctis. Quia verificantur de attributis Divinis Justitia & Misericordia DEI, quæ nonnisi distinguuntur per rationem, de iisque ut taliter distinctis verificantur. Doctrina hæc est conformis dictis num. 26. Disp. præsentis. Adverto iterum: illud principium, quo aliqui Philosophi & Theologi utuntur: *Prædicata contradictoria invehunt distinctionem in subjecta, quam ipsa habent*; Verum esse idque non universaliter, si intelligantur prædicata contradictoria dici de subjectis secundùm se acceptis; secus si intelligantur dici de subjectis prout hæc substant nostris conceptibus præcisivis. Porrò prædicata: *Parcentis delinquenti, non parcentis delinquenti*, sunt prædicata, quæ prout dicuntur de Misericordia & Justitia, dicuntur de subjectis, prout hæc substant nostris conceptibus præcisivis. Deinde prædicata contradictoria inferunt distinctionem in subjecta propositionum, quam habent illa ipsa prædicata spectata secundùm rectum & subjectum denominationum, non verò quam habent secundùm obliquum & secundùm formam, ac secundùm connotata, quæ respiciunt. Et sic: *Parcere delinquenti, non parcere delinquenti*; Illam inferunt distinctionem in Misericordiam & Justitiam DEI, tanquam in subjecta propositionum, quam habent dicta prædicata sumpta secundùm rectum, & subjectum denominationum; nimirum sicut ipsa recta, & subjecta denominationum per hæc prædicata venientium sunt distincta per rationem; ità & subjecta propositionum sunt distincta per rationem: non aliter enim illa prædicata verificantur de Misericordia & Justitia, nisì sic intellecta Misericordia est ratio, quæ concipitur parcere delinquenti, Justitia est ratio, quæ concipitur non parcere delinquenti, sed potiùs illum plectere: Quomodo intellecta prædicata, quoad rectum sunt per rationem distincta, prout sunt distincta subjecta propositionum. Non inferunt verò eadem prædicata contradictoria distinctionem in subjecta propositionum, quam ipsa habent secundùm obliquum, secundùm formam denominationis, & secundùm connotata, quæ respiciunt; ut sicut remissio delicti & negatio ejusdem remissionis sunt distincta realiter, ità sint distincta realiter misericordia & Justitia DEI. Hujus enim nulla est necessitas, & nullum fundamentum. Oppositum vero constat ex tot instantiis quæ facilè adduci possunt.

Probationi Majoris Nego Paritatem; Disparitas facilis est ex rationibus conclusionis, quibus ostensum est, opposita relativè debere esse distincta realiter; quæ rationes non procedunt de oppositis contradictoriè. Per illud principium Dialecticum: quòd *oppositio contradictoria sit maxima*; si hoc principium debitè intelligatur, nihil evincitur. Quia principium illud procedit de oppositione contradictoria propositionum, quòd hæc sit maxima, non de oppositione contradictoria prædicatorum. Deinde per hoc principium, oppositio contradictoria asseritur esse maxima comparatè ad oppositionem contrariam, subcontrariam, & sub alternam, non verò comparate ad oppositionem relativam. Quò verò sensu oppositio contradictoria propositionum sit maxima comparatè ad oppositiones, contrariam, subcontrariam & subalternam, consule Dialecticam à me impressam Disp. 2. num. 132.

115. Dices: saltem tunc prædicata contradictoria realia inferunt distinctionem realem eorum, de quibus verificantur, quando non solùm ex eo sunt realia, quia sunt esse & non esse formæ realis, sed etiam ex eo, quia dicuntur de re & re. Atqui prædicata contradictoria, quæ dicuntur de Essentia & Personalitate v. g. Patris, dicun-

dicuntur de re & re. Nam & Essentia Divina est res; talis enim dicitur à concilio Lateranensi cap. damnamus; & Paternitas est res, quòd enim generat, non potest non esse res. Ergo. Respondeo cum Distinctione Majoris: Contradictoria inferunt distinctionem realem in subjecta, dum dicuntur de re & re, non identificatis secum realiter, nec sumptis dependenter à præcisione intellectus. Concedo Majorem. Dum dicuntur de re & re, dependenter à præcisione unius ab alia, & secum realiter identificatis. Nego Majorem. Distinguo pariter minorem: Sed contradictoria, quæ dicuntur de Essentia & Personis, dicuntur de re & re, secum identificatis realiter, & sumptis dependenter à præcisione per actum intellectûs, unius ab alia. Concedo Minorem. Dicuntur de re & re, scilicet de Paternitate vera & reali, & de Essentia itidem vera & reali, non identificatis sibi, nec à se præcisis per actum intellectûs: Nego Minorem & Consequentiam. Et dico: Prædicata: *generat & non generat* in Divinis dici de re & re. Quia de Paternitate reali, & de Essentia reali, sed de re & re, secum identificatis realiter immediatè, secundùm Fidei doctrinam, solúmque aliqua alia Distinctione distinctis, & à se præcisis per actum intellectûs. Per quod habetur, quòd hæc prædicata dicta de Paternitate & Essentia, non inferant inter hæc prædicata Divina Distinctionem realem immediatam.

Secundò responderi potest per hanc Distinctionem; prædicata contradictoria, quæ verificantur de re & re, quæ sunt res & res quomodocunque spectentur, inferunt Distinctionem realem immediatam inter res ejusmodi. Concedo Majorem. Prædicata, quæ verificantur de re & re, quæ in certa ratione spectatæ sunt res & res, simul tamen in aliqua alia ratione, non sunt res & res, inferunt distinctionem realem immediatam. Nego majorem. Sed contradictoria, quæ verificantur de Paternitate & Essentia, verificantur de re & re, quæ sunt res & res, quacunque ratione spectentur, Nego Minorem. Quæ sunt res & res, si certò modo comparentur, non verò si comparentur alio modo. Concedo Minorem, & Nego Consequentiam. Fundamentum hujus Distinctionis desumptum est ex D. Thoma in primum Dist. 2. Quæst. 1. Art. 5. ad tertium. ubi sic habet S. Doctor: *Ad tertium sic dicendum est, quòd quamvis Relatio per comparationem ad Essentiam sit ratio tantùm, tamen per comparationem ad suum correlativum est res, & realiter distinguitur ab ipso.* Ex qua authoritate sic arguitur: ab eo distinguitur realiter immediatè Relatio v. g. Paternitas, ad quòd comparatè est res; non distinguitur verò realiter immediatè ab eo, comparatè ad quod est ratio tantùm, ut vult S. Thomas. Sed Paternitas comparatè ad suum correlativum, nimirum comparatè ad Filiationem est res, comparatè autem ad Essentiam, est ratio tantùm, ut docet idem S. Thomas. Ergo Paternitas distinguitur realiter immediatè à Filiatione, ab Essentia verò non distinguitur realiter immediatè.

Dices contra Responsionem primam: Contradictoria, quæ verificantur de Essentia & Personis, verificantur de illis independenter à præcisione unius ab alio. Ergo. Respondeo cum distinctione: contradictoria, quæ verificantur de Essentia & Personis, verificantur de illis, hoc est, conveniunt illis ipsis, independenter à præcisione unius ab alio. Concedo. Verificantur de illis, hoc est, dicuntur seu affirmantur vel negantur verè de ipsis, affirmatione & negatione formali, independenter à præcisione unius ab alio. Nego assumptum. Et dico: sicut affirmatio & negatio formalis alicujus prædicati de subjecto non potest haberi formaliter, nisi per actum intellectûs, ità hæc ipsa affirmatio & negatio non potest esse nisi de subjecto per actum intellectus proposito. Quodsi subjectum sit tale, ut de una ratione objectiva cujuspiam rei, verè affirmetur aliquod prædicatum, & idem prædicatum verè negetur de altera ratione objectiva, realiter priori identificata, ut fit dum de Patre dicitur, quòd generet, de Essentia, quòd non generet; affirmatio & negatio formalis non potest esse, nisi de subjectis per actum præcisivum intellectûs, propositis. Quia de rationibus objectivis, quarum una attingitur per actum affirmantem, altera priori identificata ex parte subjecti attingitur per actum negantem.

116. Ad

116. Ad Secundum Reſpondeo cum Diſtinctione: De quibus quæcunque contradictoria verificantur, ſunt ſemper neceſſariò realiter immediatè & adæquatè diſtincta. Nego Majorem. Sunt diſtincta vel realiter immediatè & adæquatè, vel realiter mediatè & inadæquatè, vel alia diſtinctione ſupponente eſſentialiter diſtinctionem realem mediatam & inadæquatam. Concedo Majorem. Conceſſa deinde Minore, diſtinguo Conſequens: Ergo Eſſentia & Perſonæ diſtinguuntur realiter immediatè & adæquatè. Nego conſequentiam. Diſtinguuntur realiter mediatè & inadæquatè, vel certè diſtinctione alia ſupponente eſſentialiter diſtinctionem mediatam & inadæquatam. Concedo Conſequentiam. Et dico: De quibus verificantur contradictoria, non neceſſariò diſtinguuntur realiter immediatè. Cùm enim hæc non neceſſariò verificentur de ſuis ſubjectis ratione ſui, ſed poſſint verificari de ipſis vel de uno illorum ratione alicujus alterius, ſeu ratione tertii; non neceſſariò talia ſubjecta, de quibus verificantur contradictoria, debent diſtingui ratione ſui, ſed ſatis eſt, quòd diſtinguantur ratione tertii, adeóque quòd diſtinguantur mediatè. Non debent etiam diſtingui realiter adæquatè de quibus verificantur contradictoria; hæc enim optimè verificari poſſunt de diſtinctis realiter inadæquatè. v. g. de Toto & parte; de includente & Incluſo. Et ſic de homine verificatur prædicatum: *moritur*, de anima hominis verificatur: *non moritur*. Cujus ipſius ratio ulterior eſt: Quia de diſtinctis tali diſtinctione poſſunt verificari prædicata contradictoria, quæ diſtinctio ſalvat à contradictione verificationem eorundem prædicatorum; ſeu quæ diſtinctio ſubjectorum facit, ut propoſitiones non ſint contradictoriæ quamvis prædicata illarum ſint contradictoria. Sed diſtinctio realis inadæquata ſubjectorum, de quibus dicuntur contradictoria, ſalvat à contradictione verificationem eorundem contradictoriorum & facit, ut propoſitiones, in quibus de ſubjectis inadæquatè diſtinctis dicuntur prædicata contradictoria, non ſint contradictoriæ; facit enim ut contradictoria dicantur non de eodem omnino; quæ enim ſunt diſtincta inadæquatè, non ſunt idem omnino. Ergo. Poſſunt tandem verificari prædicata contradictoria de ſubjectis identificatis realiter immediatè, diſtinctis tamen aliqua diſtinctione licèt non reali, quæ tamen ſit infundata Diſtinctioni reali mediatæ & inadæquatæ. Ex una enim parte talis Diſtinctio datur & dari debet ſaltèm in Divinis. Ex altera parte, ſi contradictoria verificentur de diſtinctis tali Diſtinctione, illorum verificatio ſalvatur à contradictione, nec propoſitiones ſunt contradictoriæ. Quia verificantur non de eodem omnino; licèt enim verificentur de identificatis omni omnino identitate, & excluſiva omnis Diſtinctionis, quòd ſufficit ad ſalvandam contradictionem propoſitionum, in quibus prædicata Contradictoria, enunciantur de ſubjectis, tali Diſtinctione diſtinctis. Licèt ergo de *Paternitate & Eſſentia* verificentur prædicata contradictoria, nimirum de *Paternitate* verificatur: *Paternitas generat*. de *Eſſentia* verificatur: *Eſſentia non generat*. Tamen *Paternitas & Eſſentia* non debent diſtingui à ſe realiter immediatè & adæquatè; ſed ſatis eſt, quòd *Eſſentia* diſtinguatur mediatè à *Paternitate*, & ratione alicujus tertii nimirum ratione Perſonæ *Filii & Spiritûs S.* quas Perſonas per identitatem realem dicit *Eſſentia*, non dicit verò *Paternitas*. Satis itèm eſt, quòd *Eſſentia & Paternitas* diſtinguantur realiter inadæquatè extenſivè, quatenus *Eſſentia* per identitatem realem immediatam extenditur ad *Patrem, Filium, & Spiritum S.* hoc eſt, his tribus Perſonis ſanctiſſimis identificatur realiter immediatè. *Paternitas* verò non extenditur per identitatem ad *Filium, & Spiritum S.* nec identificatur *Filio, & Spiritui S.* Satis tandem eſt, quòd ſuppoſita Diſtinctione reali mediata & inadæquata extenſivè inter *Eſſentiam & Paternitatem* detur & debeat dari, aliqua Diſtinctio immediata objectiva, quæ componatur cum identitate reali immediata inter *Eſſentiam & Paternitatem*, ex vi cujus Diſtinctionis de *Paternitate* dicitur, quòd hæc ſecundùm ſe *generet*, de *Eſſentia*, quòd hæc ſecundùm ſe *non generet*.



§. II.

An *Personæ Divinæ* ità identificentur realiter ipsi *Essentiæ*, ut sicut Personæ multiplicantur realiter, ità & *Essentiæ* singularum Personarum (*Essentias Relativas* quidam dici volunt) multiplicentur realiter?

117. Hæc Quæstio ab aliis sic proponitur: An dentur tres *Essentiæ Relativæ*, à se invicem realiter adæquatè distinctæ, à *Personalitatibus* verò *Divinis* omnino indistinctæ, constituentes unam *Essentiam* absolutam. Affirmativè simúlque erroneè docuit Joachimus Abbas, qui non aliam unitatem Naturæ Divinæ admittebat, nisi collectivam, & similitudinariam, talem scilicet quali unitate, multi homines, unus populus, & multi Fideles dicuntur una Ecclesia. Error hic damnatus est à Concilio Lateranensi. Post dictum Abbatem, ejúsque damnatum errorem, censuerunt aliqui Theologi Catholici citati à Ruitz de Montoia, sustineri & defendi posse cum multiplicitate, & Distinctione reali adæquata *Deitatis*, seu *Essentiæ*, in singulis *Personis Divinis*, unitatem ejusdem *Essentiæ*, non aliam admitti debere, nisi eam quæ consistat in essentiali determinatione *Trium Personarum Divinarum*, ad idem, & eodem modo sapiendum, volendum & operandum. Et in simplicissima complexione omnium prædicatorum absolutorum, æqualiter, essentialiter conveniente omnibus & singulis *Personis*. Pro hac sententia adducitur Petrus Vadingus Tract. de Incarnatione Disp. 4. à num. 93. ad 96. Eandem sequitur & propugnat P. Christophorus Todtfeller in libro, cui titulus: Centum Quæstiones ex universa Theologia. Quæst. 3. à num VI. ad XIX.

118. Dicendum est: *Essentiam Divinam in Patre, Filio, & Spiritu S.* unam eandémque omnino esse unitate identitatis & indistinctionis realis immediatæ. Nec unitatem *Essentiæ Divinæ trium Personarum* bene explicari per unitatem aggregationis, seu collectionis similitudinariæ. Per unitatem itèm essentialis determinationis ad idem sapiendum, volendum, & operandum, ac Complexionis omnium prædicatorum absolutorum diversæ aliquomodo, licèt æqualiter convenientis omnibus & singulis *Personis*.

Probatur *Primò*: Authoritate Concilii Lateranensis de Summa Trinitate cap. Damnamus. Adducti superiùs Num. 60. *Nos Sacro approbante Concilio credimus & confitemur, quod una quædam summa res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus S. tres simul Personæ, ac singillatim quælibet earundem, & ideo in DEO solummodo est Trinitas, non Quaternitas. Quia quælibet earum Personarum est illa res, scilicet substantia & Natura Divina, & illa res non est generans, neque genita, neque procedens; sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit: ut Distinctiones sint in Personis, & unitas in Natura.* Qua supposita Concilii definitione, sic arguitur: *Essentia Divina*, est una quædam summa res, quæ veraciter est tres simul *Personæ*, & singillatim quælibet earundem. Sed *Essentia* multiplicata *in Personis*, & solùm una per unitatem collectivam, vel una, ratione essentialis determinationis ad idem, & eodem modo sapiendum, amandum, & operandum, non est una summa Res, quæ sit simul tres *Personæ*, & singillatim, quælibet earundem. Licèt enim taliter *Essentia Divina Una*, sit tres simul *Personæ*, tamen hæc omnino ipsa *Essentia* non est singillatim quælibet *Persona Divina*. Sicut populus, licèt sit plures simul homines, non est tamen singillatim unus quisque homo. Ecclesia licèt sit plures simul fideles, non est tamen Ecclesia singillatim quísque fidelis. Ergo. Et rursùs secundùm adductum concilium, nulla Persona Divina est *essentia seu natura generans, nec genita, nec spirata*. Docet enim Concilium, quòd quælibet *Persona sit substantia, seu Natura, quæ neque generat, neque generatur, neque spiratur*. Atqui secundùm doctrinam adversæ sententiæ, aliqua *Persona Divina*, nimirum *Persona Patris*, est *Natura generans*, aliqua puta *Persona Filii*, est *Natura genita*, aliqua Persona, nimirum *Persona Spiritûs S.* est *Natura spirata*. Quia secundùm doctrinam hujus sententiæ, quodcunque prædicatum convenit Personæ *Patris* convenit etiam *Naturæ Patris*, & sic de cæteris adeóque cum *Personæ Patris* conveniat quod *generet*,

etiam

etiam *Naturæ Patris* convenit, quòd *generet.* Ergo Doctrina adversæ sententiæ repugnat Definitioni Concilii. Quia contradictoriè opponitur eidem.

119. Probatur secundò. DEUS noster gloriosissimus, qui est DEUS verus, est Ens Unicissimum, & summè simplex, quoad suam *Substantiam seu Naturam* sumptus. Cujus ea est Unitas & simplicitas, ut Concilium Lateranense, hanc unitatem velit esse unitatem identitatis, & omnimodæ indivisibilitatis, dicátque *Substantiam Divinam* esse indivisibilem omnino & simplicem. Symbolum Athanasii dicit Fidem Catholicam in hoc stare, quod *Substantia Divinarum Personarum, non debeat confundi nec separari.* Separatur autem dum substantia seu essentia Patris est distincta à substantia Filii &c. quamvis non confundantur Personæ. Paulus IV. Cap. *Cùm quorundam.* lib. 1. qui ad sextum Decretalium adjicitur, dicit *Substantiam Divinam esse incompositam omnino & indivisam.* Tandem D. Bernardus lib. 5. de Consider. cap. 8. asserit tam strictam esse *unitatem Substantiæ Divinæ, ut inter omnia, quæ rectè unum dicuntur, arcem teneat Unitas Divinitatis.* Sed DEUS constitutus tribus Personis, earúmque tribus realiter adæquatè distinctis substantiis non est Ens quoad suam substantiam unicissimum & summè simplex unitate & simplicitate à Conciliis & Patribus asserta. Quia *Substantia DEI* sic constituti non est una unitate identitatis veræ & realis. Cùm secundùm hanc sententiam inter *Substantias Personarum Divinarum* sit Distinctio vera & realis, ratione cujus alia est *Substantia Patris, alia substantia Filii, alia substantia Spiritûs S.* Eadem *Essentia DEI* sic constituti, non est omnino indivisibilis & simplex. Quia est divisa in tres *substantias seu Essentias Relativas,* & ex iis est composita. Complectitur præterea substantias, à se per Distinctionem realem separatas. Et qui talem DEUM confitentur, substantiam *Personarum Divinarum,* à se invicem separant. Tandem si DEUS taliter constituatur unitas *Substantiæ Divinæ,* non est ità stricta, ut inter omnia, quæ rectè unum dicuntur, arcem teneat unitas *Trinitatis,* cùm magis stricta & propria unitas sit, Unitas identitatis, & quæ sit exclusiva multiplicitatis veræ & realis substantiarum Relativarum. Ergo DEUS taliter constitutus non est DEUS verus; adeóque non est DEUS noster gloriosissimus, quem vera fide credimus & confitemur. Confirmatur. DEUS constitutus tribus *Personis,* habentibus tres distinctas substantias, quarum *Personarum* singulæ sint DEUS verus realiter adæquatè distinctus ab alia *Persona* & DEO ipsi identificato, non est DEUS unus. Tot enim sunt veri DII, quot sunt *Personæ Divinæ.* Cùm singulæ sint DEUS, verus realiter adæquatè distinctus, à DEO vero, qui est alia *Persona Divina.* Adeóque sicut tres sunt *Personæ Divinæ,* ità tres sunt Dii veri à se realiter adæquatè distincti. Ergo. Confirmatur *Secundò,* summæ simplicitati *substantiæ Divinæ* opponitur vera realis compositio ex pluribus distinctis *Substantiis seu Naturis*, ùt ostensum est Disp. 1. num. 58. Cùm ergo in sententia opposita *Substantiæ seu Naturæ & Essentiæ Divinæ* conveniat vera & realis compositio ex tribus substantiis & DEItatibus trium distinctarum *Personarum*, ità realiter multiplicatis & distinctis, sicut ipsæ *Personæ Divinæ* sunt multiplicatæ & distinctæ sequitur hinc *Substantiam Divinam*, seu *DEItatem,* non esse Ens summè simplex, nec DEUM esse summè simplicem.

120. Probatur *Tertiò* Æternus DEI *Filius* est DEUS verus *Patri* consubstantialis, ùt Fides docet. Sed si opposita sententia subsisteret, æternus DEI *Filius* non esset DEUS verus, nec consubstantialis *Patri.* Ergo hæc sententia non subsistit. Minor probatur. Ens, quod nullatenus est Ens à se, sed potiùs, secundùm omne id, quòd est, est ab alio, non est DEUS verus. De ratione enim & conceptu essentiali DEI est, DEUM esse Ens à se. Atqui si *DEItas Filii* æterni, esset adæquatè distincta à DEItate *Patris* æternus DEI *Filius,* nullatenus esset Ens à se, potiúsque secundùm omne id, quidquid est, est Ens ab alio. Nam in hac sententia *Filius* æternus, & secundùm suam Personalitatem, hoc est secundùm *Filiationem* est ab alio, nimirum est *à Patre.* Et secundùm suam propriam *Substantiam,* omnino indistinctam à *Filiatione*, est pariter ab alio. Quia etiam secundùm hanc, est à *Patre.* Siquidem in Principiis hujus sententiæ, quidquid convenit *Filio & Filiationi*

ationi id totum convenit *ſententiæ* ſeu *Naturæ Filii*, adeóque cùm *Filiatio* ſit ab alio nimirum *à Patre*, etiam *Subſtantia* ſeu *Natura Filii* eſt ab alio, hoc eſt ab eodem ipſo *Patre*. Aliter in ſententia communi non diſtinguente realiter adæquatè *Subſtantiam* Perſonarum Divinarum ab iiſdem Perſonis diſcurritur à Theologis, de *Filio* æterno. Dicitur enim *Filius* æternus per hoc eſſe DEUS verus, quia licèt ſecundùm *Filiationem* eſt à *Patre*, ſecundùm *ſubſtantiam* tamen identificatam *Filiationi* non eſt à *Patre*; adeóque non eſt ab alio. *Subſtantia* enim ſeu Deitas *Filii*, ità convenit *Filio*, ut hæc ipſa ſit communis *Patri & Spiritui S.* & ſiquidem *Subſtantia Patris*, non eſt ab alio, ideò etiam *Subſtantia Filii*, omnino indiſtincta à *Subſtantia Patris*, ſecundùm ſe accepta, non eſt ab alio.

121. Dices: eſſe Ens à ſe, non eſt conceptus primò eſſentialis DEI. Plures enim Theologi, in aliquo alio prædicato, talem conceptum & prædicatum primò differentiale DEI, conſtituunt, non verò in prædicato Entis à ſe. Sed contra eſt, primò: Licèt aliqui Theologi Catholici conceptum Entis à ſe, negent eſſe conceptum primò eſſentialem DEI, nullus tamen negat conceptum Entis à ſe, eſſe conceptum convertibilem cum DEO. Quòd ſufficit ad inferendum: quidquid non eſt Ens à ſe, DEUM non eſſe. Contra eſt ſecundò: Conceptus Creaturæ, eſt Conceptus Entis ab alio, & abalietas, eſt differentia eſſentialis creaturæ, ſed in oppoſita ſententia, æterno DEI *Filio*, convenit eſſe Ens ab alio, etiam quoad ejus propriam ſubſtantiam, & quoad omnia ipſi identificata. Ergo æterno DEI *Filio* convenit conceptus eſſentialis Creaturæ, adeóque convenit illi eſſe Creaturam, quod voluit Arius. Contra eſt tertiò. Si conceptus Entis à ſe, non eſt conceptus eſſentialis, DEI, convertibilis cum DEO, potéſtque DEUS verus eſſe, & non eſſe Ens à ſe. Quis ergo eſt conceptus eſſentialis DEI, illi ſoli proprius, & cum DEO convertibilis? Reſpondebatur aliquando, conceptum eſſentialem differentialē DEI, eſſe Ens ſummè neceſſarium & æternum. Sed contra hoc ipſum eſt: conceptus eſſentialis differentialis DEI, debet eſſe oppoſitus conceptui eſſentiali creaturæ, illiúſq; excluſivus. Siquidem eſſe DEUM, & eſſe creaturam, ſunt ſpecies oppoſitæ diviſivæ Entis. Talium autem ſpecierum conceptus eſſentialis, eſſe oppoſiti. Cùm ergo conceptus eſſentialis Creaturæ ſit eſſe Ens ab alio; conceptus DEI, debet eſſe oppoſitus dicto conceptui creaturæ, debétque illius eſſe excluſivus. Sed conceptus Entis ſummè Neceſſarii & æterni, non eſt conceptus oppoſitus conceptui Entis ab alio, nec illius excluſivus. Quandoquidem cum illo componi poteſt, potiúſque conceptui eſſentiali Creaturæ oppoſitus eſt conceptus Entis à ſe. Ergo. Deinde conceptus eſſentialis differentialis DEI à Creatura, non debet eſſe communis DEO & Creaturæ. Conceptus autem Entis ſummè Neceſſarii & æterni ex Sententia Ariſtotelis, eſt communis DEO & Creaturæ. Hic enim quantumvis falsò & erroneè exiſtimavit Mundum neceſſariò exſtitiſſe ab æterno. Tandem ex hoc reſpondendi modo ſequitur & rectè infertur Filium DEI æternum non eſſe DEUM Conſubſtantialem Patri, illique æqualem. Siquidem eſſe Divinum Patris, ejúſque Subſtantia eſt Ens à ſe; Eſſe Filii æterni ejúſque ſubſtantia eſt Ens ab alio. Inter quæ magna eſt diverſitas, Conſubſtantialitatis excluſiva & magna inæqualitas.

Dices *Secundò*: Ens, quod ſecundùm aliquid ſui non eſt Ens à ſe, non eſt verus DEUS, nec eſt DEUS Patri conſubſtantialis, qui ſecundùm totum ſuum eſſe eſt Ens à ſe; nimirum eſt Ens à ſe & ſecundùm Eſſentiam, & ſecundùm Perſonam. Sed contra eſt: Ad eſſe veri DEI non plus requiritur, quàm ut id, quod dicitur DEUS, ſecundùm ſuam adæquatam ſubſtantiam, ſeu ſecundùm omnia prædicata ſua, quæ vocant abſoluta, ſit Ens à ſe; non requiritur verò, ut ſecundùm Relationem & proprietatem Perſonalem ſit Ens à ſe. Ut docent Concilia & SS. Patres. Et Ratio eſt: Quia in Divinis ratio DEItatis, ſeu DEI veri, eſt prædicatum abſolutum & non relativum. Ergo hoc prædicatum DEI veri habetur independenter ab eo, quòd aliqua Relatio, ſeu Perſona ſit vel non ſit ab alio tanquam à ſui principio. Licèt verò Pater æternus ſit Ens à ſe non ſolùm quoad Eſſentiam, ſed etiam quoad Perſonam, id non provenit ex eo, quòd ad rationem Deitatis requiratur aſeitas Perſonalis; ſed provenit ex eo, quod Pater æternus

ternus sit fons, & origo omnium Processionum in Divinis. Quæres: qua ratione Filius æternus est consubstantialis Patri. Siquidem Pater æternus ità est à se, ut excludat principium productivum sui? Respondeo: Filium æternum per hoc esse consubstantialem Patri, quòd substantia, seu Essentia Patris, consistens in prædicatis DEI absolutis, sit Filio, & Spiritui S. seu omnibus Personis Divinis communis per identitatem realem immediatam. Ad consubstantialitatem autem Patris cum Filio impertinenter se habet diversitas relationum Patris, & Filii. Consubstantialitas enim, seu unitas Substantiæ Divinæ est penès prædicata absoluta, non penès prædicata relativa. Quæres iterum: Quomodo Filius saltèm secundùm Personam sumptus non sit creatura. Siquidem illi ità sumpto convenit esse ab alio secundùm Personam? Respondeo: Filium æternum esse DEUM verum per hoc, quòd identificetur realiter immediatè Essentiæ Divinæ, seu prædicatis DEI absolutis. Esse enim DEUM est prædicatum absolutum, sicut esse justum, esse omnipotentem, immensum, sunt prædicata absoluta. Debet ergo esse DEI haberi à Deitate, quæ sit ratio in DEO absoluta, non autem à relatione, & ratione relativa. Hinc patet, abalietatem esse de ratione creaturæ quoad quævis prædicata rei, seu abalietatem exclusivam ipsius Deitatis, & identitatis cum Deitate, seu Essentia Divina; non esse verò de ratione creaturæ abalietatem nonnisi relativam, componibilem cum identitate Deitatis. Quare Filius æternus etiamsi quoad Personam, dicat abalietatem, quia tamen non est exclusivus identitatis cum Deitate, sed potiùs quoad Personam identificatur Deitati, ideò Filius æternus non est creatura.

122. Probatur quartò. Filius DEI æternus est Verbum Patris æterni, est Intellectio passiva, Sapientia æterna, & Vita in actu secundo. Hæc enim prædicata tribuuntur Filio DEI æterno à Scripturis, Conciliis, Patribus, & Theologis. Sed si substantia Filii æterni est adæquatè distincta à Substantia Patris, Filius DEI æternus non potest esse Verbum Patris æterni, nec intellectio passiva, nec Sapientia æterna, nec vita in actu secundo. Ergo. Minor probatur. Ut prædicata, seu denominationes Verbi Divini, Intellectionis passivæ, Sapientiæ Patris, Vitæ in actu secundo, conveniant Filio æterno, Filius æternus debet identificari realiter naturæ, seu substantiæ sui Principii, nempe Substantiæ Patris. Hæ enim denominationes, cùm sint vitales, debent esse aliquomodo intrinsecæ suo Principio, à quo procedunt. Adeóque & id, cui conveniunt, & cum quo sunt omnino idem, ut Filius debet esse intrinsecus aliquomodo Principio, seu Patri, à quo procedit. Cùm ergo non possit esse intrinsecus per receptionem, & sustentationem in Patre, & in natura Patris; hæc enim non minùs, ac ratio subjecti propriè talis repugnat in Divinis. Cùm itèm Filius DEI non possit esse intrinsecus per identitatem realem cum Paternitate; hæc enim rationi oppositionis relativæ inter Filium, & Patrem repugnat. Restat, ut Filius æternus, omnésque denominationes propriæ Filii sint intrinsecæ Patri per identitatem veram, & realem in natura, seu substantia una, eadémque communi Patri, & Filio. Sed si substantia Filii æterni est adæquatè distincta à Substantia Patris, Filiatio non est intrinseca suo Principio per identitatem realem in natura. Siquidem ab Adversariis negatur vera, & realis identitas inter naturam Filii, & naturam Patris. Aliter discurrendum est in sententia, Substantiam, seu naturam Filii identificante realiter substantiæ, seu naturæ Patris. In hac enim sententia Filiatio est intrinseca suo Principio, ratione identitatis in natura cum eodem Principio, quatenus illi substantiæ identificatur Filiatio. Adeóque Verbum Patris, Intellectio passiva, & Vita in actu secundo, &c. cui identificatur Paternitas, quæ est Principium Filiationis.

123. Probatur quintò, & impugnatur specialiter sententia, quæ unitatem Essentiæ Divinæ constituit in determinatione essentiali Personarum Divinarum, adeóque Essentiarum trium relativarum ad idem sapere, velle, & operari. Implicat, plures substantias à singulis Personis indistinctas, seu Essentias (quas opposita sententia vocat Relativas) esse unam substantiam, & Essentiam absolutam, unam inquam, ratione determinationis ad idem sapere, velle, & operari. Ergo unitas Substantiæ Divinæ non consistit in essentiali de-

determinatione, &c. Antecedens probatur. Tum quia implicat ſubſtantias relativas eſſe unam ſubſtantiam, per rationem formalem puritatis, ſeu multiplicitatis. Hæc enim facit, ut ea, quibus talis ratio convenit, ſint potiùs plura, quàm unum. Sed determinatio eſſentialis ad idem ſapere, velle, & operari, eſt ratio formalis pluralitatis. Quia eſſentialiter eſt determinatio plurium, per illámque determinantur plura. Certè, qua ratione determinatio illa dicitur eſſe ratio formalis unitatis, ídque ex eo, quòd ſit determinatio ad idem ſapere, idem velle, &c. Eâ, imò potiori ratione hæc ipſa determinatio eſt ratio formalis pluralitatis, ſi eſſentialiter eſt determinatio plurium. Tum quia implicat diverſas Perſonarum Divinarum ſubſtantias eſſe determinatas ad idem ſapere, velle, & operari; potiùs enim hæ ſunt determinatæ ad diverſum ſapere, diverſum velle, & diverſum operari. Quia unius, cujúſque Perſonæ ſubſtantia eſt determinata ad ſapere ſibi identificatum, ad velle ſibi identificatum, ad operari per potentiam ſibi identificatam. Cùm ergo in oppoſita ſententia Perſonarum Divinarum ſint diverſæ realiter ſubſtantiæ, diverſa ſunt ipſis identificata ſapere, velle, &c. Adeóque diverſum eſt ſapere Patris identificatum ſubſtantiæ Patris; diverſum eſt ſapere Filii, identificatum ſubſtantiæ Filii, &c. Proportionatè diſcurre de velle, & operari. Quodſi ſapere Patris, ſapere Filii, ſapere Spiritûs S. ſunt idem, ſunt nonniſi idem impropriè, nimirum extrinſecè, & terminativè; non ſunt verò idem propriè intrinſecè, & entitativè; ſed potiùs hoc modo ſunt diverſa. Adeóque taliter idem ſapere Patris, Filii, &c. non poteſt fundare unitatem Subſtantiæ Divinæ aliam, niſi impropriam, & extrinſecam. Confirmatur: Sapere per Eſſentiam, ſeu Subſtantiam improductam, & imparticipatam, & ſapere per Subſtantiam participatam, & acceptam à Patre, ſunt ſapere diverſa, & diverſo modo, ſed in oppoſita ſententia, ſapere Patris æterni, eſt ſapere per ſubſtantiam improductam, & imparticipatam; ſapere Filii eſt ſapere per ſubſtantiam participatam, & acceptam à Patre. Ergo ſapere Patris, & ſapere Filii non eſt idem ſapere. Tum quia repugnat, tres Eſſentias relativas à ſe realiter diſtinctas, eſſe unam ſubſtantiam per unitatem collectivam, & ſimilitudinariam, qualem docuit erroneè Joachimus Abbas, & quem errorem ipſius damnavit Eccleſia. Ergo itidem repugnat, tres Eſſentias relativas à ſe diſtinctas, eſſe unam ſubſtantiam per eſſentialem determinationem ad idem ſapere, velle, &c. Conſequentia probatur. Quia unitas collectiva, & ſimilitudinaria Joachimi Abbatis, quoad rem ipſam, eſt unitas eſſentialis determinationis trium diſtinctarum Eſſentiarum relativarum ad idem ſapere, velle, & operari. Talem enim omnino unitatem voluit prædictus Abbas, quæ eſſet collectiva, & ſimilitudinaria cum eſſentiali determinatione ad idem ſapere, velle, & operari. Aliàs novus, & diverſus hic fuiſſet error ejuſdem Abbatis, ſi docuiſſet, Perſonas Divinas diſſentire poſſe in ſapiendo, volendo, & operando. Quem errorem Concilium non reticuiſſet, nec indamnatum clarè, & expreſsè pertranſiſſet. Nec valet, quòd Joachimus unitatem ſuam ſimilitudinariam, & collectivam declarat per exempla, & ſimilitudines unitatum collectivarum accidentalium, trium Medicorum, facientium unum collegium; trium amicorum conſentientium, & per hoc habentium cor unum, & animam unam; multorum hominum conſtituentium unum populum; multorum fidelium coaleſcentium in unam Eccleſiam. His enim ſimilitudinibus præcisè oſtendere voluit; ex pluribus poſſe conſtitui unum aliquid; non intendit verò unquam Unitatem Subſtantiæ Divinæ eſſe per omnia ſimilem unitatibus adductis; hoc eſt, ſimilem non ſolùm in ratione generica unitatis collectivæ, ſed etiam in ratione ſpecifica unitatis collectivæ accidentariæ. Nec mirum, quòd talibus ſimilitudinibus uſus eſt. Hæ enim maximè obviæ ſunt, ſufficientérque expreſſivæ unitatis collectivæ. His ipſis utitur ſimilitudinibus ſententia conſtituens unitatem Eſſentiæ Divinæ in eſſentiali determinatione trium Eſſentiarum relativarum ad idem ſapere, velle, & operari, cum hoc diſcrimine, quòd in apodoſi, & in conſequenti utatur addito illo: *à fortiori*, hoc modo: Ergo à fortiori unitas ſubſtantiæ Perſonarum Divinarum conſiſtit in collectione trium Eſſentiarum relativarum, prout determinatarum eſſen-

ſentialiter ad idem ſapere, velle, & operari. Tum quia implicat ratione determinationis eſſentialis ad idem ſapere, velle, & operari, tres Perſonas Divinas eſſe Perſonam propriè, idque eſſentialiter unam. Ergo etiam implicat ratione ejuſdem determinationis, tres ſubſtantias à ſingulis Perſonis indiſtinctas eſſe ſubſtantiam propriè, & eſſentialiter unam. Conſequentia patet. Quia non minùs ipſæ Perſonæ Divinæ ſunt eſſentialiter determinatæ ad idem ſapere, velle, & operari, atque ſubſtantiæ his Perſonis identificatæ, ſeu Eſſentiæ relativæ ſunt eſſentialiter ad id ipſum determinatæ. Quare ergo ratione dictæ determinationis tres ſubſtantiæ, ſeu Eſſentiæ relativæ, ſunt una propriè, & eſſentialiter ſubſtantia, jam verò tres Perſonæ non ſunt una propriè, & eſſentialiter Perſona? Tum quia unitas Patris cum Filio æterno per concordiam, & unanimitatem voluntatum, eſt reprobata à Concilio Sardicenſi his verbis: *Nos omnes Catholici reprobavimus intellectum eorum fatuum, quorum blaſphemia, atque corruptibilis interpretatio eſt, ideò eum dixiſſe: Ego, & Pater unum ſumus, propter concordiam, & unanimitatem voluntatum.* Qui ſacri Concilii textus refertur in hiſtoria tripartita lib. 4. cap. 24. Ergo repugnat, Subſtantias Perſonarum Divinarum à ſe realiter diſtinctas eſſe Subſtantiam unam ratione eſſentialis determinationis ad idem velle, ſapere, &c. Hoc ipſo enim eſſent unum per concordiam, & unanimitatem voluntatum. Neque valet, ſi dicas, à Concilio Sardicenſi reprobari unitatem, quæ ſit per conſenſum voluntatum inæqualium, quales voluntates in Patre, & in Filio Ariani eſſe aſſerebant. Non valet inquam: Ità enim inſtauro Argumentum: Concilium Sardicenſe reprobat interpretationem illam Scripturæ: *Ego, & Pater unum ſumus*, ſumus inquam unum per concordiam, & unanimitatem voluntatum inæqualium. Atqui ſi dentur tres diſtinctæ Subſtantiæ Patris, Filii, & Spiritûs S. & unitas illarum habeatur ratione determinationis earundem ad idem velle, unitas hæc eſt per concordiam, & unanimitatem voluntatum, earúmque inæqualium. Voluntates enim, quarum una eſt imparticipata, & à ſe, altera participata, & ab alio ſunt voluntates inæquales. Tales verò debent eſſe voluntas Patris, & voluntas Filii in ſententia oppoſita, ùt facilè colligi, & intelligi poteſt ex dictis proximè.

Dices: Ariani, contrà quos ait Concilium Sardicenſe, per ſolam concordiam voluntatum explicabant unitatem Patris, & Filii, non autem per idem intelligere, & poſſe. Licèt ergo Sardicenſe Concilium reprobet unitatem Patris cum Filio, per ſolam voluntatum concordiam, non reprobat tamen unitatem per concordiam non ſolùm voluntatum, ſed etiam ejuſdem intelligere, & poſſe. Sed contra eſt: Unde & hoc, quòd Ariani in Patre, & Filio admiſerint unitatem per ſolam concordiam voluntatum, non verò concordiam etiam in ipſo intelligere. Cùm concordia voluntatum perfecta eſſe non poſſit, ſi diverſitas ſit judiciorum, & intellectionum; ſi itèm uni velle reſpondeat poſſe, alteri non reſpondeat idem poſſe. Unde itèm eſt, quòd Concilium Sardicenſe non negaverit univerſaliter, per nullam concordiam voluntatum, explicari unitatem Patris, & Filii, ſive interim ipſi concordiæ voluntatum reſpondeat concordia, & unitas ipſius ſapere, & poſſe, ſive non reſpondeat, ità ut non ſolùm Arianorum errorem, ſed etiam quamcunque collectivam Perſonarum Divinarum unitatem reprobet anticipato? Certè iſta propoſitio: *Non intelligenda eſt concordia, & unanimitas voluntatum per illa Scripturæ verba: Ego, & Pater unum ſumus.* Cùm ſit propoſitio negativa, & in materia dogmatica, debet ſumi univerſaliter. Adeóque tam de concordia voluntatum ſinè unanimitate ad idem ſapere, & poſſe, quàm de concordia voluntatum conjuncta unanimitati ejuſdem ſapere, & ejuſdem poſſe. Dices iterum: Ariani unitatem Patris cum Filio explicabant per concordiam voluntatum inæqualium, non in quacunque ratione, qualis eſſet inæqualitas in hoc, quòd una voluntas eſſet imparticipata, altera participata, ſed per unitatem, & concordiam voluntatum inæqualium in ratione volendi, quatenus voluntas Chriſti creata idem quidem volebat, quod volebat voluntas Patris, ſed non eſſet eſſentialiter determinata ad idem volendum, verùm unanimitas voluntatis in Chriſto cum voluntate DEI eſſet ſimilis illi, quam homo aliquis ſanctus perfectè conformis cum voluntate DEI ha-

beret, ut posset non habere. Sed contrà est: An hoc voluerint Ariani, nec nè, non controverto. Nego tamen Concilium Sardicense, dum Patris cum Filio unitatem defendit, aliquam inæqualitatem voluntatum Patris, & Filii etiam in ratione essendi admisisse; licèt fortè negaverit inæqualitatem in ratione volendi. Non potest enim supponi de Concilio, quòd aliquam in aliqua ratione, nimirum in ratione volendi inter Patrem, & Filium æternum admiserit inæqualitatem voluntatum. Siquidem, vi talis inæqualitatis, Filius, quoad suum esse, esset simpliciter inæqualis Patri. Cùm tamen Fides, Concilia, & Patres negent omnem inæqualitatem inter Personas Divinas. Contra est secundò. Concilium contra Arianos negat illam inæqualitatem inter Filium, & Patrem, ex vi cujus Filius sit creatura. Sed illa inæqualitas voluntatum, ex vi cujus voluntas Filii esset participata, esset talis, ex vi cujus Filius deberet esse creatura. Deberet enim quoad suam substantiam & esse absolutum, esse ab alio. Ergo Concilium negat hanc inæqualitatem, ex vi cujus voluntas Filii esset participata. Certè hæc inæqualitas esset similis illi inæqualitati, quam haberet creatura rationalis metaphysicè impeccabilis, qualem creaturam possibilem esse aliqui putant; qualis itèm esset creatura rationalis essentialiter determinata ad volendum conformiter cum voluntate DEI. Contra est tertiò. Concilium Sardicense duplicem in Christo agnovit voluntatem, unam Personæ, Filii Divinam, alteram creatam naturæ humanæ propriam. Dúmque Concilium interpretatur illum textum: *Ego, & Pater unum sumus*; nihil prorsus loquitur de voluntate humana Christi comparata ad voluntatem Patris, inter quas voluntates est inæqualitas in ea ratione, quòd una sit imparticipata, nempe Patris, altera participata, nimirum naturæ humanæ Christi, quæ ipsa ratione unionis Hypostaticæ, qua natura humana Christi unitur Personæ Verbi, ratione itèm visionis beatæ, qua eadem natura humana videt DEUM, est essentialiter determinata ad conformari voluntati Patris. Potiùs itaque Concilium loquitur de voluntate Christi Divina, prout Christus est DEUS, & Filius DEI. Et hæc voluntas utpote Divina, debet esse eadem cum voluntate Patris, non per concordiam, sed per identitatem physicam naturæ Divinæ, & indivisibilis in utroque voluntatis. Nec voluntas Divina Filii potest esse participata, & distincta à voluntate Patris. Aliàs talis voluntas deberet esse voluntas creata, quia quoad esse absolutum esset ab alio.

Proponitur Objectio.

124. Objicitur. Eo modo explicanda est unitas, & simplicitas Substantiæ, seu Essentiæ Divinæ, quo si explicetur, DEUS, ejúsque unitas in Essentia, & Trinitas in Personis, gentibus faciliùs suadetur, nec illa ipsa explicatio repugnat Fidei. Sed si in DEO admittantur tres res, seu Essentiæ relativæ, quarum una sit *generans*, altera *genita*, tertia *spirata*, essentialiter determinatæ ad idem sapiendum, volendum, & operandum, DEUS, ejúsque unitas in Essentia, ac Trinitas in Personis, faciliùs suadetur gentibus, nec ipsa unitatis explicatio repugnat doctrinæ Fidei. Ergo. Minor probatur per partes. Prima pars probatur: Tum quia per illam explicationem gentibus faciliùs suadetur unitas DEI in Essentia, & simul Trinitas in Personis, per quam suadetur possibilitas Mysterii Trinitatis, & secundùm quam nulla contradictoria verificantur de uno, eodémque, sed si aliqua verificantur, illa verificantur de distinctis; de illis verò, quæ sunt indistincta realiter, ex contradictoriis unum nonnisi, idémque prædicatum verificatur. Hoc enim maximè infidelibus est difficile, & planè imperceptibile; si dicatur de indistinctis realiter in Divinis verificari prædicata contradictoria. Sed secundùm explicationem, & sententiam, quæ admittit in DEO tres Essentias relativas, nulla in DEO verificantur contradictoria de uno, eodémque realiter, quin potiùs si ex contradictoriis unum dicatur de aliquo esse Divino, alterum, quod itèm oportet verificari, dicitur de alio esse realiter distincto. Quod verò dicitur de uno identificatis, hoc ipsum dicitur de altero ex identificatis realiter. Nimirum, sicut de *Paternitate*, seu de *Patre* dicitur, quòd *generet*, ità & de *Essentia relativa Patris*, seu de *Essentia*, prout est in *Patre*, dicitur, quòd *generet*. Similiter sicut de *Filio* dicitur, quòd *generetur*, ità & de *Essentia Filii*,

lii, seu de *Essentia*, prout est *in Filio*, dicitur, quòd *generetur*. Nec ullum est prædicatum, quod uni ex his, quæ identificantur, conveniat, alteri non conveniat, potiúsque ejus contradictorium illi conveniat, Ergo. Tum quia in sententia hac explicatur *Trinitas Personarum*, per realem Distinctionem earundem, realem itèm Distinctionem *Essentiarum Relativarum*, ipsis *Personis* identificatarum. *Unitas* verò *Essentiæ Divinæ*, explicatur per essentialem Determinationem trium Divinarum *Personarum* & *Essentiarum Relativarum*, ad idem sapiendum, volendum, & operandum. Si enim in humanis plures diversæ Personæ creatæ, dum unum idémque sapiunt, volunt, & operantur, censentur esse unus homo, & habere cor unum & animam unam, quamvìs hoc illis contingens sit & accidentale; à fortiori *Personæ Divinæ*, per hoc, quod sint essentialiter determinatæ ad idem sapiendum, volendum, & operandum, sunt *una Essentia*, unus DEUS, ídque unus unitate essentiali. Hoc argumentandi modo utitur S. Athanasius Dial. I. de Trinitate. ubi post multa in hanc sententiam dicta, sic concludit: *Aut igitur ponito esse dissidia, ut tres DEOS dicamus, aut si nulla est in illis dissensio, unus sit DEUS Pater, Filius, & Spiritus S. quemadmodum, qui in Christo sunt compacti, unus homo sunt.* Tum quia, prædicata, quæ penès nihil differunt, constituunt veram, & propriam unitatem. sed prædicata absoluta trium *Personarum* Divinarum penès nihil differunt. Ergo hæc prædicata constituunt veram & propriam unitatem. Hæc porrò unitas, est unitas *Essentiæ Divinæ*. Major innititur Principio lumini naturæ noto: *Quæ penès nihil differunt, penès nihil distinguuntur*. Impossibile enim est, ut res una distinguatur, ab altera, & nullum sit prædicatum, quod affirmari possit de una, & negari de altera. Hinc unicum fundamentum inferendi Distinctionem, est diversitas prædicatorum. Minor deinde probatur: *Personæ Divinæ* sunt essentialiter determinatæ ad idem & eodem modo sapere, velle, & operari, nec potest una sapere, velle, & operari aliter, quàm alia. Iisdem *Personis Divinis* omnibus & singulis convenit æqualiter simplicissima complexio omnium prædicatorum absolutorum, nec excogitabile est prædicatum absolutum, quod de *Natura* unius *Personæ* affirmari possit, & negari de *Natura* alterius. Ergo prædicata harum *Personarum* penès nihil differunt.

125. Secunda deinde pars primæ Minoris probatur, nimirùm: Quòd explicatio Unitatis per essentialem determinationem ad idem sapere, velle, & operari, non repugnet doctrinæ Fidei. Tum quia si hæc explicatio unitatis Divinæ, adversaretur alicui dogmati Fidei, & definitioni Ecclesiæ, adversaretur damnationi erroris Joachimi Abbatis, per hoc, quod hæc explicatio conveniret cum eodem errore memorati Abbatis. Sed non convenit. Joachimus enim, unitatem *Personarum Divinarum* voluit esse collectivam & similitudinariam adinstar unitatis, qua multi homines dicuntur unus populus; multi Fideles una Ecclesia, Sententia verò, quæ Unitatem *Personarum Divinarum* docet consistere in essentiali Determinatione ad idem sapere, velle, & operari, unitatem admittit longè diversam, Unitatem scilicet essentialem non accidentalem, Unitatem soli DEO propriam, & nulli convenientem Creaturæ. Tum quia hæc sententia, in tantum adhuc repugnaret doctrinæ fidei, in quantum repugnaret doctrinæ Concilii Lateranensis cap. Damnamus. de summa Trinitate definientis: *Quamlibet Personarum Divinarum esse unam quandam summam rem, scilicet substantiam, seu Naturam Divinam.* Definientis itèm; quòd *illa ipsa summa res, scilicet substantia Divina, non sit generans neque genita, neque procedens. Pater autem sit generans, Filius sit genitus, Spiritus S. sit procedens.* Sed his definitionibus non repugnat dicta sententia. Non definitioni priùs adductæ, siquidem secundùm dictam Sententiam, quælibet ex *Personis Divinis*, est realiter & indivisibiliter summa illa Res, scilicet *Substantia seu Natura Divina*, est inquam tota, at non totaliter. Cùm etiam alia *Persona Divina* sit illa tota res ità, ut hæc una summa res sit adæquatè seu totaliter tres *Personæ Divinæ*, quemadmodum asserit S. Augustinus lib. 6. de summa Trinitate cap. 9. *Non intelligimus DEUM nisi ipsa tria simul.* Non repugnat etiam secundæ Definitioni Concilii Lateranensis, dicta sententia, illi nimirum definitioni. Quòd *substantia Divina neque sit generans, neque genita, neque spirata.* Nomine enim

Substantiæ seu Naturæ Divinæ simpliciter prolato, venit *Natura Divina* prout est in omnibus *Personis Divinis*. iisque est Communis, seu prout est prædicatum absolutum, quomodo sumpta *Natura*, *neque est generans*, *neque genita*, *neque spirata*. Non venit verò hoc nomine *Natura*, prout est in una aliqua *Persona*. v. g. non venit *Natura* prout est in *Patre*. hæc enim est *generans*, ùt Patres loquuntur. Neque *Natura* prout est in *Filio*. Quia hæc *est genita*. Tum quia hæc sententia est potiùs conformis doctrinæ Fidei, Patrum & Theologorum. Concilia enim & Patres docent *Naturam Divinam ab Hypostasi seu Personalitatibus*, non re sed sola ratione distingui. Hoc expresè docet Concilium Florentinum Sess. 18. 19. 23. 24. 25. Rhemense insuper addit *Substantiam ab Hypostasi, non Ratione Theologica* (hoc est non distinctione Scotistica formali ex Natura rei aut Virtuali intrinseca) *sed sola abstractione Mathematica*, hoc est actu intelligendi *distingui*. Accedunt Patres Damascenus, Basilius, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, ac etiam S. Doctor Angelicus 1. parte. Quæst. 39. Art. 1. in ☉. & 3. par. Quæst. 2. Art. 2. in ☉. Atqui in hac sententia *Personalitates* non re, sed sola ratione seu actu intelligendi distinguuntur à *Natura Divina*. Nimirum *Paternitas à Natura Patris Filiatio à Natura Filii*, sola ratione distinguitur, ità ut non sit necesse ullam inter hæc Distinctionem dari aliam, præter Distinctionem Rationis. Quidquid enim dicitur de *Paternitate*, id totum dicitur de *Natura Patris*, nec inter hæc reperitur fundamentum distinctionis quæ fit nemine cogitante, quale fundamentum est diversitas prædicatorum.

Solvitur Objectio.

126. Respondeo, ac imprimìs omitto primam Majorem. Circa cujus primam partem adverto sequentia: *Primò* unitatem, & simplicitatem *Substantiæ*, & *Naturæ Divinæ*, eo modo explicandam esse, ut unitas hæc sit perfectissima, & omnimoda, hoc est unitas identitatis, & indivisionis realis. *Secundò*: Sicut unitas *Essentiæ Divinæ* debet esse vera propria, & omnimoda, ità multiplicitatem, & Trinitatem *Personarum* debere esse veram propriam, & realem per distinctionem inter se *Personarum Divinarum* realem veram, & propriam *Tertiò*: Unitatem *Naturæ Divinæ* è mente S. Thomæ 1. parte Quæst. 32. Infidelibus, & Gentibus ità debere suaderi, ut Mysterium *Trinitatis* ab impossibilitate defendatur, & Argumenta contra ipsius possibilitatem allata solvantur, non debet verò ità suaderi, ut facilè Mysterium *Trinitatis* cognoscant, illique absque omni difficultate assentiantur rationibus hoc Mysterium suadentibus convicti; ità enim Mysterium *Trinitatis* non esset supra lumen rationis, nec Mysteriorum maximum.

127. Omissa deinde Majore, nego bipartitam Minorem. In prima parte ipsius non est tantopere vis Argumenti, posšetque hæc pars omitti, & dissimulari. Ut tamen detur occasio examinandi ejus probationes. Nego etiam hanc primam partem. Ad primam illius Probationem dico: Unitatem *Essentiæ*, *seu Naturæ Divinæ* ità explicari, & possibilitatem Mysterii *Trinitatis* taliter suaderi debere, ut contradictoria non verificentur de uno, eodémque, sed de distinctis eo modo, quo secundùm Fidei principia possunt esse distincta, non autem de distinctis omnino realiter immediatè, & adæquatè. Dico præterea: Aliquod prædicatum dicere de his, de quibus dici non debet, non est suadere Mysterium *Trinitatis* verum, & reale, sed est suadere proprii capitis comentum. Et sic de *Natura Patris* dicere, quòd sit *generans*, non est suadere Mysterium *Trinitatis*. Ejusdem Probationis videtur etiam neganda Minor. Falsum siquidem est in DEO verificari contradictoria de uno, eodémque realiter, seu de identificatis realiter. Ex his enim contradictoriis: *Est una essentialiter*. *Non est una essentialiter*: utrumque verificatur de his, quæ non sunt distincta realiter; nimirum de *Natura* omnibus *Personis* communi, seu absoluta, & de tribus simul *Personis*. Hæc enim *Natura* est una, tres *Personæ* non sunt una. Atqui *Natura* omnibus communis, & tres *Personæ* simul, secundùm adversam sententiam, non sunt realiter à se distincta. Ergo. Falsum & illud est. Quòd si aliquod prædicatum de uno ex identificatis realiter dicatur, idem ipsum prædicatum debeat dici etiam de altero ex identificatis. Et in particulari, falsum est, quòd *Natura Patris generet*, sicut *Pater*, &

Paternitas generat; quòd *Natura Filii generetur*, quemadmodum *Filius generatur*. Licèt enim *Pater*, *&* *Paternitas generat*, tamen *Natura Patris non generat*; licèt *Filius*, *&* *Filiatio generetur*, tamen *Natura Filii non generatur*. Aliàs *Natura*, quæ est *Pater*, *generaret*, & *Natura*, quæ est *Filius*, *generaretur*, quod repugnat Concilio Lateranensi. Neque dicas secundùm Patres: *Natura*, *prout est in Patre*, *est generans*, *Natura*, *prout est in Filio*, *est genita*, *Natura*, *prout est in Spiritu S. est spirata*. Ergo *Natura Patris est generans*, *Natura Filii est genita*. Non dicas, inquam: Post Concilium enim Lateranense putant aliqui Theologi, non debere ampliùs usurpari illas propositiones: *Natura*, *prout est in Patre*, *est generans*, *Natura*, *prout est in Filio*, *est genita*, *&c.* quamvis ante Concilium usurpatæ fuerint à Patribus. Hoc nihilominus pertransito neganda est Consequentia. Quamvis enim veræ essent illæ propositiones: *Natura*, *prout est in Patre*, *est generans*, *Natura*, *prout est in Filio*, *est genita*. Non sunt tamen veræ hæ aliæ: *Natura Patris est generans*, *Natura Filii est genita*. Siquidem hæ propositiones longè sunt diversæ à prioribus. Priores habent sensum reduplicativum, & per subjectum reduplicatur aliqua *Personalitas*, nimirum reduplicatur jam *Persona Patris*, jam *Persona Filii*; ex quibus *Patri* convenit esse *generantem*, *Filio* convenit esse *genitum*. In posterioribus propositionibus: *Natura Patris*, *&* *Natura Filii* sumuntur specificativè, hoc est, pro ipsa *Natura*. Priores propositiones æquivalent sequentibus: *Natura*, *quæ est in Patre*, *secundùm Paternitatem generat*. *Natura*, *quæ est in Filio*, *secundùm Filiationem est genita*. Quæ propositiones sunt veræ, si nihil plùs significent, quàm quòd *Paternitas*, quæ est identificata *Naturæ*, *generet*, *Natura* secundùm se *non generante*. Itèm, quòd *Filiatio*, quæ itidem est identificata *Naturæ*, *sit genita*, ità ut *Natura* secundùm se *non generetur*. Posteriores verò propositiones æquivalent his aliis. *Natura Patris secundùm se*, *hoc est secundùm esse Naturæ identificatæ Patri*, *generat*; *Natura Filii secundùm se*, *est genita*. Quæ propositiones secundùm Fidem Catholicam, & secundùm definitionem Concilii Lateranensis, debent esse falsæ.

128. Ad secundam Probationem ejusdem primæ Partis Minoris, quid dici debeat, patet ex Probationibus Conclusionis. Nimirum neganda est secunda Pars Antecedentis, & dicendum: Unitatem *Essentiæ Divinæ*, ad summum explicandam esse per essentialem determinationem ad idem sapere, velle, &c. Ad idem inquam entitativè, & intrinsecè, seu ad idem identitate exclusiva distinctionis realis immediatæ inter sapere *Patris*, & sapere *Filii*, &c. non autem per determinationem ad idem sapere, &c. idem inquam terminativè, & extrinsecè. Itèm ad idem similitudinariè, identitate invehente distinctionem realem inter sapere *Patris*, & inter sapere *Filii*. Porrò adversa sententia explicat unitatem *Essentiæ Divinæ* per determinationem ad idem sapere in diversis *Personis*, quale sapere non est idem entitativè, & intrinsecè, sed est idem terminativè, & extrinsecè. Itèm est idem per quandam similitudinem, & convenientiam. Imò nec per determinationem ad taliter idem sapere; explicat unitatem *Essentiæ Divinæ*, cùm diversæ rationis sit sapere *Patris*, diversæ rationis sit sapere *Filii*. Illud enim est imparticipatum & à se, hoc participatum, & ab alio. Authoritas S. Athanasii intelligenda est de dissentire, quòd sit tale, non solùm per sapere, & velle diversum terminativè, sed etiam sit diversum entitativè. Dicit nimirum S. Doctor: *Si inter Personas Divinas fuerit dissensio*, *per sapere diversum tam terminativè*, *quàm entitativè plures Deos admitti debere*; *si non detur talis dissensio*, *Pater*, *Filius*, *&* *Spiritus S.* *sunt unus* DEUS.

129. Tertiæ Probationis distinguo Majorem. Prædicata, quæ penès nihil differunt, nec coalescunt ex pluribus realiter distinctis, constituunt veram propriam, & omnimodam unitatem, hoc est, unitatem identitatis. Concedo Majorem. Prædicata, quæ penès nihil differunt, coalescunt tamen ex pluribus realiter distinctis, constituunt veram propriam, & omnimodam unitatem, adeóque unitatem identitatis. Nego Majorem. Et Minorem distinguo. Sed prædicata absoluta trium *Personarum Divinarum* penès nihil differunt, simul tamen coalescunt ex pluribus realiter distinctis. Omitto Minorem. Penès nihil differunt, nec coalescunt ex pluribus realiter distinctis (intellige in op-

opposita sententia) Nego Minorem, & Consequentiam. Et dico : Unitatem *Essentiæ Divinæ* debere esse unitatem identitatis realis. Quia debet esse unitas summa, unitas indivisibilis omnino, & exclusiva omnis distinctionis, realis præsertim immediatæ. Ut verò sit talis unitas, requiritur, ut prædicata, quæ dicuntur penès nihil differre, non constituantur multis realiter, nec ex illis coalescant, seu ut non sint in se res multæ realiter. Jam verò prædicata *trium Personarum*, quæ vocantur absoluta (quidquid sit de hoc, an differant, aut non differant penès aliquid) constituuntur multis realiter, ex illisque in sententia opposita coalescunt, suntque res multæ realiter, v.g. sapere Divinū, prout est prædicatū absolutū, in sententia opposita coalescit ex sapere *Patris*, sapere *Filii*, sapere *Spiritûs S.* realiter à se distinctis, atque his tribus constituitur. Potest etiam omissa Majore negari Minor. Prædicata absoluta Divina trium *Personarum Divinarum* differre penès aliquid, quatenus saltèm individualiter differunt ea, ex quibus unumquódque prædicatum absolutum secundùm Adversarios coalescit. Deinde prædicata absoluta trium *Personarum Divinarum* differunt penès ipsas Relationes, & *Personalitates*, à quibus sunt indistincta. Imò hæc prædicata in singulis *Personis* spectata, non tam sunt, & esse debent prædicata absoluta, quàm potiùs prædicata relativa; sicut & ipsæ *Essentiæ* earundem triū *Personarum* secundùm ipsos Adversarios sunt *Essentiæ Relativæ*. Quodsi quævis prædicata trium *Personarum Divinarum* ità differunt, veram, & omnimodam unitatem *Essentiæ Divinæ* constituere non possunt.

130. Secundam deinde partem bipartitæ Minoris primi Argumenti, in qua maxima vis est, & quæ potissimùm negari debet, nego, & dico : Explicationem unitatis *Essentiæ Divinæ*, prout illam explicat objectio, & adversa sententia, repugnare pluribus Fidei dogmatibus. Ad primam Probationem dico, concessâ Majoris sequelâ, nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico : Quidquid sit de hoc, an Joachimus Abbas voluerit unitatem *Essentiæ Divinæ* esse collectivam, & similitudinariam, accidentalem, quod non deducitur, levéque, ac infirmum Argumentum desumitur ex eo, quod ad declarandam hanc unitatem usus sit similitudine unitatis collectivæ creatæ, ejúsque accidentalis. Cùm tali similitudine potuerit velle declarare solam rationem genericam unitatis collectivæ; absque eo, quòd in DEO voluerit adstruere unitatem collectivam accidentalem. Concilium tamen damnavit universaliter errorem asserentem : quòd unitas Essentiæ Divinæ sit collectiva, & similitudinaria, sive essentialis, sive accidentalis. Cùm non sit fundamentum restringendi damnationem Concilii ad unitatem nonnisi collectivam accidentalem. Ergo falsum est DEUM esse unum sive unitate collectiva essentiali; quali omnes homines sunt unus specie homo, quæ unitas videtur esse unitas collectiva essentialis, sive unum unitate collectiva accidentali, quali unitate multi fideles sunt una Ecclesia. Sed si DEUS esset unus per unitatem essentialis determinationis trium *Personarum*, & *Essentiarum Relativarum* ad idem sapere, velle, &c. esset unus unitate collectiva, & similitudinaria essentiali, unitas enim determinationis essentialis ad idem sapere, &c. est unitas collectiva. Quia in hanc unitatem colliguntur *tres Essentiæ Relativæ* à se distinctæ. Est etiam unitas similitudinaria: quia coalescit ex prædicatis trium *Personarum* sibi similibus, & penès nihil differentibus, ùt volunt oppositi. Est tandem unitas hæc essentialis, ùt iidem ultro concedunt. Ergo.

131. Secundæ Probationis ejusdem partis concedo sequelam, & nego Minorem, ac dico: Utrique definitioni Concilii Lateranensis adversari, & repugnare sententiam oppositam. Repugnat primæ definitioni : quia secundùm hanc sententiam nulla *Persona Divina* est indivisibiliter summa illa res, scilicet *Natura Divina*; quia nulla pars est suum totum. Atqui quævis *Persona Divina* est pars, *Natura* verò *Divina* est totum, ùt hæc sententia docet. Ergo nulla *Persona Divina* est *Natura Divina*. Respondetur, quòd quævis *Persona Divina* sit *Natura* tota, at non totaliter. Sed contra est primò. Ergo quævis *Persona Divina* est *Natura* tota partialiter; adeóque quælibet *Persona Divina* est divisibiliter illa summa res, hoc est *Essentia Divina*, quod repugnat Concilio. Contra est secundò. Non est hoc explicabile, quomodo in adversa sententia

tia, quævis *Persona* sit *Natura* tota, si, non est Totaliter. Quomodo enim est Tota *Natura*, si non est complexum trium *Personarum, & Essentiarum Relativarum*, quale complexum est Tota *Natura*? Contra est tertiò. Per Concilium Lateranense, quævis *Persona Divina* debet esse tota totalitate *Naturæ*. Quia hæc indivisa, indivisibilis, & omnino simplex est; licèt non sit tota totalitate Trinitatis, cui identificatur Natura. Atqui per Oppositam Sententiam, nulla *Persona* est *Natura* tota totalitate *Naturæ*. In hac enim Sententia, sicut *Personæ Divinæ* sunt à se distinctæ, ità & *Naturæ* earundem sunt distinctæ, singulæque *Personæ* sunt alia & alia *natura* sibi identificata tota autem *natura* totalitate *Naturæ*, sunt tres simul *Naturæ*, singulis *Personis* singulæ identificatæ, quas adversarii vocant *Essentias Relativas*. Cùm ergo nulla *Persona* sit tres simul *Personæ*, nulla *Persona* est *Natura* tota, totalitate *Naturæ*. Ergo opposita sententia repugnat Concilio. Ad textum adductum S. Augustini dico, DEUM, non ut præcisè est unus, esse tria simul, sed ut est in *Personis* trinus. Nimirum DEUS est tria simul, non secundùm *Naturam*, sed secundùm *Personas* sumptus, & taliter sumptus non intelligitur, nisi intelligantur tria simul.

Repugnat & alteri definitioni Concilii hæc Sententia. Secundùm hanc enim definitionem, *Substantia* tam illa, quæ est in tribus simul *Personis* iisque identificatur, quàm illa, quæ est in una quâque *Persona*, estque illi identificata, *neque est generans, neque est genita, neque procedens*. De qua enim Re, seu *Substantia* dicit Concilium, quòd sit veraciter *Pater, & Filius, & Spiritus S.* de eadem *Substantia* dicit; quòd *non sit generans, nec genita, nec procedens*. Sed de *Substantia* tam identificata tribus simul *Personis* quàm identificata cuivis sigillatim *Personæ* dicit, quòd sit veraciter *Pater, Filius, & Spiritus S.* Quia dicit illam summam rem esse veraciter *Patrem, Filium, & Spiritum S.* quam asserit non solùm esse tres simul *Personas*, sed etiam esse sigillatim quamlibet earundem, seu quam asserit esse identificatam tam tribus simul *Personis*, quàm cuilibet sigillatim earundem. Ergo tam *Natura* seu *Substantia* identificata tribus simul *Personis*, quàm identificata cuilibet illarum, secundùm definitionem Concilii, *neque est generans, neque genita, neque procedens*. Atqui huic doctrinæ adversatur sententia opposita: Docet enim *Substantiam* identificatam *Patri esse generantem, Substantiam* identificatam *Filio esse genitam, Substantiam* identificatam *Spiritui S. esse procedentem*. Ergo.

132. Ad probationem ultimam secundæ Partis Minoris. Dico Majorem non aliter concedendo, nisi sub hac limitatione & distinctione; quòd Concilia, Patres, & Theologi dicant *Naturam Divinam* sola ratione distingui ab *Hypostasi seu Personalitatibus* absque reali divisione distinctione & multiplicitate ejusdem *Naturæ* secundùm se in diversis *Personis*. Hanc enim *Naturam* volunt esse individuam, indivisam, & omnino simplicem. Sententia verò adversa distinguit quidem sola ratione *Naturam à Personis, & Personas à Natura. v. g. Naturam Patris* sola ratione distinguit *à Paternitate*. *Naturam* itèm *Filii* distinguit sola ratione à *Filiatione*, sed ità hæc distinguit ut simul realiter distinguat *Naturam Patris à Natura Filii*, quæ distinctio repugnat indivisibilitati, unitati identitatis, & summæ simplicitati *Naturæ Divinæ*. Concessa hoc sensu vel omissa Majore. Nego deinde Minorem, & dico. Licèt *Natura Patris à Paternitate, Natura Filii à Filiatione, Natura Spiritûs S. à Spiratione passiva, & Natura omnibus Personis communis, à tribus simul Personis*, in sententia opposita, sola ratione distinguatur; Tamen secundùm eandem sententiam *Natura omnibus Personis communis* ab una *Personalitate*, v. g. à *Paternitate*: *Natura* itèm unius *Personæ*, ab alia diversa *Hypostasi, seu Personalitate*, non distinguitur sola ratione, sed hæc realiter adæquatè, illa distinguitur realiter inadæquatè. Quare illi Doctrinæ Conciliorum & Patrum, qua universaliter docetur Naturam Divinam sola ratione distingui ab Hypostasi, sententia opposita in parte saltèm adversatur. E contra sententia, quæ docet *Naturam seu Essentiam Divinam* in omnibus & singulis *Personis Divinis* esse eandem omnino indivisibilem & simplicem, iisdem realiter adæquatè identificatam, asserit eandem *Naturam*, secundùm se, sive ab omnibus, sive à singulis *Personis*, idque sive spectetur identificata omnibus *Personis*, sive identificata singulis, esse sola ratione distinctam. Quid verò è mente Patrum &

& Theologorum intelligatur per Distinctionem sola ratione, constabit ex dicendis inferius §. VI. num. 198. Adverto diversitatem prædicatorum non semper esse fundamentum Distinctionis Realis, sed potest esse fundamentum Distinctionis vel Realis, vel Distinctionis Rationis, vel alicujus alterius. Cùm & ipsa diversitas prædicatorum, possit esse vel realis, vel aliqua alia.

§. III.

An *Essentia à Personis* distinguatur distinctione reali immediata, mista identitati reali immediatæ?

133. Distingui *Essentiam* à *Personis*, & *Personas* ab *Essentia*, distinctione reali immediata mista identitati reali immediatæ docuit P. Nicolaus Martinez, magnus hujus ævi Theologus & in Collegio Romano Societatis Nostræ, Professor Theologiæ, Hispanus. Docuit nimirùm, ante omnem operationem Intellectûs nostri, eo modo distingui *Naturam à Personalitatibus*, quo ipsæ Personalitates distinguuntur à se invicem. Porrò *Personalitates* ipsas asseruit distingui à se invicem distinctione reali immediata, mista identitati reali immediatæ, quatenus docuit *Patrem & Filium* esse secum realiter immediatè idem, identitate faciente unum Deum, non esse verò idem identitate faciente unam *Personam*, seu non esse idem identitate tollente oppositionem & distinctionem realem *Personarum*. Ex quo ulteriùs deducitur è mente hujus Authoris, etiam *Naturam & Personalitates* esse secum realiter immediatè idem, identitate faciente unum DEUM, non esse autem idem identitate faciente unam non nisi *Personam*. Adeóque cùm Negatio identitatis inter aliqua extrema, sit distinctio eorundem, docuit *Naturam & Personalitates* à se realiter immediatè distingui distinctione mista, hoc est conjuncta cum identitate reali immediata. Hanc ipsam suam mentem prædictus Author, clarè expressit, dum illa prædicata: *Communicari non communicari*, dicta de *Natura & Paternitate* vult eo sensu intelligi, quòd tam *Natura*, quàm *Paternitas communicetur Filio* communicatione, tam *Patrem*, quàm *Filium* faciente unum DEUM simúlque quòd tam *Natura*, quàm *Paternitas non communicetur Filio*, communicatione tam *Patrem* quam *Filium* faciente unam *Personam*, indivisibilem.

134. Dicendum est *Naturam Divinam & Personalitates* non distingui à se invicem distinctione reali immediata, mista identitati reali immediatæ.

Probatur. Implicat Distinctio realis immediata inter *Naturam & Personalitates* mista identitati reali immediatæ ejusdem *Naturæ cum Personalitate*. Ergo *Natura à Personalitatibus* non distinguitur Distinctione reali immediata mista identitati reali immediatæ. Antecedens probatur primò. Implicat Distinctio realis immediata inter ipsas *Personalitates* mista identitati reali immediatæ earundem *Personalitatum* inter se. Ergo eadem Distinctio implicat inter *Essentiam & Personalitates*. Consequentia patet ex doctrina P. Martinez. Antecedens probatur. *Personalitates* distingui à se invicem Distinctione reali immediata mista identitati reali immediatæ, est *Personalitates* esse idem realiter immediatè inter se, identitate faciente illas ipsas *Personalitates* esse unum DEUM, & simul non esse realiter immediatè identitate, easdem *Personalitates* facientе unam *Personam*. Sed implicat *Personas Divinas* esse idem realiter immediatè identitate faciente illas esse unum DEUM, & simul non esse idem realiter immediatè identitate faciente easdem esse unam *Personam*. Ergo. Minor probatur. Tum quia simpliciter implicat identitas realis immediata, quomodocunque tandem illa explicetur, inter *Personalitates Divinas*. Implicat enim identitas immediata realis inter opposita Relativè, secundùm quod hæc sibi taliter opponuntur. Quia implicat aliquid esse principium productivum realiter sui ipsius. Atqui *Personæ Divinæ* sunt oppositæ relativè, opponuntúrque sibi secundùm rationem *Personarum*, v. g. *Persona Patris*, secundùm esse *Patris* opponitur relativè *Personæ Filii* sumptæ secundùm esse talis *Personæ*. Ergo. Hinc licèt secundùm Fidem *Personæ Divinæ* faciunt unum DEUM, non faciunt tamen unum DEUM ratione identitatis realis immediatæ, secum invicem; sed per hoc faciunt, quòd dicant identitatem realem cum *Essentia Divina*

vina, ratione cujus inter se sunt idem mediatè & identitate mediata. Tum quia identitas illa *Personarum*, quæ faceret diversas *Personas* esse unum DEUM, non faceret autem easdem *Personas* esse unam indivisibilem *Personam*, & esset identitas realis immediata, & non esset. Esset ut supponitur, non esset, ut probo: identitas ex vi cujus aliqua solùm sunt idem in aliquo tertio, non est identitas immediata. Sed identitas illa à Martinez asserta, est solùm identitas in aliquo tertio, scilicet est identitas *Personarum* in *Natura*, quæ *Natura* est quid tertium. Quia talis identitas, est solùm unitas *Personarum in Natura*. Siquidem illa identitas, *Personas Divinas* faceret *unam Naturam*, & unum DEUM, non verò unam *Personam*. Identitas enim quæ solùm est unitas *in Natura*, etiam ipsa est solùm identitas *in Natura*. Sicut enim Ratio Unitatis habetur à ratione identitatis; ità unitas in aliqua nonnisi ratione, habetur ab identitate, in eadem nonnisi ratione. Consequenter Unitas, quæ solùm est unitas *in Natura* habetur à sola identitate *in Natura*. Certè si à P. Martinez illa solùm Unitas *Personarum* admittitur, quæ est unitas *in Natura*, & ratione cujus *Personæ* sunt unus DEUS, & *una Natura*, non video, quare ab eodem non debeat admitti sola illa identitas *Personarum*, quæ sit earundem identitas *in Natura*, qualis identitas non est immediata, sicut unitas *Personarum in Natura*, non est unitas immediata. Cum potiùs unitas immediata *Personarum* deberet esse unitas *in Persona*, seu unitas faciens *unam Personam*. Tum quia, identitas illa immediata *Personarum* mista Distinctioni immediatæ earundem, & esset identitas faciens Divinas *Personas* esse unam *Personam*, & non esset talis identitas. Non esset identitas plures *Personas* faciens unam *Personam*, ùt docet Martinez. Esset ùt probo: Illa identitas *Personarum* esset identitas immediata earundem. Ergo faceret *Personas Divinas* unam indivisibilem *Personam*. Consequentia probatur. Identitas *Personarum* in ratione *Personæ* est identitas faciens *Personas* esse unam indivisibilem *Personam*. Identitas enim in ea ratione facit *Personas* esse quid Unum, in qua ratione est identitas. Sed identitas immediata *Personarum*, est identitas in ratione *Personæ*. Quia facit ut in *Personis* pluribus, sit eadem, & identificata ratio *Personæ*, illis pluribus conveniens. Ergo, eadem identitas immediata *Personarum* facit easdem *Personas* esse quid unum in ratione *Personæ*. Quodsi autem facit esse quid unum in ratione *Personæ*, eo ipso facit *Personas Divinas* esse unam *Personam*. Cum, aliquas *Personas* esse unum quid in ratione *Personæ*, & esse unam *Personam*, sint Synonyma. Confirmatur *primò*: Secundùm quam rationem aliqua Extrema sibi identificantur, in illa ratione censetur esse identitas. Sed si *Personæ Divinæ* sunt secum idem identitate reali immediata, dictæ *Personæ* identificantur sibi secundùm rationem *Personæ*. Identificantur enim sibi secundùm rationem, ipsis maximè propriam & intrinsecam, qualis ratio in *Personis Divinis* est ipsa ratio *Personæ*. Si enim dicantur identificari secundùm rationem aliquomodo diversam & differentem; qualis v. g. respectu *Personarum* censeri potest Ratio *Naturæ*, identitas hujusmodi non est identitas immediata, sed mediata & in aliquo tertiò. Ergo si *Personæ Divinæ* identificantur secum identitate immediata, hæc illarum identitas est in ratione *Personæ*. Confirmatur *secundò*: hæc Ratio: Implicat ut Ratio formalis Unitatis *Personæ* posita *in Persona Patris, Filii, & Spiritûs S.* non faciat unam *Personam*, sicut implicat ut ratio formalis *Trinitatis Personarum*, posita in dictis *Personis Divinis*, non faciat eas tres *Personas*. Sed identitas realis immediata inter *Personas, Patris, Filii, & Spiritûs S.* est ratio formalis unitatis in ratione *Personæ*, sicut Distinctio realis immediata inter easdem *Personas*, est ratio formalis multiplicitatis in ratione *Personæ*. Ergo implicat ut identitas immediata inter *Personas Patris, Filii, & Spiritûs S.* non faciat prædictas *Personas*, esse unam *Personam*. Tum quia identitas illa *Personarum*, & esset identitas faciens unum DEUM, seu *Naturam unam*, & non esset. Esset, ut supponitur. Non esset, ut probo: Illa identitas non faceret *Personas Divinas* esse unam *Personam*, Ergo nec faceret easdem *Personas* esse unum DEUM, seu *unam Naturam*. Consequentia probatur: Esse *Naturam Patris, Filii, & Spiritûs S.* & esse *Personas Patris, Filii, &*

*& Spiritûs S.*ità ſunt idem ſecundùm Martinez, ut, quidquid ante operationem intellectûs convenit *Naturæ Patris, Filii, & Spiritûs S.*, idem debeat convenire *Perſonis Patris, Filii, & Spiritûs S.* Ergo ſi *Perſonis Patris, Filii, & Spiritûs S.* convenit vi identitatis realis immediatæ, non eſſe unam, & indiviſibilem *Perſonam*, & rationem *Perſonæ* non eſſe talem, ut in illa *Perſonæ Divinæ* ſint quid unum, etiam *Naturæ Patris, & Filii, & Spiritûs S.* vi identitatis realis immediatæ inter eaſdem *Perſonas* conveniet, non eſſe unam, & indiviſibilem *Naturam*, & rationem *Naturæ* non eſſe talen, in qua *Perſonæ Divinæ* ſint quid unum. Adeóque ſicut identitas immediata *Perſonarum*, non facit *Perſonas Divinas* eſſe unam indiviſibilem *Perſonam*.Ità eadem identitas non facit *Naturam* trium earundem *Perſonarum* eſſe unam, & indiviſibilem.

135. Probatur ſecundò primum Antecedens. Implicat *Naturam à Perſonalitatibus* tali diſtinctione diſtingui, quali diſtinctione diſtinguuntur à ſe invicem *Perſonalitates*. Atqui ſecundùm Martinez *Perſonalitates* à ſe invicem diſtinguuntur diſtinctione reali immediata, miſta identitati reali immediatæ, ùt conſtat ex num. 133. Ergo implicat *Naturam à Perſonalitatibus* diſtingui eadem diſtinctione reali immediata miſta identitati reali immediatæ. Major probatur. Tum quia: ſi *Natura* tali diſtinctione diſtingueretur à *Perſonalitatibus*, quali diſtinctione *Perſonalitates* à ſe invicem diſtinguuntur, daretur in DEO Quaternitas reprobata à Concilio Lateranenſi. Qua ratione enim *Perſonæ Divinæ* à ſe invicem diſtinctæ diſtinctione reali immediata miſta identitati reali immediatæ faciunt *Trinitatem*, ea ratione *Natura* ſimili omnino modo diſtincta à *Perſonalitatibus*, atque *Perſonæ* ſunt à ſe invicem diſtinctæ, hoc eſt *Natura* diſtincta à *Perſonalitatibus*, diſtinctione reali immediata, miſta identitati reali immediatæ, addita *Trinitati Perſonarum*, facere debet Quaternitatem. Tum quia: Si *Natura* diſtingueretur à *Perſonalitatibus* diſtinctione reali immediata miſta identitati reali immediatæ, inter eandem *Naturam, & Perſonalitates*, deberet intercedere oppoſitio Producentis, & Producti, cùm ipſæ *Perſonæ Divinæ* non ratione alicujus alterius ſint diſtinctæ à ſe invicem diſtinctione reali immediata, niſi ratione oppoſitionis producentis, & producti. Sed inter *Naturam, & Perſonalitates* non datur oppoſitio producentis, & producti, ùt certum eſt ex Concilio Lateranenſi ſuperiùs adducto. Ergo. Tum quia: Si tali diſtinctione *Natura à Perſonalitatibus* diſtingueretur, quali diſtinctione diſtinguuntur *Perſonæ* à ſe invicem, tunc ſicut *una Perſona* non poteſt verè affirmari de altera, v. g. non poteſt verè affirmari, quòd *Pater ſit Filius*, ità etiam non poteſt verè affirmari *Natura de Perſonalitatibus*, nec *Perſonalitates* poſſent verè affirmari de *Natura.* Sicut enim, quò minùs una *Perſona* verè affirmetur de altera, obſtat diſtinctio realis immediata *Perſonarum* à ſe invicem; ità quò minùs *Natura* verè affirmetur de *Perſonis*, vel è contra, debet obſtare diſtinctio realis immediata *Naturæ à Perſonalitatibus*: Nec huic didinctioni debet, aut poteſt prævalere identitas realis immediata, ipſi diſtinctioni admiſta. Siquidem etiam identitas immediata realis *Perſonarum* non prævalet diſtinctioni immediatæ earundem, cui pariter admiſta eſt; ratione cujus prævalentiæ, una *Perſona* poſſit verè affirmari de altera. Atqui *Natura* poteſt verè affirmai de *Perſonis*, & *Perſonæ* poſſunt verè affirmari de *Natura.* Quia defacto hoc modo affirmantur à Concilio Lateranenſi, cùm dicitur: *Una ſumma res, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus S.* Et iterum: *Quælibet trium Perſonarum eſt illa res*, videlicet: *Subſtantia, ſeu Eſſentia, ſeu Natura Divina.* Ergo.

Proponuntur Objectiones.

136. Objicit Martinez, & probat: *Perſonalitates* diſtingui à ſe invicem diſtinctione reali immediata, miſta identitati reali immediatæ. Primò Authoritate tum Scripturæ; Joan. enim primò dicitur: *Ego, & Pater unum ſumus.* Ergo *Pater, & Filius* ſunt & abſolutè diſtincti, & abſolutè unum, idémque; adeóque *Pater, & Filius* diſtinguuntur à ſe diſtinctione reali immediata, miſta identitati reali immediatæ. Tum Authoritate Patrum: Damaſceni lib. de Divina Traditione cap. 49. appellantis *Divinas Hypoſtaſes unificatas inconfuſè* hoc eſt, identificatas identitate non confundente Perſonas, illarúmque oppoſitionem) *& diſtinctas indiſtanter.* Gregorii Nazianzeni Orat. 38. de Nati-

vitate Christi, appellantis *Divina supposita unum divisim existentia, & conjunctim divisa.* Ejusdem Orat. 39. in sancta Lumina: *Distinguitur indistinctim, ùt sic loquar, & distinctim connectitur.* Joannis secundi lib. de duabus Naturis contra Eutich. *Dividitur, ùt ità dicam, divisibiliter, conjungitur indivisibiliter; una est in tribus Deitas.*

137. Secundò objicitur. In admittenda Distinctione inter *Essentiam, & Personalitates Divinas*, ad hæc duo attendi debet. Primò, ut distinctio, quæ admittenda censetur, verè, propriè, & conformiter ad Principia Fidei, & doctrinam Patrum, & Theologorum inveniatur, & detur in DEO. Secundò: Ut per hujusmodi Distinctionem Mysterium *Trinitatis*, & prædicata contradictoria, quæ secundùm Fidem dicuntur, de *Essentia, & Personalitatibus* salvari possint. Sed Distinctioni reali immediatæ, sive inter ipsas *Personalitates*, sive inter *Essentiam, & Personalitates*, mistæ identitati reali immediatæ, hæc duo conveniunt: nimirum imprimis hæc Distinctio defacto invenitur in DEO conformiter ad Principia Fidei, & doctrinam Patrum, ac Theologorum. Quia *Personæ Divinæ* ità à se invicem distinguuntur realiter immediatè, ut simul ratione identitatis realis immediatæ cum *Essentia* secum invicem identificentur realiter immediatè. *Natura* etiam, seu *Essentia Divina* ità identificatur realiter immediatè ipsis *Personis*, ut simul ratione distinctionis realis immediatæ, quæ est inter ipsas *Personas*, etiam ipsa *Essentia* distinguatur realiter immediatè à *Personis*. Ergo conformiter ad Principia Fidei, &c. invenitur in DEO distinctio realis immediata mista identitati reali immediatæ inter *Essentiam, & Personas.* Antecedens partes aliquot complectitur, è quibus illud certum videtur, & ab omnibus admittitur, admittique debet, quòd Distinctio, qua *Personæ* distinguuntur, à se invicem sit distinctio realis immediata. Certum & illud est, quòd huic Distinctioni sit admista identitas realis, qua *Personæ* identificantur cum *Essentia*; seu quòd talis identitas componatur cum distinctione reali immediata *Personarum* inter se. Quòd verò hæc identitas realis *Personarum* cum *Essentia* sit identitas realis immediata unius *Personæ* cum altera, negatur passim ab aliis, asseritur à Martinez, & probatur. Tum quia identitas, ratione cujus una *Persona* est se ipsa in altera, est identitas realis immediata. Non potest enim alio modo una *Persona* se ipsa esse in altera, nisi per identitatem immediatam. Sed identitas inter *Personas Divinas* est talis identitas, ex vi cujus una *Persona* est se ipsa in altera. Ergo identitas hæc est identitas realis immediata. Tum quia identitas, ex vi cujus *Pater* secundùm *Paternitatem* identificatur *Filio*, est identitas immediata. Sed identitas, qua *Pater* identificatur *Filio*, est identitas, ex vi cujus *Pater* secundùm *Paternitatem* identificatur *Filio*. Ergo. Minor probatur. *Pater* se toto identificatur *Filio*. Ergo secundùm *Paternitatem* identificatur eidem. Antecedens tali evincitur syllogismo: *Pater qua DEUS, identificatur Filio. Sed Pater realiter loquendo se toto est DEUS. Ergo Pater realiter loquendo se toto identificatur Filio.* Tum quia identitas essentialis aliquorum extremorum est identitas realis immediata. Identitas enim, quæ convenit alicui essentialiter, convenit illi ratione sui, adeóque immediatè. Sed identitas *Personarum Divinarum* est identitas essentialis. Quia una *Persona* identificatur alteri essentialiter, ùt docent Patres, & Theologi, dum dicunt: *Personas* identificari essentialiter, & substantialiter, distingui verò solùm hypostaticè. Ergo. Tum quia identitas, qua aliqua extrema verè propriè, & absolutè identificantur, est identitas realis, & immediata; si enim esset mediata nonnisì, non esset identitas vera, & propria, nec absolutè, & simpliciter dicta, sed esset identitas secundùm quid, & restricta. Atqui identitas *Personarum* est identitas vera, propria, absolutè, & simpliciter dicta. Si enim *Pater* à *Filio* distinguitur verè propriè, & absolutè, tantò magis *Pater quà DEUS* verè propriè, & absolutè identificatur *Filio*, tantò inquam magis, Denominatio enim essentialis debet prævalere Denominationi non essentiali. Porrò identitas *Patris quà DEUS est, cum Filio*, est Denominatio essentialis, Distinctio verò *Patris, quà Pater est à Filio*, est Denominatio non essentialis, quia hæc distinctio est solùm distinctio Hypostatica. Ergo. Antecedens illud plures partes complectens, quarum aliquæ hactenus examinatæ, & proba-

batæ sunt, complectitur adhuc & has partes: quòd *Essentia Divina*, seu *Natura* identificetur realiter immediatè ipsis *Personis*. Et hæc pars tanquam certa admittitur ab omnibus. Itèm, quòd *Essentia Divina* ratione unius *Personæ* distinguatur ab alia *Persona*, & hac ratione, quòd *Essentia* distinguatur à *Personis*. Et hæc pars, quia à plerisque Theologis admittitur, non vocatur saltèm interim in controversiam. Ultimò complectitur hanc partem: quòd *Essentiæ Divinæ* Distinctio, ex vi cujus *Essentia ùt est Pater*, distinguitur à *Filio*, sit distinctio realis immediata *Essentiæ à Filio*; quæ pars negatur communiter à Theologis, asseritur, & ferè supponitur à Martinez. Probari verò in ejus Principiis potest. Quia supposito, quòd *Essentia* ratione *Personarum* distinguatur à *Personis*, v. g. quòd *Essentia* ratione *Patris* distinguatur à *Filio*, ratione *Filii* distinguatur à *Patre*; distinctio hæc *Essentiæ* debet esse distinctio essentialis: sicut identitas, qua *Essentia* identificatur *Personis*, est identitas essentialis. Distinctio eadem *Essentiæ à Personis* est talis, ex vi cujus *Essentia* se tota distinguitur à *Filio*, & ratione sui est itèm distinctio vera, propria, & absoluta. Et sic distinctio *Essentiæ à Filio* est talis, ex vi cujus *Essentia* distinguitur essentialiter à *Filio*, distinguitur se tota, distinguitur verè propriè, & absolutè. Ergo distinctio hæc *Essentiæ à Filio* (par ratio de aliis *Personis*) est distinctio realis immediata.

138. Probatur deinde secunda pars primæ Minoris Objectionis. Illa scilicet; quòd per distinctionem realem immediatam mistam identitati reali immediatæ inter *Essentiam*, & *Personalitates* salventur prædicata contradictoria, quæ per Fidem dicuntur de *Essentia*, & *Personis*. Tunc salvantur contradictoria dicta de *Essentia*, & *Personalitatibus*, quando de ipsis verificantur sinè contradictione, hoc est absque eo, quòd propositiones enunciantes hujusmodi prædicata de *Essentia*, & *Personis* sint propositiones contradictoriæ. Sed admissa distinctione reali immediata mista identitati reali immediatæ inter *Essentiam*, & *Personas*, ex vi talis distinctionis prædicata contradictoria, quæ secundùm Fidem dicuntur de *Essentia*, & *Personis*, verificantur de iisdem sinè contradictione, & propositiones, quæ uidentur contradictoriæ in eo sensu, in quo intelligi debent, & sunt veræ, non sunt contradictoriæ. Ergo admissa distinctione prædicata, ex vi ejusdem distinctionis salvantur contradictoria, &c. Minor probatur. Admissa memorata distinctione, ex vi illius, quidquid, & quo sensu dicitur de *Essentia*, idem omnino, & eodem sensu dicitur de *Personalitatibus*, & è contra. Quidquid itèm, & quo sensu negatur de *Personalitatibus*, id ipsum & eodem sensu negatur de *Essentia*, & *Natura*. Et sic tam de *Essentia*, quàm de *Personalitatibus* verificatur prædicatum affirmativum: *Communicatur*, verùm hoc sensu intellectum: *Communicatur communicatione faciente unum DEUM.* Pariter de iisdem verificatur prædicatum negativum: *Non communicatur.* Sic tamen intellectum: *Non communicatur communicatione faciente Essentiam, seu Personas esse unam Personam.* Itèm, tam de *Essentia*, quàm de *Persona Patris* verificantur prædicata: *Generat*, *non generat*, hoc sensu intellecta: *Essentia generat productione novæ Hypostasis*, hoc est filiationis, quo etiam modo Pater generat. *Essentia non generat productione novæ Essentiæ.* Et hoc modo etiam *Pater non generat.* Ergo.

139. Tertiò adhuc Objicitur. Si *Personalitates* non distinguerentur à se invicem distinctione reali immediata mista identitati reali immediatæ, non distinguerentur ex eo, quia talis distinctio implicaret. Sed non implicat. Ergo. Minor probatur. Si implicaret distinctio realis immediata mista identitati reali immediatæ, inter *Personas Divinas* adinvicem, & inter *Essentiam*, implicaret ex eo, quia talis distinctio includeret identitatem realem immediatam, & simul negationem identitatis realis immediatæ inter eadem extrema. Sed exinde non implicat. Quia potest sinè contradictione in una indivisibili entitate includi identitas realis immediata unà cum negatione identitatis realis immediatæ. Universaliter enim. Quoties forma aliqua ex ratione sua abstracta non consistit in indivisibili, sed est divisibilis in plures gradus, toties res una indivisibilis, potest sinè contradictione habere illam formam quoad unum gradum, cum negatione, & exclusione alterius gradûs. Et sic, quia claritas cognitionis est forma ex sua ratione abstracta, di-

divisibilis in plures gradus, ideo sinè contradictione potest aliqua cognitio habere unum gradum claritatis, cum negatione, & exclusione alterius gradûs claritatis. Quia itèm convenientia essentialis, ex ratione sua abstracta, est forma divisibilis in plures gradus, ideo sinè contradictione homo v. g. potest habere unum gradum convenientiæ essentialis cum equo nimirum, quòd & homo, & equus sit animal, cum negatione alterius gradûs convenientiæ essentialis, quatenus homo non est hinnibilis, sicut equus est hinnibilis. Atqui identitas realis immediata est forma, quæ ex ratione sua abstracta, non consistit in indivisibili, sed est divisibilis in plures gradus. Ergo identitas hæc quoad unum gradum in aliquo ente potest stare, cum negatione identitatis in alio gradu, adeóque sicut convenientia essentialis hominis, & equi faciens utrumque esse animal, potest stare cum negatione convenientiæ essentialis, facientis tam hominem, quàm equum esse hinnibilem. Ità identitas realis immediata faciens *Personas Divinas* esse *unam Naturam*, potest stare in DEO cum negatione identitatis realis immediatæ, facientis *Personas Divinas* esse unam *Personam*. Confirmatur. Identitas realis immediata, faciens tres *Personas* esse unum DEUM, & distinctio realis immediata faciens, ut *tres Personæ* non sint *una Persona*, non sunt identitas, & hujus ipsius identitatis negatio, sed est negatio identitatis diversæ. Ergo non implicat hujusmodi identitatem conjungi cum dicta distinctione, adeóque non implicat distinctio realis immediata, mista identitati reali immediatæ, sive *Personarum* inter se, sive *Essentiæ à Personis*.

Solvuntur Objectiones.

140. Respondeo ad primum: Scripturam, & Patres in adductis textibus nihil plus velle, quàm quòd *Personæ Divinæ* ità sint distinctæ immediatè, & in ratione *Personarum*, ut simul sint unificatæ, seu quid unum *in Natura*, & indivisibiliter conjunctæ ratione identitatis *in Natura*, quæ identitas, non est identitas immediata *Personarum*, ùt constat ex probationibus Conclusionis.

141. Ad secundum Respondeo negando Minorem quoad utramque partem. Ac imprimìs nego Distinctionem realem immediatam mistam identitati reali immediatæ, sive *Personarum* inter se, sive quæ sit inter *Essentiam*, & *Personas* inveniri in DEO. Ad probationem hujus partis dico: quòd facilè admittam tanquam Fide Divina certum *Personas Divinas* à se invicem esse realiter immediatè distinctas, quòd itèm admittam easdem *Personas Divinas* esse realiter immediatè identificatas *Essentiæ Divinæ*. Sed nego *Personas Divinas* inter se, unam nimirum *Personam*, cum alia, vel aliis esse realiter immediatè identificatas. Ex una enim parte talis identitas Personarum Divinarum, si ex aliqua ratione admittenda esset, ex hac potissimùm ratione deberet admitti, quòd absque illa *tres Personæ Divinæ* non possent esse unus DEUS. Sed possent esse unus DEUS sinè illa. Quia possunt esse unus DEUS ratione identitatis *in Natura*; seu quòd *Personæ Divinæ* identificentur realiter immediatè *Essentiæ*, *seu Naturæ Divinæ*. Ex altera parte identitas realis immediata inter ipsas *Personas Divinas* implicat, ùt constat ex dictis num. 134. Ad Probationes, quibus identitatem *Personarum* secum invicem, debere esse realem immediatam, evincere nititur P. Martinez. Respondeo. Primæ Probationis Majorem illam: *Identitas, ratione cujus una Persona se ipsa est in altera, est identitas realis immediata.* Nego. Tum quia *Personæ Divinæ*, quòd una sit in altera, habent hoc potiùs ratione immensitatis, utrique tali *Personæ* per identitatem realem communicatæ. Simili planè modo atque Petrus esset in Paulo ratione ubicationis, casu quo una, eadémque indivisibilis ubicatio affigeret tam Petrum, quàm Paulum eidem loco, eósque faceret secum penetrari, adeóque *Personæ Divinæ*, quòd una sit in altera, habent hoc ratione identitatis immediatæ cum *Essentia Divina*, ipsiúsque immensitate, non verò ratione identitatis realis immediatæ, quæ esset inter ipsas *Personas*. Tum quia. Conceptus identitatis realis immediatæ *Personarum* inter se, in hoc potiùs consistit, quòd una *Persona Divina* ratione sui, hoc est secundùm Esse suum relativum alteri *Personæ*, ratione sui itidem spectatæ, hoc est ipsius esse proprio relativo, identificetur realiter; non eò autem ipso, quòd una *Persona* secundùm se, tota sit in al-

altera, est, aut debet esse ratione sui, & secundùm suum esse relativum, identificata alteri *Personæ*, ratione sui itidem, & secundùm esse proprium relativum acceptæ; ità ut unius *Personæ* esse relativum ratione sui sit unum, idémque cum esse relativo alterius. Secundæ Probationis Major aut simpliciter neganda est, aut taliter distinguenda: Identitas, ex vi cujus *Pater* secundùm *Paternitatem* identificatur *Filio* secundùm *Naturam* sumpto, est identitas realis immediata *Patris* cum *Filio*. Nego Majorem. Identitas, ex vi cujus *Pater* secundùm *Paternitatem* acceptus identificatur *Filio* secundùm *Filiationem* accepto, est identitas realis immediata. Omitto hanc partem Distinctionis. Et distinguo Minorem. Sed Identitas, quâ *Pater* identificatur *Filio*, est identitas, ex vi cujus *Pater* secundùm *Paternitatem* identificatur *Filio* secundùm *Naturam* sumpto. Concedo Minorem. Est identitas, quâ *Pater* secundùm *Paternitatem* identificatur *Filio*, secundùm *Filiationem* sumpto. Nego Minorem, & consequentiam. Potest enim omissa Majore hujus Probationis negari Minor. Antecedens ulterioris Probationis cum eadem Distinctione accipiendum. *Pater* se toto identificatur *Filio* secundùm *Naturam* accepto. Concedo Antecedens. Sumpto secundùm *Filiationem*. Nego Antecedens. Syllogismus, quo Antecedentis veritas dicitur evinci, potest hoc modo retorqueri: Paries, quâ albus est totum accidentale. Sed paries A. se toto est albus. Ergo paries A. se toto est totum accidentale. Directè nego Consequentiam syllogismi, propter vitium formæ. Constat enim quatuor terminis, ex eo, quòd ly *DEUS* in Majori ponatur reduplicativè, in Minori autem ponatur specificativè. Quodsi idem syllogismus corrigatur hoc modo: *Pater quâ DEUS* identificatur *Filio*. Sed *Pater* se toto est *DEUS*, quâ *DEUS*. Ergo *Pater* se toto est *Filius*. Sic correcti syllogismi neganda erit Minor. Sensum enim facit, & debet sic exponi: Sed Pater se toto est DEUS, nec habet ullam rationem aliam, nisi Deitatis. Quemadmodum etiam Major debet sic exponi: Pater identificatur Filio, idque non identificatur illi secundùm ullam rationem aliam, nisi secundùm rationem Deitatis. Porrò Minor taliter exposita est falsa. Tertiæ Probationis Major cum ulteriori sua Probatione simpliciter negari potest. Potest etiam sic distinqui: Identitas essentialis ex eo sic dicta, quòd per eam extrema sint idem quoad *Essentiam*, est identitas realis immediata. Nego Majorem. Identitas essentialis aliquorum extremorum, quæ sit identitas, secundùm rationes formales, & proprias eorundem, est identitas realis immediata. Omitto Majorem, & distinguo pariter Minorem. Sed identitas *Personarum Divinarum*, est identitas essentialis, sic dicta ab *Essentia*, secundùm quam, & in qua identificantur *Personæ Divinæ*. Concedo Minorem. Est identitas essentialis dicta ex eo, quòd *Personæ Divinæ* secundùm rationes formales, & proprias, seu notionales, sibi invicem identificantur. Nego Minorem, & Consequentiam. Patres dum dicunt, *Personas* identificari substantialiter, seu essentialiter, distingui verò hypostaticè, hoc intelligunt; quòd *Personæ* identificentur quoad *Substantiam*, *seu Essentiam*, eandem omnino in omnibus, & singulis *Personis*; distinguantur verò secundùm hypostases, seu *Personalitates*, nullatenus verò identificentur realiter immediatè, aliàs hoc ipso identificarentur hypostaticè. Quartæ Probationis nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: Ut *Pater* propriè simpliciter, & absolutè, adeóque (ùt hinc infert Adversarius) realiter immediatè identificetur *Filio*, non satis est, quòd *Pater* ùt DEUS identificetur eidem *Filio*, sed requiritur, ut *Pater quâ Pater* identificetur *Filio* quâ *Filio*. Sicut ut *Pater* propriè, absolutè, & realiter immediatè distinguatur à *Filio*, necesse est, *Patrem quâ Patrem* distingui à *Filio*, *quâ Filio*. Ulteriorem Probationem, qua dicitur denominatio essentialis, debet prævalere denominationi non essentiali, vel simpliciter nego, vel distinguo. Denominatio essentialis dicta ab *essentia*, quæ esset aliquomodo distincta à subjecto denominationis, debet prævalere denominationi non essentiali, hoc est, aliunde desumptæ, & non à tali *essentia*. Nego Majorem. Denominatio essentialis desumpta à ratione formali, & maximè propria, ac intrinseca subjecto denominationis, debet prævalere denominationi non essentiali, secundùm modum prædictum. Concedo Majorem. Similiter distincta Minore

re, nego consequentiam. Et dico: identitatem ex vi cujus *Pater quà DEUS* est idem cum *Filio*, esse denominationem essentialem provenientem ab *Essentia*, tanquam forma denominante, ab *essentia* inquam omnibus *Personis* communi, adeóque per hoc ipsum aliquomodo distincta à *Patre*. Non esse verò denominationem essentialem desumptam à ratione formali essentiali propria *Patris* & notionali, & *Patri* maximè intrinseca. Quo fit, quòd hæc denominatio *Patris*, qua *DEUS* est, identificati *Filio*, non debeat prævalere denominationi *Patris, quà Pater* est distincti à *Filio*. Hæc enim posterior denominatio, licèt non sit essentialis denominatio, in priore acceptione denominationis essentialis. Quia non habetur ab *Essentia*, & ratione *essentiæ*. Est tamen essentialis in altera acceptione, illa scilicet, quòd sit desumpta, à ratione formali essentiali *Patris* illi maximè propria & intrinseca. Quòd enim una *Persona* distinguatur ab alia, habetur id ex rationibus essentialibus, & maximè propriis ipsarum *Personarum*. Quia ex oppositione Relativa, ipsis essentiali & maximè propria. Antecedentis plures partes complectentis negatur adhuc & illa pars: quòd Distinctio ex vi cujus *essentia ùt est Pater*, distinguitur à *Filio*, sit distinctio realis immediata *Essentiæ à Personis*, ut enim esset distinctio realis immediata, deberet *essentia ùt essentia est, seu ùt DEUS est*, distingui realiter *à Filio*. Ut enim aliqua extrema distinguantur à se invicem realiter immediatè, debent distingui ùt talia, & ratione sui, & secundùm rationes ipsis maximè proprias, & quæ talia extrema primò notificent, non autem secundùm rationes non ità proprias, & pluribus communes. Atqui *Essentia ùt essentia est, & ùt DEUS est*, non distinguitur *à Filio*. Ergo. Ad Probationes hujus partis quid responderi debeat, facilè intelligitur ex responsionibus Ad Rationes similes, adductas in probationem illius assumpti: quòd identitas *Personarum*, ex vi cujus *Personæ Divinæ* sunt unus DEUS, sit identitas realis immediata earundem *Personarum*.

142. Secundam deinde partem primæ Minoris Nego. Quod per Distinctionem realem immediatam mistam identitati reali immediatæ, inter *essentiam & Personalitates*, salventur prædicata contradictoria, quæ salvari debent. Non salvari illa, sed nova inferri ex tali distinctione, deductum est rationibus pro conclusione allatis. Probationis Nego Minorem: & dico: modum salvandi Contradictoria, qui proponitur, non subsistere. Licèt enim de *Essentia* verificetur, quòd hæc communicetur *tribus Personis*, communicatione faciente *tres Personas* esse unum DEUM; tamen de *Personis Divinis*, falsum est dicere, quòd hæ sibi invicem communicentur communicatione faciente easdem *Personas* esse unum DEUM. Communicari enim sibi invicem *Personas*, est ipsas sibi realiter immediatè identificari, sicut communicari *Essentiam Personis*, est *Essentiam* realiter immediatè identificari *Personis*. Implicat verò, ùt probatum est, *Personas* sibi invicem realiter immediatè identificari, nec intelligi potest; quomodo, si *Personæ* identificarentur sibi realiter immediatè, identitas hæc *Personas* non faceret eandem, adeóque unam *Personam*. Licèt itèm de *Personalitatibus* verificetur prædicatum *: non communicetur*, hoc sensu, quòd *Personæ non communicetur* sibi invicem communicatione faciente tres *Personas* esse unam *Personam*, quatenus *Personæ Divinæ*, à se invicem distinguuntur distinctione reali immediata, nec sibi identificantur identitate sufficiente ad constituendam unam *Personam*, & taliter, ut una *Persona* possit verè affirmari de altera: Tamen falsum est dicere de *Essentia*, quòd non communicetur eodem sensu & modo ipsis Personis. Quia falsum est dicere: *Essentia* non identificatur, sed potiùs distinguitur, realiter immediatè à *Personis*. Aliàs ratione talis distinctionis, *tres Personæ* non essent unus DEUS, daretúrque in DEO Quaternitas. Simili modo discurrendum est de prædicatis: *generare non generare*. Nimirum licèt de *Patre* verum sit dicere; quòd *Pater generet*, productione novæ Hypostasis, *non generet* productione novæ *Essentiæ*: Tamen de *Essentia* falsum est dicere, quòd *generet* productione novæ Hypostasis; Hæc enim *neque Hypostasim ullam, neque Essentiam generat*; videtúrque oppositum clarè repugnare Concilio Lateranensi.

143. Ad tertium Respondeo Negando Minorem primi argumenti, & suæ Probationis.

bationis. Ad ulteriorem Probationem dico: Etiamsi fortè Identitas realis immediata, quoad unum gradum, possit stare cum Negatione identitatis realis immediatæ quoad alium gradum, quod ipsum transeat, tamen implicat Identitatem realem immediatam quoad unum gradum, stare & componi cum negatione identitatis realis immediatæ, quoad eundem omnino gradum. Sicut implicat in eadem cognitione gradum A, claritatis, stare & componi cum negatione ejusdem gradûs A. claritatis, circa idem objectum. Porrò si inter *Personas Divinas* daretur identitas realis immediata mista Distinctioni reali immediatæ, staret tunc identitas in certo aliquo gradu, cum negatione identitatis in eodem gradu. Quia staret identitas Hypostatica, cum Negatione identitatis Hypostaticæ. Identitas enim *Personarum*, siquidem esset realis immediata, esset identitas Hypostatica. Et quia staret hæc identitas cum Distinctione reali immediata *Personarum*, qualis distinctio est Distinctio Hypostatica, staret hoc ipso cum negatione identitatis Hypostaticæ. Neque valet si dicas: quòd dicta identitas non esset Hypostatica ex eo. Quia non faceret *tres Personas* esse unam *Personam*, sed solùm faceret *tres Personas* esse unum DEUM. Non valet inquam. Ità enim arguo: Illa identitas *tres Personas* faceret esset unam *Personam*. Ergo esset identitas Hypostatica. Antecedens probatur. Illa identitas esset identitas realis immediata *Personarum*, Ergo *tres Personas* faceret esse *unam Personam*. Si enim Distinctio realis immediata *Personarum* facit, ut *Personæ Divinæ* sint tres & distinctæ, non una: Identitas realis immediata *Personarum* debet quoque facere, ut *tres Personæ* sint *Persona* una eadémque. Confirmatur. Identitas faciens *tres Personas* esse *unam Personam*, & negatio identitatis faciens *tres Personas* non esse *unam Personam*, sunt Identitas & negatio identitatis, quoad unum eundémque gradum, ùt tenetur dicere Adversarius. Sed Identitas realis immediata, mista Distinctioni reali immediatæ inter *Personas*, quatenus est identitas, est identitas faciens *tres Personas* esse unam Personam, quatenus verò est Distinctio, est negatio identitatis faciens *tres Personas* esse *unam Personam*. Ergo. Minor quoad secundam partem conceditur. Prima pars ejusdem Minoris probatur: Illa identitas *Personarum*, est identitas realis immediata earundem. Ergo præstat illum effectum formalem, quem præstare nata est, hìc enim posita forma in subjecto capaci, impediri non potest. Cùm ergo effectus formalis identitatis realis immediatæ, sit facere extrema, quæ tali identitate identificantur, esse unum idémque, secundùm se, & ratione sui, identitas realis immediata *Personarnm* debet facere *Personas* secundùm se & ratione sui, unum idémque, adeóque unam eandémque *Personam*. Ad Instantiam de convenientia essentiali, illud specialiter dico: falsum esse, quòd convenientia essentialis hominis cum equo, faciat tam hominem, quàm equum esse animal. Ab alia enim ratione & forma, sive in homine, sive in æquo. habetur ratio animalis, & non à convenientia eorum essentiali. Cùm enim ratio animalis, divisim & sigillatim, tam homini quàm equo conveniat, debet provenire à forma singulis sigillatim conveniente. Convenientia autem essentialis hominis cum equo non est forma tam homini quàm equo sigillatim conveniens, sed potiùs est forma, tam entitatem hominis, quàm entitatem equi utramque simul, & indivisibiliter afficiens. Deinde convenientia hæc essentialis hominis cum equo, supponit & hominem esse animal, & equum esse animal: non facit verò ut tam homo, quàm equus sit animal. Ad Confirmationem dico: siquidem Distinctio realis immediata *Personarum*, ità facit tres *Personas* non esse unam *Personam*, ut ei admista identitas realis immediata earundem *Personarum* debeat facere, & faciat *tres Personas* esse unam eandémque *Personam*, ùt aliquoties probatum est, siquidem itèm identitas realis *essentiæ* cum *Personis*, ità facit tres *Personas* esse unum DEUM, ut huic identitati admista Distinctio realis immediata faciat, & debeat facere *tres Personas* non esse unum DEUM, sequitur hinc, quòd identitas realis immediata mista Distinctioni reali immediatæ, sit identitas & negatio identitatis in eadem ratione, & quoad unum eundémque gradum, adeóque sequitur identitatem realem immediatam *Personarum*, mistam Distinctioni

stinctioni reali immediatæ earundem *Personarum*, à se invicem, esse implicatoriam. Implicatoriam itèm esse Identitatem realem immediatam, *Essentiæ* cum *Personis*, mistam Distinctioni reali immediatæ, ejusdem *Essentiæ à Personis*.

§. IV.

An *Essentia à Personis* distinguatur Distinctione reali in tertio, seu Distinctione mediata, seu Inadæquata extensive? Et an per talem Distinctionem salventur Contradictoria, quæ dicuntur in Divinis?

144. *Essentiam* distingui *à Personis* Distinctione quapiam reali, stante cum identitate reali immediata ejusdem *Essentiæ* cum ipsis *Personis*, docuerunt præcipui quíque Societatis Theologi, eámque Distinctionem diversis appellant nominibus. Distinctionem realem in tertiò dixit, & sub hac denominatione defendit Romæ P. Antonius Perez, propter subtilitatem & acumen ingenii, dictus Admirabilis Theologus. In eadem propugnanda secutus est suum Professorem, dignus Discipulus P. Martinus Esparsa, etiam ipse Professor Theologiæ Romanus. His accessit P. Joannes Morawski, præcipuum Nostræ Provinciæ lumen. Hos deinde plures alii secuti. Hi ipsi eandem Distinctionem *Essentiæ à Personis*, vocant Distinctionem mediatam. Alii cum Amico & Arubat, dictam Distinctionem appellant Distinctionem realem inadæquatam. Eminentissimus Cardinalis Robertus Bellarminus, vocat illam Distinctionem realem inadæquatam extensivè. Ut verò mens prædictorum Theologorum meliùs & pleniùs innotescat, circa Distinctionem *Essentiæ à Personis*, singula Nomina, quæ huic Distinctioni imponuntur, expono & explico.

145. Appellatur imprimis Distinctio Realis in tertio (intellige in tertio prædicato.) Quo nomine intelligitur summa identitas inter se, duorum prædicatorum seu formalitatum, cum discrepantia eorundem in tertio prædicato. Ratione cujus de uno ex duobus illis prædicatis, tertium prædicatum, sit verè affirmabile, simúlque idem prædicatum sit verè negabile de secundo. v. g. Distinctio realis in tertio, *Essentiæ à Paternitate*, est summa identitas immediata *Naturæ seu Essentiæ*, tanquam unius prædicati cum *Paternitate*, tanquam cum secundo prædicato, conjuncta discrepantiæ in *Filiatione*, tanquam in prædicato tertio, ex vi cujus *Filiatio* est verè affirmabilis de primò prædicato, scilicet de *Natura & Essentia Divina*, simúlque eadem *Filiatio* est verè negabilis de secundo prædicato, scilicet de *Paternitate*.

146. Appellatur secundò, Distinctio *Essentiæ à Personis*. Distinctio realis mediata, ídque ex eo: Quia *Essentia à Paternitate* non distinguitur ratione sui, seu ùt *Essentia* est, quomodo si distingueretur, distingueretur realiter immediatè, sed distinguitur ratione tertii, hoc est ratione *Filiationis*, adeóque mediante tertio. Et inde Distinctio hæc, dicitur Distinctio realis mediata.

147 Appellatur tertiò Distinctio realis Inadæquata. Et per talem Distinctionem intelligitur Distinctio, ex vi cujus unum prædicatum, eatenus distinguitur à prædicato secundo, quatenus illud primum prædicatum, licèt sit idem realiter immediatè cum secundo, simul tamen est idem realiter & cum tertio, à quo realiter immediatè distinguitur ipsum prædicatum secundum. v. g. *Essentia* eatenus distinguitur realiter inadæquatè à *Paternitate*, quatenus *Essentia* ità est idem realiter immediatè cum *Paternitate*, ut simul sit idem realiter cum *Filiatione*, quæ *Filiatio* distinguitur realiter à *Paternitate*.

148. Appellatur quartò. Distinctio realis inadæquata extensivè. Per quam intelligitur talis identitas inter aliqua duo, ex vi cujus, unum per identitatem, extendit se ad plura realiter inter se distincta, illísque identificatur, aliud verò non se ità extendit. Talis Distinctio est inter *Essentiam seu Naturam*, & inter *Paternitatem*, hæc enim duo, *Essentia* & *Paternitas*, ità sunt secum realiter idem, ut *Essentia* extendat se ad plura, quàm *Paternitas*. Quia *Essentia* extendit se etiam ad *Filium*, quatenus realiter identificatur *Filio*, ad quem per identitatem non se extendit *Paternitas*. Siquidem hæc non identificatur *Filio*.

Filio. Præter Distinctionem realem inadæquatam extensivè, à Propugnatoribus talis Distinctionis, admittitur in DEO Identitas adæquata intensivè, per eámque intelligitur summa identitas *Naturæ*, seu *Essentiæ Divinæ* cum qualibet *Persona Divina*, sinè discrepantia in ullo prædicato absoluto. Seu intelligitur talis identitas, ex vi cujus, quidquid est perfectionis absolutæ in *Essentia Divina*, omne id communicatur cuique *Personæ*, ità, ut non sit ulla talis perfectio absoluta, quæ sit verè affirmabilis de *Natura Divina*, & simul sit verè negabilis de aliqua *Persona*.

Circa Distinctionem explicatam, duo in præsenti quæruntur, ùt ex titulo §. intelligitur. Primum: An hæc Distinctio (quocunque demum nomine Appelletur) inter *Essentiam Divinam & Personas* detur. Seu an *Essentia à Personis* distinguatur Distinctione reali in tertio, seu mediata, seu inadæquata extensivè: Secundò: An per talem Distinctionem salventur contradictoria in Divinis?

149. Dicendum primò est. *Essentiam Divinam à Personis* distingui Distinctione reali in tertio seu mediata, seu inadæquata extensivè.

Probatur Ratione insinuata num. 79. Tres simul *Personæ Divinæ* distinguuntur realiter ab una *Persona*. Sed *Essentia Divina* realiter sumpta sunt tres simul *Personæ Divinæ*. Ergo *Essentia Divina* realiter sumpta distinguitur ab una *Persona*. Subsumitur: sed Distinctio, qua *Essentia* distinguitur ab una *Persona*, est Distinctio realis in tertio, est Distinctio mediata. Distinctio realis inadæquata, ídque est Distinctio realis inadæquata extensivè. Ergo tali Distinctione distinguitur *Essentia* ab una quaque *Persona*. Major syllogismi videtur esse certa & evidens. Cùm certum & evidens sit tria simul sumpta distingui ab uno ex tribus. Quia cum totum sit majus sua parte, Totum debet distingui à Parte. Minor est de Fide, definita in Concilio Lateranensi. Consequentia legitima. Subsumpta Minor probatur: per partes, & imprimis probatur: Quòd Distinctio, qua *Essentia* distinguitur à *Patre*, sit Distinctio realis in tertio. Identitas duorum prædicatorum cum discrepantia in tertio prædicato, est distinctio realis in tertio; ùt patet ex num. 145. Sed Distinctio *Essentiæ à Patre*, est identitas duorum prædicatorum cum discrepantia in tertio prædicato; Quia est identitas summa, hoc est, realis immediata, inter *Essentiam & Patrem*, tanquam inter duo prædicata, cum discrepantia in *Filio*, tanquam in tertio prædicato. Quatenus *Essentia*, quæ identificatur *Patri*, identificatur etiam & *Filio*, qui *Filius* distinguitur realiter à *Patre*, adeóque *Essentia*, per esse *Filii* discrepat à *Patre*, ab eóque distinguitur. Ergo. Eadem Minor subsumpta probatur quoad secundam partem. Quòd Distinctio *Essentiæ à Patre* sit Distinctio mediata. Distinctio, qua unum extremum distinguitur ab alio, non ratione sui, sed ratione alicujus tertii, est Distinctio mediata. Cùm è contra Distinctio immediata sit, ex vi cujus aliqua extrema distinguuntur ratione sui à se invicem. Sed Distinctio qua *Essentia* distinguitur à *Patre*. est Distinctio, qua unum extremum, nimirum *Essentia* distinguitur ab altero, nimirum à *Patre*, distinguitur inquam ratione tertii, hoc est, ratione *Filii*. Non enim *Essentia* ratione sui distinguitur *à Patre*, cùm potiùs ratione sui identificetur *Patri*. Ergo. Distinctio hæc est Distinctio mediata. Probatur ulteriùs eadem Minor, quoad tertiam partem, hoc est: quòd Distinctio *Essentiæ à Patre* sit Distinctio realis inadæquata; Distinctio, vi cujus unum quoad aliquid ex his, quæ sibi identificantur, est idem cum tertio, & simul quoad aliquid, non est idem cum eodem tertio, est distinctio realis inadæquata. Talis enim Distinctio, nomine Distinctionis realis inadæquatæ intelligitur. Sed Distinctio *Essentiæ à Paternitate*, est Distinctio vi cujus *Essentia* secundùm unum aliquid, quod identificatur *Essentiæ*, est idem cum *Paternitate*, nimirum secundùm ipsam *Paternitatem* identificatam *Essentiæ*, *Essentia* est idem cum *Paternitate*, & simul secundùm aliquid identificatum *Essentiæ*, non est idem cum *Paternitate*, hoc est, secundùm *Filiationem*, & secundùm *Spirationem passivam*, non est idem cum *Paternitate*. Ergo *Essentia à Paternitate* distinguitur distinctione reali inadæquata. Probatur tandem postrema pars subsumptæ Minoris. Quòd Distinctio *Essentiæ à Paternitate*, sit Distinctio realis inadæquata extensivè. Extrema,

ma, quæ sunt secum idem, & ità à se comparantur, ut unum per identitatem extendatur ad plura inter se distincta realiter; alterum sit unum ex pluribus illis distinctis, & simul non se extendat per identitatem ad alia ex iisdem pluribus; sunt extrema distincta realiter inadæquatè extensivè, & distinctio talium extremorum est distinctio realis inadæquata extensivè, ùt constat ex num. 148. Sed *Essentia*, & *Paternitas* sunt extrema, quæ sunt secum idem, & simul ità ad se comparantur, ut *Essentia* per identitatem extendatur ad plura realiter inter se distincta, nimirum ad *Paternitatem*, *Filiationem*, & *Spirationem passivam*: *Paternitas* verò est quid unum ex his pluribus, quod per identitatem non se extendit ad reliqua plura, nimirum ad *Filiationem*, & *Spirationem passivam*. Etiamsi enim *Essentia* identificetur realiter tam *Paternitati*, quàm *Filiationi*, quàm *Spirationi passivæ*, tamen *Paternitas* non identificatur realiter *Filiationi*, nec *Spirationi passivæ*. Ergo.

150. Respondebatur aliquando negando Definitiones sive Distinctionis realis in tertio, sive Distinctionis mediatæ, sive Distinctionis realis inadæquatæ, sive Distinctionis inadæquatæ extensivè. Et cùm à taliter Respondente postulatæ fuissent meliores definitiones. Negavit is debere illas à se dari, ex eo, quòd neget definita. Adeóque per hoc neget quascunque eorundem Definitorum definitiones. Quas si admitteret, teneretur admittere & ipsa Definita, utpote convertibilia cum suis definitionibus. Contra quam Responsionem sic opponitur. Quamvis ille, qui rem per Definitum significatam negat existere, vel habere esse aliquod, debeat ejusdem rei prout significatæ per definitionem, negare existentiam, vel aliud esse, tamen non eo ipso, quòd neget Definiti existentiam, vel possibilitatem, potest negare definitionem de definito, si definitio habeat conditiones bonæ definitionis. Seu non potest negare, quòd definitio non conveniat definito. Et sic tam ego, quàm Respondens negamus chimæram existere, aut possibilem esse, & tamen uterque nostrûm admittit definitionem, qua definitur chimæra. Quòd nimirum chimæra sit, si de uno, eodémque omnino verificetur esse, & non esse ejusdem. Prædeterminationem etiam physicam Thomisticam negat Schola Societatis, & tamen admittit definitionem, qua à Thomistis definitur dicta prædeterminatio. Imò ex hac admissa deducit eandem Prædeterminationem in causis liberis per ordinem ad actus liberos implicare. Pariter ergo licèt neges dari Distinctionem realem in tertio, sive mediatam, sive inadæquatam extensivè, debes admittere talis Distinctionis definitionem: hoc sensu, quòd per illam bene definiatur, & explicetur eadem Distinctio. Cujus ratio ulterior hæc est: quia Distinctio realis in tertio, vel quocunque alio nomine dicta, si negatur, debet negari prudenter. Atqui non negatur prudenter, si non habetur talis Distinctionis definitio. Ut enim quis prudenter neget aliquid dari, scire debet, quid neget; non habita verò definitione rei, quam negat, nescit, quid negat: quia non est illi nota Essentia, seu ratio objectiva ejus, quod negat. Hæc enim per definitionem innotescit. Addo, & urgeo: Dum negas distinctionem realem in tertio, vel illam distinctionem negas, quam ego affirmo, vel aliam? si negas aliam? Ergo non impugnas à me assertam, sed tui proprii intellectûs commentum, quod ego non propugno. Si verò negas hanc distinctionem, quam ego affirmo? Ergo negas distinctionem, prout à me intelligitur, & explicatur. Puto enim non te negare vocem præcisè, sed rem voce intellectam, & significatam. Atqui hoc ipso, quòd neges Distinctionem realem in tertio, prout à me intellectam, & explicatam, debes mecum convenire in definitione ejusdem distinctionis, cùm enim definitio sit explicatio rei; hæc sola, dum utrique oppositæ parti est communis, id præstat, ut res eodem modo explicata, & intellecta ab uno nostrûm affirmetur, ab altero negetur. Ergo.

151. Dicendum est secundò. Etiamsi per distinctionem realem in tertio, seu inadæquatam extensivè salventur multa prædicata contradictoria, quæ verificantur in Divinis; tamen per eandem distinctionem non salvantur omnia, nec eo modo, quæ, & quomodo salvari debent.

Prima pars Conclusionis probatur. Tunc per distinctionem realem in tertio multa salvantur contradictoria, quando multa contradictoria verificantur de extremis tali distinctione distinctis. Sed in

Divinis multa contradictoria verificantur de extremis distinctione reali in tertio distinctis. Ergo. Major exinde probatur. Quia si contradictoria verificantur de extremis distinctione reali in tertio, seu inadæquata extensivè distinctis, non verificantur de eodem omnino, sed de distinctis realiter. Adeóque in tali verificatione non est ulla contradictio, & repugnantia. Verificari autem contradictoria taliter, ut in eorum verificatione nulla sit contradictio, nec repugnantia, est salvari contradictoria. Minor etiam probatur. Pleraque contradictoria, quæ in Divinis verificari debent de *Essentia*, *&* *Personis*, ità verificantur, ut prædicatum illud, quod verificatur de *Essentia*, verificetur de ipsa sumpta secundùm omnes *Personalitates*, vel sumpta secundùm *Personalitatem* diversam ab ea *Personalitate*, de qua verificari debet alterum contradictorium. Sed *Personalitas* aliqua, & *Essentia* sumpta cum omnibus *Personalitatibus*, vel sumpta cum *Personalitate* diversa ab ea, de qua verificatur alterum contradictorium, sunt extrema distincta distinctione reali in tertio. *Essentia* enim cum omnibus *Personis*, vel cum una *Persona*, v. g. cum *Patre* accepta, ità identificatur *Filio*, ut ab ea discrepet ratione *Paternitatis*, cui licèt identificetur *Essentia*, ipsa tamen *Paternitas* distinguitur à *Filio*. Ergo. Major immediati Argumenti probatur. Prædicata: *Generat*, *non generat*, *generatur*, *non generatur*, *communicatur*, *non communicatur*, sunt talia prædicata, ex quibus, *generat*, verificatur de Patre; *non generat*, verificatur de *Essentia* sumpta cum omnibus *Personis*, vel sumpta cum *Filiatione*. Essentia enim hoc modo sumpta nullatenus *generat*. Eodem modo ly *generatur*, verificatur de *Filio*; jam verò ly *non generatur* verificatur de *Essentia*, sumpta quoad omnes *Personas*, vel de *Essentia*, sumpta quoad *Paternitatem*. Quia neque omnes *Personæ*, neque *Pater generatur*. Ex illis etiam prædicatis: *Communicatur*, *non communicatur*, unum prædicatum, nimirum *communicatur*, verificatur de *Essentia*, prout identificata omnibus *Personis* Adeóque de *Essentia* dicente omnes *Personas*. Prædicatum, *non communicatur*, verificatur de una *Persona*, v. g. *Patre*.

152. Secunda pars Conclusionis: Quòd non omnia contradictoria & eo modo salvari possint per distinctionem realem in tertio, quæ, quomodo juxta Principia Fidei salvari debent. Hæc inquam pars probatur: Ut prædicata contradictoria dicta de *Essentia*, & aliqua *Persona* salventur per distinctionem realem in tertio, seu inadæquatam extensivè; unum ex contradictoriis deberet semper dici de *Essentia* sumpta cum omnibus *Personalitatibus*, vel sumpta cum una, aut duabus *Personalitatibus*; alterum autem contradictorium deberet dici de *Personalitate* à prioribus illis diversa. Ut enim salventur talia contradictoria per distinctionem realem in tertio, debent verificari de distinctis realiter in tertio, seu de distinctis inadæquatè extensivè. *Essentia* verò & *Personalitas*, v. g. *Patris*, non sunt distincta in tertio, nec inadæquatè extensivè, nisi *Essentia* sumatur vel cum omnibus *Personalitatibus*, vel cum una diversa à *Personalitate Patris*. Sed non omnia contradictoria, quæ, & prout verificari debent de *Essentia*, *&* *Personis*, dici debent de *Essentia* sumpta cum omnibus *Personalitatibus*, aut de *Essentia* sumpta cum una *Persona*, diversa ab illa *Persona*, de qua verificatur alterum contradictorium. Ergo. Minor probatur. Etiamsi aliqua prædicata contradictoria in Divinis possint verificari de *Essentia*, & aliqua *Persona*, prout distinctis realiter in tertio, seu inadæquatè extensivè; adeóque ità, ut unum dicatur de *Essentia* sumpta cum omnibus *Personis*, vel cum aliquibus, aut aliqua; alterum dicatur de diversa *Personalitate*, ùt numero præcedente ostensum est. Tamen & hæc ipsa contradictoria, & insuper aliqua alia, sic debent verificari, ut unum verificetur de *Essentia* secundùm se, & præcisa ab omnibus *Personalitatibus*, alterum verificetur de aliqua *Personalitate*. Ergo. Antecedens quoad secundam partem probatur inductione hujusmodi contradictoriorum, quorum unum de *Personalitate*, alterum de *Essentia* secundùm se, & ratione sui verificari debent.

153. Ac imprimis hæc prædicata: *Generare*, *non generare*, *generari*, *non generari*, *spirari*, *non spirari*, taliter debent verificari de *Essentia*, *&* *Personis*, ut ea, quæ dici debent de *Essentia*, nimirum, *non generare*, *non generari*, *non spirari*, debeant dici de eadem *Essentia* secundùm se, & ratione sui accepta. Tum quia de *Paterni-*

nitate non quodcunque verificatur *generare*, ſed verificatur *generare* immediatè. *Paternitas* enim immediatè *generat Filium*. Ergo de *Eſſentia* verificatur non quodcunque *non generare*, ſed verificatur *non generare immediatè*, utpote contradictorium ipſius *generare immediatè* Certè cùm falſum ſit dicere de *Eſſentia*, quòd *generet immediatè Filium*, debet eſſe verum dicere de eadem, quòd *non generet immediatè*. Sed hoc ipſum *Eſſentia*, quòd *non generet immediatè*, habet ratione ſui, non verò ratione *Perſonalitatis*, v. g. *Filii*, ratione cujus ſolùm habet, quòd *non generet mediatè*. Sicut ratione *Perſonalitatis* ejuſdem dicta *Eſſentia* habet ſolùm, quòd mediatè diſtinguatur à *Patre*. Ergo. Tum quia, de Eſſentia ſumpta, quoad prædicata Dei neceſſaria abſoluta, verum eſt, quòd *non generet*. Cùm enim ſecundùm hæc prædicata, debeat immediatè identificari *Filio*, neceſſe eſt, ut ſecundùm hæc *non generet*. Implicat enim, ut *Filio* identificetur immediatè id, quod *generat Filium*, ſiquidem debent diſtingui realiter, quæ habent oppoſitionem producentis, & producti. Ergo de *Eſſentia DEI*, ſumpta ſecundùm ſe, & ratione ſui, verum eſt dicere, quòd *non generet*. Quod enim convenit *Eſſentiæ DEI*, ſumptæ ſecundùm prædicata abſoluta neceſſaria, convenit illi ratione ſui. Tum quia de *Paternitate*, & *Eſſentia* hoc modo verificantur contradictoria: *Generat*, *non generat*. *Paternitas* aliqua ratione certa *generat*, nimirum *generat perſonaliter*. *Eſſentia DEI nullatenus generat*, hoc eſt, nec eſſentialiter, nec perſonaliter, ſeu nec notionaliter generat. Atqui, ut tale prædicatum verificetur de *Eſſentia*, requiritur, ut Eſſentia non ſolùm *non generet* ratione *Filiationis*, tale enim *non generare*, eſt ſolùm *non generare perſonale*, & notionale. Sed etiam, ut *non generet* ratione ſui, & ratione prædicatorum DEI neceſſariorum abſolutorum; tale enim *non generare*, eſt *non generare eſſentiale*. Ergo ut ly *non generet* verificetur de *Eſſentia* taliter, qualiter verificari debet, requiritur, ut *Eſſentia* etiam ratione ſui dictum prædicatum verificet. Tum quia *Natura*, *ſeu Eſſentia Divina*, etiamſi ſumatur cum extenſione ad *Paternitatem* adhuc *non generat*. Vera enim eſt illa propoſitio: *Natura*, *quæ eſt Pater*, *non generat*. Docet ſiquidem Concilium Lateranenſe: *Naturam eſſe ſummam Rem*, *quæ eſt Pater*, *non tamen generare*. Sed *Natura* ſumpta cum extenſione ad *Paternitatem*, ſeu *Natura*, quæ eſt *Pater*, hoc ipſum, quòd *non generet*, habet ratione ſui. Non enim id habet ratione *Paternitatis*, ad quam extenditur, hoc modo ſumpta; potiùs enim ratione *Paternitatis*, & extenſionis ad illam, deberet habere, quòd *generet*. Non etiam id habet Eſſentia ratione aliarum *Perſonarnm*. Quia dum ſumitur cum extenſione expreſſa ad ſolum *Patrem*, non ſumitur cum extenſione ad alias *Perſonas*. Quæ enim eſt neceſſitas, ut cum hac extenſione ſumatur, vel quòd veſtigium talis ſumptionis, & quare non poteſt ſumi ſinè dicta extenſione ad alias *Perſonas?* Ergo. Huc tandem ſpectant rationes ſuperiùs allatæ num. 80. ad quas remitto.

154. Secundò. Hæc prædicata: *Communicari*, *non communicari*, taliter debent verificari de *Natura*, *ſeu Eſſentia*, & de *Perſonis*, ut prædicatum *communicari* verificetur de *Eſſentia* ſumpta ſecundùm ſe, & ratione ſui, non verò de *Eſſentia* ſumpta cum *Perſonalitatibus*. Quod ipſum probatur ſequentibus rationibus. Tum quia *Eſſentiam communicari Filiationi*, in tantum verificaretur de *Eſſentia*, ratione *Perſonalitatis*, in quantum *communicari Filiationi*, verificaretur de *Eſſentia* ratione *Filiationis*. Sed non verificatur ratione *Filiationis*, prout verificari debet. Ergo. Minor probatur. *Eſſentia Filiationi communicatur* ſecundùm aliquid aliud, & alio modo, non verò ſecundùm *Filiationem*. *Eſſentia* enim ſecundùm id omnino *communicatur Filiationi*, ſecundùm quod *communicatur Paternitati*, & *Spirationi paſſivæ*. Atqui *Eſſentia non communicatur Paternitati*, & *Spirationi paſſivæ* ratione *Filiationis*, & ſecundùm *Filiationem*, verùm potiùs his omnibus *communicatur* ratione ſui. Quia his omnibus, & ſingulis *communicatur* ratione alicujus prædicati, omnibus, & ſingulis *Perſonalitatibus* communis. Tale autem prædicatum commune non eſt, nec poteſt eſſe una aliqua *Perſona*, nec omnes ſimul; ſed potiùs prædicatum hujuſmodi eſt ipſa *Eſſentia* ſecundùm ſe, & ratione ſui. Ipſa enim *Eſſentia* ſecundùm ſe, & ratione ſui, eſt communis omnibus, & ſingulis *Perſonis*. Ergo eadem *Eſſentia*, in ſenſu præcipuè

Patrum, & Conciliorum, *non communicatur Filiationi* ratione *Filiationis*, sed *communicatur* eidem ratione sui. Tum quia *Communicationis*, qua *Natura communicatur Personis*. præcipuum, & maximum fundamentum est, ex Concilio Lateranensi, ubi dicit Concilium: *Naturam, seu Essentiam esse Rem, quæ est Pater, Filius, & Spiritus S. tres has simul Personas* ac sigillatim quamlibet earundem. Ex quo sic arguitur. Ratione illius *Natura communicatur Filio*, ratione cujus in sensu Concilii, hoc est in sensu reali identico *Natura est Filius*. Sed *Natura* in sensu Concilii, seu in sensu reali identico, est *Filius*, non ratione *Filiationis*, sed ratione sui. Quia *Natura* in sensu Concilii, ratione ejusdem omnino est *Filius*, & secundùm id omnino, ratione cujus, & secundùm quod est *Pater*, & *Spiritus S.* singula hæc, & omnia simul. Cùm ergo *Natura* in sensu reali identico *non sit Pater, nec Spiritus S.* ratione *Filiationis*, sed potiùs ratione sui. Eadem *Natura* in sensu Concilii, & in sensu reali identico, non est *Filius* ratione *Filiationis*, sed *Natura* ratione sui est *Filius*, *communicaturque* ratione sui *Filio*. Tum quia *Naturam communicari Filiationi*, non est præcisè eandem identificari extensivè *Filiationi*, sed etiam est illam identificari intensivè adæquatè *Filiationi* eidem. Sed *Essentia* adæquatè intensivè identificatur ratione sui *Filiationi*. Hoc enim modo *Essentia Personis* debet identificari, ratione prædicatorum DEI necessariorum absolutorum, toti Trinitati communium. Ergo *Essentia* in aliquo vero sensu *communicatur Filiationi*, non ratione *Filiationis*, sed ratione sui ipsius. Tum quia, si *Natura communicatur Filiationi*, ratione *Filiationis*, vel *communicatur* unicè ratione *Filiationis*, vel *communicatur* & ratione *Filiationis*, & ratione sui, seu prout *Essentia est*. Neutrum ab Adversario dici potest. Ergo. Non primum. Quia *communicari Naturam Filiationi*, est *Naturam* identificari *Filiationi*. Sed hoc identificari non habetur solitariè, & unicè ratione *Filiationis*, sed potiùs habetur ratione utriusque extremi, inter quæ est identitas. Cùm identitas sit quasi aliqua Relatio, eáque prædicamentalis, debeátque proinde dicere utrumque extremum. Non potest etiam dici secundum. Quia si *Natura* communicatur *Filiationi*, & ratione sui, & ratione *Filiationis*, verum adhuc est dicere, quòd *Natura* communicetur *Filiationi* ratione sui. A Propositione enim complexa copulativa valet Consequentia ad quamlibet propositionem simplicem, ex illis, quas copulativa complectitur. Et sic ab hac v. g. propositione: *Et Petrus, & Paulus currit*, bona est consequentia. *Ergo Petrus currit*. Pariter ergo valet consequentia ab hac propositione complexa copulativa. *Essentia & ratione sui, & ratione Filiationis communicatur Filiationi. Ergo Essentia ratione sui communicatur Filiationi*. Nec valet, si dicas, ùt mihi aliquando responderatur: *Naturam communicari Filiationi* ratione sui, sed solùm inadæquatè. Non valet inquam: Ex hoc enim concesso sequitur de *Essentia, & Paternitate* verificari contradictoria: *Essentia ratione sui inadæquatè communicatur Filiationi. Paternitas ratione sui etiam inadæquatè non communicatur Filiationi*. Ad quæ contradictoria salvanda necessaria est Distinctio immediata inter *Essentiam, & Paternitatem*, nec sufficit distinctio mediata, seu realis in tertio. Tum quia *Naturam communicari Filiationi*, potest accipi vel quasi pro Relatione prædicamentali identitatis, vel certè pro eo, quòd *Natura* sit fundamentum Communicationis, seu Identitatis, quasi cujuspiam Relationis; vel loquendo aliis terminis, apud Philosophos, & Theologos sæpiùs usitatis. Ly *communicari Naturam Filiationi* potest sumi vel quidditativè, hoc est pro tota quidditate *Communicationis*, & identitatis inter *Naturam, & Filiationem*; vel certè potest sumi denominativè, hoc est pro subjecto, quod denominatur *communicari*. Licèt ergo priori modo sumptum, ly *communicari Naturam Filiationi* habeatur ratione *Filiationis*, ídque non ratione solius præcisè *Filiationis*, sed etiam habeatur ratione ipsius *Naturæ, seu Essentiæ*, ídque ratione hujus aliquomodo principaliter. Cùm quidditativè sumpta Relatio prædicamentalis habeatur tam à ratione fundandi, quàm à ratione terminandi. In Relatione autem *Communicationis*, seu Identitatis *Naturæ cum Filiatione*, *Natura* habet se per modum fundamenti, & rationis fundandi, *Filiatio* verò est terminus, & ratio terminandi. Tamen *communicari Naturam Filiationi*, sumptam denominativè, non ha-

habetur tam ratione *Essentiæ*, quàm ratione *Filiationis*; sed præcisè habetur ratione *Naturæ*, quæ se habet per modum subjecti, in denominatione *Naturæ communicatæ Filiationi*. Cujus ratio ulterior est. Quia *Communicari Naturam Filiationi* sumptum denominativè, est esse subjectum talis denominationis, & est esse fundamentum *communicationis*, per quam *Essentia communicatur Filio*. Sed *Essentia* per se ipsam & ratione sui est subjectum dictæ denominationis, per se ipsam itèm est fundamentum *communicationis* cum *Filio*, talémque *communicationem* fundat ratione sui, sicut eandem *Filiatio* terminat ratione sui. Ergo eadem *Essentia* per se ipsam & ratione sui, *communicatur Filiationi* sumendo ly *communicari* denominativè, qualiter sumitur plerúmque à Patribus & Theologis.

155. *Tertiò*: Hæc prædicata Contradictoria dicta de *Essentia & Personis*: *Essentia Divina est una. Persona non est una.* Non verificantur taliter, ut ly *unum* de *Essentia* verificetur ratione *Personæ*, potiúsque idem prædicatum debet verificari de *Essentia* sumpta secundùm se, & ratione sui. Quòd ipsum ità probatur. In tantum de *Essentia* ratione *Personæ* verificaretur prædicatum, quòd *sit una*, in quantum *Essentia* in ordine ad verificationem dicti prædicati, diceret unam aliquam determinatè vel indeterminatè *Personam*, & ratione talis *Personæ* esset una, aliis *Personalitatibus* impertinenter se habentibus, ad verificationem ejusdem prædicati. Sed in tantum *Essentia* non dicit unam determinatè vel indeterminatè *Personam*, nec ratione ullius *Personæ* est una. Tum quia *Essentia Divina*, ità est ratione *unius Personæ* una, ut ratione omnium *Personarum* videatur debere esse trina. Qua ratione enim *Essentia* ratione unius *Personæ* est una, ea ratione debet esse non una, sed trina ratione omnium simul *Personarum*, impertinenter se habente, ad hujus prædicati, quòd sit trina, verificationem, quòd eadem *Essentia* ratione unius *Personæ* sit *una*. Sicut impertinenter se habere dicitur ad verificationem prædicati de *Essentia*, quòd sit una, quod eadem *Essentia* per identitatem dicat tres Personas. Adverto imperceptibile esse, quomodo Trinitas *Personarum* impertinenter se habeat ad verificationem prædicati, *Unius*, dicti de *Essentia*, ratione unius *Personæ*. Quod enim destruit rationem unius, & falsificat prædicatum unius, non habet se impertinenter ad verificationem ejusdem prædicati. Sed Trinitas *Personarum* destruit rationem unius, & falsificat prædicatum unius dictum de *Essentia*, ea ratione, qua ratione adstruit & verificat prædicatum unius, una *Persona*. Ergo. Tum quia *Essentia Divina* est una unitate Essentiali, seu essentialiter. Atqui ratione *Personalitatis* unius non est, nec potest esse una unitate essentiali seu essentialiter; sed ad summum ratione *Personalitatis*, *Essentia Divina* debet esse una, unitate personali, seu personaliter. *Persona* enim ratione sui, sicut non habet unitatem nisi personalem, seu *Personæ*, ità *Essentiæ* non tribuit nec potest tribuere aliam unitatem nisi *Personalem, seu Personæ*. Tum quia *Essentia* non quomodocunque est una, sed est una cum exclusione omnis pluralitatis, in ratione *Essentiæ*, seu *Essentia* est unica & unicissima. Sed ratione *Personalitatis* unius, *Essentia* non potest esse una cum exclusione pluralitatis, seu non potest esse unica & unicissima. Quia ipsa *personalitas*, quæ est *Essentiæ*, ratio formalis unitatis, non est ita una, ut excludat plures alias *personalitates*, imò una *Persona* ratione sui, esse Relativi, infert aliam. Ergo *Essentia* à *Personalitate* non potest habere unitatem seu unicitatem. Quodsi verò hanc habet, habet illam ratione sui. Præsertim cum *Essentia* ratione sui excludat multiplicitatem *Essentiæ & Divinitatis*. Tum quia *Essensentia Divina*, est una ratione prædicatorum DEI absolutorum toti *Trinitati* communium, simúlque immultiplicabilium in diversis *Personis*. Ergo *Essentia* est una ratione sui & non ratione *Personæ* unius, sive determinatæ sive indeterminatæ. Quidquid enim convenit *Essentiæ*, ratione prædicatorum DEI necessariorum absolutorum, convenit *Essentiæ* ratione sui. Tandem hoc ipsum evincitur tali ratione: Nullum attributum Divinum, nulláque perfectio simpliciter simplex, convenit *Essentiæ* ratione Relationis & *Personalitatis Divinæ*. Cum enim ipsæ Relationes non sint perfectiones simpliciter simplices, ùt communiter docent Theologi, nec sint attri-

attributa DEI. Ratione Relationum tales perfectiones, & attributa non possunt convenire *Essentiæ*. Sed unitas, & unicitas *Essentiæ*, seu hoc, quod est *Essentiam Divinam* esse unam, est attributum Divinum, & perfectio simpliciter simplex, ùt constat ex Disput. 1. Ergo unitas, & unicitas *Essentiæ Divinæ* non convenit eidem ratione ullius Relationis, seu *Personalitatis*; sed hæc eidem ratione sui convenire debet.

156. Quartò. De *Essentia Divina* verificatur hoc complexum prædicatum: *Essentia nec generat, nec generatur, nec procedit*. De quavis verò *Persona* verificatur unum ex his *vel quòd generet, vel quòd generetur, vel quòd procedat*. Sed priùs illud prædicatum non verificatur de *Essentia*, ratione illius *Personæ*, sed ratione sui. Ergo. Major patet ex Concilio Lateranensi, quod expresse dicit: *Quælibet Persona est illa Res, scilicet Substantia, seu Natura Divina, & hæc Res neque est generans, neque genita, neque procedens; sed est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit*. Minor probatur. Tum quia. Prædicatum, quòd de nulla *Personalitate* verificatur, non potest verificari de *Natura Divina* ratione ullius *Personalitatis*. Sed prædicatum hoc: *neque generat, neque generatur, neque procedit*, de nulla *Personalitate* verificatur, potiùs enim oppositum prædicatum verificatur de *Personalitatibus*, ùt constat ex illis verbis Concilii: *Sed est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit*. Ergo. Tum quia ex his prædicatis: *Natura non generat, Paternitas generat*, in tantum prædicatum *non generat*, ratione *Personalitatum* verificatur de *Natura Divina*, in quantum *Filiatio, & Spiratio passiva*, ad quas per identitatem extenditur *Natura Divina, non generant*. Ergo è contra, si nulli *Personalitati* convenit *neque generare, neque generari, neque procedere*, ratione nullius *Personalitatis* hoc prædicatum complexum verificabitur de *Natura*. Sed si verificari illud oportet, debet verificari de *Natura* ratione sui. Tum quia neque ratione unius *Personalitatis* sive determinatæ, sive indeterminatæ, neque ratione omnium simul *Personalitatum* verificatur prædicatum illud complexum: *Nec generat, nec generatur, nec procedit*. Non ratione unius *Personalitatis* determinatæ. Quia nulla talis *Personalitas* est, quæ *nec generat, nec generatur, nec procedit*, potiùs enim quælibet *Personalitas* oppositum aliquod prædicatum verificat: *Paternitas, quòd generet, Filiatio, quòd generetur, Spiratio, quòd procedat*. Non etiam ratione *Personalitatis* indeterminatè acceptæ de *Essentia* verificatur prædicatum illud: *Nec generat, nec generatur, nec procedit*. Quia *Personalitas* etiam indeterminatè accepta, cùm adhuc sit prædicatum Relativum, dicit indeterminatè aliquam relationem, vel *generantis*, quæ est propria *Patris*, vel *geniti*, quæ est propria *Filii*, vel *procedentis*, quæ est propria *Spiritûs S.* Non etiam ratione omnium simul *Personarum* *Essentia* verificat dictum prædicatum: quòd *nec generet, nec generetur, nec procedat*. Quia potiùs ratione omnium simul *Personarum*, *Essentia* debet verificare hæc simul prædicata, quòd *generet*, quòd *generetur*, quòd *procedat*. Cùm enim *Personalitates* simul sumptæ dicant hæc prædicata simul accepta, *Essentia* ratione omniū simul *Personalitatum* debet dicere eadem prædicata omnia simul. Deinde *Essentia*, ratione singularum *Personalitatum*, non verificat hoc prædicatum: *Essentia nec generat, nec generatur, nec procedit*. Ergo nec ratione omnium simul *Personalitatum* idem prædicatum verificat. Æquè enim hoc prædicatum debet verificare ratione cujuslibet sigillatim *Personæ*, atque ratione omnium. Siquidem Concilium Lateranense dicit non solùm *Essentiam, quæ est Pater, Filius, & Spiritus S. tres simul Personæ*, sed etiam *Essentiam, quæ est quælibet sigillatim Persona*; adeòque *Essentiam* sumptam etiam quoad unā *Personam, nec generare, nec generari, nec procedere*. Tum quia in tantum de *Essentia Divina*, ratione *Personalitatum* verificaretur prædicatum illud complexum: *Nec generat, nec generatur, nec procedit*; in quantum *Essentia* ratione *Filii, & Spiritûs S. non generaret*, ratione *Patris. & Spiritûs S. non generaretur*; ratione *Patris, & Filii non procederet per Spirationem*. Sed non in tantum *Essentia* verificat hoc prædicatum. Si enim in tantum verificaret, deberet pari ratione verificare: *Essentia* ratione *Personalitatum, quòd generet, quòd generetur, quòd procedat*. Nimirum quòd *generet* ratione *Paternitatis*, *generetur* ratione *Filiationis*, *procedat* ratione *Spirationis passivæ*.. Quare enim prædicatum com-

complexum negativum verificatur de *Essentia* ratione *Personalitatum*, prædicatum verò complexum affirmativum non verificatur itidem de *Essentia* ratione *Personalitatum*. Cùm tam negativa, quàm affirmativa prædicata simplicia, ex quibus coalescunt complexa, verificentur de ipsis *Personalitatibus*. Certè si de *Essentia* verificatur ratione *Filiationis*, quòd *non generet*; non verificatur autem de eadem *Essentia* ratione *Filiationis*, quòd *generetur*, de identificatis realiter, nec distinctis realiter in tertio verificabuntur contradictoria, scilicet *de generari*, & *non generare* prædicatis convenientibus *Filio*, & secum realiter identificatis verificabuntur hæc contradictoria: quòd ly *non generet* verificetur de *Essentia* ratione *Filiationis*; ly *generetur* non verificetur de *Essentia* ratione *Filiationis*. Neque valet, si dicas: Quamvis de *Essentia Divina*, ratione *Filiationis* verificetur prædicatum *non generare*, non verificari tamen de *Essentia* ratione ejusdem *Filiationis*, prædicatum *generari*. Quia *Essentia Divina* prioris prædicati, & denominationis est capax; non verò alterius. Non valet, inquam: quia implicat *Naturam Divinam* esse capacem verificationis, ratione *Filiationis* unius prædicati, & non esse capacem verificationis, ratione ejusdem *Filiationis* alterius prædicati, cum priore omnino identificati. Hæc enim contradictoria: *Esse capacem, & non esse capacem, &c.* deberent salvari per aliquam distinctionem, quæ tamen in ordine ad illa salvanda non potest ulla assignari. Neque enim talis distinctio potest esse distinctio realis in tertio. Siquidem *Essentiæ* sive capacitas, sive incapacitas dictæ denominationis convenit ratione sui, vel si convenit ratione *Personalitatis*, convenit utrumque hoc prædicatum ratione ejusdem *Filiationis*. Tum quia de *Natura Divina* secundùm se, & ratione sui, non verò ratione Personalitatum verificantur aliqua prædicata, ùt esse omnipotentem, immensum, &c. Quare ergo de eadem *Natura*, ratione sui, & non ratione *Personalitatum* verificatur illud prædicatum, quòd *non generet*, *nec generetur*, *nec procedat*. Itèm de *Personalitatibus Divinis* ratione illarum ipsarum, & non ratione *Naturæ*, cui realiter identificantur, verificantur prædicata, quæ à Conciliis, & Patribus de illis dicuntur. Et sic de *Paternitate* ratione sui verificatur, quòd *generet*, de *Filiatione* ratione sui, quòd *generetur*, *&c.* Ergo & prædicata, quæ à Conciliis, & Patribus dicuntur de *Natura*, verificantur de illa, ratione sui, & non ratione *Personalitatum*; qualia sunt: *non generare*, *non generari*, *non procedere*. Si quid enim obesset, obesset id, quòd hæc prædicata essent relativa. Sed non sunt relativa, potiùs enim sunt contradictoria prædicatorum relativorum, adeóque non esse eorundem.

157. Quintò. Ex his prædicatis: *Essentia Divina est omnes simul tres Personæ, & quælibet sigillatim earum*, ùt docet Concilium Lateranense. *Nulla Persona Divina est omnes simul tres Personæ, nec quælibet sigillatim.* Prædicatum prius, quod de *Essentia* dicitur, non verificatur de illa Ratione *Personalitatum*, sed debet verificari ratione sui. Ergo. Antecedens probatur. Prædicatum illud de Essentia dictum: *Essentia est omnes simul tres Personæ, & quælibet illarum sigillatim*, neque verificatur de *Essentia* ratione unius *Personæ*. Cùm enim una *Persona* non sint omnes *Personæ* nec singulæ, *Essentia* ratione unius *Personæ* non potest esse omnes simul *Personæ*, nec quælibet illarum sigillatim. Neque verificatur de eadem *Essentia*, ratione omnium *Personarum*. Quia neque verificatur ratione omnium distributivè, neque ratione omnium collectivè. Non ratione omnium distributivè. Quia hoc ipso ratione singularum *Personarum Essentia Divina* esset omnes, & singulæ *Personæ*, quod omnino falsum est. Non etiam ratione omnium collectivè. Quia hoc ipso *Essentia* ratione omnium simul *Personarum* esset singulæ *Personæ*. Et sic *Essentia* ratione omnium simul *Personarum*, seu omnium collectivè esset *Pater*, quod iterum falsissimum est. Dices, *Essentiam Divinam* esse omnes simul *Personas*, & singulas divisim, ratione omnium *Personarum* tam collectivè, quàm distributivè. Sed hoc non valet. Quia neque dici potest *Essentiam Divinam* indivisim, tam ratione omnium simul, quàm ratione singularum esse omnes simul *Personas*; neque dici potest ratione omnium, & singularum indivisim esse singulas *Personas*, ùt utrumque clarum esse videtur. Nec tandem dici potest *Essentiam Divinam* ratione omnium collectivè *Personarum* esse omnes tres simul *Personas*; rati-

one verò omnium distributivè esse singulas. Non potest inquam hoc dici. Quia *Essentia Divina*, ratione cujus est omnes simul *Personæ*; ratione illius ipsius omnino est singulæ *Personæ*. Secundùm quod enim est communis, & identificata omnibus simul *Personis*, secundùm idem omnino est communis, & identificata *singulis*. Ergo. Restat igitur, ut *Essentia* ratione sui ipsius sit omnes simul *Personæ*, & ratione sui ipsius sit singulæ divisim *Personæ*, hoc est, ut secundùm se *Essentia* sit identificata realiter immediatè tam omnibus simul *Personis*, quàm earum *singulis*.

158. Sextò. De *Essentia*, & *Paternitate* ità dicuntur sequentia contradictoria: *Essentia est realiter immediatè identificata Filiationi. Paternitas non est realiter identificata Filiationi.* Vel *Essentia extenditur per identitatem realem immediatam ad omnes, & singulas Personas. Nulla Persona extenditur per identitatem realem immediatam ad omnes, & singulas Personas.* Illa itèm: *Essentia non distinguitur realiter immediatè à Filiatione. Paternitas distinguitur realiter immediatè à Filiatione.* Hæc inquam prædicata ità dicuntur, ut ea, quæ de *Essentia* verificantur, verificentur de illa ratione sui. Tum quia si de *Essentia* non ratione sui, sed ratione *Personalitatis* alicujus verificaretur, quòd sit realiter immediatè identificata *Filiationi*, verum esset dicere de *Essentia*, quòd hæc ratione sui non sit realiter immediatè identificata *Filiationi*; verum itèm esset dicere: quòd *Essentia* immediatè realiter identificari *Filiationi*, nîl aliud sit, nisi *Filiationem* identificari *Filiationi*. Sed sequelæ non videntur admittendæ. Ergo. Tum quia *Personalitatem* aliquam identificari *Essentiæ*, non est *Personalitatem* ratione *Essentiæ* identificari *Essentiæ*. Sed potiùs est *Personalitatem* quamlibet ratione sui identificari *Essentiæ*. Ergo etiam *Essentiam* identificari *Paternitati*, non est *Essentiam* ratione *Paternitatis* identificari *Paternitati*. Tum quia est aliquid in DEO, quod secundùm se identificatur *Paternitati*, & aliis *Personalitatibus Divinis*. Quia est aliquid, quòd secundùm se sit commune toti Trinitati. Sed hoc non est aliud, nisi *Essentia*. Ergo Essentia ratione sui identificatur *Personis*.

Proponuntur Objectiones contra Conclusionem primam.

159. Objicitur, & probatur, inter *Essentiam*, & *Personas* non dari ullam Distinctionem, quæ sit realis, quocunque nomine dicta. Tum quia Concilia, & Patres inter *Essentiam*, & *Personas* negant omnem aliam Distinctionem, præter Distinctionem rationis; maximè verò negant Distinctionem realem, quam inter ea nonnisi admitti volunt, inter quæ est oppositio producentis, & producti. Atqui inter *Essentiam*, & *Personas Divinas* non est oppositio producentis, & producti, generantis, & geniti. Idque hæc oppositio inter *Essentiam*, & *Personas*, ità est neganda, ut *Essentia* etiam ratione *Paternitatis*, ratione cujus dicitur distingui à *Filio*, *non sit generans*. Cùm prohibitum sit doceri in Scholis nostris *Essentiam* ratione *Personarum Divinarum* & mediatè, *esse generantem*, *esse genitam*, &c. Tum quia, quæ distinctio nullatenus est distinctio vera, & realis, nec est distinctio simpliciter, illa distinctio non est distinctio realis in tertio, aut quocunque alio nomine dicta. Cui enim non convenit ratio generica, nec convenit ratio specifica. Cui non convenit esse simpliciter, ei neque convenit esse tale. Ab esse siquidem tali, bene arguitur ad esse simpliciter, & ex ratione specifica bene infertur ratio generica. Sed distinctio inter *Essentiam*, & *Personas* non est distinctio vera, & realis, nec est distinctio simpliciter, quia nullus Catholicorum dicit, *Essentiam* à *Personis* distingui verè realiter, & simpliciter. Cùm potiùs secundùm Fidem *Essentia* identificetur verè realiter, & simpliciter ipsis *Personis*. Ergo. Neque valet, si dicas, distinctionem, quæ est inter *Essentiam*, & *Personas*, non esse distinctionem simpliciter, sed esse distinctionem cum addito diminuente. Non valet, inquam: Hæc enim distinctio, cùm sit ad salvanda contradictoria realia simpliciter, sinè addito diminuente, qualia prædicata sunt: *generat*, *non generat*. Etiam ipsa distinctio debet este realis simpliciter, & sinè addito diminuente. Tum quia distinctio realis, qualis à Perez, & aliis admittitur inter *Essentiam*, & *Personas*, involvit contradictionem in terminis, per

per quos explicatur ab iiſdem Authoribus. Ab his enim dicta Diſtinctio per hoc definitur & explicatur; quòd ſit ſumma identitas realis inter *Eſſentiam* & unam quámque *Perſonam*, v. g. inter *Eſſentiam* & *Patrem*, cum diſcrepantia in tertio prædicato, nimirum in *Filio*, ſeu, quòd ſit ſumma identitas *Eſſentiæ* cum *Paternitate*, ità, ut hæc ipſa *Eſſentia*, ſummè identificetur etiam cum *Filiatione*, quæ *Filiatio* diſtinguitur realiter immediatè à *Paternitate*. Atqui ſic explicata Diſtinctio *Eſſentiæ* à *Perſonis*. involvit contradictionem in terminis, per quos explicatur, ſummæ enim identitati repugnat omnis Diſtinctio, & nisì hanc excludat, ſumma identitas, non eſt ſumma. Ergo. Tum quia implicat Diſtinctio inter extrema, quæ dicunt identitatem excluſivam omnis veræ negabilitatis, unius de altero. Cùm enim ſignum univerſale Diſtinctionis ſit, negabilitas unius extremi de altero; ubi non eſt negabilitas, non eſt diſtinctio; Infallibilis, námque Conſequentia eſt: Hoc non eſt illud, Ergo hoc eſt diſtinctum ab illo. Sed ſi daretur aliqua Diſtinctio realis inter *Eſſentiam & Perſonas*, hæc diceret identitatem excluſivam omnis veræ negabilitatis, unius extremi de alio, Diſtinctio enim *Eſſentiæ à Paternitate*, dicit identitatem ejuſdem *Eſſentiæ* cum *Paternitate*, excluſivam omnis veræ negabilitatis, qua negetur *Eſſentia de Paternitate*, vel è contra. Siquidem *Eſſentia* ità identificatur *Paternitati*, ut nec *Eſſentia* ſit verè negabilis de *Patre* nec *Paternitas* ſit verè negabilis de *Eſſentia*, Quæ ipſa innegabilitas, non aliunde provenit nisì ex identitate. Ergo. Tum quia inter *Eſſentiam* & *Perſonas Divinas*, nulla eſt alietas realis. Ergo nulla eſt Diſtinctio realis. Antecedens probatur. Inter *Eſſentiam & Perſonas*, neque eſt alietas realis, quæ hæc ipſa extrema faciat aliud & aliud ſubſtantivè, & neutraliter. Hæc enim alietas, è mente Conciliorum, Patrum, & Theologorum, in Divinis, deberet ſignificare diverſitatem & multiplicitatem realem *Naturarum*, quæ multiplicitas eſt implicatoria. Neque inter *Eſſentiam & Perſonas* eſt alietas realis, quæ extrema hæc faciat aliud & aliud adjectivè. Secundùm Patres enim, in DEO ipſæ nonnisì *Perſonæ*, ſunt à ſe aliæ & aliæ adjectivè, ſeu inter ſolas nonniſi Perſonas Divinas, agnoſcitur alietas adjectiva. Ergo. Tum quia *Eſſentia Divina* non diſtinguitur ullatenus à ſe ipſa. Ergo nec diſtinguitur ullatenus *à Perſonis*. Conſequentia probatur: *Eſſentia ſeu Natura Divina*, tantùm identificatur *Perſonis*, quantùm ſibi ipſi, tantùm enim perficit *Perſonas*; quia per illas perfectiones, quas in ſe continet, quantùm, & per quas perfectiones, perficit ſe ipſam. Aliàs *Perſona* eſſet perfectior, quàm *Natura*. vel è contra, & eſſet in *Perſona* defectus perfectionis, quæ inveniretur *in Natura*. Ergo.

160. Objicitur & probatur *ſecundò*: ſpecialiter; inter *Eſſentiam & Perſonas* non dari Diſtinctionem realem in tertiò. Tum quia. Si daretur Diſtinctio realis in tertiò, darentur in DEO tres realiter diſtinctæ *Deitates & Eſſentiæ* Relativæ. Sed hæ in DEO repugnant. Ergo. Sequela probatur. Admiſſa Diſtinctione reali in tertio, Una *Deitas* eſt, quæ diſtinguitur à *Patre*, altera *Deitas* eſt, quæ diſtinguitur à *à Filio*, Tertia *Deitas* eſt, quæ diſtinguitur à *Spiritu S.* Quæ *Deitates*, *ſeu Eſſentiæ*, neceſſariò ſunt à ſe invicem diſtinctæ. *Deitas* enim quæ dicitur eſſe diſtincta *à Patre*, eſt *Deitas* ſumpta ſecundùm *Filiationem*. *Deitas* quæ dicitur eſſe diſtincta *à Filio*, eſt *Deitas* ſumpta ſecundùm *Paternitatem*, &c. Quomodo ſumptæ *Deitates* ſunt neceſſariò à ſe diſtinctæ; ſicut & ipſæ *Perſonalitates*, ſecundùm quas ſumuntur ſunt à ſe diſtinctæ. Siquidem *Deitas* ſumpta ſecundùm *Paternitatem*, nullatenus diſtinguitur *à Patre*; *Deitas* ſumpta ſecundùm *Filiationem*, nullatenus diſtinguitur *à Filio Deitas* ſumpta ſecundùm *Spirationem Paſſivam*, nullatenus diſtinguitur à *Spiritu S.*. Ergo ſicut *Pater*, *Filius*, *& Spiritus S.* diſtinguuntur à ſe realiter, ità *Eſſentia prout eſt in Patre*, *Eſſentia prout eſt in Filio*, *Eſſentia prout eſt in Spiritu S.*, *ſunt tres Eſſentiæ* à ſe realiter diſtinctæ. Confirmatur hæc Ratio: *primò*: Non eſt eadem omnino *Eſſentia*, quæ diſtinguitur *à Patre*, cum ipſa *Eſſentia*, quæ diſtinguitur *à Filio*. Si enim eſſet eadem omnino, ſiquidem *Eſſentia* prout eſt in *Filio*, diſtinguitur *à Patre*, hæc ipſa *Eſſentia* prout eſt in *Filio*, deberet diſtingui *à Filio*. Quod tamen in hac Sententia non dicitur. Confirmatur *ſecundò*: Quando per aliam

aliam *Deitatem Pater est DEUS*, & per aliam *Deitatem Filius est DEUS*, per aliam itèm *Spiritus S. est DEUS*, tunc tres sunt *Deitates* Relativæ. Sed admissa. Distinctione reali in tertio, per aliam *Deitatem Pater est DEUS*. *Pater* enim est *DEUS Deitate, quæ est in Patre*. Per aliam *Deitatem Filius est DEUS*; quia per *Deitatem* quæ est in *Filio*. Neque enim *Pater est DEUS per Deitatem* prout est in *Filio*. Hæc enim cum sit distincta *à Patre*, est negabilis de eodem. Ergo. Tum quia admissa Distinctione reali in tertio, sequitur in DEO dari *Quaternitatem* damnatam à Concilio Lateranensi. Quod ipsum hinc probatur: Dantur in DEO quatuor prædicata distincta distinctione vera reali. Ergo datur Quaternitas, per hanc enim intelliguntur prædicata quatuor realiter distincta. Antecedens sic deducitur. Non intellecta *Spiratione passiva* jam sunt tria prædicata realiter à se distincta. Unum prædicatum est *Essentia*, quæ dicitur distingui realiter in tertio *à Paternitate*, alterum prædicatum est *Paternitas*, tertium prædicatum est *Filiatio* seu *Filius*, ratione cujus, & in quo, tanquam in tertio, *Essentia* distinguitur *à Paternitate*. Si ergo his tribus realiter distinctis, addatur *Spiratio passiva*, quæ pari ratione est distincta realiter ab illis tribus, *à Paternitate* quidem & *Filiatione*, realiter immediatè, ab *Essentia* verò in illis duobus tanquam in tertio; erunt jam quatuor prædicata realia, distincta à se realiter. Adeóque dabitur *Quaternitas*. Tum quia. Admissa dicta Distinctione non solùm datur in DEO *Quaternitas*, sed etiam datur *Quinqueitas*, *Sexeitas*. Præterea non solùm datur in DEO Distinctio in tertio, sed etiam in quarto, in quinto, & in sexto. Cùm enim *Essentia Divina* distinguatur *à Patre*, non solùm *in Filio* tanquam in tertio, sed etiam *in Spiritu S.* tanquam in quarto, & in *Filio ac Spiritu S.* tanquam in quinto, & in omnibus simul *Personis* tanquam in sexto, sequitur dari in DEO Distinctionem, non solùm in tertio, sed etiam in quarto, in quinto, in sexto, Dari itèm in DEO non solùm *Quaternitatem*, sed etiam *Quinqueitatem*, *Sexeitatem*. Et iterum. Quia: *Essentia* distinguitur *à Filio*, eodem modo, hoc est non solùm *in Patre*, sed etiam *in Spiritu S.* ac etiam *in Patre & Spiritu S.* simul, nec non in omnibus *Personis*, pro multiplicitate prædicatorum in quibus *Essentia* distingui dicitur *à Personis*, erunt Distinctiones in prædicatis, non in tertio tantùm, sed & in quarto, & pluribus aliis. Tum quia implicat *Naturam Divinam* distingui realiter in tertio *à Patre* v. g. nisì supponantur dari realiter tria, unum quod distinguatur, alterum à quo distinguatur, tertium in quo distinguatur. Sed non possunt hæc tria supponi; deberent enim *Natura & Paternitas* supponi tanquam duo, & *Filius* in quo *Natura* distinguitur à *Patre*, deberet supponi, tanquam aliquid tertium. Sed non possunt sic supponi. *Natura* enim & *Paternitas* non sunt duo realiter, sed unum idémque. Certè si essent duo, deberent esse duo pro priori, antequam intelligeretur tertium. Non sunt autem duo pro priori ante tertium, siquidem in tertio dicuntur distingui. Tum quia. Implicat Distinctio realis in tertio, absque eo, quod dentur extrema realiter talis Distinctionis. Sed non dantur realiter extrema realis Distinctionis in tertio. Ergo. Minor probatur: Extrema Distinctionis realis in tertio, quâ v. g. *Essentia* distinguitur à *Patre in Filio*, non dantur realiter & nemine cogitante. Hæc enim extrema, sunt *Essentia* sumpta *in Filio*, & *Paternitas*. Ex quibus, *Essentia* sumpta *in Filio*, non datur realiter & nem. Cog. Quia non datur independenter à Præcisione Intellectûs, quâ eadem *Essentia* præscinditur à reliquis *Personis*. Hoc etiam ipsum, quod *Essentia* sumatur *in Filio* & non *in Patre* habetur ab actu intellectûs, & tamen ut *Essentia* distinguatur *à Patre*, sumi illam necesse est, *in Filio*, & non in *Patre*. Ergo.

161. Probatur *tertiò* specialiter, quòd Distinctio *Essentiæ à Personis*, non sit nec possit esse Distinctio realis mediata. Tum quia. In tantum *Essentia* distingueretur mediatè *à Filio*, in quantum *Pater* esset medium, ratione cujus & in quo *Essentia* distingueretur *à Filio*. Sed *Pater* non est tale medium, potiùs enim *Pater* est medium, quo mediante, & ratione cujus *Essentia* identificatur *Filio*. Quia mediante *Patre*, tanquam Principio, per *generationem Filii*, *Natura seu Essentia*, quæ est *in Patre*, communicatur identicè etiam *Filio*. Tum quia quod distinguitur ab alio, ratione

ne prædicati sibi realiter immediatè identificati, non distinguitur mediatè sed immediatè. Quia distinguitur ratione sui. Distingui enim aliquid ratione prædicati sibi realiter immediatè identificati, est illud distingui ratione sui. Tale siquidem prædicatum est propriissimè illa ipsa res, quæ dicitur distingui. Sed *Essentia* ratione *Patris* distincta *à Filio* est *Essentia* distincta ratione prædicati sibi realiter immediatè identificati, *Pater* enim est prædicatum realiter immediatè identificatum *Essentiæ*. Ergo. Confirmatur. *Patrem* esse DEUM, esse omnipotentem &c. est illum esse talem realiter immediatè. Quia est *Patrem* esse DEUM, esse omnipotentem, ratione prædicati realiter identificati *Patri*. Ergo pariter *Essentiam* esse distinctam *à Filio*, ratione prædicati realiter immediatè identificati *Essentiæ*, nimirùm ratione *Patris* est *Essentiam* esse distinctam immediatè *à Filio*. Tum quia *Essentia Divina*, etiam mediatè ratione *Patris non generat Filium*. Ergo eadem Essentia ratione *Patris* non distinguitur mediatè *à Filio*. Antecedens videtur esse certum, propter censuram aliquam illius propositionis: *Essentia ratione Patris mediatè generat Filium*. Consequentia probatur. Si *Essentia* ratione *Patris* distingueretur mediatè *à Filio*, eadem *Essentia* ratione ejusdem *Patris*, deberet mediatè *generare Filium*. Ad hoc enim ut *Essentia* ratione alicujus distinguatur à quopiam prædicato Relativo, necessarium est, ut ratione illius dicat oppositionem producentis & producti. Cùm hæc oppositio sit unicum argumentum & indicium Distinctionis realis in Divinis. Ergo si *Essentia*, ratione nullius prædicati, dicit oppositionem producentis & producti *cum Filio*, ratione nullius prædicati distinguitur mediatè à *Filio*. Tum quia, hæc propositio: *Prædicata Notionalia derivant mediatè suas virtualitates formalitates denominationes in Naturam*. Hæc inquam propositio à PP. Revisoribus Societatis, censurata est, & in Scholis Nostris ab Adm. R.P. nostro doceri prohibita. Sed admissa Distinctione mediata, verum est dicere, quòd prædicata Notionalia derivent in *Essentiam seu Naturam* suas virtualitates, formalitates, & denominationes. Prædicatum enim Notionale *Patris*, denominationem distincti *à Filio* derivat *in Essentiam*. Hæc enim ratione *Patris* denominatur distincta *à Filio*. Ergo. Tum quia admittere Distinctionem mediatam inter *Essentiam & Personas*, est transire in partes Connotatistarum, & connotatizare. In hoc enim stat doctrina Connocatistarum, quòd velint rem perire ratione alicujus alterius, à re, distincti, si solùm aliud pereat. Simile quid asserunt Propugnatores Distinctionis realis mediatæ. Hi námque pariter volunt *Essentiam* distingui *à Persona*, v. g. *à Filio*, ratione alterius, nimirùm ratione *Patris* distincti *à Filio*, seu per hoc unicè, quod *Pater* distinguatur *à Filio*. Tum quia *Essentia* eo modo distinguitur *à Filio* quo identificatur *Filio*. Distinctio enim *Essentiæ à Filio* est identitas ejusdem *cum Filio*, licèt non omnimoda. Seu est identitas *Essentiæ cum Filio*, sed non cum solo *Filio*, verùm etiam cum *Patre*, qui distinguitur *à Filio*. Atqui *Essentia* identificatur realiter immediatè *Filio*. Ergo etiam eadem *Essentia* distinguitur realiter immediatè *à Filio*.

162. Objicitur *quartò*, & probatur specialiter: Quòd Distinctio *Essentiæ à Personis* non sit Distinctio realis inadæquata. Tum quia. In tantum *Essentia* distingueretur à *Filio* inadæquatè, in quantum *Essentia* identificatur *Patri*, *Filio*, *& Spiritui S.* omnibus his simul Personis, & singulis earum, *Filius* autem non identificatur omni illi, cui identificatur *Essentia*. Quia *Filius* non identificatur omnibus simul *Personis*, nec etiam singulis illarum, cùm non identificetur *Patri nec Spiritui Sancto*. Sed in tantum *Essentia* non distinguitur inadæquatè à *Filio*. Ad Distinctionem enim inadæquatam, non sufficit, quòd unum plura dicat quàm aliud, sed insuper requiritur, ut unum ex his, quæ dicuntur inadæquatè distincta, sit verè negabile de alio. Distinctio enim est ratio negabilitatis unius extremi distincti de de alio. Atqui nec *Essentia* est verè negabilis *de Filio* nec *Filius* est verè negabilis de *Essentia*. Ergo *Essentia* non distinguitur inadæquatè à *Filio*. Tum quia licèt *Essentia* sumpta cum omnibus *Personis* distinguatur inadæquatè ab una *Persona*, v. g. *à Patre*. Quia tres simul *Personæ*, distinguuntur realiter inadæquatè ab *una* ipsarum, & vice versa, una *Persona* distinguitur

guitur realiter inadæquatè à tribus simul *Personis*; tamen Distinctio, qua *Essentia*, prout est in *Filio*, distinquitur à *Patre*, non est Distinctio realis inadæquata. Quia *Pater* à *Filio* non inadæquatè, sed adæquatè distinguitur. Tum quia Distinctio realis inadæquata, est Distinctio realis immediata, & non mediata, ùt patet in creatis; in quibus totum à Parte distinguitur realiter inadæquatè, simúlque immediatè. Ergo cùm Distinctio *Essentiæ* à *Personis* non sit immediata, sed mediata, Distinctio hæc non est realis inadæquata. Tum quia inter *Essentiam*, & *Personas*, ad summum est non identitas realis inadæquata, non verò Distinctio realis inadæquata. Ergo. Tum quia admissa Distinctione reali inadæquata inter *Essentiam*, & *Personas*, nulla est difficultas Mysterii *Trinitatis*, non assequibilis intellectu creato. Quia nullum est Mysterium, & nulla difficultas, *Personam Patris*, & *Personam Filii* identificari uni tertio, scilicet *Essentiæ*, neque tamen identificari inter se. Siquidem nulla est difficultas, & mysterium in eo, quòd aliqua, quæ sunt eadem inadæquatè cum uno tertio (quomodo sunt eadem Pater, & Filius cum Essentia) non sint eadem inter se. Tum quia admissa Distinctione reali inadæquata inter Essentiam, & Personas datur in DEO Quaternitas ob Distinctionem inadæquatam inter Essentiam, & Personalitates, illámque dari simili planè ratione deducitur, atque contra P. Martinez in sententia illius deducebatur, Quaternitatem in DEO admitti debere. Tum quia sequitur, nullam dari perfectionem simpliciter simplicem. Adeóque Omnipotentiam, Justitiam, &c. non esse perfectiones simpliciter simplices. Ut enim essent tales, deberent esse meliores ipsæ, quàm non ipsæ, hoc est, quàm alia quæcunque perfectio Divina distincta realiter ab ipsa. Non sunt autem meliores, quàm Persona Divina, quæ est perfectio, simúlque dicitur esse distincta realiter inadæquatè ab Omnipotentia, Justitia, & similibus DEI perfectionibus. Tum quia, si Pater æternus distingueretur realiter inadæquatè ab Essentia, seu Deitate, hoc ipso Pater æternus non esset DEUS, nec esset Deitas. Sicut anima hominis distincta realiter inadæquatè ab homine non est homo. Sed sequela est contra Fidem. Ergo. Tum quia, si Essentia distingueretur realiter inadæquatè à Paternitate, ex eo sic distingueretur, quia Essentia non soli identificatur Paternitati, sed etiam identificatur Filiationi, quæ Filiatio est distincta à Paternitate. Atqui ex eo non distinguitur inadæquatè. Si enim ex eo distingueretur inadæquatè, sequitur hinc implicare multiplicem causam adæquatam respectu unius, ejusdémque effectûs. Nam quælibet ex illis causis esset similiter causa solùm inadæquata, eo ipso, quia non sola causaret effectum. Et tamen Oppositi passim admittunt possibiles esse plures causas adæquatas respectu ejusdem effectûs. Ergo.

163. Objicitur quintò, & probatur specialiter Distinctionem Essentiæ à Personis, non esse distinctionem realem inadæquatam extensivè. Tum quia hac admissa distinctione sequeretur, quòd etiam tota Trinitas Personarum à singulis Personis distingueretur realiter inadæquatè extensivè. Nam Trinitas Personarum ratione identitatis cum Essentia ità habet identitatem intensivam cum Personis, ut simul per identitatem extendatur ad omnes Personas, ad quas non extenduntur per identitatem singulæ. Hinc autem ulteriùs sequitur, quòd sicut Essentia ratione identitatis adæquatæ intensivæ, & ratione distinctionis inadæquatæ extensivæ, est omnes simul Personæ Divinæ, & quælibet illarum singillatim; ità & Trinitas Personarum ratione similis identitatis, & distinctionis, debeat esse omnes simul Personæ, & quælibet illarum singillatim, debeátque verè affirmari de unaquaque, hoc v. g. modo: *Pater est Trinitas.* Quod est contra Fidem. Ergo. Tùm quia sequitur, quòd etiam Personæ una ab alia distinguantur inadæquatè extensivè. Nam Personæ Divinæ dicunt identitatem adæquatam intensivam ratione identitatis in Natura, & in omni perfectione simpliciter simplici, & simul dicunt distinctionem inadæquatam extensivam, hoc est, distinctionem quoad Personalitates. Hinc verò sequitur ulteriùs, eodem modo unam Personam distingui ab alia, quo modo Persona distinguitur ab Essentia. Et sicut Essentia est verè affirmabilis de omnibus, & singulis Personis, ità unam Personam esse verè affirmabilem de omnibus, & singulis. Sequitur præterea Quaternitatem in DEO admitti

ti debere. Tum quia: Si Essentia Divina à Paternitate distingueretur inadæquatè extensivè, deberet etiam ab eadem distingui inadæquatè intensivè. Sed hoc non dicitur. Ergo. Sequela probatur. Ideo Natura Divina distinguitur inadæquatè extensivè à Paternitate, quia identificatur Paternitati extensivè, sed non soli. Atqui etiam Essentia identificatur intensivè Paternitati, sed non soli, ùt Fides docet. Ergo. Tum quia si daretur distinctio realis inadæquata extensiva Essentiæ Divinæ à Personis, & è contra, tunc Personalitates simul sumptæ & plùs dicerent, seu plùs se extenderent, quàm Natura Divina, & non plùs, sed minùs dicerent, ac minùs se extenderent, ídque è sensu ipsorum oppositorum. Imprimis plùs dicerent, seu plùs se extenderent omnes Personæ simul sumptæ. Quia Natura Divina potest sumi cum una Persona, qualiter sumpta minùs dicit, quàm omnes simul Personæ. Et è contra hæ plùs dicunt, quàm illa. Extenderent se etiam minùs omnes Personalitates, quàm Natura Divina, seu Essentia. Personalitates enim omnes simul sumptæ, ità identificantur Essentiæ Divinæ, ut non identificentur omni illi, cui identificatur Essentia, nec sint verè affirmabiles de omni eo, de quo est affirmabilis verè Essentia. Hæc enim identificatur immediatè non solùm omnibus, sed etiam singulis Personis, éstque verè affirmabilis tam de omnibus, quàm de singulis. Tres verò Personalitates simul sumptæ non identificantur immediatè singulis, nec sunt verè affirmabiles de singulis. Ergo.

Solvuntur Objectiones contra Conclusionem primam.

164. Ad primum respondetur, & ad primam imprimis rationem dicitur à Patribus, & Conciliis: inter Essentiam secundùm se sumptam, & inter Personas negari omnem Distinctionem realem, admitti verò Distinctionem rationis; per quam quid intelligi debeat, patebit ex §. de Distinctione Rationis inter Essentiam, & Personas Divinas. Non negari nihilominus à Patribus, & Conciliis Distinctionem, quæ sit inter Essentiam sumptam cum omnibus simul, vel divisim Personis, & inter Personas, v. g. non negatur Distinctio realis inter Essentiam sumptam cum Paternitate, & inter Filium. Oppositum potiùs satis sufficienter Patres, & Concilia insinuare videntur, dum dicunt: inter Essentiam, & Personas talem dari identitatem immediatam, quæ stet cum Distinctione reali Personarum. Qualis identitas est fundamentum, vel certè ipsa ratio formalis Distinctionis realis in tertio, vel alio quocunque nomine dictæ.

Ad ulteriorem Probationem dico: Quòd Patres, & Concilia in Divinis Distinctionem realem immediatam inter ea nonnisi admittant, & admitti velint, inter quæ est oppositio producentis, & producti; de Distinctione reali in tertio sive mediata siquidem ex professo non tractant, nihil proinde circa illam statuunt. Cæterùm illud videtur esse certum, hanc Distinctionem non debere admitti inter extrema, quæ dicunt oppositionem producentis, & producti; nec requirere talem oppositionem in suis extremis; sed potiùs admittendam esse inter ea, quæ dicunt oppositionem producentis, & non producentis, producti, & non producti. Quia talis Distinctio datur ad salvanda contradictoria, non verò ad salvandam oppositionem relativam producentis, & producti. Porrò Essentia, & Personæ Divinæ licèt non dicant oppositionem producentis, & producti, ità, ut si de Persona Patris v. g. est verè affirmabile, quòd sit generans, de Essentia prout distincta à Patre, debeat esse verè affirmabile, quòd sit genita; tamen Essentia, & Personæ habent oppositionem producentis, & non producentis, generantis, non generantis; geniti, non geniti; quatenus essentia nec est producens, nec producta, nec generans, nec genita, nec procedens. Pater est, qui generat, Filius, qui generatur, Spiritus sanctus, qui procedit. Dici enim potest: licèt inter Essentiam, & Personas, prout Essentia à Personis distinguitur realiter in tertio seu mediatè, seu inadæquatè, &c. non sit talis oppositio producentis, & producti, ut Essentia à Persona, secundùm quam hæc distinguitur ab alia persona, dici, seu denominari possit vel generans, vel genita, vel procedens; est tamen talis oppositio, ut Essentia secundùm Paternitatem sumpta, secundùm quam distinguitur à Filio, sit Pater, sumpta secundùm Filiationem sit Filius, sumpta secundùm Spirationem passivam, sit Spi-

Spiritus ſanctus. Adeóque ut inter Eſſentiam prout diſtinctam à Perſonis, & inter Perſonas ſit oppoſitio Patris, & Filii, quæ oppoſitio eſt oppoſitio relativa.

Secundæ Rationis omiſſa Majore nego Minorem, & dico: Diſtinctionem inter Eſſentiam (intellige ſumptam cum omnibus, vel aliquibus Perſonis) & inter Perſonas, eſſe imprimis diſtinctionem veram. Si enim eſt Diſtinctio vera inter Trinitatem Perſonarum, & inter ſingulas Perſonas, etiam inter Eſſentiam ſumptam ſecundùm Trinitatem Perſonarum, & inter unam, vel duas Perſonas eſt vera diſtinctio. Diſtinctio enim Trinitatis à ſingulis Perſonis non tollitur, nec deſtruitur per hoc, quòd Eſſentia ſumatur cum Trinitate, & ſic ſumpta comparetur cum una, vel duabus Perſonis. Eſt etiam eadem Diſtinctio realis; quia tres Perſonæ diſtinguuntur realiter ab una. Ergo & Eſſentia ſumpta ſimul cum tribus Perſonis, & ſecundùm has ipſas Perſonas diſtinguitur realiter ab una. Pariter cùm una Perſona diſtinguatur verè, & realiter ab alia Perſona, nimirum Pater diſtinguitur verè, & realiter à Filio, etiam Eſſentia ſumpta cum una Perſona v. g. cum Patre, & ſecundùm hanc Perſonam diſtinguitur verè, & realiter ab alia Perſona, v. g. à Filio. Eadem Diſtinctio licèt aliquo certo ſenſu ſit diſtinctio ſimpliciter, quatenus participat rationem communem, & genericam Diſtinctionis, non eſt tamen diſtinctio ſimpliciter hoc ſenſu, & taliter, ut extrema, inter quæ invenitur, denominet diſtincta ſimpliciter, & ſinè addito. Quò minùs enim ea denominet diſtincta ſimpliciter, obſtat, & prævalet identitas realis, & immediata Eſſentiæ cum Perſonis, ratione cujus & Eſſentia eſt verè affirmabilis de Perſonis, & Perſonæ ſunt verè affirmabiles de Eſſentia. Obſtat præterea & hoc, quòd in Divinis nomine Diſtinctionis ſimpliciter intelligatur Diſtinctio realis immediataa. Declarari hoc totum poteſt exemplo identitatis inadæquatæ inter totum, & partem, quæ ità eſt identitas vera, ut non denominet totum identificari ſimpliciter parti, eò quòd idem totum diſtinguatur à parte, & diſtinctio hæc prævaleat identitati; & quòd nomine identitatis ſimpliciter non veniat identitas inadæquata; exemplo itèm identitatis mediatæ, qua Perſonæ Divinæ ſunt idem ſecum in Natura, quæ identitas non denominat pariter Perſonas Divinas identificari ſecum ſimpliciter, ſed potiùs Diſtinctio realis earundem immediata denominet eaſdem Perſonas diſtingui ſimpliciter. Nec obſtat, quod additur, contradictoria realia ſimpliciter ſalvari per Diſtinctionem realem in tertio. Ergo hæc debet eſſe Diſtinctio ſimpliciter. Non obſtat inquam: Conſequentia enim in ſenſu propoſito intellecta non ſubſiſtit. Ad ſalvanda enim contradictoria ſimpliciter, ſeu ut ſinè contradictione verificentur de ſubjecto, non requiritur Diſtinctio ſimpliciter, ſed ad hoc ſufficit diſtinctio, ex vi cujus non de eodem omnino verificentur contradictoria ſimpliciter, quod bene præſtat Diſtinctio realis in tertio, etiamſi extrema, de quibus dicuntur contradictoria, non denominet ſimpliciter diſtincta. Addo: à nemine Catholicorum dici, quòd Eſſentia à Perſonis diſtinguatur verè, & realiter ſimpliciter. Hæc enim propoſitio, ſecundùm communem acceptionem intellecta, ſenſum facit: quòd Eſſentia ſecundùm ſe, & ratione ſui diſtinguatur verè realiter immediatè ab iiſdem, quod Fidei repugnat. Dicitur tamen à pleriſque Catholicis Doctoribus, quòd Eſſentia ſecundùm unam Perſonalitatem accepta diſtinguatur verè realiter, imò & ſimpliciter ab alia Perſonalitate. Quamvis hæc propoſitio non uſurpetur communiter, niſi quando ipſa neceſſitas exigit, nè puſillis, hoc eſt, propoſitiones malè intelligentibus, & pro irreſtrictis reſtrictas habentibus detur ſcandali, & offenſionis occaſio.

Tertiæ Rationis nego Antecedens. Probationis Majorem diſtinguo. Diſtinctio realis in tertio per hoc explicatur, quòd ſit identitas ſumma poſitivè, Eſſentiæ, & Perſonarum cum diſcrepantia in tertio prædicato. Concedo Majorem. Quòd ſit identitas ſumma excluſivè, Eſſentiæ, & Perſonarum cum diſcrepantia in tertio prædicato. Nego Majorem, & diſtinguo Minorem. Atqui identitas ſumma poſitivè cum diſcrepantia in tertio prædicato involvit repugnantiam in ipſis terminis. Nego Minorem. Atqui identitas ſumma excluſivè cum diſcrepantia in tertio prædicato involvit repugnantiam in terminis. Omitto hanc partem diſtinctæ

ctæ Minoris, & nego Consequentiam, ac dico: Identitatem summam posse accipi vel pro identitate summa positivè, & comparativè ad alias identitates, quibus in ratione identitatis est major, & perfectior; vel pro identitate summa exclusivè, hoc est, taliter summa, ut excludat omnem distinctionem in quibuscunque prædicatis. Licèt ergo sit contradictio in terminis, aliquam identitatem esse summam exclusivè, & tamen illam stare cum discrepantia in aliquo prædicato; nihilominus aliquam identitatem esse summam positivè, perfectissimam, comparatè ad alias identitates, & eandem identitatem stare cum discrepantia in tertio prædicato, non est ulla contradictio in terminis. Sicut Essentiæ Divinæ unitatem esse summam positivè, eámque stare cum multiplicitate Personarum, non est contradictio in terminis. Porrò Distinctio illa à Perez admissa, per hoc ab eodem definitur, quòd sit summa positivè identitas Essentiæ cum Personis, cum discrepantia ab una illarum in tertio prædicato, hoc est, quòd sit identitas realis immediata, per quam omnes perfectiones DEI simpliciter simplices communicantur omnibus, & singulis Personis cum discrepantia, seu distinctione unius Personæ ab alia. Seu quòd sit identitas intensiva adæquata, ex vi cujus Essentia verè affirmatur de omnibus, & singulis Personis, & hæ vicissim verè affirmantur de Essentia, itá ut Essentia non sit distincta ab aliqua Persona, nisì fortè ratione alterius diversæ Personæ, si secundùm eandem sumatur. Non explicatur verò à Perez Distinctio realis in tertio inter Essentiam, & Personas per Identitatem summam exclusivè, quæ nimirum excludat distinctionem quamcunque inter prædicata identificata Essentiæ etiam inter prædicata Relativa; hoc est, quæ excludat distinctionem etiam inter Personas Divinas, quâ à se distinguuntur. Taliter enim summa identitas est implicatoria. Ad eximendum scrupulum, qui habetur, vel haberi potest occasione termini: *Summa Identitas*, in definitione Distinctionis realis in tertio positi, & aliter intellecti, quàm intelligatur à Perez, & aliis. Distinctio illa, quæ ab his Authoribus inter Essentiam, & Personas admittitur, potest sic definiri: Est distinctio, ex vi cujus Essentia secundùm se, & ratione sui realiter adæquatè intensivè identificata Personis omnibus, & singulis, ab una Persona distinguitur ratione alterius, vel ratione aliarum Personarum.

Quartæ Rationis Major potest sic distingui. Implicat distinctio inter extrema, quæ dicat identitatem exclusivam omnis veræ negabilitatis unius extremi de altero, simulque dicat identitatem exclusivam veræ negabilitatis cujusvis prædicati uni extremo convenientis de altero extremo. Concedo Majorem. Implicat distinctio inter extrema, quæ dicat identitatem exclusivam omnis veræ negabilitatis unius extremi de altero, non tamen dicat identitatem exclusivam veræ negabilitatis prædicati uni extremo convenientis, de altero extremo. Nego Majorem, & Minorem distinguo. Sed Distinctio inter Essentiam, & Personas dicit identitatem exclusivam omnis veræ negabilitatis unius extremi de altero, omnisque veræ negabilitatis cujuscunque prædicati uni extremo convenientis de altero. Nego Minorem. Sed distinctio inter Essentiam, & Personas dicit identitatem exclusivam omnis veræ negabilitatis unius extremi de altero, non tamen veræ negabilitatis cujuscunque prædicati uni extremo convenientis de altero extremo. Concedo Minorem, & nego Consequentiam, & dico: Licèt distinctio à Personis dicat identitatem exclusivam veræ negabilitatis unius extremi de altero, quatenus Essentia non est negabilis de ulla Persona, nec Persona est negabilis de Essentia; falsum enim est dicere: *Essentia non est Pater*; falsum itèm est dicere: *Pater non est Essentia.* Hæc tamen distinctio dicit negabilitatem prædicati de uno extremo, quod verè affirmatur de altero. Siquidem Essentia itá est idem cum Persona Patris, ut prædicatum generantis, quod verè affirmatur de Patre, sit verè negabile de Essentia. Quæ negabilitas prædicati, vel prædicatorum uni extremo convenientium de altero, fundat veram distinctionem eorundem extremorum, non quidem realem immediatam, quæ requirit, ut unum extremum secundùm se, & secundùm sua præcipua, & propria prædicata sit negabile de altero, sed fundat distinctionem realem in tertio, seu mediatam. Certè si negabilitas unius extremi de altero, dicit veram distinctionem talium extremorum, non est ra-

ratio, quare negabilitas prædicati alicujus, uni extremo convenientis de altero extremo, non ſit diſtinctio vera, licèt diverſæ rationis ab illa Diſtinctione, quæ eſt inter extrema de ſe ſimpliciter negabilia. Eadem Major poteſt ſic diſtingui: Implicat diſtinctio realis immediata inter extrema, quæ dicunt identitatem excluſivam negabilitatis veræ. Concedo Majorem. Implicat Diſtinctio realis in tertio vel mediata, vel alio nomine dicta inter extrema quæ dicunt identitatem excluſivam veræ negabilitatis. Nego Majorem. Omiſsâ deinde Minore, Diſtinguo Conſequens: Ergo inter Eſſentiam & Perſonas implicat Diſtinctio realis immediata. Concedo Conſequentiam. Implicat Diſtinctio realis in tertio ſeu mediata. Nego Conſequentiam. Et dico: licèt implicet diſtinctio realis immediata, ſinè vera negabilitate extremorum de ſe invicem, tamen non implicat Diſtinctio realis in tertio, ſeu mediata, ſinè tali negabilitate. Imò ejuſmodi diſtinctio eſſentialiter debet excludere talem negabilitatem. Cùm enim eſſentialiter dicat & ſupponat identitatem immediatam realem ſuorum extremorum, nimirum Eſſentiæ cum Perſonis, ex vi cujus Eſſentia, eſt verè affirmabilis de omnibus & ſingulis Perſonis, & Perſonæ ſunt verè affirmabiles de Eſſentia. Hoc ipſo eadem diſtinctio dicit & ſupponit identitatem excluſivam veræ negabilitatis unius extremi de altero; hoc eſt Eſſentiæ de Perſonis, & è contra, ſolúmque ſtat cum negabilitate alicujus prædicati, uni extremo convenientis de altero extremo. Poteſt deinde omiſſa Majore negari Minor & dici: quòd licèt Eſſentia ſecundùm ſe ſumpta non ſit verè negabilis de Paternitate, Eſſentia tamen ſumpta ſecundùm Filiationem, ſit verè negabilis de Paternitate. Cùm enim Filius ſit verè negabilis de Patre, etiam Eſſentia ſumpta ſecundùm Filium, eſt verè negabilis de Patre; ſeu quod in re eſt: hæc duo complexè, ſeu ſimul ſumpta: Eſſentia & Filius bene negantur de Patre. Cæterùm Eſſentia non ſecundùm ſe ſumpta diſtinguitur realiter mediatè à Patre, ſed Eſſentia ſumpta ſecundùm Filium tali diſtinctione diſtinguitur ab eodem Patre.

Quintæ Rationis nego Antecedens. Ad Probationem dico: inter Eſſentiam eo modo ſumptam, quo ſumi debet ut cenſeatur eſſe diſtincta realiter in tertio à Perſonis, & inter Perſonas dari alietatem adjectivam ſed mediatam. Illa enim alietas mediata, eſt alietas ratione Perſonarum, quæ eſt alietas adjectiva. Et ſic inter Eſſentiam ſumptam ſecundùm Filiationem, & inter Patrem eſt alietas adjectiva. Quia eſt alietas ratione Perſonarum Patris & Filii, à ſe realiter diſtinctarum.

Sextæ Rationis nego Conſequentiam. Probationem diſtinguo: Eſſentia tantùm identificatur intenſivè Perſonis, quantùm ſibi ipſi. Concedo Probationem. Tantùm identificatur extenſivè Perſonis, quantùm ſibi ipſi. Nego Probationem. Eſſentia enim omnibus Perſonis identificatur adæquatè extenſivè, ſingulis identificatur inadæquatè extenſivè. Eſſentia verò ſibi ipſi nullatenus identificatur extenſivè, ſumendo hos terminos in ea, quam habent, ſignificatione. Eſſentiam enim identificari extenſivè alicui, eſt Eſſentiam extendi per identitatem, ad prædicata Relativa, ac ipſam ſumi ſecundùm extenſionem ad talia prædicata. Cùm ergo Eſſentia, prout ſibi eſt identificata, non ſumatur ſecundùm extenſionem ad ulla prædicata Relativa, ideo Eſſentia non identificatur ſibi ipſi extenſivè, ſed ſolùm intenſivè. Quia identificatur ſibi ipſi ſumptæ ſecundùm prædicata neceſſaria abſoluta toti Trinitati communia. Quod eſt identificari ſibi ipſi intenſivè.

165. Ad ſecundum Reſpondeo: Primæ Rationis ſequelam & Probationis Antecedens negando, ac dico: Deitatem, quæ diſtinguitur à Patre, Deitatem quæ diſtinguitur à Filio, Deitatem, quæ diſtinguitur à Spiritu S. eſſe unam eandémque realiter identicè & ſecundùm ſe Deitatem. Neque ad hoc, ut ſit diſtincta Deitas à Patre, aut à Filio, aut à Spiritu Sancto, in ipſa Deitate debet dari multiplicitas & diverſitas, ſed ad hoc ſufficit diverſitas in ſolis Perſonis, ſecundùm quas ſumi illam eſt neceſſe, ut diſtinguatur realiter in tertio. Ut enim diſtinguatur à Patre, ſumitur Deitas prout eſt in Filio; ut diſtinguatur Eſſentia ſeu Deitas à Filio, ſumitur eadem Eſſentia prout eſt in Patre; ut diſtinguatur à Spiritu Sancto, ſumitur prout eſt in Patre & in Filio. Licèt

cèt verò inter Eſſentiam prout eſt in Patre, & inter Eſſentiam prout eſt in Filio,& inter Eſſentiam, prout eſt in Spiritu Sancto, ſit aliqua diverſitas, hæc tamen diverſitas, non eſt diverſitas quoad Eſſentiam ſecundùm ſe & ratione ſui ſpectatam, ſed tota diverſitas eſt in Perſonis. Sicut licèt inter animam hominis prout eſt in oculo, & inter eandem animam prout eſt in aure ſit aliqua diverſitas, ex vi cujus, verè dici poteſt: anima prout eſt in oculo videt, prout eſt in aure non videt; tamen in ipſa anima hominis, ſecundùm ſe ſpectata, nulla eſt diverſitas, ſed tota diverſitas eſt in oculo & aure. Unde ulteriùs ſequitur: ſicut non dantur plures animæ in homine propter diverſitatem in ſenſuum organis & membris, ſecundùm quæ ſumi poteſt, itá in DEO non dantur plures Deitates propter diverſitatem Perſonarum, ſecundùm quas eadem Deitas ſumi poteſt. Sed neque ſequitur dari tres Eſſentias Relativas; nam etiam per has intelliguntur tres Eſſentiæ ſecundùm ſe diverſæ in tribus Perſonis diſtinctis; ùt dictum eſt, dum oppugnaretur error Abbatis Joachimi. Adverto hac ratione non oppugnari eum qui defenderet Diſtinctionem realem in tertio, ex vi cujus Eſſentia ſecundùm omnes ſimul Perſonas ſumpta diceretur diſtingui à ſingulis. Tunc enim, ſiquidem Eſſentia nec ſecundùm ſe, nec ſecundùm tertium prædicatum, in quo diſtingueretur à ſingulis Perſonis, eſſet multiplex. Non poteſt dici, quòd alia eſſet Deitas prout diſtincta à Patre, alia Deitas prout diſtincta à Filio, alia Deitas prout diſtincta à Spiritu Sancto. Confirmationem primam diſtinguo: Non eadem omnino eſt Eſſentia, quæ diſtinguitur à Patre &c. cum Eſſentia quæ diſtinguitur à Filio, & cum Eſſentia, quæ diſtinguitur à Spiritu S. Si Eſſentia ſumatur ſecundùm ſe; Nego Confirmationem. Non eadem omnino eſt Eſſentia, quæ diſtinguitur à Patre, cum Eſſentia, quæ diſtinguitur à Filio, &c. Si hæc ſumatur ſecundùm prædicata, in quibus diſtinguitur à Patre aut à Filio, ſubdiſtinguo: itá, ut etiam tunc, dum ſic ſumitur tota ſit diverſitas in prædicatis diverſis Relativis, ſecundùm quæ ſumi ſupponitur. Concedo. Itá ut tunc ſit diverſitas tam in Eſſentia ſecundùm ſe, quàm in prædicatis Relativis, ſecundùm quæ diſtinguitur. Nego Confirmationem. Secundæ Confirmationis nego Minorem, & dico. Patrem eſſe DEUM eâ Deitate, quæ eſt in Patre, quæ eſt in Filio, quæ eſt in Spiritu S. Hæc enim in omnibus his Sanctiſſimis Perſonis, una eadémque eſt. Nego tamen Patrem eſſe DEUM Deitate, prout eſt in Filio, vel Deitate prout eſt in Spiritu Sancto. Hæ enim propoſitiones reduplicativæ ſenſum faciunt, & per ſequentes propoſitiones exponi videntur: *Pater eſt DEUS, & ratio formalis per quam eſt DEUS, eſt Filiatio.* Vel: *Pater eſt DEUS & per Deitatem & Filiationem ſimul.* Quæ propoſitiones cum ſint falſæ, falſa etiam propoſitio illa reduplicativa: *Pater eſt DEUS per Deitatem prout in Filio*; quæ per illas exponentes exponitur. Alius ſenſus eſt propoſitionum non reduplicativarum: *Pater eſt DEUS Deitate quæ eſt in Patre; Filius eſt DEUS Deitate quæ eſt in Filio*, &c. Senſum enim faciunt: quòd Pater ſit DEUS Deitate ſecundùm ſe, quæ identificatur Patri; Filius eſt DEUS, Deitate ſecundùm ſe, quæ identificatur Filio, &c. Et quia Deitas ſecundùm ſe una eadémque identicè eſt in Patre, & Filio, & Spiritu S. ideo Pater itá eſt DEUS, Deitate quæ eſt in Patre, ut hoc ipſo ſit DEUS Deitate quæ eſt in Filio & Spiritu Sancto. Filius etiam itá eſt DEUS Deitate quæ eſt in Filio, ut hoc ipſo ſit DEUS Deitate quæ eſt in Patre & Spiritu S. Pariter Spiritus S. eſt DEUS Deitate quæ eſt in Patre, quæ eſt in Filio, quæ eſt in Spiritu S. Hinc verò ulteriùs patet, non bene propoſitiones reduplicatas cum non reduplicatis confundi, & pro iiſdem accipi. Nec bene argui à propoſitionibus reduplicativis ad non reduplicativas vel è contra. Licèt autem Pater non ſit DEUS Deitate prout eſt in Filio, nec Filius ſit DEUS Deitate prout eſt in Patre, ſítque diverſitas aliqua inter Deitatem prout eſt in Patre, & inter Deitatem prout eſt in Filio, tamen hæc diverſitas nullatenus eſt in Deitate ſecundùm ſe & ratione ſui, ſed tota eſt penès Perſonas & ratione Perſonarum, quæ reduplicantur. Sicut licèt diverſitas ſit aliqua inter animam hominis prout eſt in oculo, & inter animam ejuſdem prout eſt in aure, tamen hæc diverſitas nullatenus eſt in anima ſecundùm ſe, ſed ſolùm tota diverſitas eſt in

in oculo, & aure, quæ reduplicantur. Adeóque ſicut animæ hominis multiplicitas non rectè infertur ex diverſitate illa, qua dicitur anima, prout eſt in oculo, eſſe diverſa ab anima, prout eſt in aure; ità nec Deitatis multiplicitas bene infertur ex diverſitate, quæ dicitur eſſe inter Deitatem, prout eſt in Patre, & inter Deitatem, prout eſt in Filio. Secunda Ratio multum probat: Probat enim, non admiſſa etiam Diſtinctione reali in tertio debere adhuc dari in DEO Quaternitatem. eámq; ab Objiciente debere admitti. Nam cùm Perſonæ Divinæ poſſint accipi jam ſingillatim, jam omnes ſimul; cùm etiam diſtinguantur à ſe invicem non ſolùm ſingillatim acceptæ, ſed & omnes ſimul diſtinguantur ab unaquaque illarum, ſequitur, in DEO dari quatuor prædicata realiter à ſe diſtincta, quorum unum eſt Pater, alterum eſt Filius, tertium eſt Spiritus S. quartum omnes hæ tres ſimul Perſonæ. Adeóque ſequitur adhuc dari in DEO quaternitatem independenter à Diſtinctione reali in tertio. Adeóque etiam negata hac Diſtinctione, ſi ſubſiſtat ratio Objicientis, quaternitatem in DEO admitti debere. Directè nego ſecundæ hujus Rationis ſequelam. Probationem diſtinguo: Dantur in DEO quatuor prædicata diſtincta diſtinctione reali immediata, & adæquata. Nego Probationem. Dantur in DEO quatuor prædicata diſtincta realiter, ex quibus tria nonniſi ſunt diſtincta realiter immediatè, & adæquatè, quatenus nullum dicit, & includit aliud, quartum verò eſt diſtinctum mediatè, & inadæquatè. Concedo Probationem, & dico: Quaternitatem propriè dictam à Conciliis damnatam eſſe illam, quæ in DEO adſtruebatur à quibuſdam Hæreticis, volentibus in DEO dari quatuor res, vel prædicata realiter immediatè adæquatè à ſe diſtincta. Talia prædicata dicebat eſſe Gilbertus Porretanus tres Perſonas Divinas à ſe realiter immediatè diſtinctas, & quartum prædicatum Eſſentiam Divinam, quam etiam docuit erroneè à tribus Perſonis eſſe realiter immediatè, & adæquatè diſtinctam. Non eſt verò Quaternitas propriè dicta, & damnata ſi tria quidem prædicata, nimirum tres Divinæ Relationes diſtinguantur à ſe realiter immediatè; quartum autem prædicatum, nimirum Eſſentia, diſtinguatur realiter mediatè, & inadæquatè, idque ſic diſtinguatur ratione alicujus ex tribus aliis prædicatis. Ob hanc rationem non eſt pariter quaternitas propriè dicta, quam conſtituunt tres Perſonæ ſingillatim ſumptæ, & per modum quarti prædicati eædem omnes Perſonæ ſimul acceptæ. Hæ enim ſimul acceptæ à ſingulis Perſonis diſtinguuntur realiter inadæquatè. Hinc ad ulteriorem Probationem dicendum eſt: Non intellecta Spiratione paſſiva non eſſe tria prædicata eo modo realiter diſtincta, quo debent eſſe diſtincta, ut ſint propriè dicta. *Trinitas*, quia non ſunt tria prædicata realiter immediatè diſtincta. Eſſentia enim, quæ dicitur eſſe unum prædicatum, non eſt realiter immediatè diſtinctum à duobus aliis, nimirum à Paternitate, & Filiatione, & ità, ut prout diſtincta non dicat unum ex iſtis. Quare ſi ad talia prædicata addatur Spiratio paſſiva tanquam quartum prædicatum, non conſurget hinc quaternitas propriè dicta. Tertia etiam ratio ab ipſo Objiciente ſolvenda eſt. Quare enim etiam ſecundùm ipſum non datur quinqueitas, & ſexeitas? Siquidem in hunc numerum poſſunt venire quinq; imò, & ſex prædicata realiter diſtincta, quæ dari ipſe negare non poterit? Si enim ad tres Perſonas ſingillatim acceptas addantur omnes ſimul Perſonæ, & iterum ſi addantur duæ ſimul Perſonæ Pater, & Filius, habebuntur quinque prædicata realiter à ſe diſtincta, ad quæ ſi addantur duæ ſimul aliæ Perſonæ, v. g. Filius, & Spiritus S. erunt prædicata ſex realiter diſtincta. Quod ſi ſecundùm Objicientem per talem numerationem non datur quinqueitas, nec ſexeitas, non dabitur quoque quinqueitas, & ſexeitas, ſi Eſſentia prout diſtincta à Patre ſumatur jam ſecundùm eſſe Filii, jam ſecundùm eſſe Spiritûs S. diviſim, jam ſecundùm has duas Perſonas, jam ſecundùm omnes. Directè Reſpondeo: Admiſſa Diſtinctione reali in tertio, ex ea ratione non dari quinqueitatem, vel ſexeitatem, ex qua ratione quaternitatem non dari dictum eſt proximè in ſoluione Rationis ſecundæ. Nimirum, quia ex prædicatis quinque, aut ſex, quæ enumerantur, tria nonniſi ſunt prædicata realiter immediatè, & adæquateè à ſe diſtincta, Pater, Filius, & Spiritus S. quæ etiam Trinitatem in DEO conſtituunt, reli-

liqua alia prædicata sunt realiter, sed mediatè, & inadæquatè distincta. Alteram etiam sequelam ejusdem Rationis nego. Nimirum nego admissa Distinctione reali in tertio dari hoc ipso debere distinctionē in quarto, in quinto, in sexto. Tum quia, ut Essentia censeatur distingui realiter ab aliquo prædicato Relativo, hæc essentialiter prædicata requiruntur, & sufficiunt: Unum *Essentia*, quæ dicitur distingui, alterum prædicatum *Persona*, v. g. Paternitas, à qua dicitur distingui, tertium prædicatum alia diversa Persona, v. g. Filiatio, in qua Essentia distinguitur. Alia omnia prædicata, quæ possunt assignari, ultra hæc tria, impertinenter se habent ad hoc, ut Essentia censeatur distingui à Patre, v. g. Quare distinctio in quarto, in quinto, in sexto, est frivola, & impertinens. Tum quia ex eo, quòd Essentia possit sumi jam secundùm hoc prædicatum Relativum, jam secundùm aliud, jam secundùm unum singillatim, jam secundùm duo simul, jam secundùm omnes Personas simul. Quòd inquam Essentia possit ità sumi, ut censeatur distingui à Paternitate, ab eáque defacto distinguatur Essentia, vel prout est in Filio, vel prout est in Spiritu S. vel prout est in omnibus Personis, vel prout est in duabus, sequitur solùm tertium prædicatum non esse unum omnino, idémque semper, & determinatum, sed ex pluribus, quæ enumerantur, aliquod indeterminatè sufficere, ità ut si Essentia secundùm hoc sumatur, non sit necesse sumi illam secundùm aliud. Nullatenus verò sequitur, nisi de voce litigetur, Essentiam ab una, eadémque Persona distingui non solùm in tertio, sed etiam in quarto, in quinto, in sexto. Cùm quæcunque prædicata assignabuntur, Essentia secundùm illa semper sumetur, tanquam secundùm tertium prædicatum. Tum quia, ut detur distinctio in quarto, deberet illa esse talis, quæ essentialiter requirat quatuor prædicata, eáque talia, quæ in ordine ad distinctionem diversam rationem habeant, & diversum munus exerceant; ut itèm detur distinctio in quinto, deberet talis distinctio essentialiter requirere quinque prædicata, diversam rationem habentia, per ordinem ad ipsam distinctionem, seu diversum munus exercentia. Sicut ideo datur distinctio realis in tertio, quia datur, & debet dari talis distinctio, quæ tria prædicata realiter distincta requirit essentialiter, eáque talia, quæ in ordine ad ipsam illam distinctionem, diversam rationem, & munus exercent. Unum prædicatum, nimirum *Essentia*, exercet, & habet hoc munus, quòd sit id, quod distinguitur; alterum prædicatum, nimirum *Paternitas*, hoc munus exercet, & habet, quòd ab illa distinguatur Essentia; tertium prædicatum, hoc est *Filiatio*, hoc munus exercet, quòd in illa, & secundùm illam Essentia distinguatur à Paternitate, quæ secundùm se, realiter ab eadem distingui non potest. Atqui non datur talis distinctio, quæ essentialiter requirat quatuor prædicata, eáque talia, quæ in ipsa illa distinctione diversam rationem habeant, & diversum munus exerceant. Non datur pariter distinctio, quæ essentialiter requirat quinque prædicata, quorum sint diversæ rationes, & munera in ordine ad ipsam distinctionem, & sic de cæteris. Quacunque enim assignata distinctione, non assignabitur ulla efficax ratio, ex vi cujus quatuor illa, aut quinque prædicata essentialiter requirantur; nec assignabuntur pro his prædicatis quatuor, aut quinque munera diversa, pertinenter se habentia ad distinctionem, & essentialiter requisita, quæ exerceant. Quæ enim illa munera erunt? & quæ ratio evincit quatuor, aut quinque prædicata essentialiter requiri in ordine ad distinctionem Essentiæ ab aliqua Persona? & quòd hæc prædicata totidem munera diversa exerceant? Ergo. Adverto hac Adversariorum ratione, non rem nomine distinctionis realis in tertio significatam, sed nomen ipsum, ac vocem oppugnari. Siquidem hæc ratio nullam vim obtinet, si quis abstineat à nomine distinctionis realis in tertio, talémque admittat, & defendat distinctionem, qua Essentia distinguatur ab una Persona, in alia, vel aliis Personis. Quarta pariter Ratio non rem, sed nomen distinctionis realis in tertio impugnat, verùm nec illud efficaciter. Nego enim Minorem ejusdem Rationis. Probationem distinguo. Deberent Essentia, & Paternitas supponi tanquam duo, in se immediatè, & ratione sui distincta. Nego sequelam. Deberent Essentia, & Paternitas supponi tanquam duo, non secundùm se, sed in alio, hoc est, in tertio distincta, ta-

taléque tertium deberet esse Filius. Concedo sequelam. Minor pariter distinguenda: Licèt enim Essentia, & Paternitas non sint duo realiter immediatè, & ratione sui à se distincta, sed unum, idêmque per identitatem realem immediatam. Essentia tamen sumpta cum Filiatione, & secundùm Filiationem, ac Paternitas sunt duo distincta realiter ratione illius, cum quo, & secundùm quod Essentia sumitur, hoc est, ratione Filiationis. Quod ulteriùs additur, pariter distinguo: Si Essentia, & Paternitas essent duo immediatè, & ratione sui distincta, deberent esse duo pro priori, antequam intelligeretur tertium. Omitto hanc Distinctionis partem. Nulla enim efficax ratio suadet, si aliqua tria sint à se immediatè distincta, duo ex illis pro priori debere esse distincta, antequam intelligatur tertium. Pro quali enim priori deberent esse distincta? & cur non possunt omnia tria distincta esse simul ità, ut nulla sit inter ea prioritas, nisi fortè numerationis. Si Essentia, & Paternitas essent duo non immediatè, & ratione sui, sed mediatè, & ratione alterius, scilicet ratione tertii distincta, deberent, dico, pro priori esse, antequam intelligeretur tertium. Nego hanc Distinctionis partem. Quomodo enim aliqua possunt intelligi distincta, antequam intelligatur illud, ratione cujus nonnisi sunt distincta. Cùm ergo Essentia, & Paternitas sint distincta non ratione sui, sed ratione Filiationis, secundùm quam Essentia sumitur, prout est distincta à Paternitate, Essentia, & Paternitas non possunt intelligi distincta realiter, antequam intelligatur Filiatio, ratione cujus illa duo, Essentia, & Paternitas sunt distincta. Adverto: hoc Argumento aliquando Theologos nonnullos evincere voluisse, quod Distinctio realis in tertio admitti, & defendi non possit, nisi simul admittatur distinctio aliqua immediata Essentiæ à Personis, sive virtualis intrinseca, sive formalis ex natura rei. Hoc tamen Argumentum, quàm inefficax sit, patet ex data solutione ejusdem. An ex aliis Rationibus talis distinctio admitti debeat, constare potest ex dictis à numero 152. ad numerum 158. inclusivè, & constabit ampliùs ex dicendis. Postremæ Rationis nego Minorem, & Probationis Antecedens; aut certè idem Antecedens distinguo: Extrema Distinctionis realis in tertio, quâ v. g. Essentia distinguitur à Patre in Filio, non dantur realiter & nemine cogitante, hoc est, non accipiuntur independenter à præcisione, quâ unum præscinditur ab aliis, quibus identificatur. Concedo Antecedens. Extrema Distinctionis realis in tertio, quâ Essentia distinguitur à Patre in Filio, non dantur realiter, hoc est, non habent esse verum reale, secundùm quod distinguantur realiter. Nego Antecedens, & dico: Distinctionis, quâ Essentia distinguitur à Patre in Filio, non esse talia extrema, nec taliter sumi, ut excludant præcisionem, seu cognitionem præcisivam unius prædicati ab aliis Siquidem unum extremum, v. g. *Essentia*, potest sumi, vel sumitur secundùm unum prædicatum sibi identificatum, scilicet secundùm *Filiationem*, cum præcisione ab aliis prædicatis, nimirum à Paternitate, & Spiratione passiva. Eadem tamen extrema sunt realia, & dantur à parte rei, & sunt extrema Distinctionis realis eo sensu, quod habeant esse verum reale, & sunt res vera, taliáque sunt extrema, quibus nihil deest, ut distinguantur realiter. Nam imprimis Essentia etiam secundùm unam singillatim Personam, v. g. secundùm Filiationem accepta, est una summa Res, juxta Concilii Lateranensis definitionem. Adeóque habet esse verum reale. Pater quoque, à quo dicitur distingui Essentia, habet itidem esse verum reale, secundùm quod realiter distinguitur à Filio, ac etiam ab Essentia sumpta in Filio. Nec quidquam officit Distinctioni, quò minùs sit realis, quòd sit inter talia extrema, quæ, licèt sint realia, tamen unum sinè præcisione ab alio non sumitur. Tum quia etiam Essentiæ non officit, quò minùs sit res vera, quòd ità sit omnes simul Personæ, ut simul sit unaquæque illarum singillatim. Adeóque quòd possit sumi cum una Persona, quomodo si sumatur, sumitur cum præcisione ab aliis Personis. Tũ quia secundùm Fidem Pater distinguitur realiter à Filio, quamvis Pater sumatur cum præcisione ab Essentia, secundùm quam non distinguitur à Filio.

166. Ad tertium Respondeo: Primæ Rationis nego Minorem cum sua Probatione, quæ non satis cautè videtur proposita. Pater enim non bene dicitur medium, ratione cujus, seu quo mediante,

Na-

Natura identificatur Filio. Hæc ſiquidem immediatè, & ratione ſui identificatur Filio, ùt Fides docet. Per hoc verò, quòd Pater generet Filium, ſibi conſubſtantialem, ſeu ejuſdem ſecum Subſtantiæ, & Eſſentiæ, Pater eſt ſolùm principium productivum Filii, habentis identitatem immediatam cum Eſſentia; non eſt verò medium, quo mediante Filius identificatur Eſſentæ, nisì valde impropriè. Per medium enim propriè tale intelligitur ratio illa, ex vi cujus formaliter, & quaſi in genere principii formalis, unum dicitur identificari alteri, qualis ratio non eſt Pater reſpectu Filii. Neque enim Filius identificatur Eſſentiæ per Patrem, tanquam per rationem formalem identitatis, ſed potiùs Pater eſt ratio formalis, & habet ſe per modum talis Rationis, ex vi cujus Eſſentia ſumpta ſecundùm Patrem, & prout eſt in Patre, diſtinguitur à Filio. Secundæ Rationis Majorem diſtinguo: Quod ab alio ſibi realiter immediatè identificato diſtinguitur ratione prædicati ſibi itidem realiter identificati, ſimul tamen ab illo ipſo alio realiter diſtincti, illud non diſtinguitur mediatè, ſed immediatè. Nego Majorem. Quod diſtinguitur ab alio non identificato ſibi realiter, idque diſtinguitur ratione prædicati ſibi realiter identificati, illud non diſtinguitur mediatè, ſed immediatè. Concedo Majorem. Diſtinguo itèm Minorem. Sed Eſſentia ratione Patris diſtincta à Filio, diſtinguitur à Filio ſibi realiter immediatè identificato ratione prædicati, nimirum ratione Patris ſibi realiter immediatè identificati, ſimul tamen realiter immediatè diſtincti à Filio. Concedo Minorem. Sed Eſſentia ratione Patris diſtincta à Filio, diſtinguitur à Filio non identificato ſibi realiter, ratione prædicati, nimirum Patris ſibi realiter identificati, &c. Nego Minorem, & Conſequentiam, & dico: Diſtingui aliquid ratione prædicati ſibi realiter identificati, non eſt univerſaliter diſtingui immediatè, & ratione ſui. Sicut unum identificari alteri ratione prædicati ſibi realiter identificati, non eſt univerſaliter identificari immediatè, & ratione ſui. Pater enim non identificatur immediatè Filio, etiamſi Pater ratione prædicati ſibi realiter identificati, nimirum ratione Eſſentiæ identificetur Filio. Ad diſtingui igitur immediatè plùs requiritur: nimirum requiritur, ut aliquid diſtinguatur ratione prædicati ſibi realiter identificati, ab extremo non identificato ſibi realiter. Si enim diſtinguatur ratione prædicati ſibi realiter identificati ab extremo ſibi realiter identificato, quamvìs realiter diſtincto, ab illo prædicato, ratione cujus dicitur diſtingui, Diſtinctio hujuſmodi dicitur Diſtinctio mediata. Cùm ergo Eſſentia ratione Patris ſibi realiter identificati diſtinguatur à Filio ſibi itidem identificato, quamvìs diſtincto à Patre, hæc Diſtinctio eſt realis mediata, non immediata. Probationem Majoris diſtinguo. Diſtingui aliquid ratione prædicati ſibi realiter identificati, ſimul tamen diſtincti realiter ab alio prædicato ſibi itidem realiter identificato, eſt diſtingui ratione ſui, & immediatè. Nego Probationem. Diſtingui aliquid ratione prædicati ſibi realiter identificati, nec diſtincti ab alio prædicato ſibi realiter identificato, eſt diſtingui ratione ſui, & immediatè, Concedo Probationem.

Confirmationis Nego Conſequentiam. Diſparitas eſt: Quia cùm Eſſentia ſit realiter immediatè & ſimpliciter identificata Filio, non poteſt eſſe ab illo diſtincta nisì mediatè ratione alteriùs & minùs propriè. E contra eſſe Patris non eſt diſtinctum realiter immediatè à Deitate, & omnipotentia, ſed potiùs eſt indiſtinctum realiter & immediatè ab iiſdem prædicatis. Quare non eſt ratio, cur immediatè & ratione ſui eſſe Patris non ſit identificatum ipſi eſſe Divino & Omnipotentiæ, ſed quòd debeat eſſe & dici ratione alterius identificatum, præcipuè cum oſtendi non poſſit quidquam aliquomodo diverſum à Patre, ratione cujus Pater ſit idem cum Deitate, &c. Tertiæ Rationis conceſſo Antecedente. Nego Conſequentiam. Diſparitas hæc aſſignatur: quia ut Eſſentia Divina ratione Patris generet Filium, útque denominatio generántis Filium ratione Patris tribuatur Eſſentiæ Divinæ, nulla eſt neceſſitas, éſtque conformius Definitionibus Conciliorum, quòd Eſſentia etiam mediatè non generet. Concilia enim videntur univerſaliter negare, quòd Eſſentia, aliquo vero ſenſu generet aut generetur, aut procedat. E contra videtur eſſe neceſſitas, ut Eſſentia mediatè diſtinguatur à Patre, ut nimirum ſalventur contradictoria de Eſſentia & Perſo-

ſonalitatibus, quæ ſalvari non poſſunt niſi per Diſtinctionem. Nec repugnare videtur doctrinæ fidei & Conciliorum Diſtinctio aliqua à Perſonis v. g. mediata. Cùm enim non repugnet unam Perſonam diſtingui realiter ab alia v. g. Filium à Patre, imò repugnet illas non diſtingui; non repugnat quoque eidem Doctrinæ Eſſentiam ſumptam cum Perſona, ratione ejuſdem Perſonæ diſtingui ab altera Perſona. Alias eſſet myſterium novum, Filium diſtingui à Patre, & eundem Filium ſumptum cum Eſſentia, ac Eſſentiam ſumptam cum Filio, ratione ipſius Filii non diſtingui à Patre; quod myſterium non adſtruitur à Conciliis & Patribus. Cùm tamen myſteria, quæ Fides, Concilia, & Patres non adſtruunt, nec expreſsè docent, nullibi etiam in Sanctiſſima Trinitate multiplicari proprio cujuſque arbitratu debent. Probationis Conſequentiæ nego ſequelam cum ulteriori Probatióne ac dico: ut Eſſentia ratione unius prædicati Relativi diſtinguatur ab altero prædicato Relativo, ſufficit, quòd ipſa prædicata Relativa dicant oppoſitionem producentis, & producti. Non eſt autem opus, ut prædicata eſſentialia abſoluta dicant oppoſitionem producentis, & producti cum quopiam prædicato Relativo, ratione alterius prædicati itidem Relativi. Talis enim oppoſitionis, & denominationis non videntur eſſe capacia, nec talis oppoſitio admittenda eſt per Reverentiam Conciliorum. Illud, quod ulteriùs additur, diſtinguo: Unicum Argumentum, & indicium diſtinctionis realis immediatæ in Divinis eſt oppoſitio producentis, & producti. Concedo. Eſt argumentum, & indicium Diſtinctionis etiam mediatæ. Nego. Quartam Rationem diſtinguo. Hæc propoſitio: *Prædicata notionalia derivant mediatè ſuas virtualitates, formalitates, & denominationes in Naturam Divinam*; eſt propoſitio Cenſurata in ſenſu univerſali affirmativo. Concedo. In ſenſu quocunque particulari. Nego. Et dico: Hanc propoſitionem, quæ adducta eſt, eſſe Cenſuratam in ſenſu affirmativo; in hoc nimirum ſenſu: quòd prædicata notionalia in Naturam Divinam derivent quaſcunque ſuas virtualitates, & denominationes. Non eſt autem damnata, intellecta in aliquo ſenſu particulari affirmativo. Siquidem ex Fide certum eſt, quòd prædicata notionalia in Eſſentiam, ſeu Naturam derivent, ídque immediatè eſſe Patris, eſſe Filii, eſſe Spiritûs S. ut de Eſſentia verum ſit dicere: quòd ſit Pater, quòd ſit Filius, quòd ſit Spiritus S. hæ tres ſimul Perſonæ, & quælibet illarum ſingillatim. Poteſt quoque dici: quòd prædicatum diſtinctæ à Patre in Eſſentiam derivetur mediatè à Filio, quamvìs aliæ virtualitates, & denominationes adjectivè ſignificatæ non deriventur etiam mediatè à Perſonis in Eſſentiam. Cujus ipſius Ratio hæc eſt ſpecialis: Ut de diſtinctis aliquomodo verificentur contradictoria; quæ de Perſonis, & Eſſentia dicuntur ſecundùm Fidem, qualia contradictoria ſunt: generare, non generare; generari, non generari; non communicari, communicari, &c. Dici iterum poteſt, illam propoſitionem: *Prædicata notionalia derivant mediatè in Naturam ſuas virtualitates, formalitates, & denominationes*; eo ſenſu cenſuratam eſſe, quòd ità derivent illas, ut denominationes convenientes Perſonis verificentur de Natura ſecundùm ſe, & ratione ſui (prout exiſtimant aliqui Adverſarii, & videntur imponere noſtræ ſententiæ) non autem eo ſenſu, quòd denominationes prædicatorum notionalium ità deriventur mediatè in Eſſentiam, ut illi conveniant, & de illa verificentur, præcisè ratione prædicati notionalis, nullatenus ratione ſui, ſeu ratione prædicatorum eſſentialium ſecundùm ſe. Dici tandem poteſt omiſſa Majore, negando Minorem, nimirum negando, quòd prædicata notionalia in Eſſentiam derivent ſuas virtualitates, formalitates, & denominationes, admiſſa Diſtinctione mediata Eſſentiæ à Perſonis. Denominationes enim prædicatorum notionalium, ſeu Perſonarum Divinarum ſunt, quòd diſtinguantur realiter immediatè à ſe invicem, diſtinguantur ſimpliciter, & propriè diſtinctione excluſiva identitatis immediatæ unius Perſonæ cum alia, diſtinctione veræ negabilitatis unius Perſonæ ſecundùm ſe, de aliis. Quas denominationes prædicata notionalia non derivant etiam mediatè in Eſſentiam. Licèt enim ratione Perſonarum, Eſſentiæ, quædam prædicata, & denominationes conveniant, nimirum quòd Eſſentia ratione unius Perſonæ diſtinguatur ab alia mediatè; hæ tamen denominationes longè ſunt diverſæ à denominationi-

nibus, quæ sunt propriè prædicatorum notionalium, seu Personarum, ùt reflectenti se, facilè patet. Quintæ Rationis nego sequelam. Ad Probationem dico: Magnam esse differentiam inter Connotatistarum doctrinam, & inter doctrinam Repugnatorum Distinctionis realis mediatæ inter Essentiam, & Personas. Connotatistæ docent rem, seu denominationem secundùm se perire ad ablationem solius Connotati adæquatè distincti ab illa ipsa denominatione. Propugnatores distinctionis mediatæ inter Essentiam, & Personas nihil simile asserunt. Non docent enim Essentiam secundùm se distingui à Filio per hoc unicè, quòd Essentia sumatur cum Patre, qui Pater distinguitur à Filio, ità ut distinctio Essentiæ à Filio, adæquatè conveniat ipsi Essentiæ secundùm se; Pater verò habeat se per modum connotati extrinseci intrinsecè requisiti, respectu denominationis, qua Essentia denominatur distincta in Patre à Filio. Sed potiùs hi distinctionis mediatæ Propugnatores docent, Essentiam secundùm se indistinctam à Filio, distingui illam ratione Patris à Filio taliter, ut Pater denominationem Essentiæ distinctæ ratione Patris, ingrediatur constitutivè, & per modum rationis formalis. Sextæ Rationis nego illam Majorem. Essentia eo modo distinguitur à Filio, quo identificatur Filio. Oppositum asseritur à Propugnatoribus distinctionis mediatæ inter Essentiam, & Personas, & asseri omnino debet. Nimirum debet asseri, quòd longè alio, & diverso modo Essentia distinguatur à Filio, & non illo, quo identificatur eidem. Dùm inter eadem omnino extrema repugnat identitas, & distinctio ejusdem rationis. Siquidem identitas in aliqua ratione infert non esse distinctionis in eadem ratione, & distinctio infert non esse identitatis. Modus verò diversus identitatis, & distinctionis, quo Essentia identificatur Filio, & quo eadem Essentia distinguitur à Filio, in hoc stat: quòd Essentia immediatè, & ratione sui identificetur ipsi Filio tali identitate, ut Essentia secundùm se sit verè affirmabilis de Filio, & Filius sit verè affirmabilis de Essentia. Eadem verò Essentia, quò distinguatur mediatè à Filio, & ratione alterius, non distinguatur autem realiter immediatè, & ratione sui à Filio, non distinguatur itèm tali distinctione, ex vi cujus Essentia secundùm se sit verè negabilis de Filio, & Filius de Essentia, quamvis ex vi distinctionis mediatæ, de Essentia sumpta cum Patre, & secundùm esse Patris sit negabile prædicatum aliquod, quod verè dicitur de Filio.

167. Ad quartum Respondeo: Primæ Rationis Major potest imprimis negari. Licèt enim fundamentum Distinctionis realis inadæquatæ inter Essentiam, & Personas, ex quo hæc distinctio deducitur, sit illud, quod in Majore ponitur, tamen non in hoc stat ratio formalis Distinctionis realis inadæquatæ, qua Essentia, prout est in Patre, distinguitur à Filio, sed in hoc potiùs consistit, quòd Essentia, prout est in Patre, secundùm aliquid, quod per identitatem dicit, hæc denominatio sit idem cum Filio secundùm aliquid, quod itidem dicit per identitatem, non sit idem cum Filio. Hæc enim denominatio. Essentia, prout est in Patre, duo dicit, aliquomodo saltèm ratione diversa: Essentiam secundùm se, & Paternitatem, quorum unum, nimirum Essentia secundùm se, est idem cum Filio. Alterum, nimirum Paternitas, non est idem cum Filio, sed est distincta realiter à Filio. Eadem Major claritatis gratiâ potest sic distingui: In tantum Essentia distingueretur realiter inadæquatè à Filio, in quantum Essentia identificatur & Patri, & Filio, & Spiritui sancto; Filius autem non identificatur omni illi, cui identificatur Essentia per ly *In quantum*, afferendo fundamentum, ex quo deducitur Distinctio realis inadæquata. Concedo Majorem. Per ly: in quantum, afferendo rationem formalem Distinctionis realis. Nego Majorem. Eodem modo distincta Minore nego Consequentiam. Omissa tamen Majore potiùs neganda est Minor. Ad Probationem illius, quid sit dicendum, patet ex dictis num. 164. in Responsione ad Rationem quartam. Nimirum dicendum est, ut Essentia distinguatur realiter inadæquatè à Patre, v. g. non esse necesse, ut unum extremum, nimirum Essentia secundùm se, sit negabile de altero extremo, v. g. de Patre. Cùm enim distinctio inadæquata Essentiæ à Personis stet cum identitate immediata ejusdem Essentiæ cum Personis, ex vi cujus Essentia est verè affirmabilis de Personis, & Personæ de Essentia, Distinctio realis inadæquata Essentiæ à Per-

Personis non potest nec debet esse talis, ut ex vi illius Essentia secundùm se sumpta sit verè negabilis de Personis, & Personæ de Essentia. Sufficit itaque ad Distinctionem realem inadæquatam Essentiæ à personis, quod aliquod prædicatum unius extremi v. g. Patris, sit negabile de altero extremo, hoc est de Essentia; nimirum quòd prædicatum generantis conveniens Patri negetur de Essentia, sícque verum dicere: *Pater est generans*, *Essentia non est generans.* Talia enim extrema debent esse aliquomodo distincta. Siquidem prædicatum affirmabile de Parte, negabile de Essentia, non de eo ipso negatur, de quo affirmatur, sed de alio aliquomodo diverso. Et sic prædicatum: *generat*, quod affirmatur de Patre, non negatur verè de eodem ipso Patre, dum negatur de Essentia. Si enim prædicatum *generat*, de eodem affirmaretur & negaretur, perinde esset negare de Essentia, quòd generet, atque negare hoc ipsum de Patre. Ergo inter Essentiam & Patrem est aliqua alietas & diversitas. Ergo & Distinctio. Quæ numero 164. in Responsione ad Rationem quartam dicta sunt, omnia hic serviunt & dici possunt, utpote in solutionem ejusdem iterum repetitæ objectionis.

Secundam Rationem simpliciter nego & dico: Essentiam non solùm sumptam cum omnibus Personis distingui realiter inadæquatè ab una Persona, sed etiam Essentiam sumptam cum una Persona distingui realiter inadæquatè ab alia Persona. Distinctio tamen inadæquata, qua Essentia sumpta secundùm omnes Personas distinguitur ab una Persona, est aliquomodo diversa à Distinctione inadæquata, qua Essentia sumpta secundùm unam Personam, distinguitur ab alia. Illa enim Distinctio Essentiæ sumptæ secundùm omnes Personas ab una Persona, est duplex Distinctio realis inadæquata; una includentis & inclusi. Tres enim Personæ, secundùm quas Essentia sumitur sunt includens, una verò Persona, v. g. Pater, quæ est alterum ejusdem Distinctionis extremum, est inclusum. Altera Distinctio inadæquata, qua Essentia sumpta simul cum omnibus Personis, distinguitur ab una Persona, est Distinctio Extremorum habentium prædicatum sibi identificatum, commune, & simul habentium alia prædicata à se realiter distincta. Nam & Essentia sumpta cum omnibus simul Personis per identitatem realem dicit Essentiam secundùm se, & Pater, qui est alterum extremum, per identitatem realem immediatam, dicit eandem Essentiam secundum se. Insuper ex his extremis unum dicit omnes Personas, alterum dicit Personam Patris, quæ à se distinguuntur. Jam verò Distinctio, qua Essentia sumpta cum una Persona distinguitur realiter immediatè inadæquatè ab alia Persona, est nonnisì una Distinctio realis inadæquata, ídque est Distinctio Extremorum per identitatem realem immediatam dicentium unum idémque prædicatum commune, & duo prædicata realiter à se distincta. Nam & Essentia sumpta cum Patre (quomodo sumi potest) prout est distincta à Filio, dicit per identitatem Essentiam secundùm se, & Filius, qui est alterum Distinctionis extremum, dicit per identitatem realem immediatam, eandem Essentiam. Et insuper hæc extrema dicunt Personam Patris, & Personam Filii, à se realiter distinctas. Ad id, quod additur: Pater à Filio, non inadæquatè, sed adæquatè distinguitur, Respondeo cum distinctione: Distinguitur adæquatè per exclusionem identitatis immediatæ, ex vi cujus Pater sit verè affirmabilis de Filio, & Filius de Patre. Concedo assumptum. Pater à Filio distinguitur adæquatè, non inadæquatè per exclusionem identitatis in Natura utriusque hujus Personæ (identitas hæc vocatur mediata) Nego assumptum.

Tertiæ Rationis Antecedens, universaliter acceptum Nego. Vel certè distinguo: Distinctio realis inadæquata in Creatis, est distinctio realis immediata. Concedo Antecedens. Distinctio realis inadæquata quæcunque, etiam illa, quæ est inter Essentiam & Personas, est distinctio realis immediata & non mediata. Nego Antecedens & Consequentiam. Porrò inter Distinctionem realem inadæquatam in Divinis, & inter Distinctionem realem inadæquatam in Creatis, disparitas hæc primò est: Quia Distinctio inadæquata in Divinis inter Essentiam & Personas est simul summa identitas, seu identitas realis immediata Essentiæ secundùm se cum unaquaque Persona, eáque talis, ut ex vi illius Essentia sit verè affirmabilis de Personis;

nis; Hæc ergo Diſtinctio non poteſt eſſe Diſtinctio immediata. Diſtinctio enim immediata, cum ex vi illius extremum unum ſit verè negabile de altero, repugnat explicatæ identitati reali immediatæ, quia repugnat unum idémque extremum eſſe verè affirmabile & eſſe verè negabile de altero, eóque eodem omnino extremo. Eſt itaque dicta Diſtinctio mediata. E contra Diſtinctio realis inadæquata in Creatis non dicit talem identitatem immediatam, ex vi cujus unum extremum diſtinctum realiter inadæquatè ſit verè affirmabile de altero; nimirum non dicit identitatem immediatam, ex vi cujus totum ſit verè affirmabile de parte, aut pars de toto. Licèt verò eadem Diſtinctio realis inadæquata dicat aliquam identitatem, dicit tamen nonnisì identitatem inadæquatam, quæ non excludit Diſtinctionem immediatam inadæquatam. Hæc enim Diſtinctio non repugnat nisì illi identitati, ex vi cujus unum extremum, eſt verè affirmabile de altero. Altera Diſparitas eſt: Ideo Diſtinctio inadæquata inter Eſſentiam & Perſonas eſt & dicitur mediata, quia Eſſentia diſtinguitur à Filio non ratione ſui ſed ratione Patris diſtincti realiter à Filio, ut ſit ſimpliciter negabilis de Filio. Jam verò in creatis totum v. g. ratione ſui diſtinguitur realiter inadæquatè à Parte, & ratione ſui eſt ſimpliciter negabile de parte, non verò ratione alicujus prædicati ità realiter adæquatè identificati Toti, ut idem prædicatum ſit realiter adæquatè diſtinctum ab altero extremo, nimirum à parte.

Quarta Ratio eſt ſimpliciter neganda. Quare enim non identitas realis inadæquata inter Eſſentiam & Perſonas, non eſt diſtinctio realis inadæquata; cùm univerſaliter non identitas realis extremorum realium & poſitivorum, ſit diſtinctio realis eorundem, præſertim cum non obſtet quidquam ſpecialiter, ratione cujus non identitas realis inadæquata inter Eſſentiam & Perſonas non debeat eſſe diſtinctio realis. Quod ipſum poſitivè ſic evincitur: Alietas vera unius ab alio eſt vera Diſtinctio inter unum illud &aliud. Sed inter Eſſentiam ſumptam cum Patre & inter Filium, eſt vera alietas. Per unum ſiquidem idémque omnino verificativum, non poteſt verificari utrumque contradictorium. Sed Eſſentia ſumpta cum Patre, & Filius ſunt verificativa prædicatorum contradictoriorum. Nam Eſſ ntia ſumpta cum Patre, verificat hoc prædicatum: *non generatur*, Filius verò verificat alterum p æ-dicatum: *generatur*. Ergo.

Quintæ Rationis nego Sequelam cum ſua Probatione & dico: Licèt nulla ſi difficultas in eo, quòd aliqua duo, quæ ſunt inadæquatè identificata uni tertio, non ſint identificata ſecum, tamen eſt magna difficultas, & myſterium, quòd Perſona Patris & Perſona Filii identificetur cum Eſſentia Divina ab eaque diſtinguatur inadæquatè, ſuppoſita identitate immediata Eſſentiæ cum Perſonis, ex vi cujus Eſſentia eſt verè affirmabilis de ſingulis Perſonis, & ſingulæ Perſonæ ſint verè affirmabiles de Eſſentia. Identitas hæc veræ affirmabilitatis à Theologis vocatur: Identitas adæquata intenſiva. Identitas verò illa, per quam Pater & Filius dicuntur eſſe idem inadæquatè cum Eſſentia, eſt identitas inadæquata extenſiva. Neque hæc difficultas eſt lumine naturali ab intellectu Creato perceptibilis; cùm verò ab eodem cognoſcitur, cognoſcitur nonnisì ex lumine ſupernaturali fidei, & dependenter à Revelatione Divina.

Sextæ Rationis nego Sequelam: quare in DEO non detur Quaternitas admiſſa Diſtinctione reali inadæquata inter Eſſentiam & Perſonas, reſponſum habes numero 165. in Solutione Rationis ſecundæ. Ratio illa, qua contra Patrem Martinez deducebatur, debere ab eo admitti Quaternitatem in DEO, cùm ex ejus doctrina & principiis eruta fuerit, valuit contra eundem. Cùm enim P. Martinez docuerit eo modo identificari & diſtingui Eſſentiam à Perſonis, quomodo ſecundùm eundem identificantur & diſtinguuntur à ſe invicem Perſonæ Divinæ; ut facilè conſtare poteſt ex dictis numero 133. ſi tres Perſonæ ratione Diſtinctionis immediatæ inter ſe non obſtante identitate earundem immediata admiſta Diſtinctioni faciunt ſeu conſtituunt Trinitatem; etiam Eſſentia immediatè diſtincta à Perſonis non obſtante identitate immediata ejuſdem Eſſentiæ cum Perſonis, ſi addatur ad tres Perſonas, conſtituet Quaternitatem. Quæ ipſa Ratio non valet contra Propugnatores Diſtinctionis realis inadæquatæ inter Eſſen-

tiam & Personas, secundùm quos Essentia, longè diverso modo & insufficiente ad constituendam Quaternitatem distinguitur à Personis, & non eo modo, quo Personæ distinguuntur à se invicem.

Septimæ Rationis nego sequelam. Ad ulteriorem Probationem dico: Cùm de ratione perfectionis simpliciter simplicis, sit, quòd debeat esse melior ipsa, quàm non ipsa, id ità intelligi debet: quòd perfectio simpliciter simplex debeat esse melior quàm quæcunque alia perfectio distincta realiter ab ipsa tali distinctione ex vi cujus sit simpliciter negabilis de illa altera, cum qua comparatur, seu ex vi cujus sit non ipsa. Porrò nulla Persona Divina est hoc sensu melior quàm Omnipotentia, aut Essentia Divina. Quia imprimis non est simpliciter melior quàm omnipotentia. Nulla enim apparet ratio propter quam aliquod prædicatum Relativum sit melius quàm prædicatum absolutum Divinum. Nulla etiam Persona Divina est distincta realiter ab omnipotentia Divina tali distinctione, ex vi cujus sit simpliciter negabilis eadem Persona Divina de Omnipotentia, dicatúrque verè esse non ipsa. Siquidem Distinctio inadæquata Essentiæ Omnipotentiæ à Personis supponit & essentialiter dicit identitatem realem immediatam Essentiæ ipsiusque Omnipotentiæ cum Personis, ex vi cujus omnipotentia verè affirmatur de Personis, & Personæ verè affirmantur de omnipotentia.

Octavæ Rationes sequelam vel simpliciter nego vel distinguo: Si Pater æternus distingueretur realiter inadæquatè ab Essentia seu Deitate, distinctione exclusiva identitatis realis immediatæ & adæquatæ intensivè, ex vi cujus Essentia est verè affirmabilis de Personis, Pater æternus non esset DEUS. Concedo sequelam. Si Pater æternus distingueretur realiter inadæquatè à Deitate distinctione compatiente & essentialiter supponente vel dicente identitatem immediatam talem, ex vi cujus Essentia est verè affirmabilis de Personis, & è contra, eo ipso Pater æternus non esset DEUS, nego sequelam. Ad Paritatem de anima hominis dico: hanc non esse hominem. Quia tali distinctione inadæquata distinguitur ab homine, quæ non compatitur nec dicit talem identitatem immediatam anima cum homine ex vi cujus anima sit verè affirmabilis de homine, & homo de anima.

Nonæ Rationis Causali Majoris omissâ, quæ sic compleri deberet: Ex eo Essentia distingueretur inadæquatè à Paternitate, quia non soli Paternitati identificatur, sed etiam Filiationi, & secundùm hanc sumitur, dum intelligitur esse distincta à Paternitate; omissâ inquam Majoris Causali, Nego Minorem. Sequelam Probationis distinguo: sequeretur implicare multiplicem causam adæquatam exclusivè respectu unius ejusdémque effectûs. Concedo sequelam. Sequeretur implicare multiplicem causam adæquatam positivè respectu unius ejusdémque effectûs. Nego sequelam. Ulteriorem Probationem pariter distinguo: Quælibet ex illis causis esset inadæquata positivè eo ipso, quòd non sola causaret. Nego Probationem. Quælibet ex illis causis esset inadæquata exclusivè, hoc est, non esset adæquata exclusivè eo ipso, quòd non se sola causaret effectum. Concedo Probationem. Distinctio hæc notissima est ex his, quæ de duplici causa totali docentur in Philosophia. Hìc breviter dico: causam totalem & adæquatam positivè esse ac dici, quæ tali influxu influit in effectum, ut hic, ex vi talis influxus possit subsistere independenter ab hoc, quòd alia causa ejusdem generis & ordinis, in hunc ipsum effectum simili influxu influat, vel non influat. Ex quo patet rationem causæ adæquatæ positivè, non tolli nec destrui per hoc, quòd non tali influxu influat in effectum, ex vi cujus solius possit existere effectus.

168. Ad quintum Respondeo primæ Rationis negando sequelam: Nego nimirum, quòd Trinitas Personarum distinguatur realiter inadæquatè extensivè à singulis Personis. Ut enim aliqua extrema sint distincta realiter inadæquatè extensivè, requiritur, ut illa extrema sint secum immediatè & ratione sui identificata identitate veræ affirmabilitatis unius extremi de alio, ut præterea illorum extremorum unum, secundùm se extendat se per identitatem realem immediatam ad plura inter se distincta, seu pluribus realiter distinctis identificetur; alterum verò extremum non se extendat per identitatem ad plura illa distincta, sed potiùs sit unum aut duo ex pluri-

pluribus illis distinctis. Cùm ergo Trinitas Personarum, & singulæ Personæ non sint extrema realiter immediatè secum identificata identitate veræ affirmabilitatis unius extremi de alio. Siquidem Trinitas non est verè affirmabilis de una aliqua Persona v. g. de Patre, nec Pater est affirmabilis verè de Trinitate; falsum enim est dicere: *Trinitas est Pater*, falsum itèm est dicere: *Pater est Trinitas*. Sequitur indè Trinitatem non distingui realiter inadæquatè extensivè à singulis Personis. Secundæ Rationis nego pariter Sequelam. Ad Probationem dico: Personas Divinas quamvis dicant identitatem mediatam in Natura (quæ non bene asseritur esse identitas intensiva adæquata Personarum) quia tamen eædem Personæ non dicunt identitatem realem immediatam veræ affirmabilitatis, ex vi cujus una Persona sit verè affirmabilis de altera v. g. *Pater est Filius*. ideo dictas Personas non esse distinctas inadæquatè extensivè. Adverto: identitatem adæquatam intensivè, consistere in identitate reali immediata extremorum veræ affirmabilitatis unius extremi de altero, seu in identitate tali, ex vi cujus unum extremum sit verè affirmabile de altero, ídque secundùm dicta numero 148. Identitas adæquata intensivè consistit non id identitate reali mediata quorumcunque extremorum, sed consistit in identitate immediata Essentiæ Divinæ cum qualibet Persona, sinè discrepantia in ullo prædicato adsoluto. seu in identitate, ex vi cujus quidquid est perfectionis absolutæ in Essentia Divina, omne id communicatur cuique Personæ Divinæ, itá, ut non sit ulla talis perfectio absoluta, quæ sit verè affirmabilis de Natura, & simul sit verè negabilis de aliqua Persona. Tertiæ Rationis nego iterum sequelam. Probationis causalem distinguo: Ideo Essentia Divina distinguitur realiter inadæquatè extensivè à Paternitate, quia identificatur Paternitati sed non soli; Et hæc ratio est propria & quasi differentialis Distinctionis realis inadæquatæ extensivæ. Concedo vel omitto Causalem. Et hæc ratio ità convenit Distinctioni inadæquatæ extensivæ, ut sit communis etiam identitati inadæquatæ intensivæ. Nego causalem. Et distinguo Minorem: Atqui etiam Essentiæ identificatur intensivè Paternitati sed non soli, ità ut hæc ratio identitatis intensivæ, Paternitati sed non soli sit propria & differentialis Distinctionis inadæquatæ extensivæ. Concedo Minorem. Ità ut hæc ratio sit communis identitati inadæquatæ intensivæ, ipsámque constituat Nego Minorem & Consequentiam, ac dico: Siquidem Essentiam identificari intensivè Paternitati non soli, est conceptus proprius & differentialis Distinctionis inadæquatæ extensivæ, non potest ex hoc conceptu inferri identitas inadæquata intensiva, sed etiam est implicatoria, quæ tunc potiùs daretur, quando Essentia Divina secundùm aliquas perfectiones Divinas absolutas identificaretur singulis Personis identitate veræ affirmabilitatis, simúlque secundùm aliquas perfectiones itidem absolutas, non identificaretur tali identitate. Quartæ Rationis nego sequelam. Nego scilicet, quòd Personalitates Divinæ simul sumptæ & plus se extendant quàm Natura seu Essentia Divina, sumendo ly: *extendere* in propria & Theologica acceptione, & minùs se extendant. Quia simpliciter & Theologicè tres simul sumptæ Personalitates non se extendunt ad singulas; ut enim se extendant Theologicè, deberent omnes simul Personalitates identificari immediatè identitate veræ affirmabilitatis singulis Personis, hoc est identitate, ex vi cujus omnes simul Personalitates possint verè affirmari de unaquaque illarum. Quo sensu, & in qua acceptione Essentia extendit se ad singulas Personas, quamvis non in hoc præcise stat adæquata ratio Extensionis Theologicæ. Atqui omnes simul Personæ non identificabantur dicta identitate veræ affirmabilitatis singulis Personis. Ergo tres Personalitates simul sumptæ non se extendunt ad singulas, ly: *extendunt* sumendo propriè & Theologicè. Sumendo tamen ly: *extendunt* in acceptione Grammaticali, dici potest, quòd omnes simul Personæ Divinæ, non quidem plus aut minùs se extendant quàm Essentia, sumendo ly: *extendunt* in acceptione Grammatica; sed quòd diversimodè se extendant quatenus tres Personæ simul sumptæ, identificatæ Essentiæ Divinæ, non identificantur ità singulis Personis, ut sint verè affirmabiles de illis. Essentia verò Divina identificata omnibus Personis, ità identifica-

tur singulis, ut sit verè affirmabilis de iisdem.

Objectiones contra Conclusionem secundam num. 151. proponuntur.

169. Objicitur primò, & probatur. Nulla contradictoria verificari de Essentia secundùm se, & de Personis. Ex his prædicatis contradictoriis: *Generare*, *non generare*, *generari*, *non generari*, *communicari*, *non communicari*; prædicata: *non generare*, *non generari*, *communicari*, quæ secundùm Fidem verificantur de Essentia, non verificantur de Essentia sumpta secundùm se, & sic de cæteris. Ergo. Antecedens probatur. Si hæc prædicata: *non generare*, *communicari*, *&c.* verificarentur de Essentia secundùm se, hæc ipsa prædicata verificarentur de omnibus, & singulis Personis. Adeóque de Paternitate verum esset dicere: quòd *non generet*. Itèm verum esset dicere: quòd *Paternitas communicetur* per identitatem immediatam Filio. Siquidem hæc prædicata verificantur de Essentia sumpta secundùm se. Prædicata enim, quæ verificantur de Essentia secundùm se, sunt absoluta, & communia toti Trinitati. Adeóque debent verificari de omnibus, & singulis Personis. Atqui dicta prædicata: *non generare*, *non communicari*, non verificantur de Paternitate, repugnátque illa verificari de eadem. Aliàs de ipsa Paternitate verificabuntur duo simul contradictoria: *generat*, *non generat*, *communicatur Filio*, *non communicatur Filio*; quod repugnat. Nimirum de Paternitate prædicatum, *generat*, verificatur secundùm fidem, prædicatum verò, *non generat*, deberet de eadem Paternitate verificari per adductam rationem Theologicam. Ergo. Confirmatur. Essentia secundùm se est communis toti sanctissimæ Trinitati, ejúsque singulis Personis. Ergo & prædicata convenientia Essentiæ sumptæ secundùm se sunt communia toti sanctissimæ Trinitati, & singulis ipsius Personis. Atqui prædicata: *non generat*, *communicatur*, sunt prædicata convenientia Essentiæ secundùm se sumptæ, ùt per Conclusionem secundam asseritur, vel supponitur. Ergo eadem prædicata: *non generat*, *communicatur*, sunt prædicata communia singulis Personis, illisque convenientia. Adeóque prædicatum: *non generat*, convenit Paternitati.

170. Objicitur secundò. Ut ex prædicatis sibi realiter oppositis unum prædicatum verificetur de Natura, alterum de Personalitate, requiritur oppositio realis inter Naturam, & Personalitatem. Prædicata enim opposita realiter exigunt verificari de subjectis oppositis realiter. Quia exigunt talem oppositionem in subjectis, qualem ipsa habent. Sed inter Naturam secundùm se, & inter Personalitatem v. g. Patris, non est, nec potest esse oppositio realis. Quia non est, nec potest esse distinctio realis. Non immediata; hæc enim non potest stare cum identitate, reali immediata veræ affirmabilitatis unius extremi de alio, qualis identitas est inter: Naturam secundùm se, & inter Patrem Non est etiam, nec potest esse distinctio mediata. Hæc enim repugnat Essentiæ secundùm se, nec potest illi convenire, nisi sumptæ cum Personis, vel Persona. Ergo.

171. Objicitur tertiò. Ex prædicatis contradictoriis, quæ secundùm fidem verificantur in Divinis, quæcunque prædicata dicuntur de Essentia, dicuntur de illa prout sumpta secundùm Personalitates, unam, vel plures. Ergo. Antecedens probatur inductione. Imprimìs ex his prædicatis: *Communicari Filio*, *non communicari Filio*, dictis de Essentia, & Patre; prædicatum: *communicari Filio*, dicitur de Essentia sumpta cum Filio. Hoc enim prædicatum non potest convenire Essentiæ, nisi hæc intelligatur dicere identitatem cum Filio. Communicari enim Filio, est identificari Filio. Cùm ergo identificari Filio non possit intelligi non intellecta identitate cum Filio. Adeóque non intellecto Filio, etiam communicari Filio non intelligitur, nisi intellecto Filio. Consequenter prædicatum: *communicari Filio*, dum dicitur de Essentia, dicitur de illa, prout sumpta cum Filio. Secundò: Dum de Natura dicitur prædicatum: *non generatur*, hoc prædicatum non potest verificari, nisi de Natura sumpta cum Personalitate Patris. Quòd enim Natura non generetur, habet hoc non ratione sui, sed ratione Paternitatis, & identitatis cum Paternitate. Si enim Natura non identificaretur Paternitati, deberet generari. Quia eo ipso, quòd non identificaretur realiter Paternitati, distingueretur realiter

ter ab eadem Paternitate. Si autem diſtingueretur realiter à Paternitate, deberet generari. Quia deberet dicere oppoſitionem realem producentis, & producti. Quæ enim diſtinguuntur realiter (intellige immediatè) in Divinis, dicunt oppoſitionem realem producentis, & producti. Adeóque cùm Paternitas generat, Eſſentia, quæ eſſet realiter immediatè diſtincta à Paternitate, deberet generari. Propter eandem rationem: *non generare*, debet dici de Natura ſumpta ſecundùm Filium; *non ſpirare*, debet dici de Natura ſumpta ſecundùm Spiritum S. Tertiò: Dum de Natura dicitur, quòd ſit eſſe, ſeu prædicatum abſolutum; de Paternitate, quòd ſit prædicatum relativum, ly: prædicatum abſolutum verificatur de Natura, ſeu Eſſentia ſumpta cum omnibus Perſonis. Sic enim ſumpta Natura eſt quid abſolutum. Siquidem certa prædicata Divina in tantum ſunt abſoluta, in quantum non referuntur ad intrà relatione producentis, & producti. Sed Eſſentia ſumpta cum omnibus Perſonis non refertur ad intrà. Sic enim ſumpta, neque refertur ad omnes ſimul Perſonas, neque ad duas ſimul, neque ad ſingulas. Aliàs deberet dicere oppoſitionem producentis, & producti cum Perſonis, ad quas ſic refertur, quam tamen oppoſitionem non dicit. Quartò: Ex his prædicatis dictis de Natura, & Verbo Divino, ſeu Filio: *Filius unitur immediatè Humanitati, Natura Divina non unitur Humanitati immediatè*; prædicatum: *non unitur immediatè Humanitati*, verificatur de Natura ſumpta ſecundùm Paternitatem, & Spirationem paſſivam, quæ non ſunt unita Humanitati. Cujus ratio hæc eſt: quia Concilium Toletanum ſextum dicit: *Solus Filius ſuſcepit Humanitatem in ſingularitate Perſonæ, non in unitate Naturæ Divinæ, in eo, quod proprium eſt Filio, non quod eſt commune Trinitati. Quoniam conſtat, Naturam Trinitatis eſſe unam, non tamen Perſonam.* Ex quo Concilii textu ſic arguitur: In tantum Filius ſuſcepit Humanitatem in ſingularitate Perſonæ, non in unitate Naturæ, in quantum ſuſcepit Humanitatem in eo, quod proprium eſt Filio, non verò in eo, quod eſt commune Trinitati. Sed ex hoc ipſo ſequitur, Naturam Divinam nonniſi prout dicentem Patrem, & Spiritum ſanctum, non fuiſſe unitam Humanitati, ſeu non ſuſcepiſſe hominem. Quia ſequitur, Naturam, prout eſt communis Trinitati, non ſuſcepiſſe hominem. Atqui Natura, prout eſt communis Trinitati, dicit Patrem, & Spiritum S. Prout enim eſt communis, eſt prout identificata Trinitati; jam verò prout identificata Perſonis, dicit Patrem, & Spiritum S. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

172. Reſpondetur ad primum, negando, quòd ex prædicatis contradictoriis, quæ de Natura, ſeu Eſſentia, & de Perſonalitatibus dicuntur, illa prædicata, quæ verificantur de Eſſentia, non verificantur de illa ſecundùm ſe ſumpta. Antecedens in probationem aſſumptum itidem nego. Nego itèm ſequelam ulterioris probationis. Hujus ipſius probationem diſtinguo. Prædicata, quæ verificantur de Eſſentia ſecundùm ſe, ſunt abſoluta, & communia toti ſanctiſſimæ Trinitati, debéntque verificari de ſingulis Perſonis, ſi talium prædicatorum contradictoria ſecundùm fidem verificentur de iiſdem Perſonis, vel de aliqua illarum. Nego probationem. Si prædicatorum, quæ verificantur de Eſſentia ſecundùm ſe, contradictoria non debeant verificari de Perſonis, nec de ulla illarum. Concedo probationem, & dico: Prædicata, quæ conveniunt Eſſentiæ ſecundùm ſe, duplicia eſſe: quædam talia, quorũ contradictoria non debent verificari de ulla Perſona, qualia v. g. prædicata ſunt: eſſe *omnipotentem*, *eſſe ſummum*, *bonum*, *immenſum*, *æternum*, *&c.* Alia prædicata convenientia Eſſentiæ ſecundùm ſe, quorum contradictoria debent verificari de Perſonis pluribus, vel de aliqua illarum. Talia prædicata ſunt: *non generare*, *non generari*, *non ſpirari*, *non uniri immediatè Humanitati*, *communicari*, *eſſe quid unum*, *eſſe abſolutum. &c.* Priora prædicata Naturæ ſecundùm ſe convenientia ità debent eſſe prædicata convenientia Naturæ, ut ſint omnibus, & ſingulis Perſonis communia, & ut verificentur de iiſdem. Prædicata ſecundi generis non debent eſſe ità communia, ut verificentur de ſingulis Perſonis. Quorum enim prædicatorum contradictoria debent verificari de aliqua, vel aliquibus Perſonis, illa prædicata, quamvis conveniant naturæ ſecundùm ſe, non debent verificari de Perſona, vel Perſonis, de quibus ſecundùm fidem contra-

di-

dictoria ipsorum verificantur. Quamvìs enim in Divinis verificentur ità contradictoria, ut unum dicatur de Essentia, alterum dicatur de Persona, vel Personis, tamen repugnat utrumque prædicatum contradictorium verificari de una, eademque Persona, vel de iisdem omnino Personis. Primi Antecedentis Probatio potest etiam sic distingui. Si hæc prædicata: *non generare, communicari, &c.* verificarentur de Essentia secundùm se hæc ipsa prædicata, deberent verificari de Personis; adeóque de Patre hæc inquam prædicata, cum hoc tamen addito secundùm Essentiam. Adeóque de Patre verificaretur, quòd *non generet* secundùm Essentiam. Concedo Probationem. Hæc ipsa prædicata: *non generare, communicari*, dicta simpliciter, & sinè omni addito, deberent verificari de Personis etiam de illis, de quibus horum prædicatorum contradictoria verificantur. Nego sequelam, & distinguo Minorem. Sed hæc prædicata dicta simpliciter, & sinè addito non verificantur de Personis. Concedo Minorem. Sed hæc prædicata cum illo addito secundùm Essentiam non verificantur de Personis. Nego Minorem, & Consequentiam, ac dico: Prædicata illa: *non generare, non generari, communicari, &c.* ità convenire Essentiæ secundùm se, ut verificentur etiam de Personis, ità tamen, ut de illis Personis, quibus contradictoria horum prædicatorum conveniunt, non dicantur verè, nisì cum hoc addito: *secundùm Essentiam.* Et sic de Patre verificatur, quòd *non generet secundùm Essentiam*; de Filio verificatur, quòd *non generetur secundùm Essentiam*; de unaquaque Persona, quòd *secundùm Essentiam communicetur alteri.* Ideo verò hæc prædicata non dicuntur sinè tali addito de his Personis, quia eorum contradictoria eisdem Personis conveniunt, secundùm esse talis Personæ. Et sic, si de Patre diceretur sinè omni addito, quòd *non generet*, hæc propositio ità intelligeretur: quòd *Pater secundùm Paternitatem non generet*; quo sensu intellecta propositio repugnat fidei.

Ad Confirmationem respondendum est conformiter. Nimirum concessis syllogismi omnibus propositionibus, Illatum est distinguendum. Adeóque prædicatum: *non generat*, convenit Paternitati, de qua tamen non dicitur, nec dici debet, nisì cum addito: *non generat secundùm Essentiam.* Concedo Illatum. Paternitati convenit prædicatum: *non generat*, ità ut simpliciter, & sinè addito dicatur, vel dici possit de Paternitate: quòd *non generet.* Nego. Quò minùs enim de hac dici possit, *non generat* sinè addito, obstat illud, quòd de Paternitate dicatur simpliciter alterum contradictorium, nimirum ly *generat.*

173. Ad secundum Respondeo, negando Minorem, & conformiter ad dicta num. 114. dico: Ut prædicata realiter opposita verificentur de Natura, & Personalitate, non requiri omnino oppositionem realem in subjectis. Prædicata enim aliqua per hoc sunt realiter opposita, quòd sint esse, & non esse formæ realis; ad quod non requiritur oppositio realis in subjectis, quamvìs etiam in his requiratur oppositio aliqua, ut prædicata realiter contradictoriè opposita non dicantur de eodem secundùm omnino idem. Eadem Major potest sic distingui: Ut ex prædicatis sibi realiter oppositis specificativè, & subjectivè unum prædicatum verificetur de Natura, alterum de Personalitate Patris requiritur oppositio realis inter Essentiam, & Personalitatem. Concedo, vel omitto Majorem. Ut ex prædicatis sibi realiter oppositis, ratione formæ, & suæ negationis unum verificetur de Essentia, alterum de Personalitate, requiritur oppositio realis inter Essentiam, & Personalitatem. Nego Majorem, & concessa Minore distinguendum Consequens.

174. Ad tertium Respondeo, negando primum Antecedens. Ad Instantias dico: Etiamsi prædicata, enumerata, certo sensu accepta, & intellecta, verificentur de Essentia sumpta secundùm Personalitatem unam, vel plures, tamen eadem prædicata in alio sensu, in quo etiam secundùm fidei dogmata, & rationes Theologicas intelligi debent, & intelliguntur, debent verificari, & verificantur de Essentia sumpta secundùm se, ùt dictum est num. 152. Ad primam Instantiam, qua probatur Inductio, dico: quòd prædicatum, *communicari Filio*, dictum de Essentia, si sumatur quidditativè quoad totam denominationem, dicat & Essentiam, & communicationem, seu identitatem immediatam cum Filio, & Filii cum Essentia, tanquam formam denominationis. Idem

dem tamen prædicatum, *communicari cum Filio*, sumptum specificativè, & pro fundamento communicationis, seu identitatis cum Filio, non dicit nisi Essentiam secundùm se, de illáque verificari debet. Posse verò, imò secundùm fidei principia, & rationes Theologicas debere, ly: *communicari*, accipi pro fundamento communicationis, seu identitatis inter Essentiam, & Filium, patet ex rationibus adductis num. 154. Quibus hanc adhuc addo: Essentiam communicari Filio, est, Essentiam identificari immediatè Filio, identitate veræ affirmabilitatis unius de altero. Sed Essentia ratione sui identificatur Filio identitate veræ affirmabilitatis. Si enim Essentia identificaretur ratione prædicati relativi, non identificaretur immediatè, sed mediatè. Sicut eadem Essentia distincta ratione prædicati relativi, est distincta mediatè, non verò distincta immediatè. Ergo eadem Essentia ratione sui communicatur Filio. Secundam Instantiam nego, quòd prædicatum, *non generetur*, non possit verificari de Essentia secundùm se, sed verificari debeat nonnisi de Essentia sumpta secundùm Paternitatem. Ad sequelam Probationis dico: In suppositione illa impossibili, in qua Essentia distingueretur realiter immediatè à Paternitate, duo contradictoria, *generatur*, *non generatur*, debere verificari de Essentia; unum contradictorium, nimirum *non generatur*, debet verificari arguendo ex prædicato, & conceptu Essentiæ, de cujus ratione est non generare, secundùm esse Essentiæ, ùt ostensum est num. 153. Alterum contradictorium, nimirum *generatur*, deberet verificari de Essentia in suppositione impossibili, quòd esset realiter immediatè distincta à Paternitate, arguendo ex prædicato, & conceptu talis Distinctionis. Sequelâ deinde negatâ ulterior Probatio potest distingui. Quæ in suppositione vera possibili, & reali distinguuntur à se realiter immediatè in Divinis, illa habent oppositionem producentis, & producti. Concedo Probationem. Quæ in suppositione ficta, falsa, & impossibili distinguuntur realiter immediatè in Divinis; illa habent oppositionem producentis, & producti. Nego probationem. Vel sic eadem Probatio distinguenda: Quæ distinguuntur realiter immediatè in Divinis, & comparantur ad se ùt *Personæ*, seu prædicata relativa, illa habent oppositionem producentis, & producti. Concedo Probationem. Quæ distinguuntur in Divinis, & comparantur ad se, *ùt Substantia, & Hypostasis*, seu ùt esse absolutum, & relativum, illa habent oppositionem producentis, & producti. Nego Probationem. Si enim hanc oppositionem haberent, neutrum illorum esset quid absolutum, sed ambo essent relativa. Dicerent enim relationem ad intrà. Cùm tamen asseratur, & supponatur comparari secum *Essentiam*, adeóque quid absolutum, & *Paternitatem*, quæ est quid relativum. Tandem sequela potest taliter distingui: Si Essentia distingueretur realiter immediatè à Paternitate, Essentia deberet generari, & ratione distinctionis haberet id formaliter, & immediatè, quòd *non generetur*. Nego sequelam. Haberet id arguitivè, & consequenter. Concedo sequelam, & distinguo Consequens. Ergo, quòd Essentia non generetur, habet hoc formaliter, & immediatè ratione identitatis cum Paternitate, seu ratione Paternitatis sibi identificaæ. Nego Consequentiam. Habet hoc consequenter, & arguitivè ratione Paternitatis sibi identificatæ. Transeat hæc pars distinctæ Consequentiæ, & dico: Quòd Essentia *non generetur*, non habere ipsam ex eo, quòd Paternitas, ejúsque identitas sit sibi ratio formalis non generandi, sed potiùs habet ex eo, quòd ex tali identitate, tanquam medio per Consequentiam rectam inferatur etiam ipsam Essentiam secundùm se, *non generari*. Quemadmodum si Essentia distingueretur realiter immediatè à Paternitate, hæc ipsa Essentia secundùm se, & non secundùm prædicatum aliquod relativum, à se aliquomodo diversum, *generaretur*. Ad tertiam Instantiam dico: Etiamsi ly *esse* absolutum verificetur de Essentia sumpta cum omnibus Personis, tamen etiam Essentia sumpta secundùm se, præcisivè à Personis, est quid absolutum, idque magis Theologicè. Tum quia secundùm Theologos per esse absolutum Divinum intelligitur Essentia secundùm se, hoc est, Essentia sumpta secundùm prædicata communia omnibus, & singulis Personis. Atqui Essentia sumpta cum omnibus singulis Personis, non est Essentia accepta secundùm prædicata omnibus, & singulis Personis communia. Omnes enim simul Per-

Personæ non sunt quid commune singulis Personis, Ergo. Tum quia secundùm Theologos per esse absolutum Divinum intelliguntur illa absoluta prædicata, quæ ità non referuntur ad intrà, si simul sumantur, ut etiam divisim sumpta non referantur ad intrà, nec simul sumpta sint complexum prædicatorum relativorum. Hi enim Trinitatem Personarum Divinarum, nunquam asserunt esse quid absolutum. Potiùs ergo per esse absolutum Divinum intelligunt Theologi Essentiam metaphysicam DEI, & attributa illius. Et secundùm talia omnia prædicata sumptam Essentiam (quam Theologicam vocant) dicunt esse quid absolutum in sensu Theologico. Atqui Essentia sumpta secundùm talia prædicata est Essentia sumpta secundùm se, & non secundùm omnes Personalitates. Ergo. Quartam Instantiam simpliciter Nego. Nimirum nego, prædicatum, *non uniri immediatè Humanitati*, verificari de Natura sumpta secundùm Paternitatem & Spirationem passivam. Certè, *non uniri Naturam immediatè Humanitati*, est illam non uniri secundùm se, vel ex eo, quia prædicata quæ tribuuntur Naturæ ratione Personalitatum non conveniunt illi immediatè, sed mediatè. Et sic, quia Natura ratione Paternitatis distinguitur à Filio, non distinguitur ab ipso immediatè sed mediatè. Si ergo Natura non unitur immediatè Humanitati, non unitur illi secundùm se, & non ratione Personalitatum. Authoritas Concilii Toletani nihil evincit, cùm sit potiùs pro sententia, quæ defenditur. Ex eo enim, quòd Filius DEI susceperit Humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate Naturæ in eo, quod proprium est Filio, non quod commune est Trinitati, sequitur, quòd Filius DEI secundùm se, & immediatè unitus sit Humanitati, Natura verò Divina secundùm se non sit unita eidem Humanitati. Hæc enim secundùm se nonnisi est communis Trinitati, idque est communis eo modo, quo secundùm fidei dogmata, debet esse communis, hoc est communis omnibus & singulis Personis, per identitatem realem immediatam veræ affirmabilitatis de iisdem omnibus & singulis Personis. Natura verò sumpta secundùm *Personas, Patris, & Spiritûs Sancti*, non est communis omnibus & singulis Personis per identitatem veræ affirmabilitatis, ùt clarum est. Adeóque cùm à Concilio dicitur Filius DEI non suscepisse Humanitatem in eo, quod est commune Trinitati, dicitur non suscepisse Humanitatem in Natura secundùm se, non verò in Natura secundùm Patrem & Spiritum S. accepta. Ad Rationem directè Respondeo: Concessa & admissa reverenter Concilii authoritate, ac etiam Majore, ex illa deductâ, Nego Minorem. Probationis nego Consequentiam. Nego ulteriùs Naturam, prout communem Trinitati, in acceptione & significatione Theologica esse naturam sumptam, secundùm Patrem & Spiritum S. sed potiùs est Natura sumpta secundùm se, & secundùm prædicata absoluta. Hôc modô enim sumpta est communis omnibus & singulis Personis per identitatem immediatam veræ affirmabilitatis de iisdem.

§ V.

An Distinctio Virtualis Intrinseca admittenda sit inter Essentiam & Personas, & an salvet contradictoria?

175. Distinctionem Virtualem Intrinsecam, inter Essentiam & Personas Divinas seclusa Distinctione reali in tertio, seu inadæquatâ extensivè, docent communiter Thomistæ, & per illam salvari volunt contradictoria, quæ secundùm fidem dicuntur de Essentia & Personis. Illi etiam Theologi, qui admittunt Distinctionem realem in tertio, seu inadæquatam extensivè in Divinis, ùt Antonius Perez, Esparza, & P. Morawski &c. admittunt simul Distinctionem virtualem Intrinsecam, sed omnino indistinctam à Distinctione reali in tertio, iidémque Authores existimant communiter Distinctionem ipsam realem in tertio, vocari posse Distinctionem Virtualem Intrinsecam. Tandem aliqui Recentiores putant cum Distinctione reali in tertio, admitti debere Distinctionem virtualem Intrinsecam, ab ipsa Distinctione reali in tertio, alquomodo distinctam, nec posse dari Distinctionem realem in tertio, nisì detur Distinctio virtualis Intrinseca, eò, quòd hanc illa essentialiter supponat.

176.

76. Dicendum est primò: Exclusa Distinctione reali in tertio, seu inadæquata extensivè, non posse admitti Distinctionem Virtualem Intrinsecam, inter Essentiam Divinam & Personas.

Probatur. Tum quia si non admittatur mysterium Trinitatis, non potest admitti Distinctio, quæ sit in mysterio Trinitatis. Sed exclusâ, seu negata Distinctione reali inadæquata extensivè, non datur mysterium Trinitatis. Ergo negata Distinctione inadæquata extensivè, seu reali in tertio, non datur Distinctio virtualis Intrinseca. Major per se patet. Minor probatur. Si negetur Distinctio realis Inadæquata extensivè, negatur hoc ipso Essentiam ità realiter immediatè identificari uni Personæ identitate veræ affirmabilitatis, ut per similem identitatem immediatam, ad alias inter se realiter distinctas Personas extendatur. Eo ipso enim, quòd negetur definitum, negatur & ipsa definitio objectiva. Siquidem hæc est convertibilis cum definito suo. Sed si negatur Essentiam ità identificari immediatè uni Personæ, ut extendatur per identitatem immediatam ad alias Personas, negatur mysterium Trinitatis. Hoc enim in eo consistit, quòd tres Personæ realiter immediatè à se distinctæ identificentur realiter immediatè, identitate veræ affirmabilitatis, identificentur inquam Essentiæ Divinæ in se unicæ & indivisibili. Ergo. Tum quia sublato fundamento Distinctionis Virtualis intrinsecæ, cui illa unicè innititur, non potest admitti ipsa Distinctio virtualis Intrinseca. Ut certum esse videtur. Sed negata Distinctione reali inadæquata extensivè, tollitur fundamentum Distinctionis Virtualis Intrinsecæ, cui hæc unicè inniti debet. Ergo. Minor probatur. Si Essentia in se unica & indivisibilis non est identificata immediatè tribus realiter distinctis Personis, non habetur fundamentum Distinctionis virtualis Intrinsecæ. Identitas enim immediata Essentiæ tribus realiter distinctis Personis, est fundamentum Distinctionis Virtualis Intrinsecæ. Quia est fundamentum æquivalentiæ unius ejusdémque realiter entitatis, ad verificanda de se prædicata contradictoria; nimirum est fundamentum, ut de Essentia verificetur, quòd *communicetur omnibus & singulis Personis*, de singulis Personis; quòd *non communicentur omnibus & singulis. &c.* ut de Essentia verificetur: *non generat*, de Paternitate verificetur: quòd *generet* &c. Sed sublata Distinctione reali inadæquata extensivè, Essentia Divina, in se indivisibilis & unica, non est identificata realiter immediatè tribus realiter distinctis Personis. Distinctio enim realis inadæquata extensivè, quoad rem, est Essentiæ Divinæ in se omnino indivisæ & unicæ identitas realis immediata cum tribus Personis, realiter à se distinctis. Ergo. Tum quia Distinctio virtualis Intrinseca non potest dari nec admitti in aliquo ente, absque eo, quod in eodem ente necessariò datur, & non potest non dari. Sed in mysterio Trinitatis Distinctio realis inadæquata extensivè seu in tertio datur necessariò & ità, ut non possit non dari. Ut probatum est num. 79. & 94. & sæpiùs alibi. Ergo Distinctio virtualis Intrinseca in mysterio Trinitatis non datur nec potest dari absque Distinctione reali inadæquata extensivè, seu reali in tertio. Adeóque non datur illâ exclusâ.

177. Dicendum est secundò: Distinctio Virtualis Intrinseca vel alia objectiva admitti debet in mysterio Trinitatis. Salvat quædam Contradictoria, quæ de Essentia & Personis verificantur. Non est ipsa præcisè Distinctio realis inadæquata extensivè, sed ab illa diversa, infundata tamen tali Distinctioni.

Plures partes habet præsens assertio. Prima pars probatur. Implicat dari rationem formalem essentialem adæquatam Distinctionis virtualis Intrinsecæ, & non dari ipsam Distinctionem virtualem Intrinsecam. Quia implicat dari definitionem objectivam & non dari definitum objectivum. Implicat enim dari aliquid sinè se ipso. Porrò ratio formalis essentialis adæquata Distinctionis virtualis Intrinsecæ, est definitio, ipsa verò Distinctio Virtualis est definitum. Sed in mysterio Trinitatis datur ratio formalis essentialis adæquata Distinctionis Virtualis Intrinsecæ. Ergo. Minor probatur. Ratio formalis essentialis adæquata Distinctionis virtualis Intrinsecæ, est, esse æquivalentiam, sive capacitatem unius ejusdémque realiter entitatis, ad verificanda prædicata contradictoria. Per hanc enim æquivalenti-

am & capacitatem definitur Diſtinctio virtualis Intrinſeca. Sed datur in myſterio Trinitatis æquivalentia & capacitas unius ejuſdémque realiter entitatis ad verificanda prædicata contradictoria. Quia defactò de Eſſentia & Paternitate (quæ duo prædicata propter immediatam realem identitatem veræ affirmabilitatis unius de alio, ſunt una eadémque realiter entitas) verificantur contradictoria: *generat, non generat*; *communicatur, non communicatur*. Quæ verificatio Contradictoriorum ſupponit eſſentialiter æquivalentiam & capacitatem ejuſdem realiter entitatis ad verificanda contradictoria. Quia actus ſecundus entitativus eſſentialiter ſupponit primum. Ergo.

178. Secunda pars, nimirum, quòd Diſtinctio Virtualis Intrinſeca ſalvet aliqua contradictoria, quæ ſecundùm fidem de Eſſentia & Perſonis dicuntur, probatur: Sunt aliqua contradictoria, quæ in Divinis verificantur de Eſſentia ſecundùm ſe & de Perſonis. Sed hæc contradictoria ſalvantur per Diſtinctionem virtualem Intrinſecam. Ergo. Major conſtat ex dictis & probatis à num. 153. ad numerum 158. incluſivè. Minor probatur. Tum quia prædicata contradictoria, quæ de Eſſentia ſecundùm ſe, & de Perſonis verificantur, debent ſalvari per diſtinctionem ipſorum extremorum, de quibus verificantur. Adeóque debent ſalvari per diſtinctionem, quæ ſit inter Eſſentiam ſecundùm ſe, & inter Perſonas. Taliter enim debent ſalvari contradictoria, ut ſinè repugnantia primis principiis verificentur; maximè verò, ut non de eodem, ſecundùm omnino idem verificentur, quod præſtat ſola Diſtinctio inter illa ipſa extrema, de quibus verificantur contradictoria; ſi enim inter hæc ſit aliqua diſtinctio, non de eodem ſecundùm omnino idem verificantur dicta contradictoria. Sed inter Eſſentiam ſecundùm ſe & inter Perſonalitates non eſt, nec poteſt eſſe alia diſtinctio, niſi Diſtinctio Virtualis Intrinſeca. Neque enim inter hæc extrema eſt, aut poteſt eſſe Diſtinctio realis in tertio. Hæc enim ex ſua ratione & conceptu eſt diſtinctio mediata, éſtque inter Eſſentiam ſumptam ſecundùm unam vel plures Perſonalitates, & inter alias diverſas Perſonas. Non eſt etiam ulla diſtinctio realis immediata inter Eſſentiam ſecundùm ſe & Perſonas. Hæc enim eſt implicatoria: ùt probatum eſt contra Gilbertum Porretanum, ac deinde contra Martinezium. Poteſt autem eſſe, & defactò eſt inter hæc extrema, nimirùm inter Eſſentiam ſecundùm ſe & inter Perſonas Diſtinctio Virtualis Intrinſeca. Cùm enim de his verificentur contradictoria: ùt probatum aliàs eſt; in ordine ad hæc verificanda, datur æquivalentia & capacitas in dictis extremis, tanquam in una eadémque realiter entitate. Ergo Diſtinctio virtualis Intrinſeca ſalvat contradictoria, quæ verificantur de Eſſentia ſecundùm ſe & de Perſonis. Tum quia, ex una parte datur Diſtinctio Virtualis Intrinſeca inter Eſſentiam ſecundùm ſe, & inter Perſonas: ùt conſtat ex numero præcedente. Ex altera parte nihil deeſt huic Diſtinctioni, quò minùs ſalvet contradictoria, quæ dicuntur de Eſſentia ſecundùm ſe & Perſonis. Quid enim deeſt? Certè ut ſalventur contradictoria, quæ dicuntur de aliquo, non plus requiritur, quàm ut non de eodem omnino verificentur. Sed Diſtinctio Virtualis Intrinſeca immediata inter Eſſentiam & Perſonas, præſtat, quòd non de eodem omnino verificentur contradictoria, quæ dicuntur de Eſſentia & Perſonis. Præſtat enim, ut Eſſentia ſecundùm ſe, & Paternitas, ſint rationes objectivæ, ità ſecum realiter identificatæ, ut ſimul ſint diſtinctæ objectivè & virtualiter, & ut de Eſſentia prout virtualiter diſtincta verificentur prædicata: *Eſſentia non generat, non generatur, communicatur. &c.* Horum verò prædicatorum contradictoria verificentur de Perſonis, virtualiter diſtinctis ab Eſſentia, nimirùm, quòd *Pater generet, Filius generetur, nulla Perſona per identitatem communicetur alteri, &c.* Ergo.

179. Tertia pars, quòd Diſtinctio hæc virtualis, per quam Eſſentia ſecundùm ſe diſtinguitur à Perſonis, non ſit diſtinctio realis inadæquata extenſivè, probatur: Diſtinctio, ratione cujus contradictoria verificantur de Eſſentia ſecundùm ſe, & de Perſonis, eſt diſtinctio immediata. Talis enim debet eſſe diſtinctio, ex vi cujus unum contradictoriorum verificatur de Eſſentia ſecundùm ſe, alterum verificatur de Perſonalitate ſecundùm ſe. Sed Diſtinctio realis in tertio, ſeu inadæquata extenſivè, non eſt diſtinctio immediata,

diata, verùm est potiùs distinctio mediata. Siquidem ratione illius, Essentia non secundùm se sumpta, sed ratione Personalitatis, & secundùm Personalitatem accepta, adeóque mediante Personalitate, distinguitur ab altera Personalitate. Et eadem Essentia non secundùm se sumpta, sed ratione Personalitatis verificat unum contradictorium, alterum verò verificat alia diversa Personalitas. Ergo distinctio realis in tertio, seu inadæquata extensivè, non est distinctio illa virtualis, ex vi cujus unum contradictorium verificatur de Essentia secundùm se, alterum de aliqua Personalitate. Quòd si Distinctio realis in tertio, à quibusdam dicitur & docetur esse Distinctio Virtualis Intrinseca, hæc Distinctio Virtualis Intrinseca longè est diversa à Distinctione illa, quæ est inter Essentiam secundùm se, & inter Personalitates. Nimirum Distinctio virtualis indistincta à reali in tertio, est Distinctio mediata, sicut & ipsa Distinctio realis in tertio. Distinctio verò Virtualis, ratione cujus Essentia secundùm se distinguitur à Personis, est Distinctio immediata.

180. Quarta tandem Assertionis pars. Quòd Distinctio Virtualis Intrinseca inter Essentiam & Personalitates sit infundata Distinctioni reali in tertio, seu inadæquatæ extensivè, facilè probari & deduci potest ex dictis numero 176. Ratione secunda.

Proponuntur Objectiones contra Conclusionem secundam num. 177. propositam.

181. Objicitur primò: Implicat universaliter Distinctio Virtualis Intrinseca, diversa à Distinctione reali in tertio. Ergo. Antecedens probatur. Tum quia ex vi talis Distinctionis, realiter secum identificantur prædicata contradictoria, & tantummodò distinguuntur virtualiter. Atqui implicat identificari secum realiter prædicata contradictoria. Hæc enim, cùm opponantur secum maximè, excludunt se maximè, debent esse opposita realiter. Adeóque non possunt identificari realiter. Ergo implicat universaliter Distinctio Virtualis. Tum quia implicat Distinctio Virtualis Intrinseca in Creatis, imò & in Divinis inter Essentiam, Metaphysicam DEI, & inter attributa, seu inter prædicata absoluta Divina. Ergo etiam hæc ipsa virtualis Distinctio implicat inter Essentiam & prædicata Relativa, seu Personalitates. Consequentia probatur. Quia quæcunque ratio probat vel probare potest implicare Distinctionem Virtualem Intrinsecam in Creatis & in Divinis inter prædicata absoluta, ad se invicem comparata, eadem probat, vel probabit implicare Distinctionem virtualem inter Essentiam & prædicata Relativa, seu Personas. Tum quia si daretur Distinctio Virtualis inter Essentiam & Personas, hæc distinctio & esset actualis, & non esset actualis. Esset actualis, quia prædicata Contradictoria, quæ actu verificantur de aliquibus extremis, requirunt distinctionem actualem inter illa extrema. Cùm ergo de Essentia secundùm se & de Personis, juxta principia fidei, verificentur actu contradictoria, juxta fidei principia inter Essentiam secundùm se & Personas deberet dari Distinctio actualis, quæ hæc prædicata salvet. Eadem Distinctio non esset actualis. Quia Distinctio virtualis est, & dicitur Distinctio potentialis. Est enim virtus, æquivalentia & capacitas, ad verificanda de identificatis realiter prædicata contradictoria. Tum quia distinctio virtualis Intrinseca si daretur inter Essentiam & Personas, & esset Distinctio formalis ex natura rei Scotistica, & non esset. Esset, quia Distinctio Virtualis Intrinseca, & distinctio formalis ex natura rei, sola voce, & diverso nomine differunt, non verò re ipsa & ex parte objecti: ùt probatum est num. 13. Non esset verò Scotistica; Quia communiter, qui Distinctionem virtualem intrinsecam admittunt, nolunt illam esse Distinctionem formalem ex natura rei Scotisticam.

182. Objicitur secundò, & probatur: Quòd Distinctio virtualis Intrinseca immediata inter Essentiam & Personas nòn sit sufficiens ad salvanda contradictoria, quæ verificantur de Essentia secundùm se & Personis. Tum quia Distinctio Virtualis Intrinseca non est sufficiens ad ulla prorsus contradictoria salvanda. Si enim esset sufficiens, contradictoria possent sibi realiter identificari & solùm distingui virtualiter. Implicat autem prædicata contradictoria identificari secum realiter. Prædicata enim contradictoria sunt esse & non esse

esse ejusdem formæ. Implicat autem esse & non esse sibi identificari. Quia implicat ut esse sit suum non esse, & ut non esse sit suum esse. Implicat itèm ut aliquid sit per suum non esse, aut non esse sit per suum esse. Atqui si daretur Distinctio Virtualis Intrinseca inter Essentiam secundùm se & inter Personas, hæc deberet salvare contradictoria; quæ verificantur de ipsa Essentia secundùm se & de Personis. Ergo. Tum quia Distinctio Virtualis intrinseca saltèm non est sufficiens ad salvanda & verificanda prædicata contradictoria realia & physica. Talis enim debet esse Distinctio, qualia sunt prædicata contradictoria, quæ salvari debent. Ergo, si prædicata contradictoria salvanda sunt realia & physica, etiam Distinctio per quam salvantur, debet esse distinctio realis. Sed prædicata contradictoria, quæ de Essentia & Personis verificantur, & per Distinctionem salvari debent, sunt prædicata contradictoria realia & physica, nimirum prædicata: *generare, non generare, generari non generari, communicari non communicari.* Quæ dicta de Essentia & Personis salvari debent per Distinctionem sunt prædicata realia & physica. Ergo. Tum quia Distinctio Virtualis Intrinseca non est sufficiens ad salvanda hæc contradictoria dicta de Patre & Generante: *Pater est verè affirmabilis de Essentia*; *Generans non est verè affirmabilis de Essentia*, Siquidem inter Patrem & Generantem non est ulla distinctio etiam virtualis, de quibus tamen illa prædicata: *Est verè affirmabilis de Essentia*; *non est verè affirmabilis de Essentia*, verificantur. Ergo.

Solvuntur objectiones.

183. Respondetur ad primum, negando Antecedens. Primæ Rationis nego Minorem. Ad Probationem dico: ex vi oppositionis, quam habent prædicata contradictoria (quæ oppositio dicitur maxima) non plus requiritur, quàm ut prædicata contradictoria non possint dici & verificari de eodem, secundùm omnino idem. Adeóque ut se excludant, ac tollant ab eodem subjecto propositionis, nec possint dici de eodem secundùm omnino idem. Porrò contradictoria, quæ dicuntur de Essentia & Personis, non dicuntur de eodem secundùm omnino idem. Quia dicuntur de Essentia secundùm se, & de Personis, quæ duo distinguantur à se Distinctione virtuali Intrinseca supponente essentialiter Distinctionem realem inadæquatam extensivè. Neque valet si dicas: prædicatorum contradictoriorum talem oppositionem esse debere, ut non possint de eodem realiter, secundùm omnino idem realiter, verificari. Quia principium illud: Impossibile est idem, secundùm omnino idem, simul esse & non esse; cùm sit lumine naturæ notum, debet intelligi de identitate, quæ sit lumine naturæ nota. Qualis identitas, est sola identitas realis. Non valet inquam. Hoc enim principium: *Impossibile est idem esse & non esse*; cùm sit universalissimum, debet intelligi de quacunque identitate, quæ sit dabilis, sub quo conceptu universali identitatis, adhuc est nota per se. Adeóque debet sic intelligi: quòd impossibile sit, idem, secundùm omnino idem identitate quacunque dabili, simul esse, & non esse. Consequenter, cùm dabilis sit identitas virtualis, quemadmodum dabilis est saltèm in mysterio Trinitatis, Distinctio Virtualis Intrinseca. Impossibile est idem secundùm omnino idem, identitate tam reali, quàm virtuali, simul esse & non esse. Nec posse de eodem, quod idem sit utraque hac identitate verificari prædicata contradictoria, posse autem verificari realiter de eodem, seu de identificatis realiter, si sint distincta virtualiter Distinctione virtuali, quæ sit dabilis, & dari debeat.

Secundæ Rationis nego Consequentiam. Disparitas primò est: Ideo implicat Distinctio Virtualis Intrinseca in Creatis, ac etiam in Divinis extra mysterium Trinitatis, quia tam in Creatis, quàm in Divinis, extra mysterium Trinitatis, nulla prædicata contradictoria verificantur de identificatis realiter, quæ per Distinctionem Virtualem Intrinsecam, salvari debeant, ad quæ salvanda hæc distinctio unicè admitti debet. Nihil enim cogit ad asserendum, quòd alicubi in Creatis, vel in Divinis extra mysterium Trinitatis, verificentur prædicata contradictoria, de identificatis realiter adæquatè. E contra, in mysterio Trinitatis verificantur prædicata contradictoria de Essentia secundùm se, & de Personis, de Essentia inquam & Per-

Personis secum realiter identificatis; cogítque Fides, ad cognoscendam & asserendam hanc verificationem, quatenus docet: quòd *Pater generet*, *Filius generetur*, *Spiritus Sanctus procedat*; Essentia verò licèt sit Pater, Filius & Spiritus S. quòd *nec generet*, *nec generetur*, *nec procedat*. Quare in mysterio Trinitatis dari & admitti debet Distinctio virtualis Intrinseca inter Essentiam secundùm se & inter Personas, quæ, dicta Contradictoria salvet. Cùm nulla alia distinctio, quæ id præstet, inter extrema, de quibus hæc contradictoria verificantur, dari possit. Disparitas secundò est: Quia verificari contradictoria de identificatis realiter adæquatè, aut est supra, aut est contra lumen rationis: ùt dictum est suprà num. 10. Ergo hæc verificatio non est admittenda, nisi in his, de quibus per lumen superius Fidei, debent verificari contradictoria. Alibi verò talis verificatio, est contra lumen rationis. Adeóque implicatoria. Atqui in solo mysterio Trinitatis, per lumen supernaturale Fidei, & Revelationis Divinæ, debent verificari prædicata contradictoria de identificatis realiter. Ergo in solo mysterio hæc verificatio contradictoriorum est admittenda. Adeóque ulteriùs, ad illa salvanda, admittenda est Distinctio virtualis. Disparitas tertiò est: Quia in creatis implicat mysterium Trinitatis. Hoc enim, sicut est supra lumen rationis, ita superat omne ens creatum & creabile, ut sit imparticipabile ab ulla creatura, nec possibilis sit, ulla talis creatura, quæ in ratione talis mysterii, sit DEO similis. Id enim postulat, & summa DEI nostri perfectio ac dignitas, & tanti mysterii excellentia, & ipsius Creaturæ vilitas, ac infinita ejusdem à summa perfectione DEI, distantia. Ergo ulteriùs implicat in creatis Distinctio illa, quæ essentialiter supponit mysterium Trinitatis. Sed Distinctio virtualis supponit essentialiter mysterium Trinitatis. Quia supponit verificationem contradictoriorum de identificatis realiter, quæ ipsa est essentialiter affixa ipsi mysterio, nec alibi reperitur, præterquam in mysterio. Supponit enim identitatem Essentiæ in se unicæ & indivisibilis, cum tribus realiter distinctis Personis, atque ratione talis identitatis convenit Essentiæ, quòd *non generet*, *non generetur*, *quòd non procedat*. Ratione verò Distinctionis realis Personarum inter se, convenit Personis oppositio Relativa producentis & producti. Consequenter convenit *Patri*, quòd *generet*, *Filio* quòd *generetur*, *Spiritui S.* quod *procedat*. Non datur etiam, ac implicat mysterium diversum à mysterio Trinitatis, eidem simile, quòd sit inter ipsa prædicata DEI absoluta v.g. inter Essentiam, & inter attributa DEI. Quia tale mysterium, ejúsque difficultates, non debent multiplicari, & admitti alibi, præterquam ibi, ubi eas debere admitti Fides cogit. Cùm ergo Fides non cogat ad mysterium simile mysterio Trinitatis, alibi admittendum, quàm defacto secundùm fidei doctrinam admittatur, non debet illud alibi admitti, & nominatim: Cùm non cogat Fides ad mysterium simile mysterio Trinitatis admittendum, inter prædicata DEI absoluta ad se invicem comparata, non est inter hæc admittendum. Non admisso verè mysterio tali, inter Essentiam & attributa, non est admittenda Distinctio virtualis, supponens essentialiter mysterium mysterio Trinitatis æquale. Ex datis Disparitatibus constat, quòd in mysterio Trinitatis non implicet Distinctio virtualis Intrinseca, ex his rationibus, ex quibus implicat in creatis, & inter prædicata absoluta DEI. Ad tertiam Rationem dico: Distinctionem virtualem, quæ est inter Essentiam & Personas, in aliqua certa ratione esse *actualem*, in alia diversa ratione componibili cum priore, posse dici *Potentialem*. Est actualis, quatenus se ipsâ formaliter præstat, ùt alia sit actu Ratio objectiva *Essentiæ*, quæ verificat prædicata: *non generat*, *non generatur*, *non procedit*; *communicatur omnibus & singulis Personis*; & aliæ actu sint Rationes objectivæ *Patris*, *qui generat*, Filii, qui generatur, Spiritûs S. qui procedit, singularum Personarum, quarum nulla per identitatem immediatam communicatur alteri. Eadem Distinctio potest dici *Potentialis*, quatenus de distinctis hac Distinctione, possunt verificari prædicata contradictoria illísque convenire, potentialitate & virtualitate non excludente actum secundum, seu actualitatem verificationis, ac convenientiæ contradictoriorum, sed cum hac stante & componibili, imò ab ipso actu secundo illata. Defacto enim de Patre & Essentia

Eſſentia Divina verificantur contradictoria, illíſque conveniunt. Ergo poſſunt de illis verificari, illíſque convenire. Adeóque in Patre & Eſſentia eſt virtus & capacitas, ut de illis verificentur contradictoria, ídque ità, ut unum contradictorium verificetur de Eſſentia, alterum verificetur de Patre; non eſt tamen Diſtinctio dicta *Potentialis* in hoc ſenſu, quaſi ſit pura potentia ad diſtingui. Quartæ Rationis nego ſequelam. Ad Probationem illius dico: quòd Diſtinctio virtualis Intrinſeca inter Eſſentiam & Perſonas, quæ defenditur, ſicut non eſt Diſtinctio virtualis Intrinſeca Thomiſtica, ità nec eſt formalis ex natura rei Scotiſtica, ſed ab utraque illarum diverſa. Tum quia utraque hæc Diſtinctio tam Virtualis Thomiſtica, quàm formalis Scotiſtica, ità à ſui Propugnatoribus admittitur in myſterio Trinitatis, ut etiam admittatur in creatis inter gradus metaphyſicos Entis, & in Divinis, inter Eſſentiam Metaphyſicam, & inter alia prædicata abſoluta DEI. Diſtinctio verò Virtualis Intrinſeca, quæ hìc propugnatur, ità admittitur inter Eſſentiam & Perſonas Divinas ùt ſit eſſentialiter affixa myſterio Trinitatis, nec extra illud, ſit ullibi reperibilis, quin potiùs alibi implicatoria aſſeratur. Tum quia Diſtinctio virtualis Intrinſeca, quæ defenditur, ſupponit eſſentialiter Diſtinctionem realem inadæquatam extenſivè, illíque tanquam ſuo fundamento innititur; Diſtinctio verò virtualis Thomiſtica, & formalis ex natura rei Scotiſtica, hanc Diſtinctionem non ſupponit, ſed excludit. Cùm & Thomiſtæ & Scotiſtæ negent dari Diſtinctionem Inadæquatam extenſivè, & à fortiori negent, huic Diſtinctioni inniti ſuam Diſtinctionem formalem, aut virtualem. Quodſi aliqui Recentiores Thomiſtæ aut Scotiſtæ docent Diſtinctionem virtualem, & formalem ex natura rei ſtare cum Diſtinctione reali in tertio, Diſtinctionem hanc ſuam virtualem & formalem, dicunt eſſe fundamentum Diſtinctionis realis in tertio, non è contra; quatenus dicunt ſinè Diſtinctione virtuali vel formali ex natura rei, non haberi tria prædicata, quæ eſſentialiter requirit Diſtinctio realis in tertio. Doctrinam hanc expreſſam habes num. 160. in Objectione, ejuſque Ratione quarta. Tum quia Diſtinctio Virtualis Intrinſeca, quæ propugnatur, non habet aliam rationem, ex vi cujus admittatur, niſi verificationem contradictoriorum de Eſſentia & Perſonis, eámque ex Fide cognitam. Diſtinctio verò virtualis Thomiſtica, & formalis Scotiſtica, habent plura ſigna & argumenta, ex quibus inferantur ità, ùt etiam ipſam verificationem contradictoriorum, ex his ipſis ſignis & argumentis inferendam velint. Talia ſigna & argumenta ſunt: reperibilitas formalitatum, unius ſinè alia, diverſa definibilitas, conceptibilitas, ordo prioris & poſterioris inter formalitates &c. Quæ ipſa ſigna non evincunt dari Diſtinctionem virtualem Thomiſticam, nec Formalem ex natura rei Scotiſticam: ùt oſtenſum eſt num. 11. dum ageretur de Diſtinctione Eſſentiæ ab attributis. Deinde, ſi data ratio adverſariorum ſubſiſteret per rationem contrariam, non deberet eſſe Diſtinctio virtualis Thomiſtica, nec Formalis Scotiſtica inter ea, inter quæ non eſt reperibilitas unius formalitatis ſinè alia, nec diverſa definibilitas, aut conceptibilitas, nec ordo prioris ac poſterioris. Adeóque cùm inter Patrem ac Generantem in Divinis non ſint prædicta ſigna, *Pater*, *&* *generans*, non debent eſſe formalitates diſtinctæ virtualiter Diſtinctione Thomiſtica, nec formaliter ex natura rei Diſtinctione Scotiſtica. Et quia etiam Pater & generans non ſunt diſtincta realiter, de Patre & Generante non poterunt verificari contradictoria. Cùm hæc non poſſint verificari niſi de diſtinctis, quæ tamen verificantur. Siquidem *Pater* dicitur verè de Eſſentia, Generans non dicitur verè de Eſſentia.

184. Ad ſecundum Reſpondeo, primæ Rationis negando Antecedens; Probationis omiſsâ ſequelâ nego Minorem vel diſtinguo: Implicat prædicata contradictoria verificari de identificatis realiter extra myſterium Trinitatis. Concedo Minorem. Implicat contradictoria verificari de identificatis realiter, etiam in myſterio Trinitatis, ídque ſuppoſitis Diſtinctionibus iis, quæ, & quales admitti debent. Nego Minorem & Conſequentiam. Probationis Minorem diſtinguo: Implicat eſſe & non eſſe ejuſdem formæ ſibi identificari tam realiter, quàm virtualiter, ſeu ità, ut aliquid ſecundùm eandem Rationem objectivam, ſit eſſe formæ, ſecundùm quàm

quam est non esse formæ. Concedo Minorem. Implicat esse & non esse ejusdem formæ, sibi realiter identificari, absque eo, quòd identificentur etiam virtualiter, seu ità, ùt aliquid sit esse secundùm unam rationem objectivam, sit verò non esse ejusdem formæ secundùm aliam rationem objectivam. Nego Minorem. Ulteriorem Probationem similiter distinguo. Implicat, ut esse sit, tam realiter, quàm virtualiter suum non esse. Concedo. Implicat, ut esse sit realiter, non sit tamen virtualiter suum non esse. Nego. Vel sic iterum distinguo: Implicat ut esse secundùm unam rationem objectivam, sit realiter suum non esse secundùm aliam rationem objectivam, ídque implicat etiam in mysterio Trinitatis. Nego. Implicat ut esse secundùm unam rationem objectivam sit suum non esse secundùm eandem rationem objectivam. Concedo. Eâdem distinctione distinguenda erit ultima Implicantia: Implicat ut esse conveniens uni rationi objectivæ, sit realiter per suum non esse, alteri rationi objectivæ conveniens, implicat inquam, etiam in mysterio Trinitatis (quod semper additum esse volo.) Nego. Implicat, ut esse conveniens alicui rationi objectivæ, sit realiter per suum non esse eidem rationi objectivæ conveniens. Concedo. Secundam Rationem nego. Ejus Probationem distinguo: Talis debet esse Distinctio, qualia sunt contradictoria, quæ salvari debent, qualia inquam contradictoria sunt, ex parte formæ affirmatæ vel negatæ secundùm respectum ad Relationem distinctam spectatæ. Nego Probationis Antecedens. Talis debet esse distinctio, qualia sunt contradictoria spectata subjectivè, hoc est, qualia sunt ex parte subjecti, de quo verificantur. Concedo Antecedens. Distincto similiter Consequente, distinguo ulteriùs subsumptam Minorem. Sed prædicata contradictoria, quæ verificantur de Essentia & Personis, sunt prædicata realia & physica, spectata quoad formam affirmatam & negatam, talísque formæ respectum ad Relationem distinctam. Concedo Minorem. Sed contradictoria, quæ verificantur de Essentia & Personis, sunt prædicata realia & physica subjectivè, hoc est, quoad subjecta realia diversa. Nego Minorem. Hæc enim prædicata subjectivè sunt, *Essentia secundùm se*, *& Paternitas* v. g. quæ duo ad se comparata, sunt rationes diversæ unius ejusdémque realiter entitatis: ùt docet S. Thomas adductus superiùs num. 125. Tertiæ Rationis solutio habetur suprà num. 75. & iterum num. 87. Nunc in suppositione admissæ Distinctionis virtualis Intrinsecæ inter Essentiam secundùm se & Personas. Nego Antecedens. Probationem distinguo: Inter Patrem & Generantem, si Generans supponat pro Patre, non est ulla distinctio etiam virtualis. Concedo Probationem, deberet tamen negari suppositum, quòd Generans semper supponat pro Patre; supponit enim pro subjecto, de quo affirmatur vel negatur. Inter Patrem & Generantem non est ulla distinctio etiam virtualis, si Generans supponat pro aliquo alio, aliquomodo diverso, & non pro ipso Patre, illúdque significet & non Patrem, seu, in diversa sumatur appellatione. Nego Probationem. & dico: inter Patrem & Generantem, dum Pater affirmatur de Essentia, & de eadem Essentia negatur ly: *Generans*, esse distinctionem aliquam, eámque virtualem Intrinsecam. Nam hæc prædicata: *Pater, Generans,* dum unum affirmatur de Essentia, alterum de hac ipsa negatur, non habent eandem suppositionem & significationem; & secundùm aliquid aliud affirmatur unum, secundùm aliquid aliud affirmatur alterum; nimirum Pater affirmatus de Essentia, supponit pro Persona Patris, eámque significat (suppositio hæc & significatio à Theologis vocatur appellatio materialis) cùm enim ly: *Pater*, sit nomen substantivum, est ex se determinatum, ad id significandum, ad quod significandum est institutum. Est verò institutum nomen substantivum *Pater,* ad significandam Personam Patris, habétque completam significationem, nec dependet à quoquam alio, per quod ejus significatio compleri debeat. Ly: verò *Generans*, dum negatur de Essentia, non supponit pro Persona Patris, nec eam significat. Aliàs hujus propositionis: *Essentia non est generans*; sensus esset: *Essentia non est Persona Patris generans,* qui tamen dictæ propositionis non est sensus. Siquidem prior illa propositio est vera, hæc secunda est falsa. Potiùs ergo ly: *generans* negatum de Essentia, supponit pro ipso subjecto, de quo nega-

negatur, nimirum ſupponit pro ipſa Eſſentia, eámque ſignificat (quæ ſuppoſitio & ſignificatio, à Theologis vocatur appellatio formalis) Ly: enim *generans* eſt nomen adjectivum. Qualia nomina, cùm non habeant completam & determinatam ſignificationem, ſed compleantur & determinentur per ſubſtantivum, cui conjunguntur, ità, ùt pro illo ſubſtantivo ſupponant; ly: *generans* non habet ex ſe completam ſignificationem, ſed ad unam certam ſignificationem determinatur per ſubſtantivum, cui conjungitur. Et quia in hac propoſitione: *Eſſentia non eſt generans*; prædicatum: *generans* conjungitur cum ſubſtantivo: *Eſſentia*, de qua tanquam de ſubjecto negatur ly: *generans*, per ſubſtantivum Eſſentia determinatur ad ſignificandam Eſſentiam. Quare pro Eſſentia ſupponit, eámque ſignificat: ùt propoſitionis illius: *Eſſentia, non eſt generans*, ſenſus ſit: Eſſentia, non eſt Eſſentia generans. Hinc verò ulteriùs patet, prædicata illa contradictoria: Eſſe verè affirmabilem de Eſſentia, non eſſe verè affirmabilem de Eſſentia, quatenus verificantur de *Patre & generante*, ſalvari per Diſtinctionem, eámque virtualem, inter *Patrem & generantem*, ſumpta hæc, ſecundùm ſuppoſitionem & ſignificationem, quam debent habere, dum unum affirmatur de Eſſentia, alterum de eadem negatur.

§. VI.

An inter Eſſentiam & Perſonalitates detur Diſtinctio Rationis, & qualis illa? An itèm hæc Diſtinctio ſola ſufficiat ad ſalvanda contradictoria, quæ de Natura & Perſonalitatibus dicuntur?

185. Eſſentiam à Perſonalitatibus diſtingui per Rationem ſeu per actum intellectûs præciſivum, docent communiter Theologi, etiam illi, qui contradictoria, quæ verificantur in Divinis, nolunt ſalvari per ullam Diſtinctionem. Iidem Diſtinctionem hanc eſſe præciſivam ex parte objecti, communiter cenſent. Non omnes tamen eodem modo illam explicant, nec inter extrema eodem modo accepta admittunt. Quidam enim volunt Eſſentiam ſecundùm ſe, hoc eſt, nonniſi ſecundùm prædicata abſoluta, & communia toti Trinitati ſumptam, præſcindi ex parte objecti à Perſonalitatibus Divinis. Alii cum P. Antonio Perez exiſtimant Eſſentiam ſecundùm unam vel plures Perſonalitates acceptam, præſcindi ab alia diverſa Perſonalitate. Eandem Diſtinctionem Rationis ſufficere ad ſalvanda contradictoria in myſterio Trinitatis, aſſerunt multi, ídque cenſent, illam ſolam ſufficere, hoc eſt, putant, excluſa omni alia Diſtinctione reali vel objectiva inter Eſſentiam & Perſonalitates, per Diſtinctionem Rationis poſſe ſalvari non aliqua tantùm contradictoria, ſed quævis, quæ de Eſſentia & Perſonis verificantur, ità ut præter Diſtinctionem Rationis, nulla alia Diſtinctio requiratur, vel admitti debeat. Hanc ſententiam communiter propugnant Thomiſtæ; quamvìs hi per Diſtinctionem Rationis, videantur intelligere Diſtinctionem virtualem Intrinſecam. E Noſtris, Vasquez, Granado, Vekenus, Rozmer, Haunoldus, ac etiam P. Nicolaus Martinez, qui licèt docuerit Perſonalitates, tum à ſe invicem, tum ab Eſſentia diſtingui Diſtinctione reali immediata miſta identitati reali immediatæ, nihilominus vult omnia contradictoria, quæ ſecundùm fidem dicuntur de Eſſentia & Perſonalitatibus, ſalvari per ſolam Diſtinctionem Rationis.

186. Dicendum eſt primò. Eſſentiam à Perſonis diſtingui per Rationem, ſeu per actum intellectûs præciſivum; quæ ipſa præciſio, eſt præciſio objectiva.

Prima pars probatur: Ex identificatis ſecum realiter, illa diſtinguuntur per Rationem, quorum unum cognoſcitur abſque eo, quòd cognoſcatur aliud priori realiter identificatum. Quæ enim cognoſcuntur taliter, ut unum ex identificatis realiter cognoſcatur ſinè alio, illa ſeparantur à ſe intentionaliter; quæ verò ſeparantur intentionaliter, ſunt diſtincta intentionaliter, ſeu per Rationem. Sicut, quæ ſeparantur realiter, ſunt diſtincta realiter. Sed Eſſentia & Perſonalitates ſunt extrema identificata realiter, & ex his Eſſentia cognoſcitur abſque eo, quòd cognoſcantur Perſonalitates, Ergo. Minoris prima pars facilè admittitur. Secunda pars probatur: Per illas propoſitiones,

nes, per quas de Essentia affirmatur, quòd sit *una & indivisibilis*, quòd sit *quid absolutum*, quòd *communicetur per identitatem immediatam omnibus & singulis Personis*; Per illas itèm propositiones, per quas negatur de Essentia, quòd *generet*, quòd *generetur*, quòd *procedat &c.* per has inquam propositiones ex parte subjecti cognoscitur Essentia absque eo, quòd cognoscantur Personalitates realiter identificatæ ipsi Essentiæ. Id enim per dictas propositiones venit ex parte subjecti, de quo verè affirmantur quædam prædicata, & quædam verè negantur; quæ non affirmantur verè nisi de Essentia secundùm se, aliqua etiam non negantur verè, nisi de Essentia eàdem; nullatenus verò affirmantur vel negantur de Personis; de quibus potiùs contradictoria dictorum prædicatorum verificantur. Ergo per illas propositiones ex parte subjecti venit Essentia, non verò Personalitates. Adeòque ità cognoscitur Essentia, ut non cognoscantur Personalitates, ipsi Essentiæ realiter identificatæ. Adverto: Distinctionem Rationis in mysterio Trinitatis ità locum habere, & necessariam esse, ut etiam Distinctio, quæ vocatur realis in tertio, non possit sæpiùs haberi sinè Distinctione Rationis. Ut enim Essentia prout est in Patre distinguatur à Filio, necesse est, Essentiam sumi secundùm Paternitatem, & non sumi secundùm alias Personalitates: quod ipsum habetur per Distinctionem Rationis, & per cognitionem præcisivam Essentiæ à Filiatione & Spiratione passiva, licèt non à Paternitate.

187. Secunda pars probatur: Quæ Distinctio fit per cognitionem, quâ ex parte objecti directi cognoscitur unum ex identificatis realiter, non cognoscitur verò per eandem cognitionem ex parte objecti directi alterum ex identificatis, illa distinctio est Distinctio Rationis, quæ fit per præcisionem objectivam. Sed distinctio Rationis Essentiæ à Personis fit per cognitionem, quâ ex parte objecti directi cognoscitur unum ex identificatis realiter, nimirum cognoscitur Essentia, non cognoscitur verò ex parte objecti aliud ex identificatis, nimirum non cognoscuntur Personalitates realiter identificatæ ipsi Essentiæ. Ergo Distinctio Rationis Essentiæ à Personis fit per præcisionem objectivam. Major est definitio Præcisionis objectivæ, prout Præcisio objectiva communiter definitur & explicatur. Quam ipsam Definitionem suprà num. 32. propositam habes. Certè cognitio, quâ ex parte objecti directi cognoscitur unum prædicatum, seu ratio objectiva, non cognoscitur verò aliud prædicatum, & alia objectiva Ratio, priori realiter identificata, non est præcisio formalis propriè dicta. Hæc enim potiùs est cognitio, quâ totum objectum directum, omniáque prædicata, illi realiter identificata attinguntur relatè ad certa connotata, non attinguntur verò relatè ad alia connotata. Igitur cognitio, quâ, ex identificatis realiter, unum prædicatum vel ratio cognoscitur ex parte objecti directi, non cognoscitur verò alterum prædicatum, est præcisio objectiva. Minor deinde probatur: Tum quia dum elicitur hæc propositio: *Essentia non generat*; per subjectum, ità ex parte objecti directi attingitur Essentia, ùt nullatenus ex parte objecti directi attingatur Paternitas. Ità enim Essentia secundùm se, *non generat*, ut falsum omnino sit dicere de Paternitate, quòd & ipsa *non generet*. Cùm potiùs de Paternitate verum sit dicere, quod *generet*. Tum quia Distinctio Virtualis Intrinseca, quâ Essentia secundùm se distinguitur à Personis, præstat hoc. quòd Essentia secundùm se non generet, Paternitas secundùm se generet. Seu, quòd Essentiæ secundùm se sumptæ conveniat nem. cog. quòd *non generet*; Paternitati verò conveniat, quòd *generet*. Ergo eadem Distinctio Virtualis Intrinseca præstat, ut per propositionem: *Essentia non generat*; ex parte subjecti veniat Essentia secundùm se, nullatenus verò veniat ex parte objecti directi Paternitas secundùm se. Tum quia, dum intellectus elicit hanc propositionem: *Essentia communicatur per identitatem immediatam omnibus & singulis Personis*; per subjectum dictæ propositionis, ex parte objecti directi, non attingitur tota DEI entitas tam quoad prædicata absoluta, quàm quoad prædicata Relativa, licèt ad certa nonnisi connotata, nimirum connotata communia. Aliàs hæc propositio: *Essentia communicatur per identitatem omnibus Personis*, deberet sic intelligi: *Quidquid est DEUS, si referatur per cognitionem ad connotata communia,*

munia, communicatur omnibus & singulis Personis. Adeóque quævis Persona per hoc, quòd cognosceretur relatè ad connotata communia, communicaretur omnibus & singulis Personis. Et sic DEUS Pater, propter cognitionem quâ referretur ad connotata communia, communicaretur omnibus & singulis Personis, qui tamen, ratione identitatis realis immediatæ cum Essentia, non communicatur iisdem. Ergo per subjectum dictæ propositionis ex parte objecti directi attingitur Essentia, non attinguntur verò Personæ. Adverto: etiamsi Præcisio objectiva implicet in creatis, ac etiam in Divinis extra mysterium Trinitatis, non implicat tamen, in ipso Trinitatis mysterio, per quam Essentia præscindatur à Personis. Ratio est: Quia in mysterio Trinitatis de Essentia & Personalitate identificatis realiter, verificantur prædicata contradictoria, non solùm physica & primò intentionalia, sed etiam secundò intentionalia & logica. Eô enim ipsô, quòd de Essentia & Paternitate verificantur hæc prædicata physica: *Essentia communicatur omnibus Personis; Paternitas non communicatur omnibus Personis;* verum est dicere: *Essentia cognoscitur verè communicari omnibus & singulis Personis; Paternitas non cognoscitur verè communicari omnibus & singulis Personis.* Cùm omnis veritas objectiva possit cognosci, seu omne objectum possit cognosci, eo modo, quo modo se habet nem. cog. Atqui per talium prædicatorum verificationem habetur Præcisio objectiva. Ergo. E contra in Creatis & in Divinis extra mysterium Trinitatis, implicat de identificatis realiter verificari prædicata contradictoria, tam primò, quàm secundò intentionalia: ut constare facilè potest ex dictis num. 183. Ergo.

188. Dicendum est secundò: Etiamsi Distinctio Rationis salvet aliqua contradictoria, quæ verificantur de Essentia & Personis, tamen non aliter illa salvat, nisi supposita Distinctione Virtuali Intrinseca, & reali inadæquata extensivè. Eadem Distinctio Rationis non est sola sufficiens ad salvanda quæcunque contradictoria, quæ secundùm fidem dicuntur de Essentia & Personis.

Prima pars Conclusionis probatur: De Paternitate & Essentia verificantur hæc contradictoria: *Paternitas cognoscitur per subjectum hujus propositionis: Paternitas generat: Essentia non cognoscitur per subjectum ejusdem propositionis.* Sed hæc prædicata contradictoria salvantur per Præcisionem objectivam, Paternitatis ab Essentia. Quia hæc prædicata: *Paternitas cognoscitur per subjectum propositionis: Paternitas generat: Essentia non cognoscitur per subjectum ejusdem propositionis*, verificantur de Paternitate & Essentia per illam propositionem ejúsque subjectum præcisis. Verificari autem Contradictoria de extremis realiter identificatis, & per rationem præcisis ùt talibus, est, illa ipsa contradictoria salvari per Præcisionem. Sicut verificari contradictoria de extremis realiter identificatis, simul tamen aliqua distinctione distinctis, est salvari illa contradictoria per talem distinctionem. Ergo. Confirmatur: Distinctioni Rationis nihil deest, quo minùs salvet contradictoria secundò intentionalia dicta de Essentia & Personis. Ad hæc enim salvanda non plùs requiritur, quàm ut verificentur de Essentia & Personis præcisis, & ut non dicantur de eodem, secundùm omnino idem. Sed prædicata contradictoria secundò intentionalia verificantur de Essentia & Paternitate præcisis per subjectum propositionis: *Paternitas generat*, & supposita tali præcisione verificantur non de eodem secundùm omnino idem, sed de præcisis objectivè, & de distinctis per Rationem. Unum enim ex dictis contradictoriis verificatur de Paternitate, prout præcisa ab Essentia, alterum verificatur de Essentia præcisa à Paternitate. Ergo.

189. Secunda pars probatur: Tum quia Distinctio Rationis præcisiva objectivè Essentiæ à Personis supponit essentialiter Distinctionem virtualem Intrinsecam. Verificatio enim prædicatorum contradictoriorum intentionalium, de prædicatis realiter identificatis, unius ejusdémque entis, supponit æquivalentiam talis entis, quâ æquivalet pluribus in ordine ad verificanda contradictoria. Supponit itèm capacitatem dictæ verificationis contradictoriorum, in uno eodémque realiter: adeóque supponit Distinctionem virtualem intrinsecam, quæ definitur esse æquivalentia unius ejusdémque realiter entis pluribus in ordine ad verificanda

verificanda contradictoria. Ergo. Tum quia Distinctio Rationis præcisiva objectivè cùm faciat de uno eodémque realiter verificari contradictoria, supponit essentialiter mysterium Trinitatis. Siquidem prædicata Contradictoria de identificatis realiter, non possunt verificari nisi in mysterio Trinitatis. Cùm talis verificatio sit aut contra aut supra lumen rationis. Atqui ipsum mysterium Trinitatis supponit ulterius vel infert tam Distinctionem virtualem Intrinsecam, quàm realem inadæquatam extensivè, & per utramque hanc distinctionem salvantur contradictoria, quæ in dicto mysterio verificantur. Ergo & Distinctio Rationis præcisiva objectivè supponit eandem utramque distinctionem. Adeóque Distinctio Rationis non salvat contradictoria exclusa Distinctione Virtuali Intrinseca & reali inadæquata extensivè.

190. Tertia pars probatur *Primò*. Si Distinctio Rationis se solâ sufficeret ad salvanda quæcunque contradictoria, quæ secundùm fidem dicuntur de Essentia & Personis, quævis talia contradictoria verificarentur de distinctis per rationem ùt talibus. Contradictoria enim per hoc salvantur, quòd de distinctis verificentur. Ergo eatenus per aliquam distinctionem salvantur, quatenus de distinctis tali distinctione verificantur. Sed non omnia contradictoria verificantur de Essentia & Personis prout distinctis per rationem. Ergo. Minor probatur. Prædicata hæc: *generare, non generare . communicari, non communicari*; verificantur de Essentia & de Personis, independenter à Distinctione per Rationem. Ergo. Antecedens probatur. Tum quia si de Essentia & Personis, dependenter à Distinctione Rationis verificarentur dicta contradictoria, tunc Pater, dependenter à distinctione per Rationem haberet hoc, quòd *generaret Filium*; Essentia verò dependenter à tali Distinctione haberet, quòd *non generaret Filium*. Atqui hoc falsum est. Sublata enim Distinctione Rationis: *Paternitas generat, Essentia non generat*; *Essentia communicatur omnibus & singulis Personis*; *Paternitas non communicatur.* Quia nem. cog. hæc prædicata Essentiæ & Paternitati conveniunt. Ergo. Tum quia verificari contradictoria de Essentia & Personis prout distinctis per rationem, est verificari unum prædicatum de Essentia prout substante actui intellectûs præcisivo. Itèm, verificari alterum prædicatum contradictorium de Paternitate, prout substante itidem actui intellectûs præcisivo. Sed non verificantur hac ratione prædicata contradictoria de Essentia & Paternitate. Ablato enim quocunque actu præcisivo intellectûs, & non intellecto, adhuc Essentia non generat, Paternitas generat; Essentia non distinguitur realiter à Filio; Paternitas distinguitur realiter à Filio. Hæc enim prædicata cùm sint realia & physica, postulant convenire suis subjectis independenter ab actu intellectûs. Cùm præsertim nihil cogat debere illa convenire subjectis nonnisi prout substantibus actui intellectûs. Ergo.

191. Eadem pars probatur *secundò*: Ad illa prædicata contradictoria salvanda, non sufficit se solâ Distinctio Rationis, quæ prædicata per aliam Distinctionem objectivam, & independentem à nostris conceptibus, salvata à contradictione, ipsa Distinctio Rationis necessariò invenit. Sed prædicata contradictoria, quæ secundùm fidem verificantur de Essentia & Personis, per aliam distinctionem, quam essentialiter supponit, salvata invenit ipsa Distinctio Rationis, nimirum prædicata: *generare, non generare, communicari non communicari*, Distinctio Rationis salvata invenit per Distinctionem virtualem Intrinsecam, quam essentialiter supponit ipsa Distinctio Rationis. Eô enim ipso, quod detur Distinctio Virtualis Intrinseca, prædicata: *Communicari, non communicari* per ipsam salvantur prævìè ante Distinctionem Rationis. Adeóque dicta prædicata per Distinctionem virtualem salvata invenit Distinctio Rationis. Ergo.

192. Probatur *tertiò*. Non sola Distinctio Rationis salvat contradictoria, si propositiones, quæ de Essentia & Paternitate enuntiant prædicata contradictoria, sunt veræ Nimirum, si veræ sunt hæ propositiones: *Essentia communicatur, Paternitas non communicatur*; *Essentia non generat, Paternitas generat*, Atqui propositiones de Essentia & Personis enuntiantes contradictoria, sunt veræ. Quia sunt de fide Divina. Ergo. Major probatur. Quando dictæ propositiones sunt

 veræ,

veræ, tunc per illarum propositionum subjecta, ità præscinditur Essentia à Paternitate, ut in ipso objecto debeat respondere Essentia, quæ non generat, & Paternitas quæ generat: ídque hæc respondeant in objecto, nullam involvendo implicantiam. Quando enim dictæ propositiones sunt veræ, tunc sunt conformes suo objecto, & objectum illarum ità se habet, sicut ipsæ propositiones enuntiant. Adeóque in objecto sinè omni implicantia habetur Essentia, quæ non generat, & Paternitas quæ generat. Aliter enim hæ propositiones, non possunt esse conformes objecto. Sed quando in objecto dictarum propositionum datur sinè omni implicantia Essentia, quæ non generat, & Paternitas, quæ generat, tunc non sola Distinctio Rationis salvat contradictoria. Independenter enim à Distinctione Rationis, prædicta contradictoria in objecto verificativo propositionum præscindentium, hoc ipso sunt salvata, quòd Essentiæ & Personis, prout sunt objectum verificativum, conveniant sinè implicantia. Confirmatur: Etiamsi Essentia & Personæ prout veniunt per illas propositiones formales: *Paternitas generat*; *Essentia non generat*, iisdémque substant propositionibus, dicant Præcisionem & Distinctionem Rationis, tamen objecta verificativa talium propositionum, non dicunt ullam præcisionem & Distinctionem Rationis. Quia non dicunt ullum actum intellectûs, sed sunt prædicata rei, seu objecto convenientia, taliter se habentia, sicut enuntiant propositiones. Ergo cùm his prædicatis objectivè spectatis conveniant contradictoria sinè ulla implicantia, salvantur hæc independenter à Distinctione Rationis.

Proponuntur Objectiones.

193. Objicitur & probatur, quòd sola Distinctio Rationis sufficiat ad salvanda contradictoria, quæ secundùm fidem verificantur de Essentia & Personis: Primò: Patres & Concilia non aliam Distinctionem agnoscunt & admittunt in Divinis nisi Distinctionem Rationis. Ut constat ex Conciliorum & Patrum testimoniis adductis num: 125. in postrema objectionis Ratione. Ergo per hanc solam Distinctionem debent salvari contradictoria, quæ dicuntur de Essentia & Personis, & hæc sola ad illa salvanda sufficit. Confirmatur authoritate S. Thomæ, qui 1. parte Quæst. 39. Artic. 1. ad 2. dicit: *In quantum Essentia & Personæ in Divinis differunt secundùm intelligentiæ rationem, sequitur, quòd aliquid poßit affirmari de una, quod negatur de altera.*

194. Secundò Objicitur. Quæcunque contradictoria secundùm fidem dicuntur de Essentia & Personis, dicuntur necessariò de illis, per actum intellectûs præcisis. Impossibile enim est, per aliquam propositionem veram, quodpiam prædicatum repugnans Personis, affirmari de Essentia, absque eo, quòd per illam ipsam propositionem præscindatur Essentia à Personis. Similiter impossibile est, aliquod prædicatum conveniens Personis, negari de Essentia, absque eo, quòd Essentia præscindatur pariter à Personis, hoc est, absque eo, quòd per illum actum intellectûs, Essentia attingatur, non attactis Personis. Et sic per hanc propositionem: *Essentia communicatur omnibus & singulis Personis*, prædicatum ità affirmatur de Essentia, ut per subjectum, Essentia præscindatur à Personis. Per illam etiam alteram propositionem: *Essentia non generat Filium*: prædicatum ità negatur de Essentia, ut hæc per subjectum præscindatur à Paternitate. Ergo quævis contradictoria, quæ dicuntur de Essentia & Personis salvantur per Præcisionem & Distinctionem Rationis.

195. Objicitur tertiò. Ex una parte Distinctio Rationis maximè præcisiva objectivè, est sufficiens ad salvanda contradictoria, quæ dicuntur de Essentia & Personis. Ut enim hæc salventur, non plus requiritur, quàm ut contradictoria dicantur, aut non de eodem, aut de eodem quidem, sed non secundùm omnino idem. Seu hoc requiritur, ut contradictoria ità enuntientur, ut propositiones non sint contradictoriæ. Atqui Distinctio Rationis hoc præstat, quòd contradictoria dicantur de eodem sed non secundùm omnino idem. Quia præstat, ut verificentur de Rationibus seu formalitatibus ejusdem realiter entis, à se præcisis, & per Rationem distinctis. Per hoc autem ipsum facit ulteriùs, ut propositiones enuntiantes contradictoria, de Rationibus

nibus à se præcisis, non sint contradictoria. Ergo. Ex altera parte, ut contradictoria, quæ salvari possunt per Distinctionem Rationis, salventur insuper per aliquam Distinctionem objectivam, vel inadæquatam extensivè, nulla est necessitas. Quæ enim est illa? Ergo Distinctio Rationis præcisiva ex parte objecti, se sola est sufficiens ad salvanda contradictoria, quæ secundùm fidem dicuntur de Essentia, & Personis. Confirmatur: Si quid obstaret, quò minùs per Distinctionem Rationis salvarentur contradictoria dicta de Essentia, & Personis, hoc obstaret, quòd prædicata: *generat, non generat*, quæ salvari debent, sint prædicata realia. Adeóque exigant verificari de distinctis nem. cog. Sed hoc non obstat. Nam de justitia, & misericordia DEI distinctis nonnisì per Rationem verificantur contradictoria realia hæc: *Justitia DEI punit nocentes*; *misericordia non punit nocentes*; eadémque contradictoria per solam Distinctionem Rationis salvantur. Siquidem justitia, & misericordia DEI, nulla alia distinctione distinguuntur objectiva. Ergo.

196. Objicitur quartò. Contradictoria, quæ verificantur de Essentia, & Personis, qualia v. g. sunt: *Essentia communicatur tribus Personis*; *Paternitas non communicatur tribus Personis*; hæc inquam contradictoria non verificantur de Essentia, & Personis, prout sunt in statu objectivo, & à parte rei, seu nem. cog. Sed verificantur de Essentia, & Personis, prout substant nostris conceptibus, præcisivis, seu prout sunt in statu intentionali præcisionis. Ergo dicta contradictoria salvantur per Distinctionem Rationis. Antecedens probatur. Etiamsi de Essentia ùt præcisa à Paternitate verificetur, quòd communicetur Filio; non verificetur autem de eadem sic præcisa alterum contradictorium, tamen de Essentia, ùt est à parte rei, utrumque contradictorium verificatur, nimirum tam hoc, quòd communicetur Filio, quàm illud, quòd non communicetur Filio. Sic enim sumpta Essentia dicit per identitatem realem & Patrem, & Filium. Prout ergo dicit Patrem, non communicatur Filio, prout verò dicit Filium, communicatur Filio. Confirmatur: Si contradictoria verificarentur de Essentia, ùt est à parte rei, & de Personis, ùt sunt à parte rei, hæ propositiones: Res, quæ est Deitas à parte rei, non generat; Res, quæ est Paternitas à parte rei, generat: hæ inquam propositiones, deberent esse ambæ veræ. Sed hæ propositiones non sunt ambæ veræ. Licèt enim prima propositio sit vera, secunda tamen est falsa. Ergo.

197. Objicitur quintò. De Natura, seu Essentia, & communicabilitate ejusdem ipsi Filio v. g. verificantur hæc prædicata contradictoria: Natura, seu Essentia communicatur Patri; Naturæ communicabilitas ipsi Filio non communicatur Patri. Sed hæc contradictoria non salvantur per ullam aliam distinctionem, nisì per Distinctionem Rationis. Natura enim, & ipsius communicabilitas Filio, sunt prædicata, inter quæ non est ulla alia distinctio, præter Distinctionem Rationis. Nam neque est Distinctio virtualis intrinseca; quia hæc non datur inter prædicata absoluta DEI, qualia prædicata sunt: Essentia; & ejus communicabilitas Filio. Neque etiam est inter hæc prædicata Distinctio realis inadæquata extensivè; quia iterum per hanc Distinctionem Essentia distinguitur à prædicatis relativis, non verò à prædicatis absolutis. Ergo aliqua prædicata contradictoria in Divinis salvantur per solam Distinctionem Rationis. Ergo & alia sic salvari poterunt. Non est enim major ratio pro quibusdam, quàm pro aliis; idque salvantur prædicata primò intentionalia. Cùm & illa, quæ hic adducta sunt, sint prædicata primò intentionalia.

Solvuntur Objectiones.

198. Respondeo ad primum negando Antecedens. Authoritates Conciliorum, & Patrum num. 125. quo sensu intelligi debeant, constat ex num. 132. In præsenti dico: à Conciliis, & Patribus admittentibus solam Distinctionem Rationis inter Essentiam, & Personalitates, per ly *solam* excludi, & negari Distinctionem realem immediatam Essentiæ à Personis, quam erroneè docuit dari Gilbertus Porretanus; non excludi verò illas distinctiones, quas essentialiter supponit Distinctio Rationis, & quæ per ipsum Mysterium Trinitatis essentialiter inferuntur, sed potiùs has omnes distinctiones nomine Distinctionis Rationis intelligi,

ligi, aut hanc potiùs præ aliis nominari, quòd hæc præ aliis notior videatur. Per experientiam enim aliquomodo Distinctio Rationis innotescit, quatenus experimur aliquomodo, quòd per quasdam propositiones fidei cognoscamus Essentiam, non cognoscamus verò prædicata relativa Personarum Divinarum. Dici deinde potest, per Distinctionem Rationis, ad quam solam recurritur à Patribus, intelligi non illam solam Distinctionem, quæ est in actu intelligendi, sed etiam illam, quæ est inter Rationes objectivas unius, ejusdémque realiter entis, & ab his Rationibus distinctionem quamcunque objectivam, per quam una Ratio objectiva distinguitur ab alia, denominari Distinctionem Rationis. Cùm præsertim Distinctio Rationis, quæ fit per propositiones præcisivas Essentiæ à Personis, requirat in objecto verificativo earundem propositionum Distinctionem, quæ sit nem. cog. inter ipsas Rationes objectivas, quarum una sit Essentia, altera sit Personalitas. Ad Authoritatem S. Thomæ dico: Siquidem per propositiones formales fidei, quæ sunt de Essentia, & Personis, Essentia præscinditur à Personis, & è contra, ùt constat ex num. 115. hujus Disput. fieri è sensu S. Doctoris, quòd in quantum Essentia, & Personæ differunt secundùm intelligentiæ rationem, sequatur hinc, quòd aliquid possit affirmari de una, quod negatur de altera; hoc est, per formales propositiones contradictorias, quæ secundùm fidem dicuntur verè de Essentia, & Personis, de Essentia, & Personis non aliter enuntiari prædicata contradictoria, nisi de Essentia, & Persona à se præcisis, ità ut prædicatum, quod affirmatur de Persona præcisa ab Essentia, negetur de Essentia itidem præcisa à Persona. Cum quo simul stat, nec à S. Thoma negatur, hujusmodi propositionibus formalibus respondere propositiones objectivas; & rationibus ex parte subjecti propositionum formalium à se præcisis respondere rationes diversas, & distinctas objectivè, dariq; Distinctionem objectivam inter tales rationes, v. g. inter Essentiam, & Patrem, quæ tales sunt, ut de Patre verificetur ly: *generat*; de Essentia: *non generat*. Ex vi cujus distinctionis, alia est ratio objectiva, quæ verificat prædicatum de se affirmatum: *generat*; alia quæ verificat prædicatum negatum, *non generat*; seu secundùm quam aliud est objectivè subjectum, quod conformatur propositioni affirmanti, & aliud objectivè subjectum, quod conformatur propositioni neganti.

199. Ad secundum Respondeo primò cum Distinctione Antecedentis: Quæcunque contradictoria secundùm fidem dicuntur, hoc est, actualiter enunciantur per actum intellectûs de Essentia, & Personis, necessariò dicuntur de illis, à se per intellectum præcisis. Concedo Antecedens. Quæcunque contradictoria secundùm fidem dicuntur, hoc est, dici possunt, & ly: *dicuntur*, sumendo pro eodem, quòd conveniunt Essentiæ, & Personis, dicuntur hoc modo, & conveniunt illis à se per intellectum præcisis. Nego Antecedens, & distinguo similiter Consequens, vel certè nego simpliciter Consequentiam, & dico: Si contradictoria dicantur, hoc est, enuncientur per propositiones secundùm fidem veras, de Essentia, & Personis dici illa, & enunciari de Essentia, & Personis per actû intellectûs præcisis. Eo enim ipso, quòd aliquod prædicatum repugnans Personis enuncietur per aliquam propositionem de Essentia, per subjectum ejusdem propositionis præscinditur Essentia à Personis, de illáque sic præcisa ennnciatur prædicatum. Quòd tamen contradictoria dicantur, quasi in actu primo, hoc est, quòd conveniant Essentiæ, & Personis, conveniunt illis non præcisis per actum intellectûs. Quia conveniunt illis nem. cog. & independenter à nostris conceptibus præcisivis. Essentia enim nem. cog. & independenter à nostris conceptibus *communicatur* tribus Personis; nulla Persona comunicatur per identitatem alteri, adeóque non communicatur tribus Personis; Essentia independenter ab actu intellectûs præcisivo, *non generat*, *non generatur*, *non procedit*, *&c.* Respondeo secundò, idem Antecedens sic distinguendo: Quæcunque contradictoria secundùm fidem dicuntur de Essentia, & Personis, dicuntur de illis per actum intellectûs præcisis, prout præcisis. Nego Antecedens. Dicuntur de Essentia, & Personis à se præcisis, non tamen ùt præcisis. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Ac dico: Prædicata contradictoria, dum per propositiones formales enunciantur de Essentia, & Perso-

sonis, dicuntur quidem de illis à se præcisis; Quia per subjectum Essentia præscinditur à Persona, vel Persona præscinditur ab Essentia, non dicuntur tamen quævis prædicata contradictoria de Essentia præcisa ùt præcisa à Personis; hoc est, non dicuntur ità, ut unum contradictorium verificetur de Essentia nonnisì ùt præcisa, alterum verò contradictorium verificetur de Personalitate aliqua, v. g. de Paternitate itidem ùt præcisa. Siquidem Pater ùt præcisus per rationem ab Essentia, generat Filium, nec Essentia ùt præcisa à Patre non generat Filium, sed habet hoc independenter ab omni præcisione, & Pater quòd generet, & Essentia quòd non generet. Quamvìs hæ veritates objectivæ concipi non possint sinè præcisione. Unde præcisio habet se materialiter, & per accidens ad verificationem horum, & similium contradictoriorum, de Essentia, & Personis. Hinc verò deducitur ulteriùs contradictoria ejusmodi dicta de Essentia, & Personis non salvari per præcisionem. Quia præcisio non facit, ut hæc contradictoria dicantur de præcisis ùt talibus; adeóque non de eodem formaliter per actum intellectûs ùt tali. Contradictoria autem per hoc salvantur, quòd dicantur de distinctis ùt talibus, seu non de eodem, non identitate pertinenter se habente, imò essentialiter requisita ad verificationem non implicatoriam talium contradictoriorum. Respondeo tertiò, omisso Antecedente, distinguendo Consequens. Ergo quæcunque contradictoria, quæ dicuntur de Essentia, & Personis, salvantur per Distinctionem Rationis, exclusa quavis alia Distinctione objectiva, seu salvantur per solam Distinctionem Rationis. Nego Consequentiam. Salvantur per Distinctionem, sed non solùm, seu salvantur per Distinctionem Rationis, supposita alia Distinctione objectiva. Omitto hanc partem Distinctionis. Nam suppositis Distinctionibus objectivis, quæ supponi debent essentialiter inter Essentiam, & Personas, Distinctio Rationis pleraque contradictoria non salvat, sed salvata invenit per ipsas Distinctiones objectivas, salvat tamen aliqua, ùt constat ex num. 188. quæ nimirum verificantur de Essentia, & Personis, & substant conceptibus præcisivis. Adeóque de Essentia, & Personis ùt præcisis.

200. Ad tertium Respondeo, primam partem Antecedentis distinguo: Ex una parte Distinctio Rationis, &c. est sufficiens ad salvanda quæcunque contradictoria, quæ dicuntur de Essentia, & Personis. Nego hanc partem Distinctionis. Est sufficiens ad salvanda aliqua contradictoria. Concedo. Ad quæ verò contradictoria salvanda sufficiat Distinctio Rationis, ad quæ non sufficiat, constat ex num. præcedente. Nimirum sufficit ad illa, quæ non possunt verificari, nisì de distinctis per rationem ùt talibus; ad illa verò salvanda non sufficit, quæ verificantur, & verificari debent de extremis secundùm se, & independenter à Distinctione Rationis. Alteram partem Antecedentis simpliciter nego, & dico: Cùm aliqua contradictoria verificentur de Essentia, & Personis, prout sunt à parte rei, & nem. cog. necesse est, inter Essentiam, & Personas, prout sunt à parte rei, hoc est, independenter à nostris conceptibus, dari Distinctionem, quæ salvet hujusmodi contradictoria. Cùm itèm propositiones præcisivæ, Essentiæ à Personis, de Essentia enuntiantes prædicata repugnantia Personis, sint veræ, & conformes objecto, necesse est, objectum verificativum earundem propositionum habere tales formalitates, seu rationes objectivas, quæ respondeant subjectis propositionum, & quarum uni, puta Essentiæ, conveniat unum ex contradictoriis, & repugnet convenire alteri rationi objectivæ, nimirum Personæ, alterum non conveniat. Ad Confirmationem Respondeo: Omissa, seu transita Causali, nego Minorem. Ad Probationem Minoris à pari respondeo negando, quòd prædicata: *Justitia DEI punit nocentes*; *Misericordia DEI non punit nocentes*; prout verè conveniunt Justitiæ, & Misericordiæ DEI, sint prædicata propriè realia, etiamsi videantur esse talia. Sic enim debent intelligi propositiones, quæ hæc prædicata enuntiant, ut sint veræ: *Entitas Divina, prout concipitur esse Justitia, concipitur punire nocentes; Entitas Divina, prout concipitur esse Misericordia, non concipitur punire nocentes.* Quarum propositionum prædicata sunt secundò intentionalia, & verificantur de Justitia, & Misericordia distinctis per Rationem. Falsum autem est dicere, quòd in DEO ex parte objecti sit ali-

liquod prædicatum, quod ità puniat nocentes, ut alterum prædicatum realiter adæquatè eidem identificatum non puniat nocentes. Aliter diſcurrendum eſt de propoſitionibus: *Paternitas generat, natura non generat.* Hæ enim propoſitiones non poſſunt facere illum ſenſum: *Tota DEI entitas prout concipitur eſſe Pater, concipitur generare Filium. Tota DEI entitas prout concipitur eſſe Eſſentia, non concipitur generare Filium.* Falſa enim eſt prima propoſitio, quidquid ſit de veritate ſecundæ. Potiùs ergo illæ propoſitiones ut ſint veræ, debent facere hunc ſenſum; & in hoc ſenſu debent intelligi: *Ea ratio, & prædicatum Divinum, quod ſecundùm ſe eſt Paternitas, à parte rei, & nem. cog. generat Filium. Ea ratio objectiva & prædicatum, quod ſecundùm ſe eſt Eſſentia, à parte rei & nem. cog. non generat Filium.* Quarum propoſitionum prædicata ſunt realia, & à noſtris conceptibus independentia, exigúntque verificari de Eſſentia & Paternitate in ſtatu objectivo ſpectatis, non verò ùt ſunt in ſtatu præciſionis.

201. Ad quartum Reſpondeo negando Antecedens cum ſua Probatione, & dico: falſum omnino eſſe, quod Eſſentia prout eſt à parte rei, ſeu nem. cog. verificet utrumque illud Contradictorium: quòd communicetur Filio; & quod non communicetur Filio. Eſſentia enim ità dicit per identitatem realem, & Patrem & Filium, ut nem. cog. ſit virtualiter diſtincta à Patre & Filio, habeátque à parte rei hanc Diſtinctionem virtualem, quæ Diſtinctio præſtat, ut Eſſentiæ ratione ſui & ſecundùm ſe conveniat communicari Filio, & ut ſecundùm idem omnino communicetur Patri, ſecundùm quod communicatur ſeu identificatur Filio & Spiritui S. Præſtat itèm ut de Eſſentia ſecundùm ſe, nullatenus poſſit dici, quòd *non communicetur Filio*; ſed nec ratione identitatis cum Patre, poteſt dici, Eſſentia *non communicari Filio.* Quia Eſſentia non eſt capax hujus prædicati & denominationis, quod *non communicetur Filio.* Nimirum non eſt capax, ut propter identitatem cum Patre, denominetur *non communicata Filio.* Recole dicta num. 166. Confirmationis conceſsâ ſequelâ, nego Minorem. Et dico etiam ſecundam illam propoſitionem: *Res, quæ eſt Paternitas, à parte rei, generat*; ſi debitè intelligatur eſſe veram. Addidi ſi debitè intelligatur, hoc eſt, ſi non intelligatur quaſi univerſaliter, hoc nimirum modo: *Omnis res, quæ eſt Paternitas à parte rei generat.* Hoc enim ſenſu intellecta propoſitio, eſt falſa. Eſſentia enim eſt res, quæ eſt Paternitas, quæ tamen non generat. Si tamen hæc propoſitio ſumatur ſingulariter, per Rem intelligendo Hypoſtaſim Patris, ut ſenſus ſit: *Res, hoc eſt realis Hypoſtaſis, quæ eſt Paternitas, à parte rei generat*; eſt propoſitio omnino vera. Certè ſi quid obſtet, quò minùs ſic intellecta propoſitio: *Res quæ eſt Paternitas à parte rei generat*; eſſet vera, hoc obeſſet, quòd Hypoſtaſis vera & realis Patris, ſecundùm ſe, non eſſet Res. Sed hoc non obeſt. Paternitas enim ſeu Hypoſtaſis Patris, ſecundùm ſe ſumpta eſt res. Tum quia *generare*, non poteſt convenire niſì rei. Tum quia, quæ realiter à ſe diſtinguuntur, ſunt Res & Res. Sed Pater & Filius realiter à ſe diſtinguuntur. Ergo Pater & Filius ſunt Res & Res. Tum quia S. Thomas in primum Diſt. 2. Quæſt. 1. Art. 5. ad tertium, docet: quòd *quævis Relatio, ùt Paternitas per comparationem ad ſuum correlativum, nimirum ad Filium, eſt res, & realiter diſtinguitur ab ipſo.*

202. Ad quintum Reſpondeo: omiſſa Majore, nego Minorem. Ad Probationem dico: Inter naturam, & communicabilitatem ejuſdem Filio, ſumendo hanc adæquatè, quidditativè, eſſe Diſtinctionem aliquam nem. cog. quatenus natura dicit ſe ſolam, prout diſtinctam virtualiter à Perſonis, communicabilitas verò Eſſentiæ, ipſi Filio, ſumpta adæquatè quidditativè, dicit Naturam, identitatem realem naturæ cum Filio, & identitatem realem Filii cum natura. Adeóque ipſum Filium. Inter Naturam tamen & communicabilitatem ejuſdem Filio, ſumptam denominativè, hoc eſt pro fundamento communicationis & identitatis, eóque communi, nulla eſt nem. cog. diſtinctio. Dico deinde: de natura & communicabilitate ejuſdem Filio, ſumpta adæquatè quidditativè, verificari contradictoria: *Natura communicatur Patri; communicabilitas Naturæ Filio, ſumpta adæquatè quidditativè, non communicatur Patri.* Et hæc contradictoria ſalvantur per diſtinctionem, quæ eſt inter Naturam, & inter communicabilitatem ejuſdem Filio, adæquatè quidditativè ſumptam. De natura tamen

tamen & ejus communicabilitate fundamentaliter, & denominativè sumpta, nulla verificantur contradictoria; sed quodcunque prædicatum dicitur de Natura, idem omnino dicitur, & verificatur de communicabilitate ejusdem Filio, sumpta denominativè. Nimirum, sicut Natura communicatur Patri, ità & communicabilitas Naturæ Filio, denominativè sumpta, communicatur Patri. Hanc enim communicari Patri, nihil aliud est, quàm Naturam secundùm se, quæ identificatur Filio, êstque fundamentum talis identitatis, & communicationis, identificari enim Patri, quòd omnino verum est. Quodsi nulla verificantur contradictoria de Natura, seu Essentia, & communicabilitate ipsius Filio, sumpta denominativè, nullâ opus est inter hæc distinctione, quæ unicè ad salvanda contradictoria admitti debet. Recole dicta superiùs tum num. 154. tum num. 174. Ad ulteriorem Probationem dico: Naturam, & communicabilitatem Naturæ Filio, sumendo hanc denominativè, esse prædicata DEI absoluta. Quodsi communicabilitas Naturæ Filio sumatur adæquatè quidditativè, sic sumptam communicabilitatem ratione Filii, seu secundùm Filium, quem in obliquo importat, non esse prædicatum absolutum, sed relativum. Natura verò secundùm se sumpta, est prædicatum absolutum. Unde inter hæc datur, & dari potest Distinctio virtualis.

§. VII.

De Distinctione Innominata; de Identitate adæquata replicativè; de Negatione omnis Distinctionis inter Essentiam, & Personas; de Distinctione Naturæ Divinæ Realis, & Personarum Realium à Natura, & Personis Divinis Chimæricis; an per hæc salvetur Mysterium Trinitatis contra Argumenta infidelium?

103. Per Distinctionem Innominatam salvari contradictoria in Divinis, & Mysterium Trinitatis bene defendi contra infidelium Argumenta, docuit Franciscus Bonæ spei è sacro Carmelitarum ordine. Id ipsum præstari per Identitatem adæquatam replicativam Essentiæ Divinæ cũ Personis censet Caramuel, qui per identitatem adæquatam replicativam intelligit identitatem adæquatam Essentiæ cum Personis, ex vi cujus Essentia Divina est eadem adæquatè cum tribus Personis realiter à se distinctis, in iisdémque Personis per identitatem realem immediatam quodammodo replicatur. Denominatio hæc identitatis replicativæ desumpta est à similitudine replicationis localis, vi cujus una, eadémque res est, vel esset in pluribus locis adæquatis. Itèm à similitudine ubicationis definitivæ, ex vi cujus una, eadémque v. g. anima spiritualis hominis est tota in toto corpore hominis, & tota in singulis partibus ejusdem corporis, nimirum in capite, manu, pede, &c. Quidam eruditus, & ob ingenium à plerisque laudatus Recentior, in manuscriptis existimat ad salvandum Mysterium Trinitatis, & ad salvanda contradictoria, quæ de Essentia, & Personis secundùm fidem verificantur, non requiri ullam Distinctionem realem Essentiæ à Personis, sive immediatam, sive mediatam, imò potiùs requiri Negationem utriusque hujus Distinctionis conjunctam Distinctioni reali immediatæ Personarum à se invicem. Idem rursus censet ad salvanda contradictoria, quæ dicuntur de Essentia, & Personis, requiri, & sufficere Distinctionem, ex vi cujus vera, & realis Essentia Divina, veræ itèm, & reales Personæ Divinæ distinguuntur ab Essentia, & Personis Divinis Chimæricis.

204. Dicendum est *primò*: In salvandis contradictoriis, quæ de Essentia, & Personis Divinis secundùm fidem dicuntur, non bene recurri ad Distinctionem Innominatam. Ratio est: Tum quia ex una parte per sententiam oppositam non excluditur Distinctio inter Essentiam, & Personas. Adeóque maxima difficultas, quæ est in Argumentis infidelium, superari videtur. Ex altera parte non est ratio, cur declinetur difficultas, quæ longè minor est, nimirum quo nomine illa Distinctio sit nominanda. Ergo. Tum quia, etiamsi distinctio, quæ est inter Essentiam, & Personas, non sit sufficienter explicabilis, & effabilis, tamen ut constet, at

an ſit ſufficiens ad ſalvanda prima principia, & ad conciliandas primorum Principiorum Veritates cum Veritatibus Fidei, Diſtinctio hæc aliqua ratione explicari, & nominari debet, éſtne realis mediata, vel immediata? an Virtualis? an Diſtinctio Rationis, & ad quam proximè accedat? Certè ad ſuperandas Myſterii Trinitatis difficultates per ſalvationem contradictoriorum, quæ dicuntur de Eſſentia, & Perſonis, perinde eſt, nullam Diſtinctionem, atque Innominatam admittere. Cùm ergo admittenda ſit aliqua Diſtinctio, admittenda eſt Nominata. Tum quia, aliquæ Diſtinctiones nominatæ negari debent in Myſterio Trinitatis, quæ nimirum repugnant Fidei; ùt Diſtinctio realis immediata Eſſentiæ à Perſonis, quam erroneè admiſit Gilbertus Porretanus. Debet itèm negari Diſtinctio eodem modo multiplicans Eſſentiam, ac Perſonas, & excludens unitatem identitatis Eſſentiæ in diverſis Perſonis, qualem eſſe voluit Joachimus Abbas; tamen aliquæ Diſtinctiones ab Authoribus nominatæ, quæ non repugnant fidei, & quæ ad ſalvanda contradictoria, ſecundùm fidem verificabilia in Divinis, maximè idoneæ eſſe videntur, admitti poſſunt, ac etiam debent. Quales ſunt: Diſtinctio realis mediata, & inadæquata extenſivè, huícque Diſtinctioni infundata Diſtinctio virtualis intrinſeca. Ergo talis Diſtinctio quoad rem imprimis ſignificatam admittenda eſt. Deinde non eſt etiam Ratio efficax, cur & ipſum nomen Diſtinctioni huic impoſitum rejici debeat? Certè propter aliquas difficultates, quæ occurrunt circa nomen Diſtinctionis, non eſt facilè recedendum ab ipſo illo nomine, ſi non habetur commodius. Cùm ſit neceſſitas, quemadmodum contradictoria ſalvandi, quæ dicuntur de Eſſentia, & Perſonis, per aliquam Diſtinctionem, ità & nominandi eandem ipſam Diſtinctionem, ut conſtet, quòd hæc ſit ſufficiens ad ſalvanda contradictoria. Tum quia ad Diſtinctionem Innominatam recurrere, eſt nolle nominare Diſtinctionem, quæ eſt inter Eſſentiam, & Perſonas. Hoc verò ipſum eſt diffidere tali Diſtinctioni, & modo per ipſam ſalvandi contradictoria, quæ diffidentia eſt injurioſa Myſterio Trinitatis; reddit enim animoſiores infideles, ſuíſque Argumentis præfidentes cum injuria Myſterii, quod licèt ex ſolo lumine naturali non ſit cognoſcibile, ſuppoſito tamen lumine ſupernaturali Fidei, cognitum per fidem, defendi poteſt contra infidelium Argumenta per commodam ſolutionem eorundem. Ergo.

205. Dicendum eſt *ſecundò*: Per identitatem adæquatam replicativè, ſi non admittatur identitas inadæquata replicativè, conſequenter ſi non admittatur Diſtinctio inadæquata replicativè, non ſalvari Myſterium Trinitatis à contradictione. Quodſi admittatur tam identitas inadæquata, quàm Diſtinctio inadæquata replicativè, idem de hac ſentiendum eſt, quod de Diſtinctione inadæquata extenſivè ſentiendum eſſe ſuprà docuimus.

Ratio primi eſt. Quia difficultas potiſſima Myſterii Trinitatis, quæ ſuperari debet, eſt ſalvatio contradictoriorum, quæ ſecundùm fidem dicuntur de Eſſentia, & Perſonis. Atqui hæc non habetur per ſolam identitatem adæquatam replicativè, excluſa omni Diſtinctione inter Eſſentiam, & Perſonas. Contradictoria enim per hoc nonniſi ſalvantur, quòd non de eodem, ſecundùm omnino idem, ſed de diſtinctis aliquomodo dicantur. Si verò non detur Diſtinctio ulla inter Eſſentiam, & Perſonas, contradictoria, quæ de iiſdem ſecundùm fidem dicuntur, dicuntur de eodem ſecundùm omnino idem. Ergo ſi detur ſola identitas adæquata replicativè excluſa Diſtinctione quacunque inter Eſſentiam, & Perſonas, non ſalvantur contradictoria, quæ de ipſis ſecundùm fidem dicuntur.

206. Ratio ſecundi eſt. Si admittatur Identitas adæquata replicativè Eſſentiæ cum omnibus Perſonis, inadæquata verò replicativè cum ſingulis; adeóque ſi admittatur Diſtinctio inadæquata replicativè, quam infert identitas inadæquata replicativè, tunc & contradictoria, quæ dicuntur de Eſſentia, & Perſonis, per hoc ſalvantur, quòd unum v. g. *non generat*, dicatur de Eſſentia ſumpta inadæquatè replicativè, quomodo ſumitur Eſſentia, dum ſumitur cum Filio, ſeu ſecundùm Filium; aliud verò contradictorium, nimirum ly: *generat*, dicatur de Perſona Patris. Et inter talem identitatem, & Diſtinctionem, modúmque per ipſam ſalvandi contradictoria, ac etiam inter Diſtinctionem inad-

adæquatam extenſivè & modum ipſius contradictoria ſalvandi, eſt ſolùm differentia quoad vocem, non verò quoad rem ſignificatam. Proindéque illud dicendum erit, de hac Identitate, & Diſtinctione, quod dicitur de Identitate & Diſtinctione extenſiva. Nimirum, ſicut Diſtinctio inadæquata extenſivè ità ſalvat aliqua contradictoria, dicibilia de Eſſentia & Perſonis, ut præter ipſam admitti debeat Diſtinctio virtualis Intrinſeca, per quam ſalventur alia contradictoria, quæ dicuntur de Eſſentia ſecundùm ſe, & de Perſonalitatibus, ità & Diſtinctio inadæquata replicativè ſalvabit aliqua contradictoria; præter ipſam tamen neceſſaria erit aliqua Diſtinctio objectiva, vel virtualis Intrinſeca, quæ ſit inter Eſſentiam & Perſonas. Addo nihilominus in ſalvando Trinitatis myſterio, potiùs recurrendum eſſe ad Diſtinctionem realem inadæquatam extenſivè, quàm ad Diſtinctionem realem inadæquatam replicativè. Tum quia notiores, & hac ſaltèm noſtra ætate, magìs uſitati, & magìs communes ſunt termini, per quos explicatur Diſtinctio inadæquata extenſivè, quàm ſint termini per quos explicatur Diſtinctio inadæquata replicativè. Ergo. Tum quia in Sententia Caramuelis, prout eſt propoſita, non explicantur aliqua, quæ explicari debent, explicantur verò in ſententia propugnante Diſtinctionem inadæquatam extenſivè. Nimirum non explicatur, nec habetur terminus expreſſivus identitatis, ex vi cujus Eſſentia ſecundùm ſe, ità identificatur ſive omnibus, ſive ſingulis Perſonis, ut tam de omnibus, quàm de ſingulis, ſit verè affirmabilis, quæ identitas in ſententia propugnante Diſtinctionem inadæquatam extenſivè, vocatur Identitas adæquata intenſiva. In ſententia autem Caramuelis non habetur terminus, qui ſit talis identitatis expreſſivus. Identitas enim per quam Eſſentia replicatur identicè in omnibus Perſonis, & per quam Eſſentia taliter ſumpta eſt eadem cum iiſdem omnibus Perſonis, eſt identitas adæquata replicativè, quæ potiùs reſpondet identitati adæquatæ extenſivè, non verò identitati adæquatæ intenſivæ. Quare Sententia Carmuelis deficit in aliquo, in quo non deficit ſententia propugnantium Diſtinctionem Realem inadæquatam extenſivè.

207. Dicendum eſt *tertiò*. Identitatem realem immediatam Eſſentiæ cum Perſonis, ſumptam cum Diſtinctione reali immediata Perſonarum à ſe invicem, ſi excludatur quævis Diſtinctio inter Eſſentiam & Perſonas, non ſufficit ad ſalvanda contradictoria, quæ dicuntur in Divinis. Imò non poteſt ſtare identitas Eſſentiæ cum Perſonis cum diſtinctione Perſonarum à ſe invicem, ſi excludatur Diſtinctio realis inadæquata extenſivè inter Eſſentiam & Perſonas. Non poteſt pariter ſalvare prædicata contradictoria Diſtinctio Eſſentiæ Divinæ realis & Perſonarum realiũ, ab Eſſentia & Perſonis Divinis Chimæricis.

Prima pars probatur. Salvari contradictoria non poſſunt, ſi non detur Diſtinctio aliqua inter ea, de quibus hæc verificantur, etiamſi detur diſtinctio inter aliqua alia. Sed quædam ſunt contradictoria, quæ ità verificantur de Eſſentia & Perſonis, ut unum contradictorium verificetur de Eſſentia, alterum verificetur de Perſona vel Perſonis. Ergo hæc contradictoria ſalvari non poſſunt, ſi non detur diſtinctio aliqua inter Eſſentiam & Perſonas, etiamſi detur diſtinctio inter aliqua alia. Sed ſi detur identitas realis immediata Eſſentiæ cum Perſonis, Diſtinctio itèm immediata Perſonarum inter ſe, & excludatur omnis diſtinctio inter Eſſentiam & Perſonas, tunc non datur ulla diſtinctio inter Eſſentiam & Perſonas, ſolùmque datur diſtinctio inter Perſonas ad ſe invicem comparatas, hoc eſt inter unam Perſonam & aliam. Ergo, ſi detur Identitas &c. & excludatur omnis diſtinctio inter Eſſentiam & Perſonas, non ſalvantur contradictoria, quæ dicuntur de Eſſentia & Perſonis. Major imprimìs probatur. Quia ut ſalventur contradictoria, debent verificari de diſtinctis aliquomodo. Si enim verificentur de eodem omnino, eſt contradictio in tali verificatione, éſtque hæc impoſſibilis & chimærica. Cùm impoſſibile ſit idem eſſe & non eſſe. Si verò non detur ulla diſtinctio inter ea, de quibus contradictoria verificantur, hæc non verificantur de diſtinctis, ſed de eodem omnino. Minor prima pluries probata & declarata eſt ſuperiùs. Subſumpta minor patet ex ipſis terminis, qui videntur eſſe identici.

208. Secunda pars Concluſionis probatur: Implicat, ut aliquid tunc excluda-

tur, quando ponitur illativum sui essentialiter. Sed Identitas immediata essentiæ cum Personis conjuncta distinctioni reali immediatæ Personarum à se invicem, est essentialiter illativa Distinctionis realis inadæquatæ extensivè inter Essentiam & Personas. Ergo implicat ut Identitas realis immediata Essentiæ cum Personis, conjuncta Distinctioni immediatæ Personarum à se invicem, sit exclusiva Distinctionis realis inadæquatæ extensivè, Essentiæ à Personis. Implicat quoque ut admissa identitate immediata Essentiæ cum Personis, ac etiam admissa Distinctione immediata Personarum à se invicem, excludatur Distinctio inadæquata extensivè Essentiæ à Personis. Major certa videtur. Hoc enim ipso, si id, quod est essentialiter illativum alterius, posset stare cum exclusione ejusdem, & esset essentialiter illativum, & non esset. Minor probatur: Identitas realis immediata cum tribus Personis à se invicem realiter distinctis, infert Essentiam posse sumi cum una Persona, & sic sumptam Essentiam ùt talem non esse omnino eandem cum alia diversa Persona. Ergo infert distinctionem realem inadæquatam extensivè. Hæc enim nihil aliud est, quàm non identitas Essentiæ sumptæ secundùm unam Personam v. g. secundùm Patrem, cum alia diversa Persona, v. g. cum Filio.

209. Tertia pars probatur: Essentiam & Personas veras ac reales, distingui ab Essentia & Personis Chimæricis, est, Essentiam veram & realem & Personas veras & reales, non esse Essentiam & Personas chimæricas, seu non esse chimæram. Atqui Mysterium Trinitatis, & contradictoria, quæ verificantur de Essentia & Personis, non salvantur per hoc, quòd Essentia & Personæ Divinæ non sint chimæra. Tum quia hoc ipsum salvari debet, & ostendi solutione argumentorum, quæ ab Infidelibus proponuntur, quòd Essentia & Personæ Divinæ, quas Catholici veras & reales esse credimus, non sint chimæra. Non potest verò id ostendi, & salvari per hoc; quia Essentia & Personæ Divinæ non sunt chimæra. Per talem enim responsionem committitur manifesta petitio principii, & hic modus salvandi contradictoria, & solvendi argumenta Infidelium, exponit mysterium Trinitatis irrisioni eorundem. Tum quia contradictoria, quæ de Essentia & Personis dicuntur, salvari debent per Distinctionem inter illa, de quibus hujusmodi Contradictoria verificantur, nimirum salvari debent per distinctionem Essentiæ veræ & realis à Personis veris & realibus. Sed distinctio vi cujus Essentia & Personæ Divinæ non sunt chimæra, non est ulla distinctio Essentiæ veræ & realis à Personis veris & realibus. Hæc enim negatur, illa verò admittitur. Ergo.

Proponuntur Objectiones contra Concl. secundam.

210. Objicitur *primò*. Per Identitatem adæquatam Replicativam bene respondetur ad argumenta Infidelium contra Mysterium Trinitatis. Ergo hæc sola admittenda est. Antecedens probatur. Ad illud argumentum Infidelium: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pater & Filius sunt eadem uni tertio, nimirum Essentiæ Divinæ, seu sunt eadem cum Essentia Divina. Ergo Pater & Filius sunt secum idem. Adeóque Pater & Filius non sunt distinctæ Personæ. Ad hoc inquam argumentum, bene respondetur per hanc distinctionem: Quæ sunt eadem adæquatè uni tertio incommunicabili replicativè identicè pluribus distinctis, sunt eadem inter se. Concedenda Major. Quæ sunt eadem uni tertio communicabili replicativè identicè pluribus, sunt eadem inter se. Neganda Major. Minor pariter distinguenda, Sed Pater & Filius sunt eadem uni tertio, nimirum Essentiæ, & hæc est incommunicabilis replicativè identicè pluribus. Neganda Minor. Et hæc est communicabilis adæquatè identicè replicativè pluribus. Concedenda Minor, & neganda Consequentia.

211. Objicitur *secundò*. Ex una parte non implicat Identitas adæquata replicativè. In tali enim Identitate, nulla est evidens implicantia. Ex altera parte, hæc identitas in mysterio Trinitatis non potest negari etiam ab ipsis adversariis. Hi enim docent Naturam Divinam identificari adæquatè intensivè toti Trinitati & singulis Personis, quæ identitas adæquata intensiva quoad rem est identitas adæquata replicativè. Nam etiam per hanc identitatem, Essentia ita est eadem cum omnibus simul Personis, ut etiam sit eadem cum singulis. Præterea hæc identitas adæquata

ta replicativè eſt ſufficiens ad ſalvanda contradictoria. Si enim animæ hominis replicatæ in diverſis partibus corporis per ubicationem definitivam, conveniunt prædicata contradictoria, ut quòd anima, prout eſt in oculo, videat, non verò audiat; anima prout eſt in aure audiat, non videat &c. Pariter de Eſſentia prout replicata adæquatè identicè & de Perſonis, in quibus Eſſentia replicatur, poterunt verificari prædicata contradictoria.

Solvuntur objectiones.

112. Ad primum Reſpondeo negando Antecedens, vel certè diſtinguendo: Per identitatem adæquatam replicativè, ſi admittatur ſimul Diſtinctio inadæquata replicativè, bene reſpondetur ad argumenta Infidelium. Omitto hanc partem Diſtinctionis. Per identitatem adæquatam replicativè, etiamſi non admittatur Diſtinctio inadæquata replicativè, nec ad illam recurratur, bene reſpondetur ad argumenta Infidelium. Nego Antecedens. & Conſequentiam. Ad ulteriorem Probationem dico primò: quidquid ſit de hoc, an ad argumenta Infidelium petita ex principio illo: *Quæ ſunt eadem uni tertio &c.* bene reſpondeatur per identitatem adæquatam replicativè, ſeu per identitatem communicabilitatis, modo in objectione propoſito, tamen ad alia argumenta Infidelium, petita ex illo principio: *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe.* Seu: *impoſſibile eſt de uno eodémque, ſecundùm omnino idem, verificari Contradictoria.* Ad hæc inquam argumenta non reſpondetur, niſi fiat recurſus ad aliquam diſtinctionem inter Eſſentiam & Perſonas. Qua ratione enim reſpondebitur ad illud argumentum? Impoſſibile eſt de uno eodémque ſecundùm omnino idem verificari prædicata contradictoriá. Sed prædicata: *generare, non generare,* ſunt contradictoria; Paternitas verò & Eſſentia ſunt unum idémque omnino, ſi inter hæc, nulla admittatur diſtinctio. Ergo prædicata: *generare, non generare* non poſſunt verificari de Eſſentia & Perſona Patris, nulla inter hæc admiſſa Diſtinctione. Dices: ad hoc argumentum poſſe ſic reſponderi: Impoſſibile eſt de uno eodémque ſecundùm unam rationem communicabili, ſecundùm aliam rationem incommunicabili, verificari adducta contradictoria, negandum eſt. Impoſſibile eſt de uno eodémque, ſecundùm omnem rationem incommunicabili verificari contradictoria. Concedendum. Eodem modo diſtinctâ ſecunda parte Minoris, neganda conſequentia. Sed contra eſt *primò.* En jam recurritur ad unam & aliam rationem, adeóque ad rationes diſtinctas, & per hoc ipſum ad Diſtinctionem Rationum, ſecundùm quarum unam, Res una eadémque eſt communicabilis pluribus, ſecundùm aliam non eſt communicabilis pluribus. Conſequenter principium illud: *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*; ſeu: *impoſſibile eſt de uno eodémque verificari contradictoria*; non ſalvatur in myſterio Trinitatis, niſi per aliquam Diſtinctionem. Contra eſt *ſecundò*: Eſſe rationem communicabilem, non eſſe rationem communicabilem, ſunt prædicata contradictoria. Ergo ut verificentur de Eſſentia & Perſona aliqua Divina, ſalvari debent. Sed ſalvari aliter non poſſunt niſi per Diſtinctionem aliquam inter Eſſentiam & Perſonas. Ergo per hanc ſalvari debent. Adeóque aliqua diſtinctio eſt admittenda. Ad eandem Rationem primi Antecedentis dico *ſecundò.* Contra ſolutionem argumenti Infidelium in objectione propoſitam, ab iiſdem poſſe ſic inſtaurari & urgeri argumentum: Quæ ſunt eadem adæquatè uni tertio incommunicabili replicativè identicè pluribus, ſunt eadem inter ſe: ùt conceditur à Caramuele; cui conceſſæ Majori, hæc poteſt ſubſumi Minor. Sed Eſſentia & *Generans* ſunt eadem adæquatè uni tertio incommunicabili replicativè identicè, nimirum Patri. Nam & Eſſentia eſt idem cum Patre, & Generans in Divinis, eſt etiam idem cum Patre, ſeu eſt ipſe Pater, qui Pater eſt tertium quid incommunicabile replicativè identicè pluribus. Ergo Eſſentia & Generans ſunt eadem inter ſe. Adeóque ſicut Eſſentia eſt Pater, ità Eſſentia eſt generans. Ad quod argumentum facilè reſpondetur admiſſa Diſtinctione inadæquata extenſivè inter Eſſentiam & Perſonas reſpondetur inquam per talem argumenti diſtinctionem: Quæ ſunt eadem adæquatè tam intenſivè, quàm extenſivè uni tertio inter ſe, ſunt eadem inter ſe. Omitto Majorem. Quæ ſunt eadem adæquatè intenſivè, non tamen eadem adæquatè

quatè extensivè uni tertio, sunt eadem inter se. Nego Majorem. Minorem deinde distinguo: Sed Essentia, & generans sunt solùm intensivè eadem uni tertio. Transeat Minor. Sed Essentia, & generans sunt eadem adæquatè etiam extensivè. Nego Minorem. Licèt enim generans sit idem adæquatè extensivè cum Patre (quod omitto) tamen Essentia non est eadem extensivè cum Patre. Ad eandem Probationem dico *tertiò*: Per datam responsionem ad Argumentum infidelium tacitè insinuari Distinctionem replicativam inadæquatam. Adeóque ad illam recurri. Neque enim Paternitas secundùm se est eadem adæquatè replicativè cum tertio communicabili, nimirum cum Essentia, neque Filiatio est eadem adæquatè replicativè cum tertio, neque Essentia, quæ est unum tertium communicabile pluribus, est singulis Personis communicabilis replicativè identicè adæquatè. Communicabilitas enim replicativa adæquata, & identitas replicativa adæquata stat in replicatione identica cũ omnibus, cum quibus est eadem. Certè nisi hæc identitas inadæquata replicativa, & communicabilitas identica replicativa inadæquata intelligatur per datam responsionem, concludet rectè illud Argumentum: Quæ sunt eadem uni tertio communicabili pluribus, &c. non sunt eadem inter se. Sed Trinitas Personarum & simul sumpti, Pater, Filius, & Spiritus S. sunt eadem uni tertio communicabili pluribus, nimirum Essentiæ Divinæ. Ergo Trinitas Personarum Divinarum & simul sumpti, Pater, & Filius, & Spiritus S. non sunt eadem inter se. Quod omnino falsum est.

213 Ad secundum Respondeo: Primam partem Objectionis posse negari ab infidelibus, potéstque dici, Identitatem adæquatam replicativam implicare, si illâ admissâ oporteat verificari contradictoria de eodem omnino, hoc est: si hac admissa nulla admittatur Distinctio inter Essentiam, & Personas, ex vi cujus contradictoria, quæ de his verificantur, non de eodem omnino verificentur. Est enim evidens implicantia, idem omnino simul esse, & non esse, ac de eodem omnino verificari contradictoria. Quodsi tamen talis identitas adæquata replicativa admittatur, quæ stet cum Distinctione inadæquata, vel alia requisita, ut salventur contradictoria, in tali identitate non est evidens implicantia. Ad secundam Objectionis partem dicendum est ab iis Theologis, qui contradictoria in Divinis salvari volunt per Distinctionem realem inadæquatam extensivè, admitti hæc *tria*: Identitatem adæquatam intensivè; identitatem adæquatam extensivè, & identitatem inadæquatam, adeóque & Distinctionem inadæquatam extensivè, quam infert identitas inadæquata extensivè. Identitas adæquata intensivè, est Essentiæ, secundùm adæquatam rationem Essentiæ, hoc est secundùm omnia prædicata DEI absoluta, & toti Trinitati communia. Sic inquam sumptæ Essentiæ, identitas cum omnibus, & singulis Personis, eáque talis, ut ex vi illius Essentia sit verè affirmabilis de omnibus, & singulis Personis, & hæ vicissim de Essentia. Identitas adæquata extensiva est, Essentiæ, prout hæc sumitur, vel sumi potest secundùm omnes simul Personas. Sic inquam sumptæ Essentiæ identitas cum iisdem omnibus simul Personis. Identitas inadæquata extensivè est Essentiæ sumptæ cum una, vel duabus Personis identitas cum eadem, vel iisdem Personis, quæ in tantum est inadæquata, in quantum Essentia non sumitur cum omnibus Personis, ad quas se extendit; in tantum verò infert Distinctionem inadæquatam extensivè, in quantum Essentia sumpta cum una, vel duabus Personis, ità est eadem cum ipsis, ut sit distincta sic sumpta à Persona, cum qua non sumitur. Pariter Caramuel ut ex doctrina sibi opposita possit pro sua sententia aliquid derivare, deberet admittere triplicem identitatem; unam, quæ respondeat identitati adæquatæ intensivæ, alteram, quæ respondeat identitati adæquatæ extensivæ, tertiam, quæ respondeat identitati inadæquatæ extensivæ. Porrò licèt identitas adæquata replicativè videatur respondere identitati adæquatæ extensivè, sicut identitas inadæquata replicativè respondet identitati inadæquatæ extensivæ, tamen identitati adæquatæ intensivæ nulla respondet identitas in sententia Caramuelis. Ac in particulari non respondet identitas adæquata replicativè, cùm aliam speciem identitatis respondentem sibi habeat. Quare sententia Caramuelis deficit in explicanda, & per aptum ter-

terminum significanda identitate adæquata intensivè, ùt dictum est num. 205. ad finem. Tertiam Objectionis partem: quòd identitas adæquata replicativè sit sufficiens ad salvanda contradictoria, exclusa omni Distinctione inter Essentiam, & Personas, simpliciter nego. Ad Probationem ulteriorem dico: Prædicata contradictoria, quæ de anima rationali in diversis corporis partibus existente, & replicata verificantur, salvari per Distinctionem realem inadæquatam, quæ est inter animam hominis prout existentem in aure, & inter eandem animam, prout est in oculo, ratione diversorum organorum auris, & oculi. Ità pariter prædicata contradictoria, quæ verificantur de Essentia, identicè replicata, & de Personis, debent salvari per Distinctionem, quæ sit inter Essentiam sic replicatam, & inter Personas.

§. VIII.

Argumenta Infidelium qua ratione solvi debeant, juxta doctrinam de Distinctione Essentiæ à Personis, hactenus traditam.

214. Tota quidem præsenti Quæstione hæc materia tractabatur, qua ratione dogmata Fidei circa sanctissimum Trinitatis Mysterium, cum principiis lumine naturæ notis conciliari, & contra Argumenta infidelium defendi possint; taliúmque plurium Argumentorum solutio variis locis, & numeris sparsim est proposita. Quia tamen hoc maximè examinabatur, an ad salvanda contradictoria, quæ de Essentia, & Personis secundùm fidem verificantur, detur aliqua Distinctio inter Essentiam, & Personas, realiter immediatè Essentiæ identificatas. Nè aliæ difficultates ex variis principiis petitæ, prætermissæ videantur, tum Argumenta aliàs jam proposita, tum illa, quæ necdum attacta sunt, proponentur, ut sub uno veluti aspectu habeantur, & conformiter ad doctrinam traditam solvantur.

Proponuntur præcipua Argumenta Infidelium contra sanctissimum Trinitatis Mysterium.

215. Primi generis Argumenta sunt desumpta ex illo Principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* Ex quo Principio duo potissimùm dogmata fidei impugnari solent; unum, quod docet Personas identificari realiter immediatè Essentiæ Divinæ, & simul à se distingui realiter immediatè. Alterum, quod docet in Divinis, Patrem esse generantem, Essentiam, quæ est Pater, non esse generantem. Primum dogma tali impugnatur Argumento: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pater æternus, & Filius æternus, sunt eadem uni tertio, nimirum Essentiæ Divinæ, cum qua realiter immediatè identificantur, identitate veræ affirmabilitatis dictarum Personarum de Essentia, & Essentiæ de Personis. Ergo Pater æternus, & Filius æternus sunt idem inter se. Adeóque non distinguuntur à se. Secundum dogma sic impugnatur: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; sed Essentia, & generans sunt eadem uni tertio, nimirum Patri. Nam & Essentia Divina est Pater, & Pater est generans. Ergo Essentia, & generans sunt eadem inter se. Adeóque Essentia Divina est generans, quod repugnat Definitioni Concilii Lateranensis.

216. Secundi generis Argumenta sunt petita ex illo Principio: *Quæ duo ità comparantur, ut unum illorum sit idem cum aliquo tertio, alterum non sit idem cum eodem tertio, illa duo non sunt secum idem.* Ex quo Principio in Dialectica proponi solito deducitur *primò*: quòd Essentia, & Pater sibi non identificentur. Principiô adductô positô pro Majore, & subsumpta Minore sequente: Sed Essentia, & Pater sunt duo, quæ ità comparantur ad tertium, nempe ad Filium, ut Essentia sit Filius, & eadem cum Filio, Pater non sit Filius, nec idem realiter cum Filio. Ex quibus præmissis sequitur, & infertur: Ergo Essentia, & Pater non sunt secum idem, seu non identificantur secum. Deducitur *secundò*: Patrem, & generantem non esse secum idem, sic proposito Argumento: Quæ duo ità comparantur, ut unum illorum sit idem cum aliquo tertio, alterum non sit idem, illa non sunt eadem inter se. Sed Pater, & generans ità comparantur, ut *Pater* sit idem cum uno tertio, nimirum cum Essentia, alterum, hoc est, *generans*, non sit idem cum Essentia. Essentia enim non est generans. Ergo Pater, & generans non sunt eadem in-

inter se. Adeóque in Divinis Pater non est generans.

217. Tertii generis Argumenta infidelium sunt, quibus probant per Mysterium Trinitatis, & per dogmata Fidei, circa idem Mysterium, formam syllogisticam, & syllogismos expositorios, alioqui ratione formæ legitimos, non rectè concludere, in iisque præmissas esse veras, & consequentiam falsam. Tales imprimis sunt sequentes syllogismi affirmativi: *Essentia Divina est hic Filius. Sed Pater est Essentia Divina. Ergo Pater est hic Filius.* Itèm: *Hic Pater est generans. Sed Essentia est hic Pater. Ergo Essentia Divina est generans.* Cujus utriusque syllogismi, aliàs legitimè facti, præmissæ sunt veræ, Consequentiæ sunt falsæ. Quia fidei repugnantes. Tales quoque sunt illi syllogismi negativi: *Pater non est Filius. Sed Essentia est Pater. Ergo Essentia non est Filius.* Itèm: *Essentia non est generans. Sed Pater est Essentia. Ergo Pater non est generans.* Cujus iterum utriusque syllogismi concessis præmissis juxta principia fidei debent negari Consequentiæ.

218. Quarti generis Argumenta sunt, quibus probatur Mysterium Trinitatis repugnare illi Principio: *Impossibile est idem esse, & non esse.* Seu: *Impossibile est de uno, eodémque verificari prædicata contradictoria.* Talia Argumenta sunt: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, seu *de uno, eodémque verificari prædicata contradictoria. Sed generare, & non generare, sunt esse, & non esse*, seu *sunt prædicata contradictoria. Ergo impossibile est unum, idémque simul generare, & non generare.* Seu: *Impossibile est de uno, eodémque verificari hæc prædicata: generare, non generare.* Subsumitur: *Sed Pater, & Essentia sunt unum, idémque. Ergo impossibile est de Patre, & Essentia verificari dicta prædicata. Adeóque impossibile est de Patre verificari, quòd generet, de Essentia, quòd non generet.* Vel sic: *Possibile est de Patre verificari ly: generare, de Essentia* (quæ est unum, idémque cum Patre) verificare ly: *non generare.* Ergo possibile est de uno, eodémque verificari contradictoria. Adeóque possibile est idem esse, & non esse, quod lumini rationis repugnat. Alterum Argumentum ex eodem Principio est: *Impossibile est de uno, eodémque verificari contradictoria. Sed de Patre, & generante verificantur contradictoria.* Quia de Patre verificatur, quòd Pater sit verè dicibilis de Essentia. Cùm vera sit hæc propositio: *Essentia est Pater.* De generante verificatur, quòd non sit verè dicibilis de Essentia. Cùm falsum sit dicere: *Essentia est generans. Ergo impossibile est Patrem, & generantem esse unum, idémque.* Adeóque falsum est dicere de Patre, quòd *Pater sit generans.*

219. Quinti generis Argumenta sunt ex illo Principio: *Quidquid verè dicitur de uno ex identificatis realiter adæquatè*, seu: *de identificatis identitate veræ affirmabilitatis unius de alio, id ipsum verè dicitur, & dici debet de altero ex identificatis.* Cùm enim identitas vera, & realis adæquata, seu identitas veræ affirmabilitatis unius de alio, sit eorum, quæ secum identificantur, consensus in omni prædicato, implicat aliquod prædicatum convenire uni ex identificatis, de eóque dici, & non dici de altero ex identificatis, nec illi convenire. *Sed Essentia, & Pater sunt identificata realiter, identitate veræ affirmabilitatis unius de alio. Ergo quidquid verè dicitur de Patre, idem verè dicitur de Essentia. Sed de Patre verè dicitur, quòd sit generans. Ergo & de Essentia verè dici debet, quòd Essentia sit generans.* Quod tamen repugnat fidei. Et iterum: *Quidquid verè negatur de uno ex identificatis identitate veræ affirmabilitatis unius de alio, id ipsum verè negatur de altero ex identificatis. Sed Essentia, & Pater sunt identificata realiter identitate veræ affirmabilitatis unius de alio, & de Essentia verè negatur, quòd sit generans. Ergo & de Patre verè negabitur, & negari debet, quòd sit generans.*

220. Sexti generis Argumenta petuntur ex propositionum conversione, & in hunc modum arguitur. Ex propositionibus, quarum una est conversa, altera est convertens per conversionem simplicem, dum est legitima conversio: si propositio convertens est vera, etiam propositio conversa debet esse vera; quòd si convertens sit falsa, etiam conversa debet esse falsa. Sed propositiones hæ: *Essentia Divina non est generans. Ergo nullum generans est Essentia Divina*; sunt propositiones, quarum Antecedens est propositio conversa, Consequens est propositio convertens, ipsa verò conversio reducitur ad simplicem, ex his propositionibus conver-

vertens propositio est falsa. Cùm contradictoria illius hæc: *Aliquod generans est Essentia Divina*; sit vera. Pater enim æternus, qui est aliquod generans, est Essentia Divina. Jam verò propositio conversa, illa nimirum: *Essentia Divina non est generans*; utpote propositio fidei est vera. Et iterum ex his propositionibus: *Essentia est generans. Ergo aliquod generans est Essentia Divina.* Ex his inquam propositionibus, Antecedens est propositio conversa, Consequens est convertens, ipsa verò conversio ad simplicem reducitur. Quare si convertens est vera, ipsa quoque conversa debet esse vera. Sed de facto vera est convertens ex adductis propositionibus. Verum enim est, quòd aliquod generans sit Essentia Divina. Quia Pater, qui est aliquod generans, est Essentia Divina. Ergo, cùm conversio sit legitima, etiam propositio conversa debet esse vera. Nimirum verum esse debet, quòd Essentia Divina sit generans. Quod tamen fidei repugnat. Confirmatur. Vera est hæc propositio: *Pater Filii, est Essentia Divina. Ergo per conversionem*; etiam hæc propositio: *Essentia Divina est Pater Filii*; vera erit. Ergo ulteriùs vera illa etiam propositio est: *Essentia Divina est generans Filium.* Pater enim non potest esse Filii, si non generet Filium.

221. Postremum tandem Argumentum est: Essentia Divina est Pater generans. Quia ùt docet Concilium Lateranense: *Essentia est Pater, qui generat.* Cùm ergo Pater, qui generat, sit Pater generans. Si Essentia Divina est Pater, qui generat, eadem Essentia Divina est Pater generans. Ergo Essentia Divina est generans. Ex his enim, quæ conjunctim verificantur de aliquo subjecto, de eodem verificantur singula divisim. Si igitur Pater est generans, verificantur conjunctim de Essentia, ut cùm dicitur: Essentia est Pater generans, etiam divisim sumpta verificari debent. Adeóque hæc propositio: *Essentia est generans*, vera esse debet. Confirmatur. De Essentia Divina verè affirmatur Pater divisim, éstque vera non solùm illa propositio: *Essentia est Pater generans*; in qua Pater, & generans conjunctim prædicantur de Essentia; sed etiam est vera illa propositio: *Essentia est Pater*; in qua Pater divisim ex illis, quæ conjunctim prædicabantur, prædicatur de Essentia. Ergo etiam vera erit propositio: *Essentia est generans*, per quam ly: *generans*, divisim prædicatur de Essentia, quòd conjunctim per aliam propositionem verè prædicabatur de eadem. Confirmatur iterum. Filius æternus est ex Patre natus DEUS de DEO, ùt profitetur Concilium Nicænum in Symbolo fidei. Ergo divisim Filius æternus est natus DEUS, & natus ex DEO. Sed natus DEUS esse non potest, si non est natus secundùm Deitatem, seu Essentiam. Non potest etiam esse natus ex DEO, si non est natus, seu genitus ex Deitate. Adeóque si Deitas non est generans. Ergo Filius æternus est natus, seu genitus secundùm Deitatem, seu Essentiam, & est natus, seu genitus ex DEO, hoc est, ex Deitate generante. Adeóque Essentia Divina & generat, & generatur, quod repugnat definitioni Concilii Lateranensis.

Respondetur ad Argumenta infidelium.

222. Ad Argumenta primi generis petita ex principio illo: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* Respondeo per sequentes distinctiones. Primum Argumentum sic distinguo: Quæ sunt eadem adæquatè tam intensivè, quàm extensivè uni tertio, sunt inter se eadem. Concedo Majorem, & hunc esse verum principii sensum. Quæ sunt uni tertio eadem adæquatè intensivè, non sunt tamen eadem adæquatè extensivè, sunt eadem inter se. Nego Majorem. Minorem similiter distinguo: Sed Pater, & Filius sunt uni tertio eadem adæquatè tam intensivè, quàm extensivè. Nego Minorem. Sunt uni tertio eadem adæquatè intensivè, non tamen sunt eadem adæquatè extensivè. Concedo Minorem, & nego Consequentiam, ac dico: Cùm illa, quæ uni tertio sunt eadem solùm inadæquatè, non debeant esse eadem inter se, ùt patet in corpore, & anima hominis; quæ licèt sint eadem uni tertio, scilicet toti homini, quia tamen solùm ipsi sunt eadem inadæquatè, ideo non sunt eadem inter se. Habetur tunc ulteriùs etiam illa: Quæ uni tertio sunt eadem inadæquatè extensivè, non debere esse eadem inter se. Cùm ergo Pater, & Filius sint uni tertio eadem inadæquatè extensivè, nimirum Essentiæ. Hæc enim ità est idem cum Patre, ut eti-

am extendatur per identitatem ad alias Personas; sequitur Patrem, & Filium non debere esse eosdem inter se. Alio modo sic potest distingui idem Argumentum: Quæ uni tertio sunt eadem adæquatè tam realiter, quàm virtualiter, sunt eadem inter se. Seu: Quæ sunt uni tertio eadem tam secundùm rem, quàm secundùm rationem (intellige objectivam) illa sunt eadem inter se. Concedo Majorem. Quæ uni tertio sunt eadem inadæquatè realiter, non sunt tamen eadem virtualiter, illa sunt eadem inter se. Seu: Quæ uni tertio sunt eadem quoad rem, non tamen quoad rationes objectivas, illa sunt eadem inter se. Nego Majorem, & distinguo Minorem: Sed Pater, & Filius sunt eadem cum uno tertio, nimirum cum Essentia, sunt inquam eadem tam realiter, quàm virtualiter; seu: sunt eadem non solùm quoad rem, sed etiam quoad rationem. Nego Minorem. Sunt eadem uni tertio realiter, non tamen virtualiter; seu: sunt eadem quoad rem, non verò quoad rationem. Concedo Minorem, & nego Consequentiam. Potéstque dici: ut aliqua, quæ sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se, necesse est, ut sint eadem tam realiter, quàm virtualiter, hoc est, ut non sint distincta virtualiter, ut itèm sint eadem tam quoad rem, quàm quoad rationem, intellige objectivam, hoc est, ut cum uno tertio, singillatim sumpta, non solùm sint eadem res, sed etiam ut sint una, eadémque Ratio objectiva. Sicut necesse est, ut cum uno tertio sint eadem realiter adæquatè res, nec sufficit, quòd sint eadem res realiter inadæquatè. Porrò Pater, & Filius sunt quidem realiter eadem cum uno tertio, nimirum cum Essentia, non sunt tamen eadem virtualiter. Siquidem tam Pater, quàm Filius distinguuntur ab Essentia Distinctione virtuali infundata Distinctioni reali inadæquatæ extensivè, per quam Essentia distinguitur à Personis. Unde Pater, & Filius non debent esse eadem inter se. Præterea & Pater cum Essentia, & Filius cum eadem Essentia, licèt sint una, eadémque res, non sunt tamen una, eadémque ratio objectiva, sed Pater, & Essentia sunt rationes diversæ objectivæ. Similiter Filius, & Essentia sunt itidem diversæ Rationes objectivæ verificantes prædicata contradictoria, quæ secundùm fidem dicuntur de Essentia, & Personis. Unde habetur, Patrem, & Filium non debere esse realiter secum idem. *Tertiò*: Idem Argumentum sic distingui potest: Quæ sunt eadem uni tertio identitate exclusiva omnis Distinctionis, quæ sit nem. cog. sunt eadem inter se. Concedo Majorem. Quæ sunt eadem uni tertio identitate non exclusiva omnis Distinctionis, sed admittente, & compatiente aliquam distinctionem, quæ sit nem. cog. illa sunt eadem inter se. Nego Majorem, & distinguo Minorem: Sed Pater, & Filius sunt eadem uni tertio identitate exclusiva omnis Distinctionis, quæ sit nem. cog. Nego Minorem. Sunt eadem uni tertio, identitate admittente, & compatiente aliquam distinctionem, quæ sit nem. cog. Concedo Minorem, & nego Consequentiam. Distinctio patet ex dictis. Dices: eodem modo aliqua debent esse eadem inter se, & distincta inter se, quomodo sunt eadem cum uno tertio, & quomodo sunt distincta ab eodem tertio. Ergo si Pater, & Filius sunt realiter immediatè idem cum Essentia, & distincti virtualiter ab eadem, Pater, & Filius erunt immediatè realiter identificati secum, & nonnisi virtualiter à se distincti. Respondeo negando Antecedens. Cujus falsitas manifestè patet in partibus totius inadæquatè distinctis à toto, v. g. in corpore, & anima hominis, quæ partes etiamsi idem sint inadæquatè cum toto homine, & ab eodem distinguantur solùm inadæquatè, tamen dictæ partes non sunt secum identificatæ realiter inadæquatè, nec à se distinguuntur realiter inadæquatè, sed potiùs una pars ab altera distinguitur realiter adæquatè. Par ratio discurrendi est de identificatis realiter cum uno tertio, & distinctis ab eodem aliqua distinctione, quæ sit nem. cog. quòd hæc non debeant eadem identitate secum invicem identificari, nec debent eadem distinctione distingui, sed potiùs, quòd debeant immediatè realiter à se distingui. Cùm idem Fides doceat, nec præterea ullum principium, lumine naturæ notum, stet in oppositum. Ad secundum Argumentum ex eodem Principio deductum Respondeo cum tali distinctione: Quæ sunt eadem uni tertio secundùm unam appellationem, sunt eadem inter se, si secundùm diversam appellationem alterum ipsorum accipiatur, & veniat. Nego Majo-

jorem. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſecundùm unam certam appellationem, ſunt eadem inter ſe, ſi comparata ad ſe eandem appellationem retineant. Tranſeat Major. Minore omiſſa, diſtinguo Conſequens. Ergo Eſſentia, & generans ſunt eadem inter ſe, ſi generans eam appellationem retineat, quam habebat generans, prout eſt idem cum uno tertio. Concedo Conſequentiam. Sed nego ſuppoſitum, quòd eandem appellationem retineat, ſi ly: *generans*, eandem appellationem non retineat. Nego Conſequentiam, & dico: Aliqua duo non poſſe eſſe eadem inter ſe, ex eo, quòd fuerint eadem uni tertio, ſi quodpiam illorum variet appellationem, hoc eſt, aliam appellationem habeat comparatum ad unum tertium, & aliam appellationem habeat comparatum ad aliud extremum. Tunc enim alia duo deberent eſſe idem ſecum, & non illa, quæ erant idem cum uno tertio. Porrò Eſſentia, & generans ſunt talia duo, quorum unum, nimirum generans, aliam appellationem habet, comparatum ad unum tertium, nimirum ad Patrem, & aliam appellationem habet comparatum ad alterum extremum, nimirum ad Eſſentiam. Comparatum enim ad Patrem habet appellationem cadentem ſupra formale ſignificatum Patris; comparatum ad Eſſentiam habet appellationem cadentem ſupra formale ſignificatum Eſſentiæ. Nominum enim adjectivorum appellatio cadit ſupra ſubſtantiva, quibus conjunguntur, vel de quibus prædicantur, ùt dictum eſt ſuperiùs. Quare Eſſentia, & generans non debent eſſe eadem inter ſe ex eo, quòd ſint eadem uni tertio, nimirum Patri, ſeu cum Patre.

223. Ad ſecundi generis Argumenta Reſpondeo, diſtinguendo: Quæ duo itá comparantur, ut unum illorum ſit idem adæquatè tam intenſivè, quàm extenſivè cum uno tertio, alterum non ſit idem, illa duo non ſunt eadem inter ſe. Tranſeat Major. Quæ duo ità comparantur, ut unum illorum ſit idem realiter adæquatè intenſivè cum uno tertio, non ſit tamen idem adæquatè extenſivè cum eodem tertio, illa duo non ſunt eadem inter ſe. Nego Majorem, & diſtinguo Minorem. Sed Eſſentia, & Pater ità comparantur, ut Eſſentia ſit idem adæquatè tam intenſivè, quàm extenſivè cum tertio, nimirum cum Filio. Nego Minorem. Ità comparantur, ut Eſſentia ſit eadem adæquatè intenſivè cum Filio, non ſit tamen eadem adæquatè extenſivè cum eodem Filio. Concedo Minorem, & nego Conſequentiam, ac dico: Eô ipſo, quòd Eſſentia ſit eadem inadæquatè extenſivè cũ tertio, nimirum cum Filio, fieri poteſt, & defacto ità eſt, quòd hæc ipſa Eſſentia ſit eadem inadæquatè extenſivè cum Patre, qui non eſt idem realiter cum Filio. Adeóque ut Eſſentia, & Pater ſint idem inadæquatè extenſivè, ſimúlque Pater, & Eſſentia ſint idem inter ſe intenſivè. Nec obſtat identitas adæquata intenſiva Eſſentiæ cum Filio; hæc enim non tollit, ſed ſupponit identitatem inadæquatam extenſivam ejuſdem Eſſentiæ cum ſingulis Perſonis, cum eáque neceſſariò componitur. Pro ſecundi Argumenti ſolutione, diſtinguo Majorem: Quæ duo ità comparantur ad tertium, ut unum illorum ſit idem, alterum non ſit idem cum tertio, illa duo, ſi neutrum ipſorum mutet, & variet appellationem, dum ad ſe comparantur, non ſunt ſecum idem. Concedo, vel omitto Majorem. Illa duo, ſi mutet, & variet appellationem alterum ipſorum, dum ad ſe comparantur, non ſunt ſecum idem. Nego Majorem, & omiſſa Minore, diſtinguo Conſequens: Ergo Pater, & generans non ſunt ſecum idem, ſi generans comparatus ad Patrem, eandem appellationem retineat, quam habet, vel habere debet, comparatus ad Eſſentiam. Concedo Conſequentiam. Si diverſam habeant appellationem. Nego Conſequentiam. Porrò appellationem variat generans, dum comparatur ad Patrem, & dum comparatur ad Eſſentiam. Et dico: aliqua duo, quæ ità comparantur ad aliquod tertium, ut unum illorum ſit idem, alterum non ſit idem, non poſſe eſſe eadem inter ſe, ſi eandem appellationem retineant comparata ad ſe, quam habebant comparata ad tertium. Secùs ſi non retineant eandem appellationem. Si enim hanc non retinent, alia duo comparantur cum uno tertio in præmiſſis, alia duo ad ſe comparantur in Conſequenti. Cùm verò Pater, & generans comparantur ad Eſſentiam, generans, prout negatur de Eſſentia, aliam habet appellationem, & aliam habet, dum ge-

nerans comparatur ad Patrem. Nam dum generans negatur de Essentia, appellatio hujus nominis adjectivi cadit supra formale significatum Essentiæ, ut sensus sit: *Essentia Divina non est Essentia generans*; dum verò generans comparatur ad Patrem, & de Patre in Consequenti negatur, appellatio termini: *Generans*, cadit supra formale significatum Patris, ut sensus sit: *Pater non est Pater generans*. Hinc verò non evincitur, hæc duo: Patrem, & generantem non esse secum idem.

224. Ad tertii generis Argumenta infidelium Respondeo negando Antecedens. Nego inquam syllogismos, qui opponuntur, esse legitimos. Non sunt legitimi: Tum quia in quibusdam est vitium formæ detegendum, dum singuli syllogismi adducti examinabuntur. Tum quia præmissæ non sunt veræ, nisi sub certis limitationibus, in quibus, si accipiantur, conclusio, aut non infertur, aut si infertur, infertur in sensu Catholico, longè diverso à sensu infidelium, in quo illam inferri volunt. Et sic in primo syllogismo expositorio hoc est vitium formæ: quòd medius terminus æquivalenter universalis, & capax alicujus distributionis, non sit distributus in ulla præmissa, qui tamen distribui deberet hoc modo: Omne, quod est Essentia, est Filius. Sed Pater est Essentia. Ergo Pater est Filius. Quomodo correcti syllogismi cùm Major falsa sit, & Consequentia est falsa. Circa hoc dicti syllogismi vitium, vide si commodum fuerit Dialecticam à me typis datam Disput. 3. num. 48. Idem syllogismus potest sic distingui: Essentia Divina sumpta adæquatè extensivè est Filius. Nego Majorem. Sumpta inadæquatè extensivè, est Filius. Concedo Majorem. Minorem itidem distinguo: Sed Pater est Essentia Divina adæquatè extensivè sumpta. Nego. Inadæquatè extensivè sumpta, idque secundùm alium extensionis terminum, & non secundùm illum, secundùm quem sumitur, prout est Filius. Concedo Minorem, & nego Consequentiam. *Secundò* potest sic distingui: Essentia Divina est tam realiter, quàm virtualiter Filius. Nego Majorem. Essentia Divina est realiter, non tamen virtualiter, hoc est, non per identitatem etiam virtualem Filius. Concedo Majorem. Similiter distincta minore, nego Consequentiam. Potest *tertiò* sic distingui idem syllogismus: Essentia est Filius identitate exclusiva omnis distinctionis. Nego: Identitate conjuncta cum aliqua distinctione. Concedo Majorem, & sic distincta Minore, nego Consequentiam. Secundi syllogismi expositorii duplex est vitium: ratione formæ unum, quòd terminus: *Essentia*, æquivalenter communis, in conclusione accipiatur, & accipi deberet distributivè, qui tamen non est distributus in præmissa, in qua ponitur contra præscriptum regulæ Dialecticæ. Hujus enim syllogismi: *Hic Pater est generans. Essentia est Pater. Ergo Essentia est generans.* Hujus inquam syllogismi Consequentia utpote indefinita, in materia necessaria debet intelligi universaliter. Adeóque cum distributione termini æquivalenter universalis ly: *Essentia*; cum distributione inquam tali, qualis distributionis est capax, in hunc v. g. modum. Ergo omne, quod est Essentia, est generans. Qui terminus non est distributus in Minori. Si enim etiam in hac sumatur, ùt debet sumi, cum distributione, hoc modo: *Sed omne, quod est Essentia, est Pater*; Syllogismus quidem rectè concludet, sed Minor erit falsa; hac verò existente falsa, etiam Consequentia erit falsa. Alterum vitium ejusdem syllogismi est, quòd habeat quatuor terminos. Cùm enim ly: *Generans*, aliam habeat appellationem in Majori, aliam in Consequenti; ly: *Generans*, sumptum secundùm diversas, quas habet, appellationes, sunt duo termini, alii duo sunt: *Essentia*, & *Pater*. Quodsi ly: *Generans*, unam, eandémque appellationem habeat, ità, ut syllogismus sic intelligatur, ac etiam proponatur: *Pater est Pater generans. Sed Essentia est Pater. Ergo Essentia est Pater generans*; Syllogismus non laborabit vitio indicato, eruntque veræ tam præmissæ ipsius, quàm Consequentia. Tertius syllogismus illo iterum vitio laborat, quòd in consequenti debeat distribui terminus, æquivalenter communis, qui in præmissas (salva ejus veritate) distribui non potuit. Is enim syllogismus secundùm Oppositos, deberet hunc sensum facere: *Pater non est Filius. Sed aliquid, quod est Essentia, est Pater. Ergo omne, quod est Essentia, non est Filius.* Seu: *Nil, quod est Essentia, est Filius.* Qui syllogismus clarè est illegitimus; ut

sit legitimus, deberet sic formari: Pater non est Filius. Sed omne, quod est Essentia, est Pater. Ergo omne, quod est Essentia non est Filius; seu: nihil, quod est Essentia, est Filius. Cujus syllogismi cùm sit falsa Minor, falsa quoque est Consequentia. Quartus Syllogismus expositorius, vitiatus est duplici vitio; illo imprimis: quòd medius terminus: *Essentia*, æquivalenter communis, & capax alicujus distributionis, in nulla Præmissa distribuatur. Alterum vitium, quo vitiatur idem syllogismus, est, quòd constet quatuor terminis. Ly enim: *Generans*, aliam habet appellationem, in Majori, aliam in Consequenti. In majori enim supponit generans pro Essentia, ut sensus majoris sit: *Essentia, non est Essentia generans.* In Consequenti ly: *Generans*, supponit pro Patre, ut sensus sit: *Pater, non est Pater generans.* Ratione sic variatæ appellationis, *generans*, sunt duo termini, alii duo sunt: *Essentia & Pater*; clarúmque est hunc syllogismum non concludere. Quia non concludit & ille syllogismus, in quo hæc variatio exprimitur: *Essentia, non est Essentia generans. Pater est Essentia. Ergo Pater non est Pater generans.* Quòd si ly: *Generans*, & in Majori, & in consequenti, supponat pro Essentia, non vitiabitur hoc vitio syllogismus, erítque æquivalenter talis: *Essentia non est generans Essentia. Sed Pater est Essentia. Ergo Pater non est generans Essentia.* Cæterum hic syllogismus non est utilis ad intentum Infidelium.

225. Ad quarti generis argumenta Resdondeo: Primi argumenti majorem distinguo, seu Principium explico: Impossibile est idem, secundùm omnino idem simul esse & non esse, seu: Impossibile est idem, identitate exclusiva omnis distinctionis, simul esse, & non esse; Impossibile itèm est de uno eodémque & nullatenus distincto, verificari contradictoria. Concedo majorem. Vel potiùs, concedo hoc sensu intelligi debere Principium. Impossibile est idem, sed non secundùm omnino idem, simul esse & non esse; seu: Impossibile est idem, dicens aliquam distinctionem, simul esse, & non esse; Impossibile itèm est, de uno eodémque, simul tamen aliquomodo distincto, verificari contradictoria. Nego majorem: Aut potiùs nego sic debere intelligi Principium. Minore concessa, Consequens eàdem distinctione distinguo: Distinguo itèm subsumptam Minorem: Sed Pater, & Essentia sunt unum idémque identitate exclusiva omnis distinctionis, seu: ità sunt unum idémque, ut nullatenus distinguantur. Nego subsumptum. Sed Pater, & Essentia, sunt unum idémque dicens aliquam distinctionem, & aliquatenus distinctum. Concedo subsumptum. Et nego ultimam Consequentiam: ac dico: quòd impossibile sit, unum idémque, secundùm omnino idem simul esse & non esse; seu: Impossibile est, ut nullatenus sint distincta esse & non esse, & illa, quibus hæc conveniunt; Impossibile etiam est, ut contradictoria, de uno eodémque & nullatenus distincto verificentur. Non est tamen impossibile, ut unum idémque non secundùm omnino idem, sed potiùs secundùm distincta aliquomodo, sit simul esse & non esse. Non est itèm impossibile, de uno eodémque certa identitate, simul tamen de distinctis aliqua distinctione, verificari prædicata contradictoria. Porrò Pater, & Essentia, sunt unum idémque, sed non excludens omnem distinctionem. Sunt enim ità secum realiter identificata, ut simul sint aliquomodo distincta. Et dum de Patre & Essentia dicitur esse & non esse, de illísque verificantur contradictoria, dicuntur illa de identificatis realiter immediatè, sed simul de distinctis aliqua distinctione; ità ut de uno è taliter distinctis, verificetur esse, seu unum contradictorium, de altero verificetur non esse, & alterum contradictoriorum. Pater enim & Essentia, ità identificantur realiter immediatè identitate veræ affirmabilitatis unius de alio, ut simul sint distincta aliquomodo: nimirum sunt distincta Distinctione reali inadæquata extensivè, seu Distinctione mediata, ac etiam sunt distincta Distinctione virtuali Intrinseca, infundata Distinctioni inadæquatæ extensivæ. Et taliter distinctis, Patri & Essentiæ conveniunt esse & non esse, de iisque verificantur contradictoria, ità, ut aliqua verificentur de distinctis realiter inadæquatè, & per talem distinctionem salventur. De quo, abunde superiùs tractatum est. Hac ipsa Distinctione distinguendum erit idem argumentum, prout alio modo proponitur. Ad alterum argumentum ex eodem Principio

cipio petitum Respondeo, supposita distinctione, seu expositione Principii, quæ proximè data est, Minorem distinguo: Sed de Patre & Generante, prout generans supponit pro Patre, & prout appellatio termini, *generans*, cadit supra Patrem, verificantur contradictoria. Nego Minorem. Sed de Patre & Generante, prout generans supponit pro Essentia, & prout appellatio termini *generans*, cadit supra Essentiam, verificantur Contradictoria. Concedo minorem. Et distinguo Consequens. Ergo impossibile est, Patrem, & Generantem, si generans supponat pro Essentia, & appellatio dicti termini cadat supra Essentiam, esse unum idémque. Concedo Consequentiam. Impossibile est Patrem & Generantem, si generans supponat pro Patre, & appellatio nominis: *Generans*, cadat supra formale significatum Patris, esse unum idémque. Nego Consequentiam. Porrò, dum de Patre dicitur generans, ly: *Generans* supponit pro Patre, & appellatio termini *generans*, cadit supra formale significatum Patris. E contra, dum generans negatur de Essentia, ly: Generans supponit pro Essentia, & appellatio hujus termini, cadit supra formale significatum Essentiæ. Ad Probationem dico: de generante, hoc prædicatum: quòd generans non sit verè dicibilis de Essentia, eatenus verificari, quatenus ly: Generans, dum negatur de Patre, non supponit pro Patre, sed pro Essentia, Quodsi ly: Generans supponeret pro Patre, prout supponit, dum dicitur: *Essentia est Pater*. Generans verè dicitur de Essentia. Cùm vera sit hæc propositio: Essentia est Pater generans.

226. Ad Argumenta quinti generis Respondeo; Principium, ex quo desumitur primum argumentum, sic explicando: Quidquid dicitur de uno ex identificatis, identitate exclusiva cujusvis distinctionis, id ipsum debet dici de altero ex identificatis. Concedo Majorem. Quidquid dicitur de uno ex identificatis, identitate conjuncta alicui eorundem distinctioni, id ipsum debet dici de altero ex identificatis. Nego Majorem. Minorem deinde distinguo: Sed Essentia & Pater sunt identificata identitate exclusiva omnis distinctionis. Nego Minorem. Essentia & Pater, sunt identificata identitate conjuncta cum aliqua distinctione. Concedo Minorem. Et nego Consequentiam. Simili modo respondendum videtur ad alterum argumentum, desumptum ex altero illo Principio: Quidquid verè negatur de uno ex identificatis &c. Nimirum hoc Principium sic explicandum est: Quidquid verè negatur de uno ex identificatis, identitate exclusiva omnis distinctionis, id ipsum negari debet de altero, ex identificatis; hoc sensu intellectum Principium admitto. Quidquid verè negatur de uno ex identificatis, identitate conjuncta alicui Distinctioni, id ipsum debet negari de altero ex identificatis. Nego hunc sensum esse Principii. Distinguo deinde minorem, & nego Consequentiam.

227. Ad argumenta sexti generis Respondeo. Ad primum dico: Propositionem illam: *Essentia Divina non est generans*; non bene converti per illam: *Nullum generans est Essentia Divina.* Tum quia prædicatum propositionis conversæ: *Essentia Divina non est generans*; non est commune, sed singulare. Cùm in Divinis, unicum sit *Generans*. Ergo propositio dicta non bene convertitur conversione simplici per illam universalem negativam: *Nullum generans est Essentia Divina.* ídque non bene convertitur, etiamsi ly: *Generans*, supponat pro Essentia Divina, secundùm se. Quia etiam hæc secundùm se, est singularis & unicissima. Tum quia, ut sit legitima conversio, idem debet esse subjectum propositionis convertentis, quod fuit prædicatum propositionis conversæ, Idem inquam, quatenus debet pro eodem supponere, & idem significare. Sed istarum propositionum, ídque etiamsi corrigatur conversio, hac ratione: *Essentia Divina non est generans. Ergo generans Divinum non est Essentia*; Istarum inquam propositionum, subjectum Consequentis, seu convertentis, non est idem, quod est prædicatum Antecedentis, seu Conversæ; hoc est: non pro eodem supponit, nec idem significat. Nam prædicatum: *Generans*, propositionis Antecedentis, seu Conversæ, supponit pro Essentia, ut sensus sit: *Essentia non est generans Essentia.* Jam autem idem Generans, pro subjecto positum in propositione Convertente, supponit pro Patre. Etiamsi enim nomen adjectivum sinè substantivo positum pro prædicato propositionis, compleatur in

sua

sua significatione per subjectum propositionis, & pro illo supponat, tamen nomen adjectivum sinè substantivo positum pro subjecto propositionis, non completur in sua significatione per substantivum, pro prædicato propositionis positum, sed potiùs completur per substantivum, cui defacto convenit; ideóque tunc substantivè, & neutraliter, ùt plurimùm ponitur. Et sic, licèt hæc propositio: *Essentia non est generans*; hunc sensum faciat, & ità intelligi debeat: *Essentia Divina non est generans Essentia*; tamen hæc altera: *Generans Divinum non est Essentia Divina*; non ità est intelligenda: *Essentia generans non est Essentia Divina*; sed potiùs sic: *Pater, qui est generans, in Divinis, non est Essentia Divina.* Unde sequitur, conversionem etiam sic correctam, non esse legitimam; adeóque posse esse, & defacto esse conversam veram, & convertentem falsam. Quodsi quæras: qua ratione illa propositio; *Essentia non est generans*, converti debeat, ut sit legitima conversio? Respondeo: sic ipsam debere converti: *Ergo Essentia generans non est Essentia Divina vera.* Ad secundum ex conversione Argumentum Respondeo: Etiam hanc conversionem: *Essentia est generans. Ergo aliquod generans, est Essentia Divina*; non esse legitimam. Tum ex eo: Quia propositio de prædicato singulari non bene convertitur per propositionem particularem. Hoc verò ipsum fit per adductæ conversionis exemplum. Tum quia ly: *Generans*, aliam habet appellationem in propositione conversa, & aliam in propositione convertente; idque etiamsi vitium per rationem proximè superiorem detectum corrigeretur, hoc v. g. modo: *Essentia Divina est generans. Ergo generans Divinum est Essentia Divina.* Ly enim: *Generans*, positum pro prædicato propositionis conversæ, habet appellationem formalem, & cadit supra formale significatum Essentiæ. Jam verò ly: *Generans*, positum pro subjecto propositionis convertentis, habet appellationem materialem. Quia hæc non cadit supra formale significatum Essentiæ, sed supra materiale, nimirum supra Patrem, qui per hoc, quòd identificetur Essentiæ cum aliqua distinctione ab eodem, est materiale significatum Essentiæ. Quare illa propositio: *Generans Divinum est Essentia*; quæ secundùm factam correctionem existimatur esse convertens, facit hunc sensum: *Pater, qui est generans in Divinis, est Essentia*, quæ propositio est vera. Cùm tamen illa propositio: *Essentia est generans*, sit falsa. Non est itaque bene facta correctio conversionis, quæ sic potiùs corrigi debet: *Essentia vera Divina est generans. Ergo Essentia generans est Essentia vera Divina.* In quibus propositionibus tam in Antecedente, quàm in Consequente, ly: *Generans*, habet eandem appellationem, & utraque harum propositionum æqualiter est falsa. Ad Confirmationem dico: Concessis, Antecedente, & Consequentia Enthimematis, nego Illatum. Probationem distinguo: Essentia non potest esse Pater Filii, si Pater identificatus Essentiæ non generat Filium. Concedo Probationem. Essentia non potest esse Pater Filii, si ipsa Essentia secundùm se non generet Filium. Nego Probationem, & dico: Ut Essentia sit Pater Filii, sufficere, & requiri, ut Pater identificatus Essentiæ generet Filium; non requiritur autem, ut Essentia secundùm se generet Filium. Quia repugnat Essentiam realiter immediatè distingui à Filio, à quo tamen deberet distingui, si Filium generaret. Cùm debeant distingui realiter immediatè, quæ dicunt oppositionem producentis, & producti. Responderi etiam potest: Essentiam esse Patrem Filii, in sensu reali identico; non verò esse Patrem in sensu formali sumptum; quatenus Essentia identificatur realiter immediatè Personæ, quæ est Pater Filii, identificatur inquam identitate veræ affirmabilitatis unius de alio. Licèt Essentia secundùm se, hoc est, secundùm prædicata absoluta necessaria DEI, toti Trinitati communia, non sit Principium productivum Filii.

228. Ultimi Argumenti nego Consequentiam. Ad Probationem dico cum Distinctione. Ex his, quæ conjunctim verificantur de aliquo, de eodem singula eorum divisim verificari debent, si nullum ipsorum divisim prædicatum variet appellationem. Concedo Probationem. Si aliquod variet. Nego. Et sic de Petro, de quo verificatur, quòd sit *bonus musicus*, non debet verificari divisim, quòd sit *bonus*. Quia sic divisim prædicatum, *bonus*, variat appellationem. Cùm enim Petrus di-

diceretur *bonus musicus*, appellatio termini: *bonus*, cadebat supra esse, & formale significatum *musici*. Dum verò Petrus dicitur divisim *bonus*, appellatio termini: *bonus*, cadit supra formale significatum *Petri*, cui, non eo ipso convenit esse *bonum*, quòd sit bonus musicus. Cùm ergo in his propositionibus: *Essentia est Pater generans*. *Essentia est generans*; varietur appellatio termini: *generans*; in priori enim propositione, appellatio termini: *Generans*, cadit supra significatum *Patris*, cui adjungitur in prædicato, & est appellatio materialis. Quia non cadit supra principale subjecti propositionis formale significatum. Quale subjectum est *Essentia*. In posteriori propositione ejusdem termini: *Generans*, appellatio cadit supra formale significatum subjecti principalis, in propositione, quod est *Essentia*, & est appellatio formalis. Habetur hinc, propositionem illam priorem: *Essentia est Pater generans*, esse veram; alteram illam: *Essentia est generans*; esse falsam, nec generans divisim verificari de Essentia; quod tamen conjunctim cum esse Patris verificatur de eadem. Confirmationis primæ nego Consequentiam. Disparitas est: Ideo ly: *Pater* tam divisim, quàm conjunctim sumptus, cum adjectivo: *Generans*, verificatur de Essentia. Quia ly: *Pater*, habet realem immediatam identitatem veræ affirmabilitatis cum Essentia; nec sumptus *Pater* divisim à *Generante*, habet aliam appellationem ab ea, quàm habet Pater sumptus conjunctim cum generante. Nomina enim substantiva, quale nomen est ly: *Pater*, cùm habeant completam significationem, & significent determinatam entitatem, non variant appellationem per hoc, quòd conjungantur huic, vel huic adjectivo, sed eandem retinent communiter (nisì adjectivum sit diminuens, & de propria significatione substantivum dejiciens, ùt *homo pictus*) licèt cum aliqua denominatione per adjectivum adveniente. Aliter discurrendum de nominibus adjectivis. Hæc enim cùm non habeant completam significationem, nec significent determinatam entitatem, sed compleantur, & determinentur per substantivum, cui adjunguntur; vel per subjectum, de quo prædicantur; talia nomina necessariò mutant appellationem. Quare etiam nomen adjectivum: *Generans*, mutat appellationem, eámque aliam habet, dum in prædicato conjungitur nomini substantivo, *Pater*; aliam appellationem habet, dum divisim, & solitariè acceptum, prædicatur de subjecto: *Essentia*. Ad Confirmationem secundam dico: Secundùm Concilium Nicænum, *Filium æternum ex Patre natum*, hoc sensu esse, *DEUM de DEO*. Quia Filius æternus propter identitatem realem immediatam cum Natura Divina, seu cum Deitate, est verus DEUS, & Pater æternus, ex quo Filius est natus, itidem propter identitatem realem immediatam cum Deitate, seu Essentia, est verus DEUS. In hoc ipso sensu intelligenda, & accipienda est Consequentia. Subsumpta Minor debet negari, & dici: patere ex sensu exposito Concilii Nicæni, quòd Filius æternus possit esse, & sit natus DEus, licèt non sit natus secundùm Deitatem. Per hoc nimirum est *natus DEUS*: quòd *Persona*, secundùm quam natus est *ex Patre*, per identitatem realem immediatam cum Deitate, *fit DEUS*, & per sui generationem accipiat comunicatam sibi Deitatem. Pariter idem *Filius natus est ex DEO*, quamvìs non sit *genitus à Deitate*, seu Essentia Divina, per hoc: quòd sit *natus ex Patre*, qui propter identitatem immediatam cum Essentia DEI, & propter communicatam sibi Deitatem, est DEUS. Unde nullatenus sequitur Essentiam Divinam *generari*, & eandem *generare*, quod utrumque prædicatum de Essentia negat Concilium Lateranense.



DI-

DISPUTATIO III.

De Visione, Visibilitate, & Invisibilitate DEI.

DE Visione, quâ Beati vident DEUM, ejúsque Possibilitate, & Correlativa ipsius, Visibilitate DEI, ac etiam de Possibilitate Visionis, cui certa prædicata conveniant, tandem de Invisibilitate DEI per aliquam certæ rationis visionem, hac Disputatione tractabitur. Ea verò omnia, quæ de his, à Theologis agi solent, ad tres Quæstiones revocabimus. Quarum prima erit de Conceptu essentiali, possibilitate, & aliis prædicatis Visionis. Secunda erit de Principiis Visionis Beatæ. Tertia de Objecto ejusdem Visionis.

QUÆSTIO I.

De Conceptu essentiali, Possibilitate, aliísque prædicatis Visionis DEI.

TRia Puncta continebit præsens Quæstio. Primò agemus: Quis sit Conceptus essentialis Visionis Beatæ? An sit possibilis, & an debeat esse creata? Secundò quæremus: Cujus Potentiæ Actus debeat esse Visio Beata; seu an DEUS possit videri oculo corporeo, vel ab aliqua alia potentia materiali possit percipi. Tertio Puncto: An Visio DEI possit esse connaturalis alicui Substantiæ creabili, & an possit dari Visio creata comprehensiva DEI?

PUNCTUM I.

Quis sit Conceptus essentialis Visionis DEI? An sit possibilis hæc Visio? & an debeat esse entitativè creata in Beatis.

§. I.

Quis sit Conceptus essentialis Visionis?

1. Respondeo, & dico: Visionem DEI Beatam esse ex suo conceptu cognitionem clarè, immediatè, & ùt est in se ipso repræsentativam DEI, hoc est, non in medio aliquo, nec per species alienas, seu similitudines rerum creatarum, sed vel per speciem propriam DEI, si hæc est possibilis, vel per concursum immediatum objectivum ipsiusmet DEI.

Definitio hæc ut faciliùs intelligatur, sciendum est cognitionem intellectûs creati, quâ hic cognoscit objectum, aliam esse Ænigmaticam, Mediatam, & Abstractivam; Aliam esse Immediatam, & Intuitivam. Cognitio Ænigmatica est, qua repræsentatur objectum per aliqua ænigmata, & similitudines, ac instar aliorum objectorum, non verò prout est in se, adeóque repræsentatur per alienas species, & non per species proprias. Talis cognitio est illa, qua pro præsenti statu dum sumus in via, DEUS à nobis cognoscitur. Hic enim pro hoc statu cognoscitur à nobis per similitudines rerum creatarum, aliquatenus exprimentium perfectiones Divinas. Cognitio immediata, & intuitiva est illa, qua objectum repræsentatur, prout est in se, & per species proprias, non verò per species alienas, nec per similitudines aliorum objectorum. Talis cognitio est illa, qua pro hoc statu cognoscimus accidentia sensibilia. Hæc enim in se ipsis immediatè cognoscimus, non verò in aliquibus similitudinibus, aliàs in talibus similitudinibus deberet dari processus in infinitum. Hoc præmisso:

2. Explicatur Definitio: Dicitur *Cognitio*, per visionem enim cognoscitur objectum, ejúsque notitia perfectior comparatur, cùm per cognitionem ænigmaticam, & abstractivam notitia objecti nonnisi imperfecta habeatur. Dicitur *Cognitio repræsentativa*, Visio enim debet esse imago aliqua objecti, referens, & repræsentans objectum ipsi potentiæ, à qua elicitur. Dicitur *repræsentativa clarè.* Quia ad rationem Visionis propriè talis pertinet,

net, ità repræsentare objectum, ut illud quodammodo ponat ob oculos, faciátque formaliter illud cerni & conspici. Quod ipsum ulteriùs ex eo est; Quia nomen visionis prout attribuitur cognitioni intellectivæ (qualis cognitio necessariò est visio DEI) translatum est à visione materiali & corporali, per sensum, qui dicitur visus, eáque visione perfecta. Debet igitur visio hæc Intellectiva explicari per quandam similitudinem cum visione corporali, quæ si perfecta est, necessariò est visio clara, facítque formaliter rem cerni & conspici. Dicitur *repræsentativa immediatè DEI.* Tum quia etiam visio corporalis (per cujus similitudinem explicatur visio Beata) est repræsentativa immediatè sui objecti. Tum quia cognitio repræsentativa clarè, potissimùm claritate perfecta debet esse immediata. Cùm è contra cognitiones ænigmaticæ, & obscurè repræsentativæ sui objecti, sint cognitiones mediatæ. Dicitur repræsentativa DEI *ùt est in se.* Hoc enim prædicatum facilè infertur ex ratione repræsentationis DEI immediatæ. Præterea visio propriè talis, non debet repræsentare objectum, secundùm quod est in alio, sive tanquam in causa, sive tanquam in effectu, sive tanquam in alia similitudine: sed debet repræsentare objectum, secundùm suum esse actuale & exercitium. Unde etiam docetur communiter de ratione visionis esse, ut hæc terminetur ad rem prout existentem & præsentem. Quod ipsum ex eo ulteriùs est, quia visio propriè talis debet esse ejusmodi, ut res per ipsam videatur facie ad faciem. Tali autem modo rem videri, est illam videri nonnisi existentem & præsentem. Cùm etiam per visum corporalem, in tantùm dicantur videri facie ad faciem, in quantùm sunt existentia & præsentia videnti, seu in quantùm sunt coram facie, & ante faciem videntis. Dicitur ulteriùs, *per species proprias DEI,* vel per immediatum concursum objectivum ipsiusmet DEI. Cùm enim omnis cognitio fiat per concursum non solùm Potentiæ, sed etiam objecti, juxta illud axioma: Ex *potentia & objecto paritur notitia,* concursus verò objecti fiat vel ab ipso objecto, se ipso movente, & terminante, ac causante cognitionem, per illámque repræsentato, vel per speciem vicariam talis objecti, habetur hinc, etiam visionem DEI propriè talem, debere fieri vel per concursum objectivum immediatum DEI, vel per speciem impressam propriam DEI, si hæc est possibilis. Dicitur tandem: *Non verò per species alienas.* Cognitio enim quæ repræsentat DEUM per species alienas, est cognitio ænigmatica. Talis enim cognitio repræsentat DEUM per similitudines illorum objectorum, quorum species concurrunt ad cognitionem DEI. Hæ enim non possunt concurrere ad cognitionem alicujus alterius objecti, nisi repræsentando illud ad instar, seu per similitudinem eorum, quorum sunt species propriæ.

3. Ex hac Explicatione Colliges *primò* cognitiones Ænigmaticas, quæ nomine visionis, aliquando etiam significantur, esse solùm visionem in latiore & impropria acceptione, non esse verò Visionem propriè talem.

Colliges *secundò.* Cognitionem Intuitivam seu Visionem DEI esse propriè cognitionem Quidditativam ejusdem. Hæc enim cùm repræsentet DEUM prout est in se, repræsentat Rationem Differentialem DEI, sinè ulla confusione cum creaturis, & sinè permistione rationis differentialis creaturarum. Cognitiones autem DEI abstractivæ & ænigmaticæ, licèt videantur repræsentare rationem differentialem, adeóque Quidditatem DEI; quia tamen hanc ipsam rationem repræsentant cum aliqua confusione & permistione cum differentiis creaturarum, nam etiam tunc repræsentant DEUM ad instar creaturarum, ideo tales cognitiones non sunt quidditativæ; in maximè propria acceptione cognitionis Quidditativæ.

Explicatæ Definitionis bonitas probatur: quia convenit omni & soli & semper visioni propriè tali.

§. II.

An sit possibilis Visio Intuitiva DEI?

4. Error fuit Armenorum & quorundam Græcorum, docentium DEUM in se ipso, & in sua Essentia, non posse videri ab intellectu creato, sed solùm posse illum cognosci in quadam similitudine, ac luce ab ipso derivata, aliquatenùs tali, qualis illa

fuit

fuit in monte Thabor, in qua Christum viderunt Apostoli, quam ipsam lucem Theophaniam appellabant. Huic errori contrarium dogma Fidei Catholicæ est, quo profitemur DEUM videri posse in se ipso, & in sua Essentia, adeóque possibilem esse Visionem Intuitivam DEI. Licèt verò non sit ullum dubium, nec ulla controversia inter Doctores Catholicos de eo, an sit possibilis visio DEI propriè talis, quâ DEUS à creatura rationali videatur in se ipso, & in sua Essentia; est tamen adhuc controversia inter eosdem; an ex sola Fide hæc possibilitas visionis DEI, certa sit, an verò possit etiam demonstrari ratione positiva naturali eáque convictiva. Esse demonstrabilem tali ratione, docent, Scotus, Vasquez & Arubat. Alii verò negant communiter possibilitatem Visionis DEI immediatæ, posse demonstrari Ratione ulla naturali positiva: sed dicunt, ad summum posse illam demonstrari Theologicè, hoc est posse ex Fide deduci. Posse itèm suaderi probabiliter per medium negativum: solvendo scilicet omnes implicantias quæ afferri solent contra possibilitatem visionis intuitivæ DEI. Adeóque hac implicantiarum solutione posse ostendi negativè, quòd non repugnet Visio DEI, propriè talis.

5. Dicendum est *primò* Visionem DEI, quâ DEUS videtur in se ipso & in sua Essentia, esse possibilem Intellectui creato. Est de Fide.

Probatur *primò*: Authoritate Scripturæ. Tum quia Matt. 5. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Tum quia iterum Matt. 18. dicitur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris qui in cælis est.* Ubi per *faciem Patris*, S. Hilarius scribens in Psal. 118. intelligit *Essentiam DEI.* Tum quia 1. ad Corint. 13. *Videmus nunc in speculo & ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem sicut & cognitus sum.* Tum 1. Joan. 3. *Quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

6. Probatur *secundò*: Definitionibus Pontificum & Conciliorum. Definitione Benedicti XII. dicentis: *Definimus, quòd secundùm DEI ordinationem, Animæ Sanctorum, quæ ex hoc mundo purgatæ decedunt, ante Judicium generale videant essentiam DEI visione intuitiva & faciali, nulla mediante creatura, in ratione objecti se habente, sed Divina essentia nudè, & clarè, & apertè illis se ostendente.* Deinde Definitione Eugenii IV. in Concilio Florentino, in literis Unionis, definiente: *Illorum Animas, qui post baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt. Illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè DEUM trinum & unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs.* Postremò Concilii Francofordiensis in Epistola ad Episcopos Hispaniæ dicentis: *Prædicamus Christum unum DEUM & vivum, & verè Filium DEI, ut ad ejus Beatissimam Visionem pervenire mereamur, in qua est æterna Beatitudo.*

7. Dicendum est *secundò*: Possibilitatem Visionis, qua DEUS in sua Essentia videtur propriè & perfectè à Beatis, non posse demonstrari Philosophicè ratione naturali positiva convictiva, posse tamen demonstrari Theologicè, posse præterea probabiliter suaderi negativè.

Ratio primi est. Tum quia pro possibilitate Visionis propriè talis nulla ratio naturalis positiva afferri potest, quæ sit omnino convictiva Intellectûs, ut constabit solutione objectionum. Tum quia in tantùm Possibilitas visionis DEI propprié talis posset demonstrari ratione naturali positiva, convictiva, in quantùm tali ratione posset demonstrari vel existentia actualis ipsius visionis, ex rei enim existentia, infertur evidenter possibilitas ejusdem, cùm ab actu secundo, legitima sit consequentia viâ affirmativa ad actum primum, vel inquantùm posset demonstrari ratione naturali positivâ, convictivâ Existentia Entis, necessariò connexi cum Existentia vel possibilitate talis visionis, connexi inquam connexione evidenter demonstrabili. Ex existentia enim evidenter cognita, fundamenti alicujus connexionis essentialis, itidem evidenter notæ, clarè deducitur existentia vel possibilitas termini ejusdem connexionis. Sed neque existentia ipsius visionis secundùm se, potest demonstrari ratione naturali positiva convictiva, neque potest demonstrari Existentia Entis connexi, ejúsque connexio cum existentia vel possibilitate visionis intuitivæ DEI. Non potest imprimis demonstrari existentia visionis

ſionis DEI ſecundùm ſe ſumptæ; quia hæc eſt entitativè ſupernaturalis. Entium verò ſupernaturalium exiſtentia, ex ratione naturali certò & evidenter non cognoſcitur. Cùm & ſtatus ſupernaturalis, & exiſtentia Entium ſupernaturalium intrinſecè ſeu entitativè, ex ſola fide nobis innoteſcat. Non poteſt deinde demonſtrari Ratione naturali poſitiva, exiſtentia Entis evidenter connexi cum exiſtentia aut poſſibilitate viſionis. Quia nullum tale ens datur, cujus exiſtentia ratione naturali poſitiva, ſit demonſtrabilis, ſimúlque tali itidem Ratione, ſit demonſtrabilis connexio illius Entis cum exiſtentia vel poſſibilitate viſionis. Tum quia ſi Poſſibilitas Viſionis, eſſet Ratione naturali poſitiva demonſtrabilis, vel eſſet demonſtrabilis per cauſam, vel per effectum. Neutro modo eſt demonſtrabilis. Non per cauſam. Quia etiamſi cauſa viſionis ſit Intellectus naturalis creatus, qui eſt lumine & ratione naturali cognoſcibilis, tamen hic ſecundùm ſe præcisè ſpectatus, non eſt connexus cum exiſtentia Viſionis DEI. Quia ſola cauſa adæquata neceſſaria poteſt connecti cum exiſtentia effectûs, illúmque infallibiliter inferre. Intellectus verò creatus non eſt cauſa adæquata viſionis Beatæ, ſed ſolùm eſt cauſa inadæquata, eáque elevabilis per principium ſupernaturale. Cum Poſſibilitate verò viſionis licèt ſit connexús intellectus creatus ex illa ratione univerſali: Quòd omnis cauſa connectatur cum poſſibilitate ſui effectûs, tamen hæc connexio Intellectûs creati cum poſſibilitate viſionis, non eſt evidens. Evidentia enim hæc connexionis deberet haberi ex eo, quòd aliunde evidens eſſet Viſioni Beatæ defacto convenire Poſſibilitatem, poſſéque viſionem produci ab Intellectu creato, quod tamen evidens non eſt. Non eſt etiam demonſtrabilis exiſtentia vel poſſibilitas viſionis Beatæ Ratione poſitiva naturali per effectum. Quia nullus eſt effectus ratione naturali demonſtrabilis, qui ſit evidenter connexus cum hac determinatè cauſa, quæ eſt Viſio Beata, & cujus connexio poſſit pariter Ratione naturali demonſtrari.

8. Ratio Secundi eſt: Id poteſt demonſtrari Theologicè, quod poteſt deduci ſaltèm ex una præmiſſa revelata, ſeu Fidei Divinæ, Atqui hoc modo poteſt deduci poſſibilitas Viſionis. Poteſt enim deduci imprimìs tali ſyllogiſmo: *Poſſibilis eſt viſio, quâ DEUS videatur non in ſpeculo & ænigmate, ſed facie ad faciem. Atqui talis viſio, eſt viſio DEI propriè talis.* Eſt enim viſio DEI intuitiva, quæ ſola opponitur viſioni in ſpeculo & ænigmate. Eſt etiam viſio immediata. Videre enim facie ad faciem, eſt videre ſinè interventu ullius velaminis, adeóque eſt videre per ſpecies proprias, & in ſe immediatè. Secundò ejuſdem Viſionis poſſibilitas poteſt deduci hoc argumento: *Viſio, quâ videtur DEUS ſicuti eſt, eſt viſio propriè talis & intuitiva.* Cùm è contra, nulla viſio ænigmata ſit repræſentativa DEI ſicuti eſt; aliàs etiam nunc, dum ſumus in corpore, videremus DEUM ſicuti eſt, quod eſt contra Apoſtolum. Et ratio ulterior eſt: Quia DEUS per cognitiones ænigmaticas, repræſentatur, cum aliqua permixtione imperfectionum creatarum, quæ reperiuntur in ipſis ænigmatibus, & ſimilitudinibus, per quas repræſentatur. Dum autem DEUS repræſentatur cum permiſtione imperfectionum, non repræſentatur ſicuti eſt; ſiquidem DEUS eſt ſinè tali permiſtione. *Atqui poſſibilis eſt viſio, quâ DEUS videatur ſicuti eſt.* Talis enim viſio nobis promittitur in Epiſtola S. Joannis. Promitti verò à DEO, & nomine DEI, per ſcripturas, non poteſt niſì id, quod eſt Poſſibile. *Tertiò*: Quia eſt id poſsibile, in quo vita æterna, & ultima hominis Beatitudo conſiſtit, ſed vita æterna conſiſtit in viſione Beata, juxta illud ſcripturæ: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te DEUM verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Ubi per ly: *cognoſcant*, intelligitur cognitio intuitiva & immediata DEI, non verò cognitio ænigmatica. Cùm hæc poſsit dari etiam in homine viatore, qui non vivit vitâ æternâ. Ergo.

9. Ad Rationes Theologicas pro Poſſibilitate viſionis DEI propriè talis, poteſt revocari etiam ſequens Ratio, ipſa quoque principiis fidei infundata. Quando Intellectus naturalis creatus eſt elevabilis ad videndum DEUM, ſeu ad eliciendam viſionem propriè talem, tunc viſio DEI propriè talis eſt poſsibilis. Elevabilitas enim in Intellectu naturali creato, non poteſt dari niſì ad effectum poſsibilem. Sed intellectus naturalis creatus eſt elevabilis

ad

ad videndum DEUM, seu ad eliciendam Visionem DEI propriè talem. Ergo. Minor probatur. In intellectu naturali creato datur potentia inchoata ad videndum intuitivè DEUM, & ad eliciendam ejus visionem propriè talem. Ergo idem intellectus est elevabilis ad eliciendam visionem DEI propriè talem. Consequentia ex eo deducitur. Quia Potentia inchoata, & inadæquata respectu effectûs supernaturalis (qualis effectus est visio DEI propriè talis) cùm non sit complebilis per comprincipium naturale, debet esse complebilis per comprincipium supernaturale. Adeóque est elevabilis per tale comprincipium, ad dictum effectum ponendum. Nisi enim esset complebilis per tale principium, illa Potentia inchoata esset essentialiter frustra. Quia implicaret illam reduci ad actum. Antecedens superius probatur. In intellectu naturali creato datur potentia perfecta cognoscendi DEUM ænigmaticè, & abstractivè. Defacto enim naturaliter cognoscimus DEUM ænigmaticè, & abstractivè, quatenus cognoscimus eundem ex creaturis, & per similitudines creatas. Sed eò ipso quòd in intellectu naturali creato detur potentia completa ad cognoscendum abstractivè, & ænigmaticè DEUM, datur in eodem intellectu potentia inchoata ad eundem intuitivè videndum. Tum quia eò ipso datur potentia inchoata in intellectu naturali creato, ad cognoscendum intuitivè aliquod objectum, quòd illud objectum contineatur intrà sphæram, & latitudinem objectorum ejusdem intellectûs. Cùm omnis potentia per superaddita sibi comprincipia possit perfici in ordine ad eliciendum actum perfectiorem circa suum objectum. Sed eò ipso quòd intellectus naturalis creatus possit cognoscere DEUM abstractivè, & ænigmaticè, DEUS continetur intrà sphæram objectorum potentiæ intellectivæ, ùt clarum est. Ergo. Tum quia universaliter virtus, seu potentia ponendi actum imperfectum, est potentia inchoata respectu ponendi actûs perfectioris. Virtus enim aliquid imperfectè faciendi, est initium consummatæ virtutis faciendi perfectè. Ergo. Tum quia potentia eliciendi actus virtutum naturales, v. g. amoris DEI, Religionis, Justitiæ, &c. est potentia inchoata eliciendi actus earundem virtutum supernaturales. Ergo & potentia cognoscendi DEUM abstractivè, est potentia inchoata ad cognoscendum eundem intuitivè.

10. Ratio tertii est. Tunc rei alicujus possibilitas potest suaderi negativè, quando omnia Argumenta contra eandem Possibilitatem possunt solvi tanquam inevidentia, & non convictiva. Sed omnia Argumenta contra possibilitatem Visionis DEI propriè talis, possunt solvi tanquam inevidentia, & non convictiva, ùt constabit ex solutione Objectionum. Ergo.

Proponuntur Objectiones contra Conclusionem primam.

11. Objicitur primò, & arguitur ab Authoritate tum sacræ Scripturæ, quæ docet, DEUM esse invisibilem. Dicitur enim primò ad Timoth. 6. *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Joann. 1. *DEUM nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Tum Authoritate SS. Patrum, præcipuè Chrysostomi, Theodoreti, Basilii, Isidori, Hieronymi, & aliorum ità clarè asserentium, Deum non posse videri in sua Essentia ab intellectu creato, ùt Vasquez Tom. 1. in primam partem Disp. 37. cap. 4. senserit, omnes ferè Patres adeò perspicuis verbis negâsse Visionem DEI ab intellectu creato elici posse, ut si sincerè velimus loqui, vix possint in bonum sensum interpretari.

12. Objicitur secundò, & arguitur. Implicat actus intellectûs creati cathegorematicè infinitus. Sed Visio intuitiva DEI in sua Essentia est actus intellectûs creati cathegorematicè infinitus. Ergo. Minor probatur. Tum quia actus sumit suam speciem, adeóque & perfectionem ab objecto, potissimùm verò ab objecto formali motivo, & immediato. Ergo si alicujus actûs objectum formale immediatum sit cathegorematicè infinitum, debet & ille ipse actus esse cathegorematicè infinitus. Sed si daretur Visio intuitiva DEI in sua Essentia, illius Visionis motivum formale immediatum esset cathegorematicè infinitum. Tale enim motivum esset Essentia DEI, quæ est cathegorematicè infinita. Ergo. Tum quia actus superans infinitè omnes alios possibiles actus, debet esse infinitus. Talis enim actus necessa-

riò est perfectissimus saltèm in aliquo certo genere. Sed si daretur Visio intuitiva DEI, hæc esset talis actus; tantùm enim superaret alios actus possibiles, quantùm ipsum objectum dictæ Visionis superat objecta quorumcunque aliorum actuum: cùm actus crescant in perfectione, vel decrescant ad proportionem incrementi perfectionis in ipsis objectis. Cùm ergo DEUS per Visionem visus, sit objectum infinitè superans quævis alia objecta; Visio intuitiva DEI debet infinitè superare quosvis alios actus intellectûs creati circa alia objecta. Tum quia actus continens saltèm æquivalenter infinitas formalitates, est actus cathegorematicè infinitus. Sed Visio intuitiva DEI si daretur, esset actus continens æquivalenter infinitas formalitates. Quia continet formalitates respondentes infinitis perfectionibus Divinis. Cùm enim illa Visio repræsentet infinitas perfectiones DEI, quia repræsentat DEUM, sicuti est in se, debent in ipsa tot respondere formalitates, quot sunt perfectiones repræsentatæ. Ergo. Tum quia Visio objecti perfecti ùt duo, est duplo perfectior, quàm Visio objecti perfecti ùt unum. Et Visio objecti perfecti ùt tria, est triplo perfectior, quàm Visio objecti perfecti ùt unum, & sic deinceps. Ergo Visio objecti infinitè perfecti, debet esse visio infinitè perfecta; adeóque debet esse visio infinita. Tum quia productio termini infiniti est infinita. Ergo pariter visio objecti infinitè perfecti debet esse infinitè perfecta; adeóque debet esse infinita.

13. Objicitur, & arguitur tertiò. Si possibilis esset visio DEI in Essentia, posset intellectus creatus elevari ad talem visionem. Sed non potest elevari. Ergo. Sequela conceditur. Minor probatur. Tum quia non datur Potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet, ùt communior docet sententia. Ergo neque datur potentia obedientialis in intellectu creato ad cognoscendum intuitivè quodlibet objectum. Tum quia si intellectus creatus posset elevari ad producendam visionem immediatam Essentiæ Divinæ, deberet habere potentiam inchoatam ad producendam illam ipsam visionem. Non habet autem intellectus creatus dictam potentiam inchoatam. Quia hoc ipso inter intellectum creatum, & inter objectum dictæ visionis deberet esse aliqua proportio. Non est verò ulla proportio inter intellectum creatum, & inter objectum dictæ visionis. Objectum enim hujus est ipse DEUS, inter intellectum verò creatum, & inter DEUM non habetur proportio. Cùm finiti ad infinitum nulla sit proportio. Tum quia si intellectus creatus posset elevari ad videndum immediatè DEUM, deberet elevari per principium infinitum. Sicut enim ad producendum effectum infinitum requiritur virtus effectiva adæquata infinita, ità ad cognoscendum infinitum requiritur virtus cognoscitiva adæquata, & completa, quæ sit infinita. Sed principium elevativum intellectûs creati ad videndum DEUM non est infinitum. Tale enim principium dicitur esse lumen gloriæ. Quod tamen ex communi Theologorum sensu non est infinitum. Ergo. Tum quia oculus corporeus non potest elevari ad videndam Substantiam spiritualem, v. g. oculus bruti non potest elevari ad videndum Angelum, imò nec potest elevari ad videndam ullam substantiam etiam materialem. Ergo & intellectus creatus non potest elevari ad videndum Ens increatum. Tum quia intellectus creatus non potest elevari ad tendendum extra sphæram sui objecti; sicut & aliæ potentiæ non possunt ad hoc elevari, ut tendant extra sphæram sui itidem objecti. Sed si intellectus creatus posset elevari ad videndum immediatè DEUM, posset elevari ad tendendum extra sphæram sui objecti. Elevaretur enim ad hoc, ut tenderet in DEUM, prout clarè visibilem, DEUS autem ùt clarè visibilis, est extra sphæram intellectûs creati, sicut sapor est extra sphæram oculi. Confirmatur. Sonus auditu perceptibilis est extra sphæram objecti intellectûs. Ergo & DEUS ùt visibilis est pariter extra sphæram intellectûs creati. Tum quia intellectus creatus non potest elevari ad modum tendendi in objectum extraneum suæ virtuti connaturali. Et sic intellectus non potest elevari, ut per auditionem materialem percipiat sonum. Et ratio ulterior est: Quia nulla potentia vitalis potest elevari ad modum extraneum suæ virtuti connaturali. Et sic visus materialis non potest elevari, ut abstractivè cognoscat colorem. Sed modus intuitivè repræsentandi DEUM, est extra-

traneus virtuti connaturali, intellectûs creati. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

14. Reſpondetur ad primum. Authoritates tam Scripturæ, quàm Patrum hoc ſenſu intelligendas eſſe: Quòd DEUS ſit inviſibilis *primò*: viribus naturæ. *Secundò*: Oculo corporeo. *Tertiò*: Quòd ſit inviſibilis viſione comprehenſiva ſtrictè tali. *Quartò*: Quòd ſit inviſibilis in hac vita mortali, ídque ſolùm de lege ordinaria. Et de tali inviſibilitate intelligendus eſt S. Chryſoſtomus, qui videtur plurimùm favere oppoſitæ ſententiæ, éſtque difficiliùs explicabilis. Hic enim S. Doctor agebat contra errorem Anomæorum, qui volebant DEUM ab homine adhuc in hac vita mortali non ſolùm videri, ſed etiam comprehendi poſſe.

15. Ad ſecundum Reſpondeo negando Minorem. Cujus prima probatio multum probat. Probat enim omnes actus virtutum Theologicarum, nimirum actus Fidei, Spei, & Charitatis eſſe infinitos ſimpliciter. Siquidem hi actus pro motivo formali habent aliquid infinitum, habent enim pro motivo aliquod prædicatum Divinum, quod utique eſt infinitum ſimpliciter. Directè diſtinguo Antecedens. Actus ſumit ſpeciem, & perfectionem ab objecto, in tantum præcisè, in quantum eſt tendentia intentionalis in hoc determinatè objectum, v. g. in quantum eſt repræſentatio objecti, hæc determinatè prædicata habentis. Concedo Antecedens. Actus ſumit ſpeciem, & perfectionem ab objecto, eô ſenſu, quòd ea prædicata intrinſecè, & entitativè habeat actus, quæ habet objectum. Nego Antecedens. Quia aliàs cognitio habens pro objecto ſubſtantiam, deberet eſſe ſubſtantia. Actus habens pro objecto Ens Increatum, deberet & ipſe eſſe Ens Increatum, quod utrumque eſt evidenter falſum. Secundæ Rationis nego Minorem cum ſua probatione. Ulteriorem Probationem diſtinguo. Actus in perfectione creſcunt ſecundùm proportionem Arithmeticam incrementi perfectionis in ipſis objectis. Nego Antecedens. Actus in perfectione creſcunt ſecundùm proportionem Geometricam incrementi in ipſis objectis. Concedo Antecedens, & dico: Aliqua creſcere poſſe ſecundùm proportionem incrementi aliorum, vel ſecundùm proportionem Arithmeticam, vel ſecundùm proportionem Geometricam. Secundùm proportionem Arithmeticam tunc creſcunt aliqua, quando quo exceſſu unum ſuperat perfectionem alterius, eodem, hoc eſt, æquali omino exceſſu perfectio tertii ſuperat perfectionem quarti. Creſcunt autem aliqua perfectione nonniſi ſecundùm proportionem Geometricam, quando perfectio unius, aliquanto quidem exceſſu ſuperat perfectionem alterius, non tamen tanto omnino exceſſu, quanto perfectio tertii ſuperat perfectionem quarti. Actus ergo creſcunt in perfectione creſcentibus objectis, creſcunt inquam non ſecundùm proportionem Arithmeticam. Quia non creſcunt ità, ut tanto exceſſu perfectionis unus actus ſuperet alium, quanto exceſſu perfectio objecti reſpondentis priori actui, ſuperat perfectionem objecti reſpondentis actui poſteriori. Aliàs perfectio cognitionis ænigmaticæ DEI, tantùm ſuperaret perfectionem cognitionis ænigmaticæ Angeli, quantùm ſuperat perfectio ipſius DEI perfectionem Angeli ſecundùm ſe. Adeóque cognitio ænigmatica DEI ſuperaret infinita perfectione cognitionem ænigmaticam Angeli. Siquidem perfectio DEI ſuperat infinities perfectionem Angeli. Creſcunt igitur actus in perfectione creſcentibus objectis, ſed creſcunt nonniſi ſecundùm proportionem Geometricam; hoc eſt, ità creſcunt, ut actus circa objectum perfectius, aliquomodo ſuperet in perfectione actum, qui eſt circa objectum minùs perfectum. Hic verò exceſſus perfectionis in uno actu ſupra alium, proveniens ab inæqualitate perfectionis in objectis, in eo conſiſtit, quòd actus circa objectum magis perfectum, ſit in ſuperiori aut ordine, aut gradu, hoc eſt, in ſuperiori genere, aut nobiliore ſpecie, quàm ſit actus circa objectum minùs perfectum. Tertia Ratio multum probat. Probat enim offenſam Divinam in ratione offenſæ eſſe infinitam ſimpliciter, quod à pleriſque Theologis negatur. Probat itèm cognitionem abſtractivam, & ænigmaticam DEI eſſe infinitam ſimpliciter, actus etiam omnes virtutum Theologicarum eſſe infinitos ſimpliciter. Præterea materiam primam, quatenus eſt receptiva formarum in infini-

nitum, eſſe infinitam. Tandem Angelum perfectione ſuæ entitatis excedentem omnes poſſibiles ſpecies, Entium materialium, eſſe infinitum ſimpliciter. Directè nego Minorem. Scilicet nego in viſione intuitiva DEI ex eo, quòd terminetur ad objectum infinitè perfectum, ejúſque infinitas perfectiones, in hac inquam viſione debere contineri infinitas ſimpliciter formalitates perfectionis, eáſque tot, quot ſunt pefectiones Divinæ. Ut enim viſio DEI contineret infinitas ſimpliciter formalitates perfectionis, deberet eſſe infinitæ in intenſione claritatis, itèm deberet eſſe talis intenſionis, qua intenſior claritas dari non poſſet, deberétque intenſione claritatis tantùm ſuperare claritatem viſionum terminatarum ad alia objecta, quantùm DEUS, qui eſt objectum viſionis intuitivæ DEI, ſuperat perfectione perfectionem aliorum objectorum, ad quæ terminantur aliæ viſiones. Formalitates enim perfectivæ actûs, quæ valeant inferre infinitudinem ſimpliciter talis actûs in perfectione, debent haberi ab intenſione talis actûs, non verò à terminatione, & extenſione ad objecta. Siquidem talis terminatio non infert infinitudinem ſimpliciter perfectionis, in tot aliis actibus, & Entibus, ùt ex Retorſione clarum eſt. Atqui viſio intuitiva DEI non eò ipſo, quòd terminetur ad objectum continens in ſe perfectiones infinitas, non eô inquam ipſo tantùm ſuperat intenſione ſuæ claritatis alios actus, quantùm perfectiones objecti, quod eſt DEUS, ſuperant perfectiones aliorum objectorum. Cùm Ratio viſionis DEI poſſit ſubſiſtere in quovis gradu intenſivæ claritatis. Ergo. Poteſt etiam diſtingui hæc probatio, & dici: In viſione DEI contineri formalitates ſolùm infinitas ſecundùm quid. Quia ſolùm continentur formalitates infinitæ extenſivè, terminativè, & extrinſecè, non autem formalitates infinitæ intenſivè, entitativè, & intrinſecè. Sicut etiam in offenſa Divina, cognitione ænigmatica DEI, actibus virtutum Theologicarum, materia prima, & Angelo continentur formalitates infinitæ ſecundùm quid. Unde ſequitur viſionem DEI debere eſſe ſolùm infinitam ſecundùm quid, extenſivè, & terminativè, non autem infinitam ſimpliciter intrinſecè, & entitativè. Qua etiam ratione ſunt, & dicuntur infinitæ ſecundùm quid, offenſa DEI, cognitio ænigmatica DEI, materia receptiva omnium formarum, & Angelus ſua perfectione excedens poſſibiles ſpecies Entium materialium infinitas. Quartæ Rationis nego Antecedens. Non enim (ùt dixi ad Rationem ſecundam) perfectiones actuum creſcunt ſecundùm illum omnino modum, ſecundùm quem objecta ſe ſuperant perfectione, ſed ſolùm creſcunt aliquomodo & Geometricè. Quintæ Rationis tranſito Antecedente, nego Conſequentiam. Diſparitas eſt. Quia cùm effectus infinitus infinitudinem ſuam debeat accipere à cauſa, ídque à cauſa prout communicante ſe infinitè effectui, communicatio hæc, qua cauſa infinitè ſe communicat effectui, debet eſſe infinita. A tali enim nonniſi communicatione cauſa poteſt habere Rationem communicantis ſe infinitè effectui. Porrò communicatio hæc eſt in re productio effectûs. E contra objectum actûs nullatenus accipit ſuam infinitudinem à virtute cognoſcitiva. Unde non eſt ſimilis ratio pro infinitudine cognitionis terminatæ ad objectum infinitum, qualis ratio eſt pro infinitudine productionis effectûs infiniti.

16. Ad tertium Reſpondeo negando Minorem. Primæ Probationis nego Conſequentiam, & dico: Etiamſi non detur in quovis Ente Potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet producendum, tamen dari poteſt in aliquo Ente Potentia obedientialis ad quodlibet cognoſcendum intuitivè, imò talis potentia datur defacto in intellectu creato, qui pro totali ſuo objecto habet omne cognoſcibile, ſeu verum. Secundæ Probationis nego Minorem. Nego itèm non dari inter intellectum creatum, & inter DEUM proportionem in ratione potentiæ cognoſcitivæ, & objecti, licèt inter hæc non detur proportio in ratione Entis, propter infinitam diſtantiam DEI à creatura. Si enim non daretur proportio etiam in ratione potentiæ, & objecti inter intellectum creatum, & inter DEUM, tunc DEUS etiam abſtractivè, & ænigmaticè non poſſet cognoſci ab intellectu creato, quo tamen modo illum cognoſci quotidiana docet experientia. Tertiæ Probationis nego ſequelam, ulterioris Probationis nego Conſequentiam. Diſparitas eſt:

eſt: Ideo ad producendum effectum infinitum requiritur virtus effectiva adæquata infinita. Quia cùm effectus totum ſuum eſſe accipiat à cauſa efficiente adæquata, non poteſt habere ullam perfectionem, niſi talis perfectio contineatur, vel formaliter, vel eminenter in cauſa efficiente adæquata. Ergo neque infinitudinem poteſt habere effectus, niſi cauſa efficiens adæquata hanc contineat vel formaliter, vel eminenter. Sed neutro modo continet infinitudinem, cauſa efficiens adæquata effectûs infiniti, ſi non eſt ipſa infinita. Nam imprimis non continet formaliter infinitudinem, ùt clarum eſt. Cùm aliquid continere formaliter infinitudinem, ſit illud ipſum eſſe formaliter infinitudinem. Non continet etiam infinitudinem eminenter, cauſa efficiens adæquata effectûs, ſi non eſt ipſa formaliter infinita, ſed potiùs ſi eſt finita formaliter. Quia nullum finitum poteſt præeminere infinito; adeóque cauſa finita non poteſt continere eminenter effectum infinitum. E contra ad cognoſcendum infinitum ex nulla ratione requiritur virtus cognoſcitiva adæquata infinita, ſed ſufficit, quòd in objecto per cognitionem repræſentato ſit infinitudo, eáque terminet cognitionem. Addo: In ſententia illorum, qui negant poſſibilem eſſe, aut dari defacto ſpeciem DEI impreſſam, ſed dicunt DEUM ſe ipſo immediatè per influxum objectivum concurrere ad ſui viſionem creatam, in hac inquam ſententia dici poſſe, quòd intellectus creatus ad videndum DEUM elevetur per comprincipium infinitum; elevatur enim per comprincipium viſionis per ipſum eſſe Divinum, ſe ipſo objectivè, ſeu in ratione objecti; concurrens ad viſionem. Quartæ Probationis nego Conſequentiam. Diſparitas eſt. Quia in oculo corporeo non datur virtus inchoata ad videndam Subſtantiam ſpiritualem, v. g. Angelum; Subſtantia enim ſpiritualis, ſeu Angelus non continetur intrà ſphæram objecti perceptibilis ab oculo corporeo; ſed ſolus color intrà hanc ſphæram continetur. Quod ipſum ex eo ulteriùs eſt: Quia præter colorem nullum aliud objectum, adeóque nullam Subſtantiam oculus corporeus etiam imperfectè percipit. Non datur autem virtus inchoata in ulla potentia vitali intentionali, ad tendendum extra ſphæram adæquatam ſui objecti. E contra in intellectu creato datur virtus, & potentia inchoata ad videndum Ens increatum, ſeu DEUM. Quia tale Ens continetur intrà ſphæram ſui objecti adæquati. Siquidem intellectus creatus pro hoc ſtatu cognoſcit imperfectè, hoc eſt, ænigmaticè Ens increatum, ſeu DEUM. Quintæ Probationis nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: Eò ipſo, quòd DEUS ùt cognoſcibilis ænigmaticè contineatur intrà ſphæram intellectûs creati, ſecundùm vires naturales ſpectati. Eó inquam ipſo debere etiam contineri illum ùt cognoſcibilem intuitivè intrà ſphæram intellectûs creati, prout elevabilis per principium ſupernaturale. Sicuti ex eo, quòd DEUS ùt amabilis naturaliter contineatur intrà ſphæram objecti voluntatis creatæ, ſecundùm vires naturales ſpectatæ, continetur etiam idem DEUS ùt amabilis ſupernaturaliter intrà ſphæram objecti ejuſdem voluntatis creatæ, prout elevatæ, & elevabilis per comprincipium ſupernaturale. Adverto in hac Denominatione: *DEUS ùt clarè viſibilis*; per ly: *clarè viſibilis*; non ſignificari aliquam diverſitatem objecti ſecundùm ſe, ſed nonniſi ſignificari modum diverſum, quo attingi poteſt objectum. Unde eò ipſo, quòd DEUS ſecundùm ſe contineatur intrà ſphæram objecti intellectûs creati, per additum ly: *clarè viſibilis*, non extrahitur à ratione talis objecti. Confirmationis tranſito Antecedente, nego Conſequentiam. Diſparitas eſt. Quia cùm repugnet intellectui modus percipiendi objectum per auditionem corporalem, & materialem, ſonus prout perceptibilis auditione, non poteſt eſſe intrà ſphæram objectorum intellectûs creati in ordine ad hoc, ut intellectus per auditionem materialem percipiat ſonum. E contra eidem intellectui non repugnat modus attingendi ſuum objectum, per viſionem, & intuitionem ſpiritualem propriè talem. Cùm hoc modo intellectus creatus attingat, & percipiat multa ſua objecta. Poteſt igitur etiam DEUS ùt viſibilis viſione ſpirituali, propriè tali, contineri intrà ſphæram objectorum intellectûs creati, & per talem viſionem ab eo videri. Sextam Rationem diſtinguo: Intellectus creatus non poteſt elevari ad modum tendendi in objectum extraneum

ſuæ virtuti connaturali: extraneum inquam ex ſua ratione generica. Tranſeat Major. Non poteſt elevari ad modum ſuæ virtuti connaturalem extraneum nonniſi ex ratione ſpecifica. Nego Majorem, & diſtinguo Minorem. Sed modus repræſentandi DEUM intuitivè, eſt extraneus intellectui ex ratione generica, ejúſque virtuti connaturali. Nego Minorem. Eſt extraneus ſolùm ex ratione ſpecifica, & differentiali. Concedo Minorem, & nego Conſequentiam, ac dico: ad illum modum tendendi in objectum non poteſt elevari intellectus creatus, qui connaturali ejus virtuti eſt extraneus, & incompetens ex ratione generica, hoc eſt ità extraneus, ut talis modus tendendi non competat virtuti naturali ejuſdem intellectûs circa ullum objectum. Poteſt autem elevari intellectus ad illum modum tendendi in objectum, qui virtuti ejus connaturali ſolùm eſt extraneus, & incompetens ex ratione ſpecifica, hoc eſt, in tantum nonniſi extraneus, in quantum talis modus tendendi in aliqua nonniſi objecta non convenit virtuti naturali intellectûs creati, licèt idem modus tendendi in alia objecta ſit eidem virtuti connaturali proprius, & conveniens. Porrò modus repræſentandi intuitivè DEUM, eſt ſolùm modus ex ratione ſpecifica extraneus connaturali virtuti intellectûs creati, non verò ex ratione ſua generica. Quia etiamſi intellectus creatus virtute connaturali non poſſit intuitivè repræſentare hoc objectum, quod eſt DEUS, poteſt tamen, ídque virtute connaturali repræſentare intuitivè alia objecta. Quia intellectus Angelicus connaturaliter repræſentat intuitivè Subſtantias, intellectus verò humanus intuitivè repræſentat accidentia, quæ ſenſibus percipiuntur, & in quibus cognoſcendis dependet à ſenſibus.

Proponuntur Objectiones contra Concluſionem ſecundam.

17. Objicitur, & probatur: Poſſibilitatem Viſionis DEI in ſua Eſſentia poſſe demonſtrari ratione naturali poſitiva convictiva. Primò hac ratione: Evidens naturaliter eſt potentiam intellectivam creatam poſſe videre, & cognoſcere in ſe immediatè omne id, quod continetur intrà ſphæram ſui objecti. Quia evidens naturaliter eſt potentiæ cognoſcitivæ profectiori convenire eam perfectionem, quæ competit potentiæ cognoſcitivæ inferiori. Sed poſſe cognoſcere intuitivè omne objectum ſuæ ſphæræ, competit potentiæ cognoſcitivæ inferiori, nimirum competit potentiæ materiali viſivæ, ſeu ſenſui viſûs, qui etiam non elevatus, cognoſcit intuitivè ſuum objectum. Ergo ſimilis perfectio convenit potentiæ perfectiori cognoſcitivæ, ſcilicet intellectui, quòd hic ſaltèm elevatus poſſit intuitivè cognoſcere omne objectū ſuæ ſphæræ. Atqui DEUS eſt objectum contentum intrà ſphæram adæquatam objecti potentiæ intellectivæ creatæ. Cùm certum ſit DEUM cognoſci abſtractivè ab intellectu creato. Ergo.

18. Probatur id ipſum ſecundò tali Ratione: Poteſt naturaliter Angelus ſuperior comprehendere Angelum inferiorem, vel etiam hominem. Ergo poteſt naturaliter certè cognoſci poſſibilitas viſionis intuitivè DEI. Antecedens docetur cōmuniter à Theologis. Conſequentia probatur. Angelus, qui comprehenderet alium Angelum, vel etiam hominem neceſſariò cognoſceret cognitione certa poſſibilitatem viſionis. Talis enim Angelus in altero Angelo à ſe comprehenſo, cognoſceret potentiam inchoatam ad eliciendam viſionem. Eô autem ipſo certò naturaliter cognoſceret poſſibilitatem viſionis. Quia certò cognoſceret terminum, quem reſpiceret dicta potentia inchoata. Talis autem terminus eſt viſio DEI ab illo Angelo producibilis, & per hoc ipſum poſſibilis; adeóque talis terminus eſſet poſſibilis viſionis.

19. Objicitur, & probatur tertiò. Naturali ratione evidens eſt, illud debere eſſe poſſibile, in quod fertur naturalis appetitus hominis. Aliàs talis appetitus eſſet inutilis, eſſentialiter fruſtraneus, & imprudenter à natura, & ab Authore naturæ, homini inditus. Sed appetitus naturalis hominis fertur in viſionem intuitivam DEI. Ergo. Minor probatur. Tum quia in id fertur naturaliter appetitus, quod eſt ultimatè quietativum, & expletivum ipſius. Sed ſola viſio DEI propriè talis eſt ultimò expletiva appetitûs rationalis hominis, juxta illud D. Auguſtini: *Creâſti me ad te, & inquietum eſt cor meum, donec requieſcat in te.* Tum quia appetitus na-

naturalis hominis fertur in beatitudinem ejusdem ipsius hominis. Atqui sola visio DEI, & hanc consequens amor ejus fruitivus, est beatitudo hominis. Ergo. Tum quia naturali pondere, & inclinatione quævis potentia fertur in suum specificativum, tanquam id, à quo aliquatenus habet suum esse, & suam specificationem, tale autem specificativum, saltèm partiale potentiæ intellectivæ est etiam visio intuitiva DEI.

20. Objicitur, & probatur quartò. Visio, quâ Beati vident DEUM, est evidenter credibilis. Omnia enim mysteria Fidei nostræ sunt evidenter credibilia, ùt cum S. Thoma communiter docent Theologi. Ergo hæc ipsa visio est evidenter possibilis. Consequentia probatur. Tum quia evidens est non posse aliquid esse credibile Fide Divina, nisi sit possibile. Fides enim Divina non potest proponere aliquid credendum ùt tale, quod re ipsa non sit tale. Quia Fides Divina non potest esse, nisi circa verum. Ergo. Tum quia rectè sic arguitur: *Hoc est evidenter impossibile. Ergo est evidenter incredibile.* Ergo etiam rectè sic arguitur: *Hoc est evidenter credibile. Ergo est evidenter possibile.* Consequentia certa esse videtur ex doctrina Dialectica, secundùm quam, si aliqua illatio, & argumentatio est bona, rectè arguitur ab opposito Consequentis ad oppositum Antecedentis, ùt fit per Consequentiam hujus probationis.

21. Quintò demum Possibilitas Visionis potest deduci ex Ratione superiùs à nobis allata num. 9. quæ ratio est ratio naturalis positiva convictivè demonstrans Possibilitatem Visionis intuitivæ DEI.

Solvuntur propositæ Objectiones.

22. Respondeo ad primum. Primam Rationem pro Possibilitate Visionis DEI non esse convictivam. Negatur enim ipsius Major cum sua Probatione. Cujus falsitas patet ex eo: Quia aliàs sicut potentiæ cognoscitivæ inferiori convenit hæc perfectio, quòd naturaliter possit cognoscere intuitivè omne objectum suæ sphæræ, ità etiam potentiæ cognoscitivæ superiori, seu intellectui, deberet convenire similis perfectio, nimirum hæc, quòd etiam intellectus creatus hominis v. g. posset cognoscere intuitivè omne objectum suæ sphæræ; adeóque DEUS posset naturaliter intuitivè cognosci ab intellectu creato. Falsitas ejusdem Majoris patet etiam exinde: Quia ùt evidens sit perfectiori potentiæ, illum modum tendendi in objectum convenire, qui convenit inferiori, evidens esse debet primò quòd quemadmodum inferiori, ità & superiori potentiæ unus nonnisi modus tendendi in objectum conveniat. Secundò debet esse evidens modum illum tendendi in objecta, qui convenit potentiæ inferiori non esse contra excellentiam ullius objecti, contenti intrà sphæram potentiæ superioris. Non est autem, nec potest esse unum quódque ex his evidens. Non primum, potiùs enim est evidens potentiæ cognoscitivæ superiori, hoc est, intellectui, convenire tam modum cognoscendi objectiva intuitivè, quàm modum cognoscendi abstractivè, qui alter modus non convenit potentiæ cognoscitivæ v. g. sensui visûs. Non est etiam evidens secundum, nimirum quòd non sit contra excellentiam alicujus objecti, posse cognosci intuitivè. Modus enim cognoscendi intuitivè DEUM, & per visionem propriè talem, potest videri cuipiam esse contra excellentiam DEI.

23. Secundæ Rationis nego Consequentiam cum sua Probatione. Nego itèm Probationem ulteriorem, & dico: Quòd Angelus superior ità solùm possit naturaliter comprehendere Angelum inferiorem, ut tali comprehensione non videat intuitivè in Angelo comprehenso potentiam inchoatam quâ talem ad actum supernaturalem, sed solùm videat perfectiones naturales Angeli illius inferioris, & respectus, ac relationes ad aliquid naturale; si enim videret relationes, & respectus ad terminos supernaturales, eô ipso Angelus posset certò, & infallibiliter naturaliter cognoscere ipsos illos terminos supernaturales; adeóque naturaliter posset certò cognoscere unionem hypostaticam, imò & Mysterium Trinitatis, quod admitti non debet.

24. Tertiam Rationem distinguo. Naturali Ratione est evidens illud debere esse possibile, in quod fertur appetitus naturalis innatus, vel elicitus ex instinctu naturæ proveniens. Concedo Majorem. Naturali Ratione est evidens illud esse possibile, in quod fertur appetitus naturalis elicitus, doctrinæ fidei, vel cuipiam

am

am persuasioni humanæ provenienti ex continuata Majorum traditione innixus. Nego Majorem, & distinguo Minorem. Sed naturalis appetitus hominis innatus, & ei à natura insitus, aut ex instinctu naturæ proveniens, fertur in visionem intuitivam DEI propriè talem. Nego Minorem. Sed appetitus elicitus, ísque innixus doctrinæ fidei, & persuasioni humanæ cuipiam ex traditione Majorum provenienti fertur in visionem DEI. Concedo Minorem, & nego Consequentiam. Ad primam Probationem Minoris dico: Etiamsi in re sola visio, & amor DEI fruitivus sint expletiva, & quietativa appetitûs rationalis creati, non est tamen id ratione naturali evidens, sed solùm id pro certo habetur ex doctrina fidei, atque hac nonnisi supposita. Unde illud ab Augustino dictum: *Creâsti me Domine ad te, &c.* Ortum habet ex veritate fidei, non verò ex Ratione naturali positiva convictiva; vel certè intelligendus est S Augustinus dicere, cor hominis ob appetitum naturalem, & ratione instinctûs naturæ inquietum esse, donec requiescat in DEO, ídque requiescat non per visionem propriè talem, sed per cognitionem abstractivam DEI, ejúsque amorem ex tali cognitione ortum. Ad secundam etiam Probationem dico: Non esse evidens ex ratione purè naturali positiva, eáque convictiva, quòd vera hominis beatitudo consistat in visione intuitiva DEI. Tertia Minoris Probatio multùm probat. Probat enim intellectui creato deberi naturaliter visionem DEI propriè talem. Id enim, in quod naturali pondere, & inclinatione fertur potentia naturalis, debetur naturaliter tali potentiæ. Quodsi verò visio intuitiva DEI est debita intellectui naturali creato, visio hæc non est entitativè supernaturalis, quod repugnat fidei. Directè nego Majorem tertiæ Probationis. Falsum enim simpliciter est, quòd in omne specificativum sui potentia naturalis feratur naturali pondere, & inchoatione; aliàs potentia naturalis passiva receptiva unionis Hypostaticæ, identificata humanitati deberet ferri naturali pondere, & inclinatione in unionem Hypostaticam, tanquam in specificativum sui. Solùm ergo potentia naturalis naturali pondere, & inclinatione fertur in specificativum sui, illud, quod est in ordine naturali, in quo non est visio DEI intuitiva. Deinde potentia naturalis pondere, & inclinatione naturali fertur in illud specificativum, respectu cujus est completa naturaliter. Potentia autem intellectiva non est completa naturaliter ad producendam visionem DEI. Potest præterea ad eandem Probationem dici: Ratione naturali evidens esse, potentiam naturalem ferri naturali pondere, & inclinatione in aliquod determinatè specificativum, si ex ratione itidem naturali certò constet, tale ens determinatè esse specificativum hujus potentiæ; secùs si non constet. Non constat autem ex ratione naturali positiva, visionem intuitivam esse specificativum potentiæ intellectivæ creatæ.

25. Quartæ Rationis distinguo Consequens: Ergo hæc visio est evidenter possibilis illa evidentia, qua est credibilis. Adeóque evidentia pertinente, & ordinata ad fidem. Concedo Consequentiam. Est evidenter possibilis evidentia naturali positiva, convictiva, diversa ab evidentia credibilitatis. Nego Consequentiam. Hac distinctione satisfit ulterioribus Probationibus Consequentiæ. Circa secundam tamen Probationem illud adverto. per illationem hujus Probationis non argui ab opposito Consequentis, ad oppositum Antecedentis. Argui enim ab opposito Consequentis ad oppositum Antecedentis, est argui à contradictorio Consequentis ad contradictorium Antecedentis, ùt docetur in Dialectica. Quod non fit per Argumentationem dictæ Probationis. Quia hujus propositionis: *Hoc est evidenter incredibile,* non est hæc contradictoria: *Hoc est evidenter credibile.* Neque etiam illius propositionis: *Hoc est evidenter impossibile*, est contradictoria ista: *Hoc est evidenter possibile.* Secundùm doctrinam enim Dialecticam, ut propositiones modales (quales sunt propositiones adductæ) opponantur sibi contradictoriè, in una illarum negatio debet præfigi ipsi modo, quod non fit in illis propositionibus. Potiùs ergo ut arguatur ab opposito Consequentis ad oppositum Antecedentis, sic arguendum esset. Rectè arguitur: *Hoc est evidenter impossibile. Ergo est evidenter incredibile.* Ergo etiam rectè arguitur: *Hoc non est evidenter incredibile. Ergo non est evidenter impossibile.* Cæterum per hunc

hunc argumentandi modum nihil evincitur contra nostram assertionem.

26. Ad quintum dico: Rationem illam, qua num. 9. probavimus, Possibilitatem visionis DEI propriè talis non esse Rationem merè naturalem, & positivam convictivam. Nam aliquæ propositiones hujus Rationis ultimò resolvuntur per fidem; aliæ autem sunt ultimò resolubiles in Rationem, & Argumentum negativum. Insuper illa Ratio est probabilis, nec excedens probabilitatis terminos. Adeóque non est ratio omnino convictiva intellectûs.

§. III.

An Visio, qua DEUS à Beatis videtur, sit Visio creata?

27. Omnes ferè Doctores Catholici Visionem DEI, qua Beati vident DEUM, asserunt esse visionem creatam. His omnibus opponit se Franciscus bonæ spei, Doctus Carmelita Calceatus, dum docet: quòd Beati DEUM videant visione increata, qua DEUS se ipsum videt, unita physicè intellectui eorundem Beatorum.

28. Dicendum est: Visionem, qua Beati vident DEUM, esse visionem creatam, non verò visionem increatam ipsius DEI, intellectui Beatorum physicè unitam.

Probatur *primò*: Tum consensu unanimi omnium Theologorum, à quo non est facilè recedendum. Tum Authoritate S. Thomæ in quartum Dist. 49. Quæst. 2. Art. 1. ad 9. dicentis: *Nec illa cognitio, qua DEUM per Essentiam videbimus, ex parte ejus, quo videbimus, erit in genere accidentis, sed solùm quantùm ad actum ipsius intelligentis, vel intellecti.* Atqui si DEUM videremus per visionem increatam DEI, qua DEUS se videt, actus ipsius intelligentis, non esset in genere accidentis, sed potiùs esset substantia intellecti. Actus enim hic esset visio increata DEI, quæ non est in genere accidentis, sed est Substantia ipsius DEI intellecti. Ergo.

29. Probatur secundò Ratione. Per talem visionem DEUS videtur à Beatis, quæ eosdem possit reddere formaliter Beatos. Visio enim DEI debet esse secundùm Scripturam, & Patres Beatitudo formalis videntis, ùt colligitur ex illis Scripturæ verbis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Et ex testimonio S. Augustini lib. 1. de Trinit. cap. 9. dicentis: *In visione merces tota promittitur delectationis, & desiderii nostri.* Sed visio increata DEI unita intellectui Beatorum non potest eos reddere formaliter Beatos. Ergo. Minor probatur. Illud solùm potest quempiam reddere formaliter Beatum, quod potest esse ultima, & summa perfectio ejusdem, ad cujus adeptionem, & possessionem cæteræ omnes perfectiones ordinentur. Beatitudo enim formalis debet esse talis perfectio Beati. Quia debet esse ultimus finis ejusdem. Atqui visio increata non potest esse ultima, & summa perfectio ullius creaturæ rationalis, ità ut ad ejus adeptionem, & possessionem cæteræ perfectiones ordinentur. Ergo. Minor probatur. Summa, & ultima perfectio Beatorum reddens illos formaliter Beatos, talis esse debet, per quam Beati vivant formaliter in actu secundo. Sed per visionem increatam DEI unitam intellectui creato, Beati non possunt vivere formaliter in actu secundo. Ergo. Major imprimis probatur. Tum quia ultima, & summa perfectio viventium ùt talium illa debet esse, per quam formaliter vivant. Sicut summa, & ultima perfectio intellectûs ùt talis, & visivi ùt talis, debet esse intellectio, & visio. Tum quia S. Iræneus lib. 4. contra Hæreses cap. 37. docet: Æternam vitam unicuique evenire ex eo, quòd videat DEUM. Et infra sic ratiocinatur: *Quoniam vivere sinè vita est impossibile. Homines ergo videbunt DEUM, & vivent per visionem immortales facti, & pertingentes usque ad visionem DEI.* Tum quia ultimus finis vitæ humanæ debet esse vita in actu secundo. Visio autem beata est ultimus finis vitæ humanæ, ùt tanquam fidei dogma agnoscit S. Thomas in 4. Dist. 49. Quæst. 2. Art. 1. in ⊙. his verbis: *Secundùm fidem ponimus ultimum finem humanæ vitæ, esse visionem DEI.* Probatur deinde Minor. Ut per aliquem actum Beati vivant, & vivere possint formaliter in actu secundo, debet ille actus procedere à potentia animæ ipsius Beati, tanquam à principio effectivo, & passivo. Sed visio increata DEI non potest procedere ab ulla potentia animæ Beati, tanquam à principio effectivo, & passivo. Hæc enim visio, cùm sit ipsa

ipse DEUS, est essentialiter improducibilis. Ergo. Major immediata probatur. Quia universaliter per illum actum vivens creatum vivit in actu secundo, qui actus procedit ab intrinseco ipsius viventis. Ille autem actus censetur procedere ab intrinseco viventis creati, qui procedit ab eodem vivente, tanquam à principio effectivo, simúlque passivo. Quod ipsum ex eo ulteriùs colligitur: Tum quia vivere est moveri ab intrinseco, ex omnium Sapientum consensu. Moveri autem ab intrinseco, est agere operatione immanente ipsi principio. Adeóque vivere in actu secundo, est esse motum, seu actum causatum ab uno, eodémque principio, & in genere causæ efficientis, & in genere causæ materialis influente. Tum quia: quæcunque in creatis vivunt in actu secundo, vivunt per actum, qui procedit à vivente, & tanquam à principio effectivo, & tanquam à principio passivo, ùt patet inductione, quæ citra petitionem principii nullâ instantiâ infringi potest. Tum quia: si aliquod vivens creatum posset vivere in actu secundo, per actum, qui non procederet ab intrinseco hujus viventis, posset vivere per actum vitalem alterius, seu à se distincti principii viventis. Sed nullum vivens creatum potest vivere per actum alterius principii viventis. Quia aliàs Petrus posset vivere in actu secundo per motum sui localem productum à Paulo, dum ab ipso truderetur, quod tamen nemo dixit unquam. Possent itèm bos, equus, &c. vivere vitâ intellectivâ, vitâ beatâ, si nimirum bovi, aut equo uniretur visio increata, qua DEUS se ipsum videt. Et sic bos esset simpliciter intellectivus, posset videre DEUM, esset capax beatitudinis supernaturalis, sicut homo, quô, quid inconvenientiùs esse potest? Neque valet, si dicas: bovi propter incapacitatem talium denominationum non posse easdem convenire etiam in casu, in quo bovi uniretur visio increata DEI. Non valet, inquam, quia ratione similis incapacitatis homo non poterit denominari à visione increata sibi unita, vivens in actu secundo, vitâ beatâ, & actu videns Deum. Sicut enim ex eo bos est incapax hujus denominationis: *Intelligens, & videns DEUM.* Quia ipse non est productivus intellectionum, & visionum. Ità homo debebit esse incapax earundem denominationum, ex eo, quia non est productivus intellectionis clarè repræsentantis Deum, seu visionis. Cùm non minùs implicet secundùm Adversarium intellectio producta à bove, atque implicat visio DEI producta ab homine.

Proponuntur Objectiones.

30. Objicitur, & probatur DEUM à Beatis videri visione increata DEI. Primò: Quia SS. Patres, præcipuè verò S. Thomas, sæpiùs beatitudinem hominis constituit in conjunctione ejusdem hominis cum bono increato. Ergo beatitudo hæc consistit in unione ad visionem increatam, quæ est bonum increatum, quo ipse DEUS felix, & beatus est. Per talem enim unionem habetur formaliter conjunctio hominis cum bono increato.

31. Objicitur secundò. Natura humana Christi subsistit per subsistentiam increatam Verbi sibi physicè unitam. Ergo etiam Beati possunt videre DEUM, imò defacto vident per visionem increatam DEI. Declaratur hæc ipsa paritas: Personalitas increata Verbi, Humanitatem Christi potest denominare subsistentem, & personatam, seu Personam, útque hanc denominationem tribuat Humanitati Christi, sufficit, quòd terminet unionem, qua unitur naturæ humanæ. Ergo etiam visio increata DEI potest intellectum creatum denominare videntem, útque illi hanc denominationem tribuat, sufficit, quòd dicta visio terminet unionem, qua unitur intellectui creato.

32. Objicitur tertiò: Si Beati non viderent DEUM per visionem increatam, non viderent ex eo, quòd potentia intellectiva non possit intelligere, & videre per intellectionem, & visionem à se non causatam, nec sibi immanentem ùt principio effectivo, & passivo. Sed hæc ratio non subsistit. Ergo. Minor probatur. Tum quia potentia intellectiva non necessariò vivit, intelligit, & videt in actu secundo, per actionem à se procedentem tanquam à principio effectivo, & sibi immanentem tanquam principio passivo; immanentia enim suo principio non est de ratione actionis vitalis, sed solùm de ratione illius est procedere à principio vitali. Ergo potentia intellectiva creata potest

test vivere per intellectionem, & visionem alterius principii, sibi physicè unitam. Tum quia potentia creata intellectiva, si illi uniretur visio increata Verbi, haberet adhuc sibi immanentem actum vitalem visionis increatæ. Visio enim hæc ratione unionis physicæ sui cum potentia intellectiva creata, eidem potentiæ esset immanens. Ergo eadem potentia, si illi uniretur visio increata, intelligeret, & videret DEUM per visionem dictam. Ad denominationem enim videntis nihil plùs requiritur, nisi ut potentia visiva habeat sibi immanentem visionem. Tum quia calefactio, principium calefactivum quodcunque, si illi sit unita, denominat calefaciens, etiamsi non procedat à tali principio. Ergo etiam visio, cuicunque principio est unita, denominat illud videns, etiamsi non procedat à tali principio. Tum quia corpus hominis vivit, & animatur per vitam in actu primo, hoc est, animam, licèt ab extrinseco acceptam. Ergo etiam intellectus creatus potest vivere vitâ in actu secundo per visionem ab extrinseco acceptam. Tum quia ut potentia creata intellectiva possit videre DEUM per visionem increatam DEI sibi unitam, sufficit, quòd immanenter producat ipsam unionem sui cum visione increata, & per hanc productionem salvatur sufficienter Ratio vitæ in actu secundo. Cùm etiam secundùm aliquos Philosophos distinguentes actus vitales intellectionum, & volitionum, ab actionibus vitalibus eorundem actuum productivis, Ratio vitæ in actu secundo consistat in sola actione immanente, & procedente à principio vitali, non verò à termino talis actionis. Sed defacto talis intellectus creatus producit immanenter unionem sui cum visione increata DEI: nihil enim impedit, quò minùs illam sic producat. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

33. Respondeo ad primum à S. Thoma, & aliis sanctis Patribus Beatitudinem hominis constitui in conjunctione hominis beati cum Bono increato, in conjunctione inquam intentionali per immediatam repræsentationem intuitivam talis boni, non verò in conjunctione physica per unionem physicam, & realem intellectûs creati cum visione increata DEI, vel cum aliqua perfectione Divina. Quod ipsum ex eo ulteriùs est. Tum quia, ùt docet S. Thomas prima secundæ Quæst. 3. Art. 2. in ☉. Beatitudo hominis debet consistere in *ultimo actu hominis*, idque debet consistere in actu intellectûs creati, ùt docet idem S. Doctor Artic. 4. in ☉. Atqui intellectio increata (etiamsi uniretur intellectui creato) non potest esse actus intellectûs creati, ùt docet idem S. Doctor 3. parte Quæst. 9 Art. 1. ad primum. Ergo beatitudo hominis non potest consistere in intellectione increata unita intellectui creato; adeóque non potest consistere in conjun ione physica hominis beati cum Bono increato. Tum quia Beatitudo Angelorum consistit in conjunctione cum Bono increato secundùm operationem eorundem. Dicit enim S. Thomas prima secundæ Quæst. 3. Art. 2. ad 4. In Angelis *Beatitudo est ultima perfectio secundùm aliquam operationem, qua conjunguntur Bono increato. Et hæc operatio in eis est unica, & sempiterna.* Ergo & hominis beatitudo in tali conjunctione consistit. Siquidem id ipsum etiam de beatitudine hominis idem S. Doctor exprefsè asserit, dum mox subjungit: *Una, & continua, & sempiterna operatione in illo beatitudinis statu mens hominis DEO conjungitur.* Atqui hæc conjunctio per operationem non est conjunctio per unionem physicam intellectûs cum visione increata. Ergo. Certè si conjunctio hominis per unionem physicam intellectûs creati cum visione increata esset operatio mentis, qua mens hominis cum Deo conjungitur, etiam conjunctio sensûs materialis per unionem physicam cum bono increato erit conjunctio per operationem sensûs. Adeóque cùm secundùm Adversarium non repugnet sensum materialem uniri physicè cum visione increata, non repugnabit conjunctio cum bono increato per operationem sensûs. Quod tamen iterum est contra S. Thomam prima secundæ Quæst. 3. Art 3. in ☉. ubi sic habet: *Beatitudo hominis consistit essentialiter in conjunctione ipsius ad bonum increatum, cui sensus conjungi non potest per operationem sensûs.* Tum quia conjunctio hominis cum Bono increato consistit in intellectione, conceptione, & visione Dei, qua Beatus formaliter intelligit, clarè concipit, & intuitivè videt DEUM. Atqui

 hæc

hæc intellectio, & conceptio debet esse quid productum ab intellectu Beati ex doctrina S. Thomæ 1. parte Quæst. 27. Art. 1. in ☉. ubi dicit: *In omni intelligente procedere aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ.* Ergo.

34. Ad secundum Respondeo negando Consequentiam. Disparitas est. Quia denominatio subsistentis, cùm non sit denominatio vitalis dicens vitam actûs secundi, non poscit ex ulla ratione provenire à tali forma, quæ procedat ab intrinseco naturæ, quæ dicitur subsistere, si præsertim subsistentia non sit propria. E contra denominatio viventis, & clarè intelligentis DEUM, est denominatio vitalis, dicens vitam actûs secundi. Qualis denominatio essentialiter petit provenire ab actu procedente ab intrinseco ipsius intellectûs creati. Quia ab operatione vitali ejusdem intellectûs.

35. Ad tertium Respondeo negando Minorem. Primæ Probationis nego Antecedens. Ad ulteriorem Probationem dico: De ratione actionis vitalis, potissimùm verò illius, in qua consistit Beatitudo, esse immanentiam talis actionis illi principio, à quo producitur, & cui tribuit denominationem. Cujus ratio est tum ex doctrina S. Thomæ prima secundæ Quæst. 3. Art. 2. ad tertium, ubi dicit: *Operationem, quæ procedit ab operatione in exteriorem materiam, non posse esse Beatitudinem, sed solùm illam operationem posse esse Beatitudinem, quæ manet in agente.* Tum quia de ratione actionis vitalis consequenter de ratione Beatitudinis formalis, non solùm est procedere à principio vitali, sed etiam procedere ab ipso vitaliter. Multæ enim sunt actiones, quæ licèt procedant à principio vitali, quia tamen non procedunt vitaliter, non sunt actiones vitales; & tales actiones sunt productio speciei impressæ, productio præsentiæ, &c. Atqui, ut aliqua actio procedat vitaliter à principio vitali, requiritur immanentia, seu ut sit ab intrinseco; per hoc enim agens vitale agit vitaliter, quòd agat immanenter. Quia per hoc, quòd se moveat ab intrinseco. Ergo. Secundam Probationem distinguo. Potentia intellectiva creata, si illi uniretur visio increata, haberet adhuc sibi imanentem actum vitalem, immanentia unionis physicæ. Concedo Probationem. Haberet actum vitalem sibi immanentem immanentia dependentiæ à potentia intellectiva creata, tanquam à principio effectivo, & passivo. Nego Probationem, & dico: Ut potentia vitalis denominetur vivere in actu secundo, non sufficere, quòd tali potentiæ actus immaneat immanentia unionis, aliàs vivens viveret in actu secundo, per impulsum sibi ab extrinseco violenter impressum: sed necesse est, ut actus potentiæ immaneat imanentia dependentiæ, &c. Tertiæ Probationis nego Antecedens. Falsum enim est, quòd calefactio procedens effectivè ab uno principio, præcisè ratione unionis ad aliud principium secundùm se calefactivum, quòd inquam, hæc calefactio alterum istud principium denominaret calefaciens. Nullum enim subjectum potest denominari calefaciens, nisi ab eo procedat effectivè calefactio. Quod ipsum, ex eo est, quia calefacere, est producere effectivè calorem in subjecto capaci. Sicut ergo nullum subjectum potest denominari actu effectivè producens calorem, nisi à productione caloris procedente à tali subjecto effectivè; ità non potest denominari ullum subjectum actu calefaciens, nisi à calefactione (quæ quoad rem est productio effectiva caloris) procedente ab illo subjecto denominationis. Adverto occasione hujus Probationis contra Adversarium posse urgeri tali Argumento: Dantur aliquæ denominationes, talésque sunt: denominatio actu producentis effectivè effectum, actu creantis, &c. quæ denominationes non possunt provenire, nisi à forma effectivè procedente ab ipso denominationis subjecto, v.g. à productione, & creatione. Ergo etiam dantur tales denominationes, quæ non possunt provenire, nisi ab operatione effectivè imminenter procedente à subjecto, quod denominatur. Talésque denominationes erunt in creatis, viventis, videntis, intelligentis. Ad quartam Probationem dico imprimìs: quòd corpus hominis non vivat formaliter, & propriè in actu primo, sed solùm vivit in actu primo denominativè, & minùs propriè per denominationem ab anima, quæ vivit formaliter in actu primo. Intellectus autem creatus debet vivere formaliter in actu secundo per ipsam visionem, non autem denominativè solùm, & impropriè. Nego deinde eidem Probatio-

ni Consequentiam. Disparitas est. Quia corpus est capax hujus denominationis: *Vivens in actu primo*, provenientis ab anima, tanquam à vita in actu primo. Tum quia denominatio *viventis in actu primo*, non est ex numero illarum denominationum, quæ debeant provenire à forma effectivè immanenter producta à subjecto denominabili, quo enim id fundamento evincitur. Tum quia ut corpus denominetur vivens in actu primo, sufficit, quòd sit compars constituens cum anima compositum physicum, quòd sit principium effectivum, simúlque passivum, seu receptivum aliquarum operationum vitalium. Et ex hac ratione corpus sumptum cum anima, & prout eidem unitum, est capax denominationis, qua denominatur vivens in actu primo. E contra intellectus creatus non est capax denominationis, qua denominetur vivens in actu secundo, videns, & intelligens à visione DEI increata prout sibi unita. Hæc enim denominatio essentialiter petit provenire ab actione vitali, intellectione, & visione, quæ secundùm se sit elicita, & vitaliter producta ab intellectu creato. Quintæ Probationis nego imprimis Majorem. Cujus ipsius Probatio locum non habet in mea sententia, qui Rationem vitæ in actu secundo actuum intentionalium constituo tam in actione, quàm in termino indistincto ab actione, nimirum in actu vitali. Interim admissa suppositione illius sententiæ, quæ Rationem vitæ in actu secundo constituit in sola actione. Nego Consequentiam. Disparitas est. Tum quia Ratio vitæ intentionalis in actu secundo, si non debet consistere in ipso termino, seu in actu vitali, tamen debet consistere in motu intrinseco ad ipsum immediatè terminum. Hic autem motus est sola actio productiva immediatè immanenter ipsius termini secundùm se, ipsius v. g. visionis, aut intellectionis. Tum quia etiamsi intellectus creatus possit aliquo sensu denominari vivens in actu secundo, ab actione immanente productiva unionis ad visionem increatam, tamen ab hac actione non potest denominari vivens vitâ intentionali, seu intellectuali propria intellectûs creati. Hæc enim debet consistere in illa productione immanente, vi cujus immediatè producatur ipsa intellectio, seu actus intentionaliter repræsentatativus sui objecti. Potest etiam negari Major hujus Probationis. Ex quibus enim Rationibus non potest immediatè immanenter produci ab intellectu creato visio DEI secundùm se creata, ex his ipsis, vel similibus Rationibus ab eodem intellectu non deberet posse immediatè immanenter produci unio ad visionem increatam DEI.

PUNCTUM II.

An DEUS oculo corporeo, vel ab aliqua Potentia materiali videri possit? & an videri possit ab homine in hac vita mortali?

36. Præsens Quæstionis Punctum quoad primam partem multiplici diverso sensu ab Authoribus intelligi, & accipi solet. Sub hoc enim Quæsito: An possit DEUS videri oculo corporeo? inquirunt primò aliqui: an oculus corporeus sibi propria sensatione materiali à se elicita possit cognoscere, & repræsentare intuitivè DEUm? Secundò: Alii quærunt, an oculus corporeus possit elevari ad eliciendam cognitionem spiritualem, per quam videatur intuitivè DEUS, vel saltèm an sit possibilis potentia materialis, quæ sit elevabilis ad producendam ejusmodi cognitionem. Tertiò: Quærunt alii, an oculo corporeo possit uniri visio spiritualis, sive creata ab intellectu creato elicita, & producta, sive increata, qua DEUS se ipsum videt? & an talis visio unita oculo corporeo possit eidem oculo tribuere denominationem clarè, & intuitivè Deum in sua Essentia videntis? Circa hoc Punctum in primo sensu acceptum, omnes ferè Doctores Catholici unanimiter consentiunt, & docent, oculum corporeum tam de potentia ordinaria, quàm de potentia DEI absoluta non posse sua sensatione materiali cognoscere intuitivè, seu videre DEUM; docent, inquam, contra Hæreticos Antropophormitas, qui cùm erroneè fingerent, & dicerent, DEUM esse corporeum, volebant consequenter eundem posse, idque etiam secundùm potentiam ordinariam videri oculo corporeo. Aliqui nihilominus Theologi cum Valentia in primam partem Disp. 1 Quæst. 18. Puncto 8. & cum Arriaga Disp. 5. de Anima Sect. 2. num. 28. (quam tamen

suam sententiam videtur retractâsse, & oppositum docuisse in primam partem Disp. 6. Sect. 1.) putant, possibilem esse potentiam materialem cognoscitivam, quæ cognitione materiali cognoscat intuitivè DEUM. In secundo sensu intellectum idem Quæstionis Punctum resolvit affirmativè Salaz (ùt refert Franciscus de Lugo) docêtque oculum corporeum, vel potentiam materialem, sive actu existentem, sive possibilem, posse elevari ad eliciendam spiritualem intellectualem visionem intuitivam DEI. Circa idem Punctum in tertio sensu intellectum sentit superiùs citatus Franciscus Bonæ Spei, quòd oculus corporeus possit intuitivè videre DEUM visione spirituali à se improducta, unita tamen sibi per unionem physicam; scilicet censet oculo corporeo posse uniri visionem increatam, qua DEUS se videt, poséque eandem visionem oculo unitam tribuere eidem oculo denominationem clarè, & intuitivè videntis DEUM.

§ I.

An oculus corporeus, vel aliqua potentia materialis sensatione materiali possit videre DEUM?

37. Dicendum est: Oculum corporeum tam secundùm legem ordinariam, quàm etiam de potentia absoluta non posse videre intuitivè DEUM cognitione, & sensatione materiali. Imò nec possibilem esse potentiam cognoscitivam materialem, quæ cognitione materiali possit intueri DEUM in sua Essentia.

Prima pars est de fide. Et probatur imprimìs Authoritate Scripturarum. Primò enim ad Timoth. 6. dicitur: *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest.* In eadem Epistola cap. 1. DEUS vocatur *Rex immortalis, & invisibilis.* Qui textus cùm non possint intelligi de visione spirituali intellectuali; hanc enim dari posse, de fide est, intelligendi sunt de visione materiali oculi corporei. Secundò: Authoritate Concilii Toletani III. quod anathemate ferit illos, qui auderent profiteri: *Christum secundùm Divinitatem esse visibilem, vel passibilem.* Tertio: Authoritate Patrum, Origenis adversùs Celsum dicentis: *Mentitur Celsus contra nos dicens, quòd speremus nos DEUM visuros oculis corporeis, & auribus vocem ejus audituros, & manibus sensibilibus eum contrectaturos.* S. Augustini Epist. 6, ad Viduam Italicam: *Hunc autem* (id est DEUM) *oculus videre corporeus neque tunc potest, neque tunc poterit.* Idem S. Doctor Epist. 111. pro hac sententia adducit SS. Athanasium, Hieronymum, Ambrosium, sicque concludit: *Hanc autem etiam meam esse sententiam confiteor.* Quartò probatur Ratione: Tum quia ab oculo corporeo cognitione materiali non cognoscitur intuitivè, nec videtur, nisi objectum materiale, ídque ex objectis materialibus solus color. Sed DEUS in sua Essentia non est objectum materiale, cùm sit purus spiritus, omnis corporis, & materialitatis expers. Multò magìs DEUS non est color aliquis. Hic enim est accidens, DEUS autem est Substantia. Ergo DEUS ab oculo corporeo non videtur, nec videri potest cognitione, & sensatione materiali. Tum quia DEUS non potest percipi olfactu, non est palpabilis sensu tactûs, non potest audiri auribus corporeis, &c. Ergo neque potest videri oculis corporeis. Hac ratione utitur S. Augustinus Epistolâ suprà citatâ, dum probat oculis corporeis Christi non posse videri Divinitatem, loquens in hæc verba: *Cur solis oculis corporeis Christi hoc donum attributum esse contendunt? Num etiam cæteris sensibus? Sonus ergo erit DEUS: ut poßit etiam auribus percipi, & halitus erit, ut poßit sentiri ejus olfactu? & liquor erit aliquis, ut poßit & bibi, & moles erit, ut poßit & tangi? Non inquiunt. Quid ergo? An illud potest DEUS, & hoc non potest? Si non posse dixerint. Cur derogant Omnipotentiæ DEI? Si posse, & nolle responderint, cur solis oculis favent! invident autem cæteris sensibus corporis Christi?* Tandémque hunc discursum sic concludit: *Ad hoc fide corda nostra mundantur. Quia nobis fidei merces visio DEI promittitur. Quæ si per oculos corporeos erit, frustra ad eam percipiendam Sanctorum animus exercetur.*

38. Secunda pars Conclusionis (quam etiam de fide esse, vel fidei proximam docent Suarez, Vasquez, & Arubal) probari potest primò Scripturæ, & Concilii testimoniis, numero præcedente adductis. In his enim DEUS æqualiter dicitur esse invisibilis, atque est immortalis, & impassibilis; sed itá est immortalis, & im-

impaſſibilis, ut etiam de potentia abſoluta nec mori, nec pati poſſit. Ergo etiam ità eſt inviſibilis (intellige oculo corporeo) ut nec de potentia abſoluta videri poſſit. Secundò probatur Authoritate S. Thomæ prima parte Quæſt. 12. Art. 3. dicentis: *Impoſſibile eſt DEUM videre ſenſu viſûs, aut alio quocunque ſenſu, aut potentia ſenſitivæ partis.* Tertiò probatur ratione: Ut oculus corporeus de potentia abſoluta poſſit cognitione materiali videre DEUM, requiritur in oculo potentia inchoata, ad eliciendam talem viſionem, ſeu cognitionem, requiritur itêm proportio inchoata in oculo, vel alio ſenſu cum actu viſionis DEI, imò proportio cum ipſo in ratione potentiæ cognoſcitivæ, & objecti cognoſcibilis. Quia requiritur, ut oculus corporeus habeat potentiam elevabilem ad actum viſionis DEI, & complebilem per principium ſuperadditum, elevativum ſui ad eundem actum eliciendum. Requiritur enim, ut oculus corporeus poſſit elevari ad producendam viſionem DEI. Requiritur præterea, ut idem oculus corporeus, poſita ſui elevatione, agat, & operetur ab intrinſeco ipſum actum viſionis DEI. Adeóque ut agat intrinſeca ſua virtute, agat, inquam, ſaltêm inadæquatè. Cùm enim ille actus debeat eſſe vitalis, debet procedere ab intrinſeco ipſius principii vitalis. Si autem in oculo corporeo non detur potentia inchoata ad viſionem DEI, oculus hic poſita ſui elevatione non agit, nec operatur ab intrinſeco, nec producit viſionem. Cùm non poſſit agere ſinè potentia agendi; talis enim potentia deberet eſſe potentia inchoata. Sed oculus corporeus non habet potentiam inchoatam, non habet itêm proportionem inchoatam cum DEO: in ratione potentiæ, & objecti per ordinem ad eliciendam viſionem materialem, & ſenſibilem clarè intuitivam Dei. Tum quia ut oculus corporeus habeat potentiam inchoatam, & proportionem inchoatam in ordine ad eliciendam viſionem materialem DEI, deberet ſaltêm imperfectè pro ſtatu naturali cognoſcere, & attingere DEUM cognitione materiali. Cùm non poſſit aliunde colligi, quòd detur in oculo potentia inchoata ad clarè videndum DEUM per cognitionem materialem, niſi ex eo, ſi idem oculus pro ſtatu naturali, cognitione materiali aliquomodo, hoc eſt, ſaltêm imperfectè cognoſcit, & attingit DEUM. Sicut in intellectu creato dari potentiam inchoatam ad videndum intuitivè DEUM, non aliunde colligitur, niſi ex eo, quòd idem intellectus pro ſtatu naturali poſſit imperfectè, hoc eſt, abſtractivè cognoſcere Deum. Sed oculus corporeus pro ſtatu naturali etiam imperfectè non cognoſcit DEUM cognitione materiali. Quæ enim eſt illa cognitio materialis imperfectè repræſentativa DEI pro ſtatu naturali ab oculo corporeo elicita? Tum quia ſi oculus corporeus haberet potentiam inchoatam ad videndum DEUM viſione materiali, DEUS deberet contineri intrà ſphæram objecti adæquati reſpectu oculi corporei. Nulla enim potentia vitalis intentionalis poteſt habere potentiam ad tendendum extrà ſphæram ſui objecti. Aliàs ſenſus poſſet verſari circa verum ùt tale, vel circa bonum ùt tale. Viſus etiam poſſet verſari circa ſonum, auditus circa colorem, &c. Sed DEUS non continetur intrà ſphæram objecti adæquati oculi corporei. Intrà hanc enim ſphæram ſola objecta materialia continentur, ídque ex his ipſis ſolus color. Quia intrà hanc ſphæram illa ſola objecta continentur, quæ naturaliter poſſunt aliquomodo cognoſci ab oculo corporeo. Ab hoc autem ſolus color naturaliter cognoſcitur. Ergo. Adverto: elevari potentiam vitalem non poſſe ad verſandum extrà ſphæram ſui objecti, aliquomodo naturaliter à ſe perceptibilis, ſed ſolùm elevari poteſt ad modum perfectiorem tendendi in objectum. Tum quia oculus corporeus ad illius ſolius objecti cognitionem materialem habet potentiam ſive completam, ſive incompletam, & inchoatam, quòd objectum participat rationem formalem, ſub qua oculus reſpicit, & debet reſpicere ſua objecta. Sed DEUS non participat rationem formalem, ſub qua oculus corporeus reſpicit, & debet reſpicere ſua objecta. Quia non participat rationem objecti colorati, objecti itêm ſenſibilis. DEUS enim non habet molem, & magnitudinem quantitativam, ſed eſt Ens indiviſibile. Docet autem Ariſtoteles lib. de Senſu, & Senſibili cap. ultimo. *Quòd omne ſenſibile magnitudine præditum ſit, manifeſtúmque eſſe, quòd id ſentire non contingat, quod eſt indiviſibile.* Tandem quia, ſi oculus

 cu-

culus corporeus hominis v. g. haberet potentiam inchoatam ad videndum DEUM, haberet etiam talem potentiam oculus bruti. Atqui hoc admitti non poteſt. Tali enim potentia, & capacitate admiſſa in brutis, exponitur Atheorum ludibrio Fides, & Spes Chriſtianorum, dum ea, quæ his in mercedem bonorum operum promittuntur, poſſunt eſſe ipſis communia cum brutis. Ob hanc rationem oppoſita ſententia, ùt refert P. Amicus, cenſurata eſt à Reviſoribus, & Theologis Romanis noſtræ Societatis, ex mandato Admodum Reverendi Patris noſtri Mutii Viteleſci, Præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis, his verbis: *Hæ propoſitiones deprimentes elevationem gratiæ Divinæ, & gloriæ beatificæ ad bruta animantia, exponunt Chriſtianam Spem ſummi boni æternæ beatitudinis, ludibrio, Atheis præſertim hominibus, & cùm per ſe abſonum ſit amicitiam, & adoptionem, quâ Filii DEI nominamur, & ſumus, paradiſúmque, quo Beati perfruuntur, poſſe eſſe boum, & aſinorum, ſi DEUS illos elevet, ſicut elevat Beatos. Cenſemus propoſitiones illas cum ſtomacho rejiciendas eſſe à noſtris Scholis, cujuſcunque demum Authoris ſint.*

39 Tertia pars Concluſionis probatur primò: Si poſſibilis eſſet potentia materialis, quæ DEUM intuitivè cognoſceret cognitione materiali, hæc potentia DEUM vel cognoſceret viribus naturæ, & naturaliter, vel cognoſceret elevata per comprincipium ſupernaturale. Neutrum dici poteſt Ergo. Minor probatur. Non poteſt imprimìs dici primum. Quia implicat potentia vitalis creata, cui ſit connaturalis viſio DEI, ùt dicetur Puncto ſequenti. Non poteſt etiam dici ſecundum. Quia eò ipſo talis potentia naturaliter, ſeu viribus naturæ poſſet elicere aliquam cognitionem materialem, ſaltèm imperfectè repræſentativam DEI: cùm nulla potentia ſit elevabilis ad elicìendam cognitionem perfectè repræſentativam objecti, eámque ordinis ſupernaturalis, circa quod objectum naturaliter, & viribus naturæ nullum actum, & nullam cognitionem etiam imperfectam poteſt elicere. Aliàs etiam oculus corporeus defacto exiſtens poſſet elicere cognitionem, & viſionem materialem DEI, quamvis circa DEUM nullum actum etiam imperfectum poſſit naturaliter elicere. Atqui nulla potentia cognoſcitiva materialis etiam ex poſſibilibus poteſt elicere ullum actum circa DEUM, nec ullam ipſius cognitionem, etiam imperfectam. Quia eò ipſo potentia talis non differret ab intellectu, illáque admiſſa non poſſet probari in homine intellectum eſſe potentiam ſpiritualem, illiúſque actus eſſe actus ſpirituales, & non potiùs eſſe potentiam cognoſcitivam materialem, illius verò actus eſſe actus materiales. Probatur ſecundò. Quia implicat cognitio materialis intuitivè repræſentativa DEI, & ùt eſt in ſua Eſſentia. Talis enim cognitio & eſſet materialis, & non eſſet. Eſſet, ùt aſſeritur; non eſſet, ùt probo: Cognitio objecti ſpiritualis, ejúſque univerſaliſſimi cauſaliter, & intentionaliter non poteſt eſſe cognitio materialis. Sed cognitio intuitivè repræſentativa DEI eſt cognitio repræſentativa objecti ſpiritualis, DEUS enim eſt Ens ſpirituale, & purus ſpiritus. Eſt etiam eadem cognitio repræſentativa objecti univerſaliſſimi, & cauſaliter, & intentionaliter, DEUS enim cùm ſit cauſa in ſua virtute continens omnes effectus poſſibiles, eſt ens univerſaliſſimum cauſaliter. Cùm verò in Deo poſſint videri omnia poſſibilia, eſt Ens univerſaliſſimum intentionaliter. Ergo. Major probatur. Tum quia cognitio circa objectum nonniſi intelligibile, non verò etiam ſenſibile, non poteſt eſſe cognitio materialis, quæ neceſſariò verſari debet circa objectum ſenſibile. Cùm ſenſibilitas ſit ratio formalis ex parte objecti eſſentialiter requiſita, ut objectum attingatur cognitione materiali. Sicut intelligibilitas eſt ratio formalis ex parte objecti eſſentialiter requiſita, ut hoc attingatur cognitione intellectuali. Sicut itèm appetibilitas eſt ratio eſſentialiter requiſita ex parte objecti, ut hoc attingatur actu potentiæ appetitivæ, ſeu ut appetatur. Atqui objectum ſpirituale univerſaliſſimum in cauſando, & repræſentando non eſt objectum ſenſibile, ſed nonniſi eſt objectum intelligibile. Ergo. Tum quia objectum ſpirituale non eſt objectum proportionatum reſpectu cognitionis, & potentiæ materialis; ſi enim eſt proportionatum, quare aliqua potentia materialis actu exiſtens non verſatur per ſuum actum materialem circa tale objectum? Pariter objectum virtualiter univerſaliſſimũ non eſt

est objectum proportionatum tam actui, quàm potentiæ cognoscitivæ materiali. Materialitas enim potentiæ est principium limitationis, & restrictionis in repræsentando, ùt patet ab inductione universalissima, qua discimus potentias vitales intentionales, quò plùs habent de materialitate, dependentia à materia, & prædicatis materiæ, eò objectum minùs universale habere, & ad pauciora objecta se extendere. E contra verò potentias, quò hæ magis recedunt à materialitate, versari circa objecta universaliora. Tum quia si cognitio materialis posset repræsentare objectum spirituale, & virtualiter universale, non posset ex ulla ratione deduci spiritualitas intellectionũ humanarum, quæ ex hac sola ratione deduci solet, quòd dictæ intellectiones versentur circa objectum spirituale, & universale.

§. II.

An oculus corporeus possit videre DEUM per visionem intuitivam spiritualem, à se elicitam, & productam?

40. Dicendum est: Oculum corporeum nec ullam potentiam materialem cognoscitivam posse videre intuitivè DEUM per visionem intuitivam spiritualem à se productam, & elicitam. Idque & ex defectu virtutis productivæ talis visionis, & ex defectu talis capacitatis ad denominari ab hujusmodi visione.

Prima pars probatur. Oculus corporeus, potentia itèm quæcunque materialis cognoscitiva non habet, nec habere potest virtutem etiam inadæquatam, & inchoatam, vi cujus possit producere visionem spiritualem DEI. Ergo oculus corporeus, potentia itèm quævis cognoscitiva materialis, non possunt videre Deum per visionem spiritualem ex defectu virtutis productivæ. Antecedens probatur. Tum quia si oculus corporeus, vel potentia quæcunque materialis, haberet virtutem inadæquatam, & inchoatam ad producendam visionem spiritualem DEI, deberet naturaliter posse producere aliquem actum spiritualem saltèm imperfectum circa DEUM, ac etiam circa alia objecta. Sed nec oculus corporeus, nec ulla potentia materialis potest naturaliter producere, seu elicere ullum actum spiritualem circa DEUM, vel aliud objectum, aliàs produceret talem actum aliquando, quem tamen nunquam producit. Ergo. Tum quia in nulla potentia vitali datur virtus inchoata ad producendos actus, qui ex sua ratione specifica, sunt actus proprii aliarum potentiarum vitalium. Et sic in aure non datur potentia inchoata ad producendam visionem; in oculo non datur potentia inchoata ad producendam auditionem; aliàs posset auris videre, & oculus audire. Et ratio ulterior est. Quia in nulla potentia datur virtus inchoata ad modum operandi extraneum suæ virtuti connaturali. Sed modus operandi per actum ex sua ratione specifica proprium unius potentiæ vitalis, est omnino extraneus respectu virtutis connaturalis alterius potentiæ vitalis Ergo. Præterea in nulla potentia datur virtus inchoata ad producendum actum, à quo specificatur altera potentia diversa; sicut non datur virtus in ulla potentia ut mutet suam speciem, & transeat ad speciem alterius potentiæ. Atqui si in oculo corporeo, vel alia potentia materiali daretur virtus inchoata ad eliciendam visionem spiritualem DEI, daretur hoc ipso in oculo virtus inchoata ad producendum actum, à quo specificatur potentia alia diversa, nimirum potentia intellectiva, hæc enim specificatur ab intellectionibus, visio autem spiritualis necessariò est intellectio. Ergo. Tũ quia si oculus corporeus vel alia quæcunque potentia materialis cognoscitiva, haberet virtutem & potentiam elevabilem ad producendam visionem spiritualem DEI, ille oculus, vel potentia esset potentia intellectiva, posset enim producere vitaliter intellectionem. Siquidem illa visio spiritualis esset intellectio, potentia verò vitalis productiva intellectionum est potentia intellectiva. Ex hoc autem sequitur ulteriùs, quòd oculus, seu potentia illa materialis cognoscitiva, deberet esse simul potentia spiritualis. Cùm ratio Entis intellectivi sit prædicatum proprium, & differentiale entium spiritualium, idque vel purè spiritualium; qualia entia sunt: Deus, & Angeli. Vel entium compositorum ex forma spirituali, & subjecto materiali, seu materia; quale ens est homo. In quibus ipsis prædicatum intellectivi desumitur

tur à forma spirituali, quamvis per denominationem tribuatur toti composito, adeóque ipsi etiam materiæ. Tum quia nullum ens materiale potest esse productivum vitaliter entis spiritualis. Hoc enim ipso ens materiale deberet esse subjectum receptivum, & causa materialis actûs illius spiritualis, & vitalis; non potest verò esse talis causa propter suam improportionem, & limitationem materialitati propriam, ratione cujus arctatur, ut potentia materialis, cùm sit ipsa divisibilis, causet effectum divisibiliter, nec ità causet ullum effectum, ut singulæ partes potentiæ divisibilis, & materialis causent totum effectum indivisibilem, & pari modo causet eundem tota potentia.

41. Secunda pars Conclusionis probatur. Oculus corporeus non solùm non potest producere visionem spiritualem intuitivam DEI, sed etiam ab hac visione non potest denominari videns DEUM. Ergo oculus corporeus ex defectu capacitatis ad denominari denominatione videntis DEUM, non potest videre DEUM per visionem intuitivam spiritualem à se productam. Antecedens probatur quoad secundam partem. Oculus corporeus à sola visione materiali, & sensitiva objecti, potest denominari videns objectum, vel aliter percipiens. Si enim non à sola hac visione posset denominari, tunc per paritatem rationis, casu quo oculus corporeus immanenter, & vitaliter produceret auditionem, aut olfactionem, aut volitionem alicujus objecti, per omnes hos actus oculus esset videns objectum, vel certè oculus per auditionem à se vitaliter productam, essèt audiens, per olfactionem esset olfaciens, per volitionem esset volens. Pariter si lapis produceret immanenter visionem objecti ab hac visione, lapis posset denominari videns objectum. Imò potiori jure oculus corporeus ab auditione à se imanenter producta, debet denominari videns objectum auditionis, vel audiens objectum, quàm debeat denominari idem oculus corporeus à visione spirituali à se producta, videns objectum dictæ visionis. Cùm visio spiritualis magis differat à visione corporali, & sensitiva, quæ ex sua essentia est denominativa oculi in esse videntis, quàm differat auditio sensitiva à visione sensitiva.

42. Adverto, quòd aliqui Theologi ex iis, qui in quovis Ente activo admittunt potentiam obedientialem, & inchoatam ad quodvis ens producendum, si hoc specialiter illi ipsi Enti activo non repugnet. Hi inquam Theologi licèt admittant, oculum corporeum posse producere visionem DEI saltèm spiritualem, docent nihilominus oculum à tali visione non posse accipere denominationem oculi videntis DEUM, idque ob incapacitatem talis denominationis. Cæterùm hæc doctrina non probatur. Videtur enim æqualiter debere aut utrumque affirmari, & doceri, aut utrumque negari. Quia si in oculo corporeo admittitur potentia obedientialis ad producendam visionem, ex eo, quòd oculus corporeus sit ens activum, cujus virtuti non repugnat specialiter visio. Non est ratio, ob quam in oculo corporeo non debeat pariter admitti potentia obedientialis, seu capacitas ad denominari denominatione videntis DEUM, proveniente à visione spirituali, idque ex eo, quòd oculus corporeus sit denominabilis aliqua denominatione, & quòd hæc denominatio specialiter non repugnet oculo. Et è contra si in oculo corporeo negatur capacitas ad denominari à visione spirituali, quòd sit videns DEUM; licèt oculus corporeus sit denominabilis aliqua denonminatione, & denominatio videntis DEUM non repugnet specialiter oculo corporeo: in eodem oculo negari debet potentia obedientialis ad producendam visionem DEI, licèt dictus oculus sit ens activum, & non repugnet illi specialiter productio visionis. Huic paritati non facilè disparitas assignari potest.

§. III.

An oculus corporeus possit videre DEUM visione increata, qua DEUS se ipsum videt, sibi physicè unitâ?

43. Dicendum est: Oculum corporeũ non posse intuitivè videre Deum per visionem spiritualem, sive creatam ab oculo non productam, sive increatâ sibi unitam. Ra-

Ratio est. Tum quia nulla potentia vitalis potest habere denominationem videntis intuitivè DEUM à visione à se non causata. Denominationes enim vitales subjectorum creatorum, qualis est denominatio videntis DEUM, petunt essentialiter provenire formaliter ab actu vitali immanenter producto ab illo principio, cui talis denominatio tribuitur, ùt probatum est num. 29. Disp. præsentis. Et certè denominatio creantis actu, denominatio itèm causantis actu, & producentis effectum, sunt denominationes, quæ petunt essentialiter provenire à creatione, causalitate, seu productione proveniente ab illo ipso principio, quod denominatur. Ergo etiam denominatio videntis intuitivè DEUM, est talis denominatio, quæ essentialiter petit provenire à visione causata ab illo ipso ente creato, quod denominatur videns Deum. Nec sufficit ad talem denominationem, quòd visio licèt improducta sit physicè unita subjecto denominationis. Consequentia probatur non solùm paritate rationis, sed etiam ex eo, quia denominatio videntis est denominatio viventis vitâ actûs secundi; hæc autem ulteriùs denominatio est actu operantis, seu agentis immanenter & ab intrinseco; est itèm denominatio actu causantis; à quali igitur forma debet provenire denominatio actu causantis, & operantis ab intrinseco, à tali forma debet provenire denominatio viventis in actu secundo, seu vitâ actûs secundi, & videntis DEUM. Consequenter cùm denominatio actu operantis, & agentis ab intrinseco debeat provenire ab operatione, seu actu immanente, & procedente effectivè à principio, quod denominatur operans, & agens. Etiam denominatio entis creati videntis DEUM, & viventis vitâ actûs secundi, debet procedere à visione, & vitali actione procedente tanquam à principio ab eo, quod denominatur videns DEUM, & vivens vitâ actûs secundi. Tum quia si oculus corporeus posset videre DEUM visione à se non causata, v. g. à visione increata sibi physicè unita, tunc sequeretur primò, quòd bos, equus, omniáque bruta æquè possent videre DEUM, atque eum vident Beati; adeóque bruta æquè essent capacia beatitduinis supernaturalis, atque homines, & Angeli sunt capaces illius. Secundò sequeretur, quòd oculus corporeus per auditionem sibi unitam posset videre, vel percipere sonum, odorem, &c. atque idem oculus per intellectionem à se non productam, sed solùm sibi unitam potest videre objectum talis intellectionis. Cùm non minùs intellectio non causata ab oculo sit forma improportionata ad tribuendam oculo corporeo denominationem videntis DEUM, atque auditio producta ab aure, olfactio producta ab olfactu, unita oculo corporeo est improportionata ad tribuendam oculo denominationem percipientis sonum, aut odorem. Tertiò sequeretur, quòd pariter frigus per calefactionem sibi unitam posset calefacere, posśetque denominari calefaciens. Tandem sequitur, quòd etiam lapis per vitam in actu secundo Divinam sibi physicè unitam posset vivere in actu secundo, posset intelligere, velle, videre DEUm, & summè felix, ac beatus esse. Aliquas ex his sequelas non negat absolutè Franciscus bonæ spei, cùm censeat contra illas, si admittantur, solam admirationem communem opponi posse. Cæterùm etiam ex ipsa communi admiratione facilè colligitur, sequelas has ità inconvenientes, & absurdas esse, ut nullatenus tolerari, & admitti possint. Deinde eædem omnes sequelæ solidæ quoque repugnant rationi, quatenus repugnant doctrinæ apud Philosophos, & Theologos receptissimæ, & quæ instar principii ab omnibus habetur, huic nimirum: ad omnem denominationem, ut hæc alicui subjecto tribui possit, requiritur primò capacitas talis denominationis in subjecto. Secundò forma potens tribuere talem denominationem. Tertiò debita, & sufficiens applicatio formæ denominantis ad subjectum denominabile. Repugnant itèm illi doctrinæ, qua à Philosophis, & Theologis asseritur, non in quovis subjecto dari capacitatem cujusvis denominationis, nec in quavis forma virtutem, seu potentiam tribuendi quamcunque denominationem, ac etiam tribuendi denominationem cuivis subjecto, quam potest tribuere uni alicui determinatè subjecto. Præterea adductæ sequelæ ex eo etiam admitti non possunt. Quia ex illis admissis sequitur ulteriùs per paritatem ratio-

tionis etiam gratiam habitualem unitam physicè Christo, tribuere eidem denominationem Filii DEI adoptivi; adeóque Christum esse Filium DEI adoptivum. Quæ tamen propositio, ùt refert Card. de Lugo Disp. 1. de Incarn. num. 4. damnata est à Concilio Francofordiensi. Sequitur itêm, quòd si Subsistentia, & Personalitas Verbi uniretur naturæ bruti, v. g. bovis, bovem denominaret Personam, sicut denominat hominem, quod negatur ab omnibus Theologis.

Proponuntur Objectiones.

44. Opponuntur primò Authoritates contra Conclusiones trium præcedentium §. Tum Scripturæ, dum Job 10. dicitur: *In carne mea videbo DEUM.* Et iterum cap. 42. *Auditu auris audivi te. Nunc autem oculus meus videt te.* Tum S. Augustini, qui lib. 22. de Civit. DEI cap. 24. cùm sibi objecisset. *Sicut ergo constat videri corpora spiritu. Quod si tanta erit potentia spiritalis corporis, ut corpore videatur, & spiritus?* Ad hanc interrogationem mox sibi respondet: *Quamobrem fieri potest, valdéque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora, ut DEUM ubique præsentem, & corporalia gubernantem, per corpora, quæ gestabimus, & quæ conspiciemus, quaquaversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus.* Ergo.

45. Opponitur secundò. Nulla contradictoria ex eo deduci, & inferri possunt, quòd oculus corporeus, vel potentia aliqua materialis cognoscitiva videret DEUM. Quæ enim sunt illa contradictoria? Ergo non implicat DEUM videri ab oculo corporeo, vel alia potentia materiali.

46. Opponitur tertiò. In oculo corporeo datur potentia obedientialis, & virtus inchoata, & incompleta ad videndum DEUM. Ergo oculus corporeus per principium supernaturale potest elevari, & elevatus potest videre DEUM. Antecedens probatur. Tum quia probabilis est sententia dari potentiam obedientialem, adeóque inchoatam in quolibet ad quodlibet, potissimùm verò dari talem potentiam in entibus activis, & in ordine ad effectus, qui ex speciali ratione illis entibus non repugnant. Ergo probabile est dari in oculo corporeo potentiam obedientialem, & virtutem inchoatam ad eliciendam visionem DEI, sive materialem, sive spiritualem. Tum quia oculus corporeus habet aliquod prædicatum speciale, & proprium causæ productivæ visionis DEI, scilicet habet hoc prædicatum, quòd sit potentia visiva. Ergo ratione hujus prædicati habet virtutem inchoatam ad videndum DEUM. Tum quia in aqua Baptismatis datur virtus inchoata ad producendam gratiam sanctificantem. In igne etiam materiali datur virtus inchoata ad urendos spiritus. In luto etiam, quod fecit Christus, fuit virtus illuminativa cæci. Ergo & in oculo corporeo datur virtus inchoata ad producendam visionem DEI. Tum quia in potentiis naturalibus, intellectiva, & volitiva, datur virtus inchoata, ratione cujus possunt elevari ad eliciendum actum supernaturalem circa objectum supernaturale. Ergo etiam in oculo corporeo, & in potentia materiali datur virtus inchoata ad eliciendum actum spiritualem circa objectum spirituale. Adeóque circa DEUM, non magis enim materialitas potentiæ est improportionata spiritualitati actûs, & objecti, quàm sit improportionata naturalitas potentiæ, supernaturalitati actûs, & objecti. Tum quia si non daretur in oculo corporeo virtus inchoata ad videndum DEUM, non daretur ex eo, quòd oculus corporeus nullo suo actu naturali etiam imperfectè percipiat DEUM. Sed hæc ratio non obstat. Siquidem idem oculus videbit, & percipiet lumen supernaturale, & splendorem corporum beatificorum, quamvìs circa hoc objectum nullum actum etiam imperfectum naturaliter eliciat.

47. Objicitur quartò. In tantum adhuc oculus corporeus, vel alia potentia materialis non posset intuitivè videre DEUM, in quantum DEUS esset extra sphæram, & latitudinem objecti respectu oculi, vel alterius potentiæ materialis. Sed DEUS non est extra sphæram objecti adæquati respectu oculi, vel saltèm potentiæ materialis possibilis. Tum quia etiamsi DEUS sit extra sphæram objecti naturalis, seu naturaliter cognoscibilis ab oculo, non est tamen extra sphæram objecti supernaturalis. Cùm respectu omnis potentiæ vitalis intentionalis duplex debe-

beat esse objectum unum naturale, aliud supernaturale. Sicut respectu cujusvis potentiæ effectivæ duplices sunt effectus, quidam naturales, alii supernaturales. Ergo. Tum quia sicut non implicat, ut causa spiritualis causet effectum materialem, itâ etiam non implicat, ut potentia materialis respiciat, & percipiat objectum spirituale. Tum quia nulla est implicantia in tali potentia materiali visiva, quæ se extendat ad omne objectum; adeóque etiam ad objecta spiritualia, & inter hæc ad ipsum DEUM. Ergo. Tum quia etiamsi oculus corporeus versetur nonnisi circa colorem, tamen possibilis est talis potentia materialis superioris ordinis, quæ percipiat immediatè substantias materiales. Ergo etiam non implicat talis potentia, quæ percipiat objecta spiritualia. Adeóque cognoscat intuitivè DEUM.

Solvuntur Objectiones.

48. Respondeo ad primum. Negando evinci Authoritatibus, quòd oculo corporeo possit videri DEUS. Ad Authoritatem sacræ Scripturæ dico: primum textum à S. Thoma hic Quæst. 12. Art. 3. ad 1. & à S. Augustino de Civit. DEI lib. 22. cap. 19. sic exponi: Quòd S. Job dixerit se *DEUM visurum in carne sua, non tamen per carnem*; hoc est, significando, quòd post resurrectionem corporum sit extiturus in carne, dum oculo mentis DEUM videbit, non verò, quòd sit eundem visurus oculo corporeo. Alii hunc textum intelligunt de visione Humanitatis Christi, quæ oculo corporeo videbitur. Cujus explicationis fundamentum habetur ex verbis immediatè antecedentibus: *Scio enim, quòd Redemptor meus vivit.* Alter Scripturæ textus intelligendus est vel de aure, & oculo cordis, vel de aure, & oculo, corporeis, sed prout attingentibus sonum materialem vocis à DEO in aëre causatæ; DEUM itèm in specie, & figura externa corporali apparentem. Ad Authoritatem S. Augustini dico, S. Doctorem hoc præcisè velle: ex creaturis corporalibus, quas oculis corporeis percipiemus, cognituros nos DEUM clarissimè, & perspicacissimè, hoc est, longè clariùs, quàm nunc in via eundem DEUM ex creaturis, quas ipsas ministerio sensuum cognoscimus, cognoscere soleamus. Ità verò debere intelligi S. Doctorem, ex eo colligitur: Quia S. Doctor dicit non solùm per corpora, quæ gestamus, sed etiam per corpora, quæ conspiciemus, visuros nos DEUM. Quo ergo modo DEUM videbimus per corpora, quæ conspiciemus, eo modo videbimus eundem per corpora, quæ gestamus. Sed per corpora, quæ conspiciemus, in tantum præcisè DEUM videbimus, in quantum hæc ùt medium priùs cognitum ducet nos in cognitionem ipsius DEI. Ergo eodem modo eundem videbimus per corpora, quæ gestamus, non verò taliter, ut oculus corporum nostrorum immediatè attingat DEUM, ipsúmque in sua Essentia intueatur.

49. Ad secundum Respondeo: hoc ipso Argumento urgeri etiam ipsos Adversarios. Nam & illi ostendant contradictoria, quæ sequerentur, si odoratus olfaciat, aut gustus percipiat Angelum, quod secundùm pleròsque Adversarios existimo implicare. Directè respondeo ex Conclusionum Probationibus facilè ostendi posse, quæ contradictoria sequerentur, si oculus corporeus DEUM videret; scilicet sequerentur *primò* hæc contradictoria: Quòd oculus ille & videret DEUM, & non videret; videret, ùt supponitur, non videret verò, vel quia non haberet potentiam inchoatam ad eliciendam visionem DEI, vel quia à visione, quam produceret, non posset denominari videns DEUM. *Secundò* hæc sequerentur contradictoria: Quia visio illa, qua ab oculo corporeo videretur DEUS, & esset visio materialis, & non esset; esset materialis; quia causaretur tam effectivè, quàm passivè ab oculo corporeo; non esset autem materialis, quia versaretur circa objectum spirituale universalissimum causaliter, & intentionaliter. *Tertiò* sequerentur hæc contradictoria: Quòd oculus corporeus videns DEUM, & esset potentia intellectiva; quia posset causare, & elicere intellectiones. Visio enim DEI necessariò est intellectio, & non esset potentia intellectiva, quia esset oculus corporeus.

50. Ad tertium Respondeo, negando Antecedens. Primæ Probationis potest imprimis negari Antecedens. Cujus falsitas facilè patet ex Rationibus Conclusionum. Ad ulteriorem Probationem dicendum est: Etiamsi non desint Autho-

res, qui admittant potentiam obedientialem in quovis ente ad quodlibet efficiendum, tamen longè probabilior est sententia opposita, quæ negat dari talem potentiam in quolibet ad quodlibet. Potest etiam dissimulato Antecedente hujus Probationis negari Consequentia. Sicut enim secundùm illos, qui asserunt dari potentiam obedientialem in quolibet ad quodlibet, non eô ipsô, quòd detur potentia obedientialis in lapide ad producendam visionem, datur in eodem lapide potentia etiam inchoata ad videndum DEUM; ità pariter etiamsi in oculo corporeo daretur potentia obedientialis ad producendam visionem DEI, tamen non eô ipsô deberet dari in eodem oculo potentia ad videndum DEUM. Potentia enim ad videndum DEUM non est præcisè potentia ad producendam visionem, sed etiam est potentia ad denominari à visione, denominatione videntis DEUM. Non eô autem ipsô, quòd detur in aliquo ente potentia ad producendam, & recipiendam aliquam formam, datur potentia, seu capacitas ad quemcunque effectum formalem, & denominationem ab illa forma tribuibilem. Sed potest in aliquo ente deesse capacitas ad denominari ab aliqua forma, licèt causata, & recepta in dicto ente, quam talis forma alteri enti, & subjecto potest tribuere. Et sic defacto deest capacitas tam in lapide, quàm in oculo corporeo, ad denominari à visione denominatione videntis DEUM; etiamsi lapis, & oculus visionem producerent, & in se reciperent. Deest imprimìs hæc capacitas in lapide. Quia in solo ente, quod est vivens in actu primo, datur capacitas ad denominari vivens in actu secundo; itèm ad denominari videns objectum. Lapis autem non est vivens in actu primo, quia est corpus inanimatum. Deest deinde eadem capacitas in oculo corporeo: Tum quia ut aliquod principium productivum actûs vitalis denominetur ab illo actu vitali, debet in eodem gradu constitui, qui congruit actui, & objecto. Et sic, quia gradus vitæ, in quo est sensus auditus, seu auris, non congruit actui, qui est visio, nec objecto, quod est color; ideo auris, etiamsi produceret, & reciperet visionem, non potest denominari videns colorem, & sic de aliis sensibus. Atqui gradus vitæ, in quo est oculus corporeus, non congruit actui visionis Dei, & objecto hujus actûs. Visio enim est, & debet esse actus spiritualis, DEUS etiam, qui est objectum visionis, est objectum spirituale, oculus verò est in gradu vitæ determinatæ nonnisì ad actus materiales, & ad objectum materiale, scilicet ad lumen, & colores. Ergo. Tum quia ut oculus corporeus denominetur videns Deum à visione à se producta, requiritur, ut oculus vitaliter producat visionem. Non eô autem ipsô, quòd oculus corporeus posset producere, imò & in se recipere visionem DEI, non eô inquam ipsô potest eam vitaliter producere. Ad producendam enim vitaliter visionem non sufficit nuda productio, & receptio visionis, sed insuper requiritur, ut principium productivum, & receptivum visionis, dum adjuvatur à principio elevativo sui ad talem productionem, saltèm sic adjutum possit se determinare ad actum secundùm opportunitatem objecti, ùt doceri solet in Philosophia, ubi de Anima. Sed oculus corporeus non potest se determinare ad visionem DEI secundùm opportunitatem objecti. Quia potentia vitalis intentionalis solùm potest se determinare ad actum secundùm opportunitatem illius objecti, quod non est extra sphæram illius potentiæ, quod itidem participat rationem objecti formalis specificativi dictæ potentiæ. Determinatio enim hæc debet provenire ab intrinseca propensione, & inclinatione potentiæ ad objectum. Hæc autem non habet talem propensionem nisì in objectum suæ sphæræ, & in objectum participans rationem sui formalis specificativi. Quale objectum respectu oculi corporei non est DEUS; cùm non sit objectum materiale, sensibile, & coloratum. Ergo. Secundæ Probationis nego Antecedens. Ad Probationem hujus Antecedentis dico: Prædicatum *potentiæ visivæ* conveniens oculo corporeo non esse prædicatum proprium principii vitalis productivi visionis intuitivæ DEI. Solùm enim in voce, vel certè in aliqua ratione valde generica, aut analogica est convenientia inter potentiam visivam, quæ tribuitur oculo corporeo, & inter potentiam visivam intellectûs, quæ est proprium principium vitale visionis intuitivæ DEI. Siquidem potentia visiva conveniens oculo corporeo

reo est potentia materialis, eâque ex sua essentia determinata ad solum colorem, & lumen. Potentia autem visiva conveniens intellectui essentialiter, est spiritualis, & extendens se ad intelligibile. Porrò convenientia in aliquo prædicato valde generico, & analogico, inter duas aliquas potentias, non sufficit, ut in una potentia detur virtus inchoata ad eliciendum actum, ex sua ratione specifica proprium alterius potentiæ. Aliàs ex eo, quòd auris, & intellectus conveniant in ratione potentiæ cognoscitivæ, auris habebit potentiam, & virtutem inchoatam ad cognoscendum in se immediatè DEUM, & ad eliciendam cognitionem immediatam DEI in sua essentia, quod tamen non videtur concedendum. Tertiæ Probationis transito Antecedente, nego Consequentiam. Disparitas est. Quia aqua Baptismatis solùm causat moraliter instrumentaliter gratiam sanctificantem. Virtutis verò inchoatæ requisitæ ad causandam instrumentaliter moraliter gratiam, sufficiens habetur fundamentum per hoc, quòd Sacramentum, ejúsque partes essentiales, ut ablutio aqua baptismali, & prolatio formæ baptismi habeant rationem signi sensibilis symbolici ipsius gratiæ. E contra oculus corporeus ut censeatur videre DEUM, debet esse causa physica, eâque vitaliter productiva visionis DEI; ut sit autem talis causa, requiritur virtus inchoata in eo consistens, ut gradus vitæ oculi corporei congruat actui, & objecto visionis. Secundò requiritur, ut objectum visionis contineatur intrà sphæram oculi corporei, habeâtque rationem objecti formalis specificativi respectu ejusdem oculi. Tertiò ut oculus corporeus possit naturaliter elicere aliquem actum saltêm imperfectum circa objectum visionis, de qua agitur v. g. circa Deum. Cùm ergo hæc prædicata non conveniant oculo corporeo, respectu visionis DEI, & respectu objecti ejusdem visionis, quod est DEUS, ideo non datur in oculo corporeo potentia, seu virtus inchoata ad videndum DEUM. Quòd etiam in igne detur virtus inchoata ad urendos spiritus, habetur hoc fundamentum, quòd defacto ignis per adustionem corporis hominis viventis causet naturaliter, licèt remotè, & mediatè, dolorem in voluntate animæ spiritualis, corpori ejusdem hominis conjunctæ. Unde habetur, quòd idem ignis habeat virtutem inchoatam, ut possit à DEO assumi, ùt instrumentum productivum doloris in voluntate damnatorum acerbissimi, proportionati illi dolori, quem in voluntate patitur anima spiritualis unita corpori, ex adustione ipsius corporis. Adeóque ignis potest elevari ad urendos spiritus. Ustio enim hæc spirituum consistit in causatione illius doloris. E contra non habetur simile fundamentum potentiæ inchoatæ ad videndum DEUM. Siquidem oculus corporeus non potest naturaliter elicere ullum actum etiam imperfectum circa DEUM. Adverto, ignem solùm esse causam moralem instrumentalem respectu illius doloris, quem spiritus damnati experiuntur, qui propter nimiam suam acerbitatem est, & dicitur ustio illorum spirituum. In tantum enim ignis causat illum dolorem, in quantum est causa moralis alicujus qualitatis spiritualis disconvenientis, & dissonæ spiritibus damnatis; quæ qualitas, eiúsque dissonantia est objectum doloris illius acerbissimi. Unde ab igne hoc non currit paritas ad oculum corporeum, qui deberet esse causa physica vitalis respectu visionis DEI. Quartæ Probationis nego Consequentiam. Ad Probationem dico: Licèt in ratione entis æqualiter sint improportionata potentia materialis cum actu, & objecto spirituali, atque sunt improportionata potentia naturalis, & actus supernaturalis, illiúsque objectum, tamen in ratione virtutis causativæ, & effectûs; itèm in ratione potentiæ intentionalis, & objecti non sunt hæc æqualiter improportionata. Potentia enim naturalis cum actu supernaturali, ejúsque objecto, non est in hac ratione improportionata. Quia imprimis potentia naturalis, & actus supernaturalis, non sunt sibi improportionati in ratione virtutis causativæ (intellige inadæquatæ, & elevabilis) & in ratione effectûs. Actus enim supernaturalis ratione alicujus sui prædicati, hujus nimirum, quòd sit vitalis, & intentionalis, petit essentialiter procedere à potentia inadæquata naturali. Quia essentialiter petit procedere à principio vitali, quod necessariò est potentia naturalis, utpote indistincta ab anima hominis, quæ est quid naturale. Non etiam eadem potentia na-

naturalis & objectum supernaturale, sunt improportionata in ratione potentiæ intentionalis & objecti. Cùm enim aliqua potentia naturalis sit universalissima in repræsentando, habeátque pro objecto omne cognoscibile, talis potentia non est improportionata ipsi objecto supernaturali, quo minùs illud repræsentare possit. E contra potentia materialis. v. g. oculus corporeus est improportionatus tam actui spirituali, in ratione virtutis causativæ & effectûs, quàm objecto spirituali in ratione potentiæ intentionalis & objecti. Est imprimìs oculus hic improportionatus actui spirituali in ratione causæ & effectus. Actus enim spiritualis ex nullo prædicato postulat produci ab oculo corporeo, quin potiùs postulat essentialiter produci à potentia spirituali, ùt patet ex dictis num. 40. Est etiam oculus corporeus improportionatus objecto spirituali, in ratione potentiæ intentionalis & objecti. Quia omnis potentia materialis ex ratione talis potentiæ est limitata ad objecta sola materialia & sensibilia, eáque nonnisì certæ speciei. Quintæ Probationis Nego minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: Licèt circa splendorem corporum beatificorum non eliciatur nunc ab oculo corporeo viatorum, ullus actus etiam imperfectus, ídque ob defectum præsentiæ & debitæ approximationis hujus splendoris, ad potentiam visivam, seu oculum. Quia tamen naturaliter eliciuntur actus ab eodem oculo, circa alios splendores, qui ex Sententia S. Thomæ in quartum Distin. 44. Quæst 2. Art. 4. sunt ejusdem rationes cum splendore & claritate corporum beatificorum, licèt fortè in intensione sint longè inferiores, ideo habetur inde sufficiens fundamentum; quòd lumen illud, cùm sit & debeat esse materiale, detur in oculo corporeo potentia & virtus ad eliciendam visionem ejusdem. Quòd itèm idem lumen non sit extra sphæram objecti dicti oculi: Non habentur verò talia fundamenta pro admittenda potentia & virtute inchoata in oculo corporeo respectu eliciendæ visionis DEI. Adverto lumen corporum beatificorum, non esse supernaturale entitativè & quoad substantiam, sed solùm quoad modum, quatenus est supra exigentiam naturalem corporum illorum, quæ beatificabuntur, licèt non sit supra exigentiam aliorum corporum saltèm creabilium.

51. Ad quartum Respondeo. Negando Minorem. Probationis primæ Nego Antecedens, & dico: DEUM etiam intra sphæram objecti supernaturalis, respectu oculi corporei, non contineri, ídque ex eo: Quia etiamsi respectu omnis potentiæ vitalis intentionalis, deberet dari duplex objectum unum naturale & alterum supernaturale, deberet tamen utrumque participare rationem formalem objecti specificantis illam potentiam, ùt patet in objectis potentiæ intellectivæ. Cujus potentiæ objecta, sive sint naturalia, sive supernaturalia, debent participare rationem formalem objecti intelligibilis; quæ ratio, est ratio specificativa potentiæ intellectivæ; patet itèm in objectis potentiæ volitivæ. DEUS autem non participat rationem formalem objecti sensibilis & colorati. Addo etiam ex eo DEUM non esse objectum supernaturale respectu oculi, quia circa DEUM, oculus corporeus non exercet naturaliter ullum actum etiam imperfectum. Cùm tamen potentiæ, quæ respiciunt objecta supernaturalia, possint circa hæc ipsa elicere naturaliter aliquos actus saltèm imperfectos, ùt patet in intellectu & voluntate. Secundæ Probationis Transito Antecedente. Potentiæ enim vitales spirituales nisì compleantur per comprincipia materialia, non possunt se solis elicere vitaliter actus vitales materiales. Transito inquam Antecedente nego Consequentiam, Disparitas est. Quia ut potentia spiritualis possit producere actum materialem, sufficit quòd illum contineat in sua virtute productiva. Potest autem illum continere in sua virtute, si illa potentia sit potentia formæ spiritualis, ex natura sua ordinatæ ad constituendum cum materia, materiale Totum essentiale physicum, potest inquam continere in sua virtute tum propter eminentiam perfectionis, tum propter essentialem sui ordinationem ad complendam materiam, cùm enim modus operandi sequatur modum essendi, forma spiritualis hominis, sicut in suo esse, saltèm quando primò producitur, dependet aliquomodo à materia; ità dependet ab eadem etiam in operari. Eò autem ipso quòd dependeat in operari à materia, debet in sua virtute continere actus materiales. E

contra

contra oculus corporeus & potentia materialis, non continet in sua virtute visionem intuitivam DEI, neque enim eminet perfectione supra ipsam visionem intuitivam, cùm hæc sit in superiori gradu vitæ, utpote quæ debet esse spiritualis, oculus verò corporeus & potentia quæcunque materialis est in gradu vitæ inferiori; neque ex ullo alio capite, continet in sua virtute, dictam visionem. Cùm, ùt dictum est, non habeat potentiam & virtutem inchoatam ad visionem DEI. Præterea, quia objectum visionis DEI, non est intrà sphæram potentiæ materialis, seu oculi. Ut autem potentia vitalis intentionalis, in sua virtute contineat aliquem actum vitalem intentionalem, requiritur, ut objectum, quòd debet attingi per talem actum intentionalem, sit intrà sphæram objectorum dictæ potentiæ. Non est autem objectum spirituale, intrà sphæram potentiæ materialis. Tum quia hæc potentia, ratione suæ materialitatis, est restricta & limitata ad sola nonnisì objecta materialia. Tum quia objectum spirituale, non participat rationem formalem objecti, à quo specificari debet potentia materialis, nimirum non participat rationem objecti sensibilis; sed potiùs nonnisì participat rationem formalem objecti intelligibilis. Quæ ratio essentialiter est specificativa intellectûs, adeóque potentiæ spiritualis. Tertiæ Probationis, si procedat de potentia visiva materiali, nego Antecedens. Hæc enim potentia si se extenderet ad omne objectum, extenderet se ad objectum ùt intelligibile. Quia hæc sola ratio potest convenire omni objecto, consequenter talis potentia deberet esse potentia intellectiva, seu intellectûs, qui essentialiter est potentia spiritualis, cùm prædicatum intellectivi, sit prædicatum proprium entium spiritualium. Quartæ Probationis Transito Antecedente Nego Consequentiam. Disparitas est. Quia objecta spiritualia & universalissima, causaliter sunt objecta proprìa potentiarum spiritualium, specificativa earundem, nimirum intellectûs & voluntatis, adeóque circa talia objecta, solæ potentiæ spirituales versari possunt & debent. Hoc autem non convenit substantiis materialibus, quæ ex ratione objecti materialis, videntur posse esse objectum potentiæ materialis.

§. IV.

An in hac vita mortali DEUS videri possit à puro homine visione illa intuitiva, qualis est possibilis, & an cuipiam aliquando id concessum sit?

52. Duo adhuc resolvenda in præsenti veniunt. An purus homo possit videre DEUM in hac vita mortali? & an hoc privilegium concessum fuerit aliquando? Additur: *An purus homo.* Nullum enim dubium, neque ulla controversia est de DEO Homine. Cùm certum sit, DEUM Hominem, seu Christum, ejúsque sanctissimam Humanitatem, à primo suæ conceptionis instanti, vidisse intuitivè DEUM. Christus enim toto vitæ suæ mortalis tempore fuit viator, & simul comprehensor, debebatúrque Christo visio intuitiva DEI, tanquam Filio DEI naturali.

53. Dicendum est primò. De lege ordinaria nullum purum hominem in hac vita mortali posse DEUM videre visione intuitiva, quamvìs de potentia absoluta eundem videre possit.

Prima pars probatur tum Authoritate Scripturæ, in qua 1. ad Timoth. cap. 6. de DEO dicitur: *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Exod. 33. dictum est ad Moysen: *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & vivet.* Tum Authoritate Concilii Viennensis, definientis hæreticam esse propositionem: *Non solùm viribus naturæ, sed etiam in præsenti vita, lege communi, posse DEUM videri.* Tum quia Visio beata à Scriptura, & Patribus dicitur esse merces, eáque magna nimìs, corona, & præmium. Atqui de lege ordinaria talis merces non confertur hominibus in præsenti vita. Hæc enim non confertur, nisì finito agone, & certamine. Certamen autem non finitur, nisì simul cum vita mortali. Ergo. Tum quia modus cognoscendi objecta, etiam sensibus non subjecta, connaturalis statui hominis in hac vita mortali existentis, est dependens à sensibus, & ænigmaticus, ùt patet non solùm in actibus naturalibus, sed

sed etiam in actu supernaturali fidei. Atqui modus cognoscendi DEUM per visionem intuitivam non est dependens à sensibus, nec ænigmaticus. Ergo non est coñaturalis statui hominis in hac vita mortali existentis. Adeóque non est ipsi conveniens secundùm legem ordinariam. Tum quia homini in hac vita mortali existenti non est naturalis status ille, in quo idem homo non potest connaturaliter exercere functiones sensuum tam internorum, quàm externorum. Atqui status visionis intuitivæ DEI est status talis, ut in illo homo non possit exercere functiones sensuum. Quò enim magis homo abripitur consideratione unius alicujus objecti, eò minùs est potens ad functiones hujusmodi, ùt constat ab experientia. Per visionem verò DEI abripitur maximè animus, & propter excellentiam objecti, & propter modum, quo visio versatur circa suum objectum.

54. Secunda pars probatur. Tum quia defacto Humanitas Christi vidit intuitivè DEUM in hac vita mortali, ùt dictum est num. 52. Ergo etiam quævis alia humanitas puri hominis in hac vita mortali existentis per potentiam absolutam, & extraordinariam potest elevari ad videndum DEUM intuitivè. Cùm præsertim Humanitas Christi sit ejusdem rationis cum quavis humanitate puri hominis. Tum quia nulla afferri potest implicantia, ratione cujus de potentia absoluta homo purus non possit in hac vita mortali videre intuitivè DEUM.

55. Dicendum est secundò. Probabiliùs est, quòd nemini ex puris hominibus, præter Beatissimam Virginem DEIparam, concessum sit privilegium in hac vita mortali videndi intuitivè DEUM. Responsio hæc est communior inter recentiores Theologos, & sacræ Scripturæ Interpretes. Faventque illi Evaristus Papa, S. Dionysius, S. Irenæus, S. Gregorius Nazianz. & alii.

Probatur potissimùm ex Scripturis, quæ universaliter loquuntur, neminem vidisse DEUM in hac vita, ùt colligitur ex Joan. 1. *DEUM nemo vidit unquam. Unigenitus Filius ejus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Itèm ex 1. ad Timoth. 5. *Quem nullus homo vidit, sed nec videre potest.* Hinc nec Paulus raptus ad tertium cælum, vidit intuitivè DEUM; cùm ipse asserat, se audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui, non verò etiam DEUM vidisse. Nec Moyses etiam in hac vita vidit intuitivè DEUM, quàmvìs de illo Scriptura dicat Exod. 33. *Loquebatur DEUS ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Locutio enim hæc Domini ad Moysen fuit locutio Dei, vel Angeli in assumpta specie hominis apparentis, ùt explicat S. Augustinus Tract. 3. in Joan. ad illa verba: *DEUM nemo vidit unquam.* Non significat autem locutionem Moysis cum DEO viso in sua essentia, cùm, eodem capite, Moysi postulanti à DEO: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te*, responsum; & dictum fuerit: *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & vivet.*

56. Addidi: Nemini in hac vita puro homini, præter DEIparam, concessum esse privilegium videndi intuitivè DEUM. Pium enim est sentire Beatissimam Filii DEI Parentem, non contineri illis Scripturæ propositionibus universalibus: *DEUM nemo vidit. Quem nullus hominum vidit.* Sicut non continetur Beatissima in illa universali: *Omnes in Adam peccaverunt.* Ratio insuper est: Quia videtur id postulare summa dignitas, & excellentia Maternitatis Christi, ut Mater DEI etiam tali privilegio exornaretur.

Putant tamen aliqui Authores, Beatissimam hoc privilegio fuisse primùm exornatam post Incarnationem Christi, quod deceret, ut à Christo tanquam Filio DEI naturali, priùs adiretur hæreditas, quàm à Filiis DEI adoptivis. Alii putant, DEIparam vidisse primùm intuitivè DEUM post Resurrectionem Christi, quo tempore Patres, qui in limbo detinebantur, admissi sunt ad visionem DEI, ex eo, quòd morte Christi primùm reseratum sit cælum. Postremò alii censent, sanctissimæ DEI Parenti in hac vita non fuisse concessam visionem DEI permanentem, sed solùm transeuntem, & ad breve tempus. Ego id sentiendum censeo, quòd honorificentiùs, & gloriosiùs est Matri DEI, nec definitionibus Ecclesiæ, & Conciliorum repugnat.

57. Dices: Contra legem universalem in Scriptura expressam, non potest sinè

sinè sufficienti ratione præsumi privilegium. Sed habetur lex universalis in Scriptura, quòd nullus hominum in hac vita DEUM videre possit, & non est ratio, ac fundamentum contra hanc legem, præsumendi privilegium. Ergo. Respondeo. Omissa Majore, nego Minorem quoad secundam partem. Et dico: Esse rationem, & fundamentum contra illam legem, de non videndo DEO in hac vita, præsumendi privilegium Beatissimæ DEI Parenti concessum esse. Estque tale fundamentum summa dignitas, & excellentia Maternitatis DEI, ex vi cujus de Matre DEI quàm gloriosissimè est sentiendum in his, quæ neque definitionibus Pontificum, & Conciliorum, neque rationi repugnant. Ex vi hujus fundamenti præsumendum est privilegium in Beatissima. Sicut ex simili ratione præsumitur privilegium Immaculatæ Conceptionis eidem sanctissimæ DEI Parenti concessum, non obstante lege illa universali: *Omnes in Adam peccaverunt.*

PUNCTUM III.

De quibusdam prædicatis, an Visioni intuitivæ DEI conveniant, vel convenire possint?

§. I.

An Visio DEI possit esse connaturalis alicui Substantiæ creatæ, vel creabili?

58. Præmitto primò. Per connaturalitatem Visionis DEI alicui Substantiæ intelligi rationem illam, ex vi cujus Visio DEI intuitiva esset debita Substantiæ, & secundùm intrinsecam, & entitativam exigentiam ejusdem. Unde dum quæritur: an visio DEI possit esse connaturalis alicui Substantiæ creatæ, aut creabili, sensus quæsiti est: an visio intuitiva possit esse debita alicui substantiæ creatæ, aut creabili, & secundùm exigentiam tali substantiæ intrinsecam, & identificatam. Ulteriùs per hanc connaturalitatem visionis alicui substantiæ non intelligitur connaturalitas visionis, respectu substantiæ creatæ prout completæ per aliquod principium supernaturale; sicut enim tale principium non est connaturale, & debitum Substantiæ creatæ, ità nec visio substantiæ alicui connaturalis, nonnisi ratione comprincipii supernaturalis, ipsi substantiæ adjuncti, non est loquendo simpliciter, connaturalis eidem tali substantiæ. Potiùs ergo per connaturalitatem visionis DEI alicui substantiæ, intelligitur talis connaturalitas visionis, respectu substantiæ creatæ, ex vi cujus visio DEI in tantum esset debita substantiæ creatæ, in quantum dicta substantia, per principia sola naturalia independenter ab ullo comprincipio supernaturali, posset producere visionem. Tali connaturalitate connaturalis v. g. potest esse cognitio abstractiva DEI ex creaturis, elicita ab Ethnico non illustrato lumine fidei, respectu intellectûs, & substantiæ ejusdem hominis Ethnici.

59. Præmitto secundò. Ex substantiis creatis defacto existentibus nullam esse talem, cui, simpliciter loquendo, sit connaturalis visio DEI intuitiva. De fide enim est, Beatos egere lumine gloriæ supernaturali ad videndum intuitvè DEUM. Cùm in Concilio Viennensi damnata sit hæc propositio Begvardorum, & Beguinarum: *Quælibet intellectualis natura in se ipsa est naturaliter beata, nec indiget anima, lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum DEUM, & eò beatè perfruendum*, ùt habetur in Clementina cap. *ad Nostrum* de Hæreticis. His præmissis,

60. Quæritur in præsenti: An saltèm possibilis sit talis substantia, cui per comprincipia omnia naturalia completæ, debita sit visio intuitiva DEI, sive talis, qualis defacto pro præsenti statu datur, sive alia alterius rationis, & ordinis, præsenti tamen visioni similis, quoad modum clarè immediatè, & intuitivè repræsentandi DEUM? Hanc controversiam affirmativè decidunt Major, Molina, Becanus Herize, Alarcon, Arriaga, Ripalda de Ente supernaturali Disp. 23. & iterum Disp. ultima Sect. 40. Negativam defendunt magis communiter alii Theologi cum S. Thoma, & Scoto.

61. Dicendum est: Non esse possibilem Substantiam creatam, cui sit connaturalis visio intuitiva DEI; seu, quæ per sua naturalia principia possit videre intuitivè DEUM.

Probatur *primò* Authoritate Scripturæ. Tum quia creatura DEUM videre non

non potest, nisi ex speciali dono, & gratia DEI, juxta illud Isaiæ 64. *Oculus non vidit absque te, quæ præparâsti expectantibus te.* Sed si alicui substantiæ creabili esset connaturalis visio DEI, illa substantia videret DEUM, & tamen non ex speciali dono DEI, videret enim DEUM visione sibi à natura debita. Quæ autem sunt debita à natura, non censentur esse ex speciali dono, & favore DEI. Tum quia sinè Revelatione DEI, id est, sinè speciali lumine elevativo creaturæ, *nemo novit Patrem nisì Filius, neque Filium quis novit, nisì Pater*; ùt dicitur Matth. 11. *Nemo* itèm *novit ea, quæ sunt DEI, nisì Spiritus DEI,* ùt dicitur 1. ad Corinth. 2. Sed si alicui creaturæ possibili esset connaturalis visio DEI, illa creatura sinè speciali lumine elevativo sui, sed ex solis principiis naturalibus, consequenter independenter à revelatione nôsset Patrem, cùm tamen non esset Filius; nôsset itèm Filium, cùm tamen non esset Pater. Præterea nôsset, idque nôsset intuitivè, quæ sunt DEI, cùm tamen non esset Spiritus DEI. Ergo. Tum quia 1. ad Timoth. 6. dicitur: *DEUS habitare lucem inaccessibilem,* Quod secundùm fidem, & Patres intelligi debet hoc sensu: quòd DEUS inhabitet lucem non simpliciter, & absolutè inaccessibilem, sed inaccessibilem viribus naturæ. Atqui si aliqua substantia creata possibilis ratione sui posset connaturaliter videre DEUM, tunc DEUS non inhabitaret lucem viribus naturæ inaccessibilem. Siquidem à tali substantia viribus propriis lux illa, quam DEUS inhabitaret, esset accessibilis. Ergo.

62. Probatur *secundò* Authoritate Patrum: tum S. Augustini lib. 12. de Civit. DEI dicentis: *Creatura, quæ potest esse beata, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, ex quo creata est.* Qui textus S. Doctoris, quamvis explicari possit de principio objectivo beatitudinis, ut sensus sit: creaturam non posse esse sibi objectum se ipsam beatificans. Quia cùm ex nihilo creata sit, non potest esse summum bonum, quòd solùm potest creaturam rationalem beatificare perfecta sui possessione. Nihilominus meliùs, & universaliùs intelligitur non solùm de principio objectivo beatitudinis, sed etiam de principio effectivo ejusdem beatitudinis, quòd creatura non possit esse beata, non solùm, quia non potest esse objectum beatificativum sui, sed etiam, quia ex se ipsa, & ex principiis naturalibus, independenter à favore DEI speciali, non possit esse principium effectivum suæ felicitatis, & beatitudinis, idque ex hac ipsa causa, quia ex nihilo creata est. Sicut enim ex se non habet sufficientiam, ut simpliciter sit, & existat, ità non habet sufficientiam, ut semper existat, idque existat summè felix, & beata. Subsumitur jam Minor. Atqui illa creatura, cui connaturalis esset visio DEI, esset beata, idque esset beata ex se ipsa; quia esset beata ex suæ naturæ viribus. Non verò esset beata ex DEO, à quo creata est. Quia non esset beata ex dono speciali DEI. Ergo. Idem S. Augustinus Epist. 112. cap. 5. dicit: *Si quæris, quomodo DEUS est invisibilis, si videri potest? Respondeo, invisibilem esse naturâ, videri autem cùm vult, sicut vult.* Tum S. Anselmi, scribentis in illa verba: *Qui lucem habitat inaccessibilem. Si inaccessibilis est lux, in qua ipse manet. Quomodo nobis dicitur: Accedite ad eum, & illuminamini? Sed inaccessibilis est viribus nostris, acceditur autem muneribus suis.*

63. Probatur *tertiò* Ratione. Si possibilis esset substantia, cui connaturalis esset visio beata, eô ipsô visio intuitiva Dei, & esset supernaturalis intrinsecè, ac entitativè, & non esset supernaturalis intrinsecè, & entitativè. Sed hoc implicat. Ergo. Sequela Majoris quoad primam partem probatur. In suppositione talis possibilis substantiæ, visio illa connaturalis eidem substantiæ, vel esset talis, qualis defacto datur in Beatis, hoc est, præsenti visioni, non solùm similis in DEO intuitivè repræsentando, sed etiam ejusdem ordinis cum hac ipsa visione, vel certè visio illa connaturalis possibili substantiæ, licèt esset similis visioni præsenti in repræsentando intuitivè DEO, esset tamen diversi ordinis. Atqui utraque hæc visio deberet esse supernaturalis intrinsecè, & entitativè. Ergo. Et imprimis visio illa connaturalis possibili substantiæ, si esset ejusdem ordinis cum hac visione, quæ defacto in Beatis datur, deberet esse supernaturalis. Præsens enim visio, quæ datur in Beatis, est in ordine supernaturali, seu est supernaturalis intrinsecè, & entitativè. Tum quia hæc visio habetur dependenter à principio supernaturali ele-

vativo intellectûs creati, nimirum dependenter à lumine gloriæ, ùt patuit ex Concilio Viennensi. Actus verò, qui eliciuntur à potentia naturali, prout completa, & elevata per principium supernaturale, sunt supernaturales intrinsecè, & entitativè, accipiunt enim prædicatum supernaturalitatis à principio illo supernaturali elevativo potentiæ naturalis. Tum quia beatitudo hominis elevati ad statum supernaturalem, debet esse supernaturalis intrinsecè, & entitativè; cùm enim hominem esse elevatum ad statum supernaturalem, sit, illum esse elevatum ad finem supernaturalem, finis hominis elevati ad statum supernaturalem, debet esse supernaturalis; adeóque cùm beatitudo formalis sit ultimus finis hominis, beatitudo formalis hominis elevati ad statum supernaturalem, debet esse supernaturalis. Sed visio intuitiva DEI secundùm doctrinam Theologorum est beatitudo formalis hominis elevati ad statum supernaturalem. Ergo hæc debet esse supernaturalis intrinsecè, & entitativè. Tum quia, actus, quibus credimus, speramus, diligimus DEUM, prout oportet ad salutem, debent esse supernaturales intrinsecè, & entitativè, ùt fides docet. Ergo etiam & ipsa salus nostra; adeóque & visio, in qua consistit hæc salus, debet esse supernaturalis intrinsecè, & entitativè. Dispositiones enim ad finem non debent esse in superiori ordine, quàm sit ipse finis. Actus verò, quibus credimus, speramus, diligimus, prout oportet ad salutem, sunt dispositiones ad finem. Visio autem DEI, & salus nostra est finis. Ergo si illi actus debent esse supernaturales intrinsecè, & entitativè, etiam visio intuitiva DEI debet esse supernaturalis intrinsecè, & entitativè. Confirmatur. In visione intuitiva DEI consistit formaliter vita æterna, ùt suprà probatum est. Sed vita æterna debet esse supernaturalis. Cùm sit donum DEI speciale, & gratia, juxta illud Apostoli ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem DEI vita æterna.* Ergo. Quòd verò etiam visio alia, præsenti visioni intuitivæ DEI in DEO repræsentando simillima, etiamsi hæc dicatur esse diversi ordinis, debeat esse supernaturalis intrinsecè. Probatur. Implicat visionem intuitivam DEI ex ratione talis visionis, deberi alicui substantiæ creatæ intellectuali. Ergo de ratione omnis visionis intuitivæ DEI, cujuscunque demum perfectionis, & ordinis, supponatur esse illa visio, esse illam supernaturalem intrinsecè, & entitativè. Adeóque etiam de ratione illius visionis intuitivæ DEI, quæ supponeretur esse connaturalis alicui substantiæ intellectuali creatæ, est, esse illam supernaturalem intrinsecè. Unde patet contradictionem esse in terminis, visionem aliquam esse visionem intuitivam DEI, similémque visioni præsenti quoad modum repræsentandi DEUM, & simul talem visionem esse connaturalem substantiæ alicui creatæ; esse itèm eandem visionem diversi ordinis, ab ordine, in quo est præsens visio. Si per ordinem hunc diversum intelligatur ordo naturalis. Antecedens probatur. Si visio intuitiva DEI posset deberi, vel deberetur alicui substantiæ intellectivæ creatæ, eô ipso tali substantiæ deberetur possessio, & communicatio bonorum intrinsecorum DEI, eorúmque usurpatio in proprium commodum, & utilitatem; amicitia itèm, & familiaritas cum DEO, & Filiatio DEI adoptiva. Deberetur imprimìs tali substantiæ creatæ possessio, & communicatio bonorum intrinsecorum DEI, eorúmque usurpatio in proprium commodum, & utilitatem. Quia ipsa visio DEI, quæ dictæ substantiæ deberetur, est possessio, & communicatio talium bonorum. Hæc enim visio facit bona intrinseca DEI, intentionaliter præsentia creaturæ, ità ut creatura rationalis ex illa capiat immediatè omne gaudium, & delectationem, omnémque suam felicitatem. Deberetur etiam tali creaturæ perfecta amicitia cum DEO. Quia tam intima communicatio creaturæ cum DEO, qualis habetur per visionem DEI intuitivam, connaturaliter debet supponere amicitiam cum DEO propriè talem, juxta illud Joan. 15. *Non jam dicam vos servos, sed amicos. Servus enim nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos. Quia omnia, quæcunque audivi à Patre, nota feci vobis.* Præterea visio DEI connaturaliter requirit lumen gloriæ; hoc verò iterum connaturaliter debet præsupponere gratiam habitualem, tanquam radicem exigitivam luminis gloriæ, in qua ipsa gratia, amicitia creaturæ rationalis cum DEO propriè talis consistit, Insuper visio

sio intuitiva DEI infert amorem fruitivum DEI, hic autem cùm sit amor mutuus non latens inter DEUM, & creaturam, infert, vel supponit amicitiam cum DEO propriè talem. Ulteriùs illi creaturæ, cui connaturalis esset visio DEI, deberetur Filiatio DEI adoptiva, seu adoptati in Filium. Quia, cui debetur hæreditas propria Filiorum, eidem debetur jus ad talem hæreditatem; tale autem jus consistit in Filiatione DEI adoptiva. Et certè admissa possibili substantia intellectuali creata, cui connaturalis esset visio intuitiva DEI, non apparet ratio, quare illi substantiæ non essent connaturalia omnia illa dona, quæ nunc in Beatis supponuntur ad visionem DEI, vel illam consequuntur. Atqui nulli substantiæ intellectuali creatæ potest deberi possessio, & communicatio bonorum intrinsecorum DEI, maximè verò talis, quæ esset plenè satiativa illius creaturæ, eandémque perfectè beatificans. Amicitia itèm cum DEO propriè talis, & Filiatio adoptiva. Tum quia eô ipso deficeret in Deo aliqua perfectio simpliciter simplex; nimirum deficeret ratio summæ dignitatis, & excellentiæ; cùm ad talis dignitatis perfectionem pertineat, non deberi ulli creaturæ possessionem, communicationem, & usurpationem sibi, bonorum intrinsecorum DEI, in propriam talis creaturæ utilitatem, delectationem, & commodum; non deberi itèm amicitiam propriè talem, & adoptionem in Filium. Per jus enim, & debitum, seu exigentiam in persona vili, & abjecta, intimæ communicationis cum persona longè, quia infinitè, & summè digniore, independenter à speciali favore ejusdem, decrescit, & vilescit dignitas, & excellentia personæ ipsius dignioris, & excellentioris. Et sic, si alicui Colono deberetur amicitia propriè talis cum Rege, vel Imperatore; adoptio itèm in filium ejusdem, & intima communicatio arcanorum, independenter à speciali favore ipsius Regis, eô ipso vilesceret, & decresceret dignitas talis Regis, vel Imperatoris. Ergo. Tum quia si alicui substantiæ intellectuali creatæ deberetur amicitia cum DEO propriè talis, deberetur illi creaturæ specialis similitudo in natura cum DEO, & æqualitas dignationis cum eodem. Non potest autem ulli creaturæ deberi similitudo in natura cum DEO, nec æqualitas dignationis. Quia eô ipso tali creaturæ deberetur specialis participatio Naturæ Divinæ, & principium stabile radicale operationum sanctarum, & Divinarum. Nulli verò creaturæ intellectuali potest deberi hujusmodi participatio specialis Naturæ Divinæ. Cùm hæc essentialiter sit gratia habitualis, adeóque favor DEI specialis. Præterea æqualitas dignationis in suo conceptu dicit dignationem DEI; adeóque specialem favorem ipsius, ex vi cujus DEUS suam excellentiam demittit ad amandam creaturam rationalem, amore benevolentiæ conferendo illi liberaliter, & omnino gratuitò, specialem participationem suæ Naturæ. Filiatio etiam adoptiva DEI ex sua ratione, & conceptu non potest deberi ulli creaturæ. Quia etiam hæc in suo conceptu dicit gratiosum favorem in adoptante respectu adoptati. Quòd autem est cōnaturale, & debitum alicui naturæ, non potest esse favor merè gratuitus, & gratiosus respectu ejusdem naturæ. Tum quia, si creaturæ intellectuali ex natura sua deberetur amicitia cum DEO propriè talis, & adoptio in Filium; talis creatura ex natura sua & esset serva DEI, & non esset. Esset ex natura sua serva DEI. Quia omnis creatura intellectualis ex natura sua est subjecta perfectissimo Dominio DEI, éstque obligata ad obsequendum DEO in omnibus, postposita omni sua utilitate, & commodo. Ex ratione cujus subjectionis, & obligationis sibi ex natura sua convenientis ad obsequendum DEO, omnis creatura intellectualis debet esse, & est essentialiter serva DEI. Sicut una creatura intellectualis ratione subjectionis, & obligationis ad obsequendum alteri creaturæ intellectuali, est serva hujus alterius creaturæ. Simúlque eadem creatura, si illi esset connaturalis amicitia cum DEO propriè talis, & adoptio in filium, non esset ex natura sua serva Dei. Quia esset ex natura sua amica DEI, & filia DEI. Repugnant autem hæc sibi invicem: esse ex natura sua amicum DEI, & Filium DEI adoptivum, & esse ex natura sua servum DEI. Si enim in humanis nulli servo, & mancipio potest deberi amicitia cum proprio Domino creato, multò minùs naturæ intellectuali creatæ, quantumvis perfectæ potest deberi amicitia propriè talis cum DEO, & adoptio

ptio ejusdem in Filium DEI. Creatura enim quævis quantumvis perfecta, plus de servitute habet respectu DEI, quàm vilissimum quodcunque mancipium respectivè ad suum Dominum creatum. Cùm nulli mancipio sit intrinseca, essentialis, & ex propria natura conveniens, ac debita servitus respectu Domini creati, omni verò creaturæ intellectuali quantumvis perfectæ sit intrinseca, essentialis & ex propria natura conveniens ac debita servitus respectu DEI. Tum quia unio Hypostatica, non solùm hæc, quæ de facto datur, sed etiam alia quæcunque possibilis, ex ratione talis unionis, est essentialiter indebita omni naturæ creatæ intellectuali, etiam possibili, aliàs aliquod ens intellectuale creatum, connaturaliter, & secluso speciali favore DEI, posset esse Filius DEI naturalis. Ergo pariter, communicatio & possessio intentionalis bonorum DEI intrinsecorum, per quamcunque visionem intuitivam DEI, Omnis itèm amicitia propriè talis cum DEO, Filiatio etiam adoptiva, ex suis rationibus formalibus, debent esse indebita omni naturæ intellectuali creatæ, etiam possibili. Antecedens probatur amplius, & confirmatur. Si aliqua possibilis esset creatura intellectualis, cui connaturalis & debita esset unio hypostatica, possibilis quoque esset talis creatura, cui connaturalia essent alia omnia accidentia, quæ nunc censentur esse supernaturalia, imò & alia possibilia assignabilia tam sibi invicem, quàm illi ipsi substantiæ non repugnantia. Qua ratione enim prior illa creatura non implicaret, eadem ratione non implicaret & hæc altera. Deinde illa ipsa creatura, cui deberetur unio hypostatica esset talis, cui deberentur alia etiam accidentia supernaturalia. Siquidem Christo ex vi unionis Hypostaticæ, debentur alia omnia accidentia supernaturalia, in se possibilia, & Christo non repugnantia. Atqui talis creatura implicat. Quia implicat creatura intellectualis, respectu cujus DEUS non posset exercere specialem liberalitatem; seu cui per speciales favores & dona omnino indebita, DEUS non posset benefacere. Talis autem esset illa creatura, cui connaturalia essent omnia accidentia, quæ censentur esse supernaturalia, tam sibi invicem, quàm illi creaturæ ex suo conceptu non repugnantia.

64. Probo deinde primæ sequelæ secundam partem. Nimirùm quòd visio intuitiva DEI, quæ esset connaturalis alicui substantiæ creatæ, non esset supernaturalis intrinsecè & entitativè. Quæ visio non est indebita omni naturæ creatæ & creabili, illa non est supernaturalis intrinsecè & entitativè. Sed visio intuitiva DEI, quæ esset connaturalis alicui substantiæ intellectuali creatæ, saltèm possibili, non esset indebita omni naturæ creatæ, & creabili. Quia non esset indebita illi ipsi substantiæ cui esset connaturalis, quæ substantia est natura. Omnis enim substantia rata & fixa, seu substantia ùt quod, qualis substantia venit propriè nomine substantiæ simpliciter prolato, est propriè natura. Quia est principium motûs & quietis. Ergo. Major probatur. Quia universaliter, illud est supernaturale intrinsecè & entitativè, quod est indebitum omni naturæ creatæ & creabili. Tum quia ex una parte in tantum aliquid est supernaturale, in quantum est supra naturam creatam, in tantum autem est supra naturam creatam, inquantum est supra exigentiam naturæ creatæ, adeóque in quantum est indebitum naturæ creatæ. Ex altera parte, ut aliquod ens sit supernaturale intrinsecè & entitativè, debet esse indebitum omni naturæ creatæ & creabili. Cùm ens supernaturale intrinsecè & entitativè, per hoc differat à supernaturali extrinsecè & quoad modum, quod illud sit supra exigentiam omnis naturæ creatæ & creabilis; hoc verò sit supra exigentiam alicujus nonnisi naturæ creatæ. Tum quia, formam aliquam accidentalem esse supernaturalem intrinsecè & entitativè, non est præcisè esse illam indebitam omni naturæ creatæ de facto existenti, quamvis possit esse debita alicui naturæ creabili, ùt vult Alarcon. Esse enim formam aliquam supernaturalem intrinsecè & entitativè, est perfectio adæquatè intrinseca & essentialis huic ipsi formæ secundùm se sumptæ. Esse autem formam indebitam solùm omni naturæ creatæ existenti, non est perfectio adæquatè intrinseca & essentialis, soli formæ secundùm se sumptæ, sed est perfectio extrinseca & contingens. Cùm enim contingens sit, quòd natura creabilis, cui talis forma esset connaturalis, non existat, nec de facto sit creata, aut posita extra causas; contingens

tingens pariter est, huic ipsi formæ, quòd sit indebita omni naturæ creatæ defacto existenti. Hócque prædicatum non conveniret tali formæ, casu quo substantia illa, cui hæc forma deberet esse connaturalis, existeret. Tum quia. Si forma indebita uni substantiæ, debita autem alteri, esset supernaturalis simpliciter, ùt vult Franc. Bonæ spei. Si itèm forma indebita substantiis defacto existentibus, debita autem alicui substantiæ, esset forma intrinsecè supernaturalis, tunc omnes formæ accidentales essent supernaturales simpliciter & quoad substantiam. Hæ enim ità sunt debitæ certis substantiis, ut simul sint indebitæ aliis. Et sic quævis intellectio Angeli etiam mali, quivis itèm actus voluntatis ejusdem, esset supernaturalis simpliciter. Cùm quivis hujusmodi actus, licèt sit debitus Angelo, simul tamen est indebitus homini. Præterea accidentia connaturaliter debita Angelo possibili perfectiori, quàm sit Angelus supremæ perfectionis inter existentes, essent supernaturalia simpliciter. Atqui hæc repugnant communi Theologorum sensui. Ergo. Confirmatur. Non implicat talis forma accidentalis, quæ sit indebita non solùm naturis creatis existentibus, sed quæ insuper sit indebita cuivis naturæ etiam creabili. Quæ enim implicantia est in tali forma? imò probabiliter tales formæ sunt illa accidentia, quæ dicimus communiter esse ordinis Divini, per quæ vel formaliter intentionaliter possidetur DEUS, vel ad talem possessionem ordinantur, vel illam necessariò consequuntur. Atqui tales formæ constituunt certam speciem entium supernaturalium, quæ non incongruè dici possunt entia supernaturalia intrinsecè & entitativè. Ergo illa sunt entia supernaturalia intrinsecè, quæ sunt indebita omni naturæ creatæ & creabili.

Proponuntur Objectiones.

65. Objicitur primò, & probatur posse dari substantiam Intellectualem creatam, cui sit connaturalis visio intuitiva DEI. Possibilis est substantia, sua perfectione adæquans & complectens perfectionem complexi, ex intellectu creato & lumine gloriæ. Sed tali substantiæ connaturalis esset visio intuitiva DEI, atque nunc eadem visio est connaturalis complexo ex intellectu creato & lumine gloriæ. Ergo. Major probatur. Tum quia complexum ex intellectu naturali, & lumine gloriæ, non est perfectionis infinitæ. Ergo potest adæquari à substantia intellectuali creata, unicissima sua entitate, æquivalente toti huic complexo ex intellectu creato & lumine gloriæ, illiúsque perfectionem continente. Tum quia possibiles sunt substantiæ intellectuales creatæ, perfectione se superante, plures & plures sinè fine. Ergo possibilis est & talis substantia intellectualis creata, quæ adæquet in perfectione complexum ex intellectu creato & lumine gloriæ. Tum quia. Si ex aliqua ratione implicaret substantia intellectualis creata, æquivalens complexo ex intellectu creato & lumine gloriæ, implicaret ex hac ratione, quia eò ipso talis substantia non esset serva DEI, atqui ex hac ratione non implicat, adhuc enim talis substantia esset serva DEI, non minùs atque anima hominis justi prout instructa gratia sanctificante, est serva DEI. Per gratiam enim sanctificantē non tollitur servitus animæ. Hæc enim non potest tolli per id, quod potiùs auget servitutem. Gratia autem auget servitutem. Quia gratia, ex ratione entis creati dependentis essentialiter à DEO, subit conditionem servitutis. Tum quia non repugnat substantia & natura creata, quæ sit conditionis non purè servilis. Quia non repugnat substantia talis creata cui conveniat jus nativum ad amicitiam DEI perfectam, seu ad gratiā sanctificantem & ad visionem intuitivam DEI. Gratia enim & visio DEI non sunt ex classe accidentium possibilium, quæ sunt indebita omni substantiæ creatæ & creabili, siquidem possunt esse debita alicui substantiæ. Cùm nulla appareat implicantia ratione cujus non possint esse debita. Atqui substantia creata conditionis non purè servilis, foret substantia, cui est connaturalis visio DEI beata. Ergo.

66. Objicitur secundò. Possibilis est intellectus creatus, cui connaturaliter debeatur propria species impressa DEI. Atqui tali intellectui esset connaturalis visio intuitiva DEI. Ergo. Major probatur. Tum quia sicut aliquæ substantiæ creatæ intellectuales dantur, quibus connaturaliter debentur species propriæ accidentium, aliæ verò, quibus etiam debentur species propriæ substantiarum creatarum, ità saltèm

tèm dari poteſt ſubſtantia intellectualis creata, cui ſit connaturalis ſpecies propria ipſius DEI. Tum quia etiamſi ſpecies impreſſa propria Angeli, ſit indebita homini, datur tamen talis ſubſtantia intellectualis creata, cui dicta ſpecies propria Angeli, eſt connaturalis. Ergo pariter etiamſi omnibus creaturis intellectualibus, defacto exiſtentibus, ſit indebita ſpecies impreſſa propria ipſius DEI, tamen ſaltèm poſſibilis eſt alia ſubſtantia creabilis, cui ſit connaturalis hujuſmodi ſpecies. Tum quia intantum non eſſet poſſibilis ſubſtantia intellectualis creata, cui eſſet connaturalis ſpecies impreſſa propria DEI, inquantùm implicaret, ut talis ſpecies eſſet naturalis, ſed ex hoc capite non implicat. Eò enim ipſo, quòd poſſit dari ſpecies impreſſa ſupernaturalis propria DEI, poſſibilis etiam eſt ſpecies propria DEI, quæ ſit naturalis. Sicut ex eo, quòd ſit poſſibilis ſpecies ſupernaturalis, concurrens ad actum ſupernaturalem, fidei; poſſibilis etiam eſt ſpecies naturalis concurrens ad actum naturalem fidei.

67. Objicitur tertiò. Poſſibilis eſt ſubſtantia creata intellectualis ſupernaturalis. Ergo etiam poſſibilis eſt ſubſtantia intellectiva creata, cui ſit connaturalis viſio intuitiva DEI. Conſequentia facilè deducitur. Subſtantiæ enim illi ſupernaturali deberent eſſe connaturales perfectiones & proprietates entitativè ſupernaturales. Hæ enim deberent eſſe in eodem ordine, in quo eſſet & ipſa ſubſtantia. Adeóque tali ſubſtantiæ poſſet eſſe connaturalis etiam Viſio intuitiva DEI, entitativè ſupernaturalis. Antecedens probatur. Tum quia datur defacto accidens ſupernaturale. Ergo ſi non datur, ſaltèm poſſibilis eſt ſubſtantia ſupernaturalis creata. DEUS enim poteſt communicare omnem illam perfectionem ſubſtantiæ, quam poteſt communicare accidenti; aliàs aliquod accidens eſſet perfectius quàvis ſubſtantia creata. Tum quia non ſolùm eſt poſſibilis, ſed etiam datur Unio Hypoſtatica. Atqui hæc eſt ſubſtantia ſupernaturalis creata. Ergo poſſibilis eſt, ac etiam datur ſubſtantia ſupernaturalis creata. Tum quia. DEUS eſt ſubſtantia intellectualis ſupernaturalis. Ergo debet eſſe poſſibilis ſubſtantia intellectiva creata ſupernaturalis. Debet enim poſſibilis eſſe talis creatura, quæ participet perfectionem ſubſtantiæ ſupernaturalis. Sicut dantur vel ſunt poſſibiles creaturæ participantes alias perfectiones Divinas. Tum quia: Quando ex duobus quibuſdam prædicatis, neutrum repugnat tertio alicui prædicato, tunc etiam omnia illa tria ſimul prædicata, ſibi invicem non repugnant, poſſúntque conjungi in eadem entitate, per identitatem realem. Atqui ex duobus his prædicatis; quorum unum eſt ly *ſupernaturale*, alterum eſt ly *creatum*, neutrum repugnat tertio illi prædicato, quod eſt ly. *Subſtantia*. Non repugnat primum Quia prædicatum *ſupernaturale* cum prædicato *Subſtantiæ intellectualis* conjungitur in DEO. Non repugnat etiam ſecundum. Quia prædicatum *creati*, conjungitur cum prædicato *ſubſtantiæ intellectualis* in homine & Angelo. Ergo omnia ſimul hæc tria prædicata ſibi invicem non repugnant, adeóque poteſt dari ſubſtantia intellectualis creata ſupernaturalis.

68. Objicitur quartò Datur viſio intuitiva DEI. Ergo debet eſſe poſſibilis ſubſtantia intellectualis creata, cui hæc viſio ſit connaturalis. Conſequentia probatur. Tum quia viſio intuitiva DEI, connectitur eſſentialiter cum poſſibilitate talis ſubſtantiæ. Connectitur enim cum poſſibilitate ſubjecti ſibi proportionati, dicitque Relationem tranſcendentalem ad tale ſubjectum: Porrò ſubſtantia, cui eſſet connaturalis viſio DEI, eſt ſubjectum proportionatum eidem ipſi viſioni. Tum quia Viſioni intuitivæ DEI, debet reſpondere ſubjectum, eam connaturaliter exigens, ſicut enim ipſa viſio connaturaliter exigit ſubjectum, ità debet eſſe ſaltèm poſſibile ſubjectum, quod etiam connaturaliter exigat viſionem. Præterea, omni formæ ſubſtantiali, reſpondet ſubjectum eam connaturaliter exigens. Ergo etiam omni formæ accidentali, adeóque & viſioni DEI, debet reſpondere ſaltèm poſſibile ſubjectum, quòd eam connaturaliter exigat. Tum quia cognitioni ænigmaticæ circa DEUM reſpondet ſubjectum, cui ſit connaturalis hæc cognitio. Ergo etiam cognitioni intuitivæ DEI, debet reſpondere ſubjectum, cui ſit connaturalis eadem cognitio ſeu viſio. Conſequentia probatur, tali argumento Mathematico: ſicut ſe habet cognitio ænigmatica naturalis, quam ego

v. g. habeo de DEO ad cognitionem intuitivam DEI, ità ſe habet ſubſtantia mea ad ſubſtantiam creatam poſſibilem. Et permutando per prop. 16. lib. 1. Euclidis. Sicut ſe habet cognitio mea naturalis ænigmatica de DEO, ad ſubſtantiam meam, ità ſe habet cognitio intuitiva DEI ad ſubſtantiam poſſibilem. Sed mea cognitio naturalis ænigmatica circa DEUM, ità ſe habet ad meam ſubſtantiam, ut ſit ei debita & connaturalis. Ergo etiam cognitio intuitiva DEI habet ſe ità ad ſubſtantiam poſſibilem, ut ſit illi debita & connaturalis.

69. Objiciuntur quintò demum aliquæ Paritates. *Prima.* Non implicat creatura intellectualis, libera, eſſentialiter impeccabilis. Ergo etiam non implicat creatura intellectualis, cui ſit connaturalis viſio DEI. Antecedens nullitate implicantiæ. Conſequentia paritate rationis probatur. Altera paritas eſt. Non implicat ſubſtantia creata cui ſit connaturalis patratio miraculorum. Ergo & talis ſubſtantia non implicat, cui ſit connaturalis viſio DEI.

Reſpondetur ad Objectiones.

70. Reſpondeo ad Primum negando Majorem. Ratio implicantiæ in ſubſtantia creata æquivalente complexo ex intellectu creato & lumine gloriæ eſt tum illa, quæ eſt in ſubſtantia intellectuali creata, cui eſſet connaturalis viſio intuitiva DEI. Tum quia ſubſtantia illa æquivalens complexo ex intellectu & lumine gloriæ, & adæquaret perfectè tale complexum, ut vult objiciens. Et non adæquaret, ut probo: Quia ſubſtantia talis longè excederet perfectione dictum complexum, haberet enim modo longè perfectiore, quia per identitatem, eam perfectionem, quæ reperitur in dicto complexo, ſinè tali identitate. Tum quia in illa ſubſtantia æquivalente complexo ex lumine gloriæ & intellectu creato, conjungerentur per identitatem ea, quæ hoc modo ſibi conjungi repugnat. Repugnat enim per identitatem talia conjungi, quorum unum eſſentialiter eſt donum & favor, alterum eſt id, cui confertur dale donum ſeu favor. Aliàs aliquid eſſet propriè donum & favor ſibi ipſi. In illa verò ſubſtantia æquivalente complexo, &c. conjungerentur per identitatem lumen gloriæ & intellectus creatus, ex quibus, lumen gloriæ eſt eſſentialiter donum & favor conferendus intellectui, intellectus verò eſt id, cui hoc ipſum donum poſtulat conferri. Prima probatio multùm probat, probat enim quòd etiam ſit poſſibilis ſubſtantia creata, quæ æquivaleat complexo ex intellectu & ipſa viſione, adeóque quæ ſit per identitatem viſio intuitiva DEI, ſeu intellectio actualis ſubſtantialis & actus purus. Directè nego Conſequentiam, & dico: etiamſi complexum ex lumine gloriæ & intellectu creato, non ſit infinitæ perfectionis, adhuc tamen non poteſt adæquari ab ulla ſubſtantia, quæ huic complexo, ſua indiviſibili entitate æquivaleat. Sicut etiamſi complexum ex intellectu creato, & viſione intuitiva DEI, non ſit infinitæ perfectionis, tamen hoc complexum non poteſt adæquari à ſubſtantia, quæ huic complexo æquivaleat. Quod ipſum ex eo ulteriùs eſt. Quia talis ſubſtantia eſt aliunde implicatoria & chimærica. Nullum autem complexum reale poteſt adæquari à perfectione chimærica. Secundæ Probationi ex hac ipſa Ratione nego Conſequentiam. Tertiæ Probationis nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: conſtare ex ratione concluſionis, quòd illa ſubſtantia quæ æquivaleret complexo ex lumine gloriæ & intellectu creato, ex natura ſua non eſſet ſerva DEI. De anima hominis juſti inſtructi gratia habituali, aliud eſt. Quia hæc ità eſt ex natura ſua ſerva DEI, ut non niſì ex ſpeciali favore DEI, ſit amica & filia adoptiva DEI, eſt enim talis ratione gratiæ ſanctificantis ſibi infuſæ, quæ eſt ſpecialis favor DEI. Non repugnat verò, ut qui ex natura ſua eſt ſervus DEI, per ſpecialem favorem ejuſdem, ſit amicus ipſius. Sicut in creatis ſervus Domini creati ex ſpeciali ejuſdem favore, poteſt eſſe ipſius amicus, imò & filius adoptivus, ac etiam admitti ad intimam communicationem arcanorum ipſius. Quartæ Probationis Diſtinguo Antecedens: Non repugnat ſubſtantia & Natura creata, quæ ſit conditionis non purè ſervilis, propter unionem ſui Hypoſtaticam ad Perſonam Divinam, vel ratione favoris ſpecialis elevantis illam ad ſtatum amicitiæ &c. Concedo Antecedens. Quæ ſit conditionis non purè ſervilis, independenter ab unione Hypoſtatica & ſpeciali favore DEI, ſed potiùs propter

jus nativum ad amicitiam DEI, & visionem ejus intuitivam. Nego Antecedens. Nego itèm ulteriorem Probationem, cujus falsitas patet ex num. 63. Nego præterea gratiam sanctificantem, & visionem intuitivam DEI non esse ex classe accidentium possibilium, indebitorum omni naturæ creatæ, & creabili, secundùm se sumptæ. Tum quia gratia, & visio sunt ex classe accidentium supernaturalium intrinsecè, & entitativè. Sed hæc sunt, & debent esse indebita omni naturæ creatæ, & creabili. Ergo, &c. Tum quia omnis natura intellectualis creata est essentialiter serva DEI; adeóque sicut de ratione hac ipsius servili, est, ut omnia sua obsequia sint subjecta dominio DEI, ità est, ut talia obsequia tanquam DEO inutilia, & quorum minimè indiget, à DEO possint contemni, non æstimari, non retribui, quod totum juri nativo ad amicitiam, & visionem repugnat. Cùm hoc jus exigat opera amici filii, &c. æstimari, acceptari, & præmiari. Tum quia de ratione summæ excellentiæ Divinæ est, ad suam amicitiam, nullam puram creaturam intellectualem, habere jus nativum, sed nonnisi dependenter à suo favore speciali, & omnino gratuito. Tum quia possibilia sunt accidentia indebita omni puræ creaturæ rationali. Atqui talia accidentia sunt gratia, & visio intuitiva DEI. Certè enim si quæ videntur debere esse indebita omni puræ creaturæ rationali, talia singulariter deberent esse summa felicitas, talis creaturæ, possessio intentionalis perfecta summi boni, intima cum DEO communicatio, hæreditas Regni cælestis, jus ad talem hæreditatem, filiatio DEI adoptiva, specialis moralis participatio naturæ Divinæ. Hæc enim omnia convenit esse maxima dona, & speciales favores Divinos. Cùm ergo visio intuitiva DEI sit summa felicitas creaturæ rationalis, sit perfecta intentionalis possessio summi boni, intima cum DEO communicatio, quâ DEUS se communicat creaturæ, hæreditas Regni cælestis, vita æterna, &c. Gratia verò habitualis cùm sit jus hæreditatis æternæ, filiatio DEI adoptiva, moralis specialis participatio Naturæ Divinæ, qua filii DEI nominamur, & sumus; sequitur hinc, visionem intuitivam DEI, & gratiam habitualem, seu sanctificantem, esse accidentia indebita omni puræ creaturæ rationali; adeóque non esse possibilem creaturam puram rationalem, cui sit connaturalis visio Dei, vel gratia habitualis.

71. Ad secundum Respondeo negando Majorem. Primam Probationem nego, & dico: Alicui substantiæ intellectuali creatæ posse esse connaturales species impressas, proprias accidentium. Itèm aliis substantiis intellectualibus creatis posse esse connaturales species proprias substantiarum creatarum. Nulli tamen substantiæ creatæ, aut creabili intellectivæ, posse esse connaturalem speciem impressam propriam ipsius DEI. Ratio est. Tum quia species propria impressa DEI infert, vel supponit connaturaliter amicitiam cum DEO propriè talem, filiationem adoptivam, & possessionem bonorum intrinsecorum DEI, quæ non possunt esse connaturalia naturæ creatæ, ùt probatum est. Tum quia ùt vult S. Thomas: Nulli intellectivo creato potest esse connaturalis species impressa propria objecti, habentis modum genericum essendi perfectiorem, quàm habeat ipsum intellectivum. A nullo enim intellectivo, habente modum genericum essendi inferiorem, possunt cognosci objecta habentia modum essendi perfectiorem, nisì juxta modum ipsius intellectivi. Quod ipsum probatur inductione. Tres sunt modi generici essendi proprii entium intellectivorum. Unus immersus materiæ, qualem modum essendi habet anima hominis existens in corpore. Secundus modus essendi est abstractus à materia, dicens tamen aliquam potentialitatem, & complebilitatem; hic modus convenit Angelis. Tertius modus essendi non solùm est abstractus à materia, sed etiam excludens omnem potentialitatem, & complebilitatem, seu modus essendi proprius actûs puri. Qualis modus essendi convenit soli DEO. Atqui intellectivũ habens modum primum essendi, nimirum anima hominis existens in corpore, etiamsi connaturaliter attingat objecta habentia superiorem modum essendi, attingit tamen hæc ipsa objecta, secundùm modum essendi sibi ipsi proprium. Quia talia objecta attingit adinstar objectorum immersorum in materia, hoc est, adinstar corporeorum. Intellectivum etiam habens modum secundum genericum essendi, quale intelle-

lectivum eſt Angelus, etiamſi attingat DEUM, qui eſt in ſupremo ordine eſſendi, attingit tamen connaturaliter DEUM, ſecundùm eſſendi modum ſibi ipſi convenientem. Ergo intellectivum habens modum genericum eſſendi inferiorem, non cognoſcit connaturaliter objecta, niſi ſecundùm modum eſſendi ſibi proprium. Atqui omnis ſubſtantia intellectualis creata, & creabilis, neceſſariò habet modum eſſendi inferiorem, quàm ſit modus eſſendi ipſius DEI. Ergo nulla ſubſtantia intellectualis etiam creabilis poteſt cognoſcere DEUM ſecundùm modum eſſendi proprium ipſius DEI; adeóque non poteſt cognoſcere DEUM per ſpeciem propriam DEI. Secundæ Probationis nego Conſequentiam, & dico: Ex eo ſpecies propria Angeli, etiamſi ſit indebita homini, poteſt eſſe debita, & connaturalis alicui alteri enti intellectivo creato. Quia nulla eſt repugnantia in tali connaturalitate dictæ ſpeciei. E contra ſpecies propria DEI non poteſt eſſe connaturalis ulli enti intellectivo creato, etiam poſſibili. Quia talis coñaturalitas ſpeciei pugnat, ùt immediatè oſtenſum eſt. Tertiæ Probationis nego Minorem cum ſua ulteriori Probatione. Ad paritatem petitam à ſpecie naturali concurrente ad actum naturalem fidei, dico talem ſpeciem poſſe eſſe naturalem. Quia etiam in tali ſpecie nulla eſt repugnantia.

72. Ad tertium poſſet ſic reſponderi. Omiſſo Antecedente poſſet negari Conſequentia, & dici: Ex poſſibilitate ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ, non inferri poſſibilitatem ſubſtantiæ, cui ſit connaturalis viſio DEI. Etiamſi enim ſubſtantiæ ſupernaturali poſſibili deberentur connaturaliter aliquæ perfectiones, & aliqui actus ſupernaturales, non tamen neceſſariò deberentur illi quæcunque perfectiones, & quicunque actus ſupernaturales. Unde admiſſa poſſibilitate ſubſtantiæ, cui deberentur aliqua accidentia ſupernaturalia, v.g. cui deberentur habitus infuſi fidei, & ſpei, aliqui itèm characteres ſupernaturales ſimiles illis, quales imprimuntur in Sacramentis, Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, quæ accidentia non ſunt coñexa cum gratia habituali, & viſione DEI, ità ut hæc infallibiliter inferant. Poſſet adhuc negari poſſibilitas talis ſubſtantiæ ſupernaturalis, cui etiam deberetur gratia habitualis, lumen gloriæ, & viſio intuitiva DEI, idque poſſibilitas ſubſtantiæ talis poſſet negari ex rationibus pro concluſione adductis num. 63. Cæterùm Antecedens eſt ſimpliciter negandum, & dicendum implicare quamcunque ſubſtantiam ùt quod, creatam, ſeu naturam, quæ ſit ſupernaturalis intrinſecè, & entitativè. Ratio implicantiæ eſt. Quia talis ſubſtantia & eſſet ſupernaturalis intrinſecè, & non eſſet. Eſſet, ùt ſuponitur. Non eſſet autem. Quia non eſſet ſupra omnem naturam creatam, & creabilem; nec eſſet indebita omni tali naturæ. Quia non eſſet ſupra ſe ipſam, nec ſibi ipſi indebita, cùm tamen hæc ipſa ſubſtantia eſſet natura creata. Quòd ſi per ſubſtantiam ſupernaturalem cum Ripalda intelligas ſubſtantiam, cui deberentur accidentia ſupernaturalia, etiam talis ſubſtantia implicat. Quia illâ admiſsâ, accidentia ſupernaturalia, quæ illi ſubſtantiæ deberentur, & eſſent ſupernaturalia intrinſecè, & non eſſent. Eſſent, ùt ſupponitur; non eſſent verò. Quia non eſſent ſupra illam naturam creatam, quæ eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, cui deberetur. Ad primam Probationem dico, negando Conſequentiam. Diſparitas patet ex dictis. Ad ulteriorem paritatis probationem dico: Illam ſolam perfectionem repertam in accidente poſſe comunicari ſubſtantiæ, quæ non repugnat ſubſtantiæ. Atqui ſubſtantiæ ùt quod, & quæ ſit natura, repugnat per identitatem communicari ſupernaturalitatem. Ergo. Neque hinc ſequitur accidens ſupernaturale eſſe perfectius omni ſubſtantia. Cùm enim ſubſtantiæ habeant tot alia prædicata nobiliora prædicatis ipſius accidentis. Subſtantia enim intellectiva habet hæc prædicata; quòd ſit ordinabilis ad finem ſupernaturalem, quòd ſit capax amicitiæ cum DEO, capax beatitudinis æternæ, &c. Accidens ſupernaturale ratione ſupernaturalitatis, quâ excedit ſubſtantias creatas, quibus hæc repugnat, non poteſt dici ſimpliciter perfectius ipſis ſubſtantiis. Addit Jacobus Platellius, poſſe ſinè inconvenientia dici ſubſtantias creatas eſſe imperfectiores aliquibus accidentibus ſupernaturalibus. Qualia ſunt, gratia ſanctificans, viſio DEI, unio Hypoſtatica, & ſimiles ſpeciales participationes Divinitatis. Secundam Probationem diſtinguo: Unio Hypoſtatica eſt

est substantia supernaturalis ùt quo, seu modalis. Concedo Antecedens. Est substantia supernaturalis ùt quod. Nego Antecedens, & Consequentiam, & dico: Unionem Hypostaticam esse solùm substantiam ùt quo; adeóque posse esse supernaturalem. Tum quia ratio formalis, vi cujus Subsistentia, & Personalitas Verbi, in ratione talis Subsistentiæ, indebita omni naturæ creatæ, & creabili, naturam intellectualem hominis reddit formaliter subsistentem, debet & ipsa esse indebita omni naturæ creatæ, & creabili. Si enim talis ratio formalis esset debita alicui naturæ creatæ, esset eidem debita & illa ipsa subsistentia, utpote essentialiter debita tali rationi formali. Sed unio Hypostatica est ratio formalis, vi cujus Subsistentia, seu Personalitas in ratione talis Subsistentiæ, indebita omni naturæ creatæ,& creabili, naturam intellectualem hominis reddit formaliter subsistentem. Est enim ratio formalis, vi cujus Personalitas Verbi, quæ in hac ratione est indebita omni naturæ creatæ, & creabili, Humanitatem Christi reddit formaliter subsistentem. Ergo. Tum quia unio Hypostatica cùm non sit natura, nec constituat naturam creatam Christi, potest esse supra omnem naturam creatam, & creabilem, proindéque potest esse supernaturalis entitativè. Tertiæ Probationis transito Antecedente nego Consequentiam. Disparitas est. Quia DEUS est imprimis Substantia supernaturalis in causando, est enim Author, & fons omnis supernaturalitatis, in omnibus entibus supernaturalibus creatis. *Secundò*: DEUS est supernaturalis in cognoscendo. Quia evidentissimè, & clarissimè, ac supercomprehensivè cognoscit, & penetrat, idque connaturaliter, & quidem in supremo genere connaturalitatis, & se ipsum, & omnia entia supernaturalia. *Tertiò*: DEUS est supernaturalis in ratione finis ultimi, & felicitatis, ac beatitudinis objectivæ, seu objecti satiativi appetitûs rationalis creati, per solos actus supernaturales intuitivè cognoscibilis, & per sui visionem potentis perfectè, à creatura possideri. *Quartò*: DEUS est supernaturalis etiam in essendo in aliquo vero sensu, quatenus DEUS non solùm est supra vires effectivas adæquatas naturæ creatæ, & creabilis, sed etiam non potest esse perfectio intrinseca ullius naturæ creatæ, eidem connaturalis, & debita. DEUS enim cùm essentialiter sit Ens à se, & improductum, est supra vires adæquatas effectivas cujuscunque causæ; ex quo verò nulla creatura potest exigere, ut à Deo, vel aliqua perfectione Divina, etiam media unione perficiatur, DEUS non est perfectio intrinseca ullius naturæ creatæ, vel creabilis, eidem connaturalis, & debita. *Quintò* demum: DEUS etiam hoc sensu est substantia supernaturalis, quia est supra omnes substantias creatas, & creabiles, quatenus eas omnes sua perfectione infinitè excedit. Porrò nulla substantia, seu natura creata, & creabilis, aliquo ex his sensu potest esse supernaturalis. Nam imprimis nulla natura creata potest esse fons omnis supernaturalitatis, quæ est in entibus supernaturalibus creatis; aliàs esset fons etiam supernaturalitatis sibi identificatæ, quod implicat. Deinde nulla substantia intellectiva creata potest esse supernaturalis in cognoscendo. Quia ùt constat ex probatione Conclusionis, nulli substantiæ intellectivæ creatæ potest esse connaturalis, aut identificata visio intuitiva DEI. Insuper nulla substantia creata potest esse supernaturalis in ratione finis ultimi, & summæ felicitatis, & beatitudinis objectivæ. Ratio enim finis ultimi non convenit, nec potest convenire, nisi summo bono. Porrò omni substantiæ creatæ, & creabili repugnat esse summum bonum. Ulteriùs: Nulla substantia creata potest esse supernaturalis in essendo. Licèt enim multæ substantiæ creatæ non solùm sint possibiles, sed etiam fortè existant, quæ superant vires adæquatas effectivas omnis naturæ creatæ, & creabilis, tamen nulla substantia creata est possibilis, quæ quoad sua prædicata non sit perfectio intrinseca alicujus naturæ creatæ eidem connaturalis, & debita. Prædicata enim talis substantiæ, cùm sint perfectio ejusdem, necessariò sunt perfectio alicujus naturæ creatæ, eáque intrinseca, & connaturalis. Quod enim est identificatum naturæ, est intrinsecum eidem, & connaturale, ac debitum, idque maximè intrinsecum, & connaturale. Tandem nulla substantia creata etiam hoc sensu potest esse supernaturalis, & supra omnem naturam creatam, & creabilem; quòd sua perfectione excedat omnes naturas creatas, & creabiles. Quia hoc ipso

ſo talis ſubſtantia eſſet creatura perfectiſſima, qualis è ſenſu communi Philoſophorum implicat. Tranſivi Antecedens hujus Probationis. Quia ſi per ens ſupernaturale intelligatur ens ſupra quamcunque exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis, in hac acceptione entis ſupernaturalis DEUS non eſt ſupernaturalis. Cùm omnis natura creata, & creabilis exigat eſſentialiter exiſtentiam Dei tanquam cauſæ, & principii omnino neceſſarii ad ſuum eſſe. Quarta Probatio multùm probat. Probat enim non repugnare ſubſtantiam creatam ſe ipſa formaliter intelligentem. Quam tamen ſubſtantiam negant communiter Philoſophi eſſe poſſibilem, dum tractant de Anima. Probat itèm poſſibilem eſſe creaturam, quæ per identitatem realem adæquatam ſimul ſit ſubſtantia, & accidens. Directè nego Majorem, eámque infringo inſtantiis immediatè adductis. Et ratio inſuper eſt. Quia ex conjunctione trium aliquorum prædicatorum poteſt ſequi, & inferri aliqua contradictio, quæ non ſequitur, ſi aliqua duo diviſim conjungantur cum tertio. Et hæc defacto infertur, ſi prædicata, de quibus in Objectione, tria ſimul conjungantur; non infertur verò, ſi ex his prædicatis duo diviſim conjungantur cum tertio prædicato.

73. Ad quartum Reſpondeo negando Conſequentiam. *Primæ* Probationis nego Antecedens. Ad ulteriorem Probationem dico: Quòd viſio intuitiva Dei dicat Relationem tranſcendentalem ad ſubjectum ſibi proportionatum in ea ratione, in qua hoc poteſt eſſe proportionatum viſioni; non autem ad ſubjectum in ea ratione proportionatum, in qua repugnat eſſe proportionatum viſioni. Repugnat autem ſubjectum aliquod in ea ratione proportionatum eſſe viſioni, ut hanc connaturaliter exigat. *Secundam* Probationem nego. Nimirum nego: exigentiæ, ex parte viſionis, quâ viſio exigit habere ſubjectum, debere correſpondere exigentiam ex parte ſubjecti ſubſtantialis, quâ hoc ſubjectum ſecundùm ſe ſumptum exigat viciſſim viſionem. Ratio eſt. Tum quia aliàs, ſicut defacto datur exigentia ex parte viſionis, qua viſio exigit habere ſubjectum, ità defacto deberet dari exigentia ex parte ſubjecti, ratione cujus ſubjectum exigeret habere viſionem; adeóque non ſolùm deberet eſſe poſſibilis, ſed etiam deberet dari actu ſubſtantia, & natura, cui connaturalis eſſet viſio DEI. Tum quia in ſententia non diſtinguente actus vitales intentionales ab actione illorum productiva, viſio intuitiva DEI elicita à Petro, exigit hoc nonniſì determinatè ſubjectum, quod eſt Petrus. Et tamen in ſubſtantia Petri non datur defacto exigentia, quâ connaturaliter exigat viſionem. Tum quia non implicat actus eſſentialiter indebitus cuivis ſubjecto ſubſtantiali. Quæ enim eſt implicantia in tali actu? Atqui talis actus ità haberet identificatam ſibi exigentiam ſubjecti, ut huic exigentiæ non reſponderet exigentia ex parte ſubjecti etiam poſſibilis. Ergo exigentiæ in actu, qua actus exigit ſubjectum, non neceſſariò debet reſpondere exigentia ex parte ſubjecti. Adeóque licèt viſio exigat connaturaliter ſubjectum, tamen non debet eſſe poſſibile ſubjectum, quod exigat viſionem. Cùm viſio ſit actus eſſentialiter indebitus omni naturæ creatæ, & creabili. Ad Paritatem à forma ſubſtantiali dico: Omni formæ ſubſtantiali poſſe reſpondere ſubjectum, quod talem formam connaturaliter exigat. Quia cùm implicet formam ſubſtantialem eſſe ſupernaturalem, ex nullo ſuo prædicato forma ſubſtantialis poſtulat eſſe indebita omni naturæ creatæ, & creabili; conſequenter omni ſubjecto. *Tertiæ* Probationis nego Conſequentiam. Argumenti Mathematici nego Antecedens. Cujus veritas nulla ſolida Ratione ab Adverſariis evinci poteſt. Quodſi dicat axioma Mathematicum eſſe (prout pro tali cenſetur à P. Andrea Tacquet lib. 5. Elementorum Euclidis) quòd datis tribus terminis poſſit haberi, & inveniri quartus proportionalis, ità ut, qua ratione ſe habet primus ad ſecundum, ea ratione ſe habeat tertius ad quartum. Reſpondeo: Axioma ſi hoc modo intelligatur, quòd datis tribus terminis quantitativis poſſit dari, & inveniri quartus in ratione quantitativa proportionalis; eſſe axioma Mathematicum & omnino ſubſiſtens. Non eſt autem axioma: datis quibuſcunque aliis termins tribus, poſſe dari, & inveniri quartum proportionalem in quacunque ratione. Si enim datis quibuſcunque tribus terminis, poteſt inveniri, & aſſignari quartus pro-

por-

portionalis in quacunque ratione! Peto ut his tribus terminis datis, quorum unus sit visio creata intuitiva DEI, secundus sit substantia principii efficientis hanc Visionem. Tertius terminus sit visio Divina, qua DEUS se ipsum videt: ut inquam, his tribus datis, assignes quartum proportionalem, in hac ratione: ut sicut visio creata intuitiva DEI physicè producatur à substantia creata illius intellectivi, quod ipsam elicit; ità Visio Divina, qua DEUS se ipsum videt producatur physicè à substantia illa, quæ in hac comparatione & proportione sit terminus quartus proportionalis.

74. Ad quintum Respondeo. Primæ Probationis Transito Antecedente Nego Consequentiam. Disparitas est. Quia non apparet repugnantia in tali creatura libera, quæ ex natura sua sit determinata ad prosequendum nonnisi bonum, & fugiendum malum, per actus merè naturales, solúmque habeat indifferentiam ad hoc vel illud bonum amandum, vel certè habeat libertatem ad amandum vel non amandum certum bonum, ídque in sensu diviso præcepti obligantis ad amorem. Vidimus autem esse repugnantiam in creatura intellectuali, cui sit connaturalis visio intuitiva DEI. Transivi paritatis Antecedens. Hoc enim simpliciter negatur, ídque vel propter ipsam Patrum Authoritatem satis claram & expressam. Nam S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu S. cap. 19. dicit: *Omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia est. Sola autem à peccato immunis & immaculata est sempiterna Divinitas.* S. Hieronymus in Epis. 146. *Solus DEUS est, in quem peccatum non cadit.* S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. *Cuicunque creaturæ rationali præstatur, ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ sed gratiæ Divinæ.* Secundæ Paritatis iterum Transito Antecedente, quod examinare non vacat. Nego Consequentiam. Disparitas est. Quia cùm miracula sint effectus solùm supernaturales extrinsecè & quoad modum, intrinsecè autem & entitativè sint effectus naturales, illorum productio potest esse connaturalis alicui substantiæ, Visio autem intuitiva DEI est effectus intrinsecè & entitativè supernaturalis, qualis effectûs productio, nulli naturæ creatæ & creabili potest esse connaturalis. Addo connaturalitatem patrationis miraculorum, non repugnare conditioni servitutis ex natura propria convenientis omni naturæ intellectivæ creatæ, cui repugnat connaturalitas Visionis.

§. II.

An Visio, qua DEUS videtur intuitivè à Beatis, sit Comprehensiva?

75. Præmitto. Per comprehensionem in latiori & minùs propria acceptione intelligi intentionalem possessionem finis. Adeóque per comprehensionem in hac acceptione intelligi quamcunque visionem intuitivam DEI, quæ ex ratione talis visionis est intentionalis possessio DEI tanquam finis ultimi. In hac acceptione Comprehensionis omnes Beati dicuntur comprehensores. Secundùm eandem acceptionem sumitur comprehensio, dum dicitur 1. ad Corint. 9. *Sic currite ut comprehendatis.* Et ad Philip. 3. *Sequor autem si quomodo comprehendam.* Cæterum hæc comprehensionis acceptio (ùt dixi) minùs est propria, hac enim acceptione confunditur visio cum comprehensione, cùm tamen hæc sint diversa, latiúsque pateat visio quàm Comprehensio: ùt constat ex S. Augustino Epis. 112. cap. 8. dicente: *Aliud est videre, & aliud videndo comprehendere.* In magis propria significatione accipitur comprehensio dum per illam intelligitur visio intuitiva adæquata, quæ scilicet perfectè adæquatur cognoscibilitati objecti. Cæterum sic explicatæ comprehensionis non plenè adhuc intelligitur natura & essentia. Restat enim quærere ulteriùs, per quid, & qua ratione, visio aliqua adæquatur cognoscibilitati objecti, ità ut censeatur esse comprehensio propriè talis. Quidam dicunt in eo comprehensionem debere adæquari objecto, quòd comprehensio ità debeat repræsentare objectum, ut nihil sit in objecto, quod lateat cognoscentem. Quod ipsum per hoc ulteriùs explicatur: quòd Comprehensio debeat se extendere ad omne id, quodcunque est in objecto, sive formaliter, sive eminenter, sive virtualiter, id totum clarè & distinctè repræsentando, seu quòd comprehensio debeat clarè repræsentare omnes per-

perfectiones & gradus ac formalitates perfectionum objecti, quod ipsum tunc fit, quando objectum non solùm quoad se, sed etiam quoad omnes terminos, quos idem objectum respicit, claré repræsentatur. Explicatio hæc comprehensionis infundatur authoritati S. Augustini, qui citatâ Epistolâ ità videtur comprehensionem explicare, dum dicit: *Totum comprehenditur videndo, quod ità videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Alii dicunt in eo insuper debere comprehensionem adæquari objecto, quòd cognitio quæ dicitur Comprehensiva, debeat procedere à Principio in ratione cognoscitivi æquè vel etiam magis perfecto, atque perfectum est objectum in ratione cognoscibilis. Explicatio hæc comprehensionis habetur tum ab authoritate, imprimis S. Gregorii 18. Moralium. cap. 18. dicentis: *Longè dispariliter videt creatura Creatorem, quàm se ipsum videt, nam quantum ad immensitatem DEI, modus nobis figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creaturæ sumus.* Deinde S. Thomæ in quartum Dist. 49. Quæst. 2. Artic. 1. ad sextum. *Ad hoc autem, quod aliquid totaliter cognoscatur, oportet virtutem cognoscentis, adæquari cognoscibilitati rei.* Et iterum Art. 3. in ☉ *Tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendi, quando cognitum stat sub actu virtutis cognoscitivæ, & non excedit ipsam.* Tum quia sicut comprehensio corporalis ex suo conceptu, est continentia unius corporis in alio corpore æquali vel majore; Ità comprehensio intentionalis debet esse illa, vi cujus objectum intentionaliter continetur in principio cognoscitivo, æquali vel Superiore. Hoc autem non habetur nisi per illam cognitionem, quæ procedit à principio perfectiore vel æquè perfecto, in ratione cognoscitivi, atque perfectum est objectum in ratione cognoscibilis. Et hæc secunda explicatio comprehensionis, videtur completè & adæquatè exprimere Naturam seu essentiam Comprehensionis propriè & in omni rigore talis. Cùm prior incompletè & inadæquatè explicet eandem. Hoc præmisso.

76. Quæritur in præsenti principaliter. An possibilis sit Visio creata comprehensiva DEI propriè & in omni rigore talis? Quæritur deinde eâdem occasione: An possibilis sit cognitio creata intuitiva DEI, qua DEUS clarè & distinctè videatur secundùm omnes terminos, quos respicit: seu quâ ità videatur DEUS, ut clarè & distinctè in Verbo videantur omnia possibilia, in quali cognitione existimant aliqui consistere cognitionem comprehensivam DEI propriè talem? Circa primum quæsitum unanimis est Theologorum consensus implicare visionem creatam comprehensivam DEI propriè & in omni rigore talem. Circa secundum divisi sunt Authores. Molina, Alarcon, Granado, Amicus, Hurtado, & plures alii censent implicare cognitionem intuitivam DEI, qua distinctè & clarè videantur in Verbo omnia possibilia. E contra Albertinus, Quiros, Oviedo, Rozmer, Izquirdo, P. Mlodzianowski, & plures recentiores censent possibilem esse talem cognitionem.

77. Dicendum est primò implicare visionem creatam Comprehensivam DEI propriè & in omni rigore talem, implicare inquam, non solùm secundùm legem ordinariam, sed etiam de potentia absoluta.

Prima pars probatur potissimùm ab authoritate tum Scripturarum. Jerem. enim 32. dicitur: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Job. 11. *Forsitan vestigia DEI comprehendes, & usque ad perfectum, Omnipotentem reperies?* Tum Concilii Lateranensis cap. Firmiter. de Summa Trinitate profitentis: *Firmiter credimus quòd DEUS est immutabilis & incomprehensibilis.* Tum etiam Patrum: S. Augustinus enim dicit Serm. 38. *Attingere aliquantum mente DEUM magna beatitudo est, comprehendere verò omnino impossidile.* S. Ambrosius lib. 1. in Lucam. *Plenitudinem Divinitatis, nemo mente aut oculo comprehendet.* Vener. Beda in illud Joan. *Videbimus eum sicuti est: Promittitur nobis videre DEUM, nam comprehendere concedi nonpotest,* Ratio etiam hæc esse potest: Quia etiam per potentiam absolutam, visione creata DEUS comprehendi propriè & in omni rigore non potest, ùt proximè probabitur. Ergo à fortiori visione creata DEUS comprehendi non potest propriè & in omni rigore secundùm legm ordinariam. Cùm nihil possit dari secundùm legem ordinariam, quod implicat dari de potentia absoluta.

78. Secunda pars Conclusionis, quæ etiam de fide esse censetur ab aliquibus Theologis; ab aliis verò proxima fidei, & ità certa, ut oppositum sinè temeritate asseri non possit, probatur. Cognitio comprehensiva objecti propriè, & in omni rigore talis, est cognitio, quæ intuitivè cognoscit objectum, penetrando omnia, quæ in illo continentur formaliter, vel eminenter, simúlque procedit à principio perfectiore, vel æquè perfecto in ratione cognoscitivi, atque perfectum est objectum in in ratione cognoscibilis. Sed implicat talis cognitio creata, quæ intuitivè repræsentet DEUM, penetrando omnia, quæ in DEO continentur formaliter, & eminenter, simúlque procedat à principio perfectiore, vel æquè perfecto in ratione cognoscitivi, atque perfectus est ipse DEUS in ratione cognoscibilis. Ergo. Major patet ex præmisso. Minor probatur facilè: Licèt enim, ùt proximè dicemus, possibilis sit cognitio creata intuitiva DEI, vi cujus videantur omnes creaturæ possibiles in Verbo; adeóque quæ penetret omnia, quæ in DEO continentur sive formaliter, sive eminenter, tamen implicat hanc cognitionem procedere à principio perfectiore, vel æquè perfecto in ratione cognoscitivi, atque perfectus est ipse DEUS in ratione objecti cognoscibilis. DEUS enim est objectum in ratione cognoscibilis perfectissimum, infinitum, illimitatum. Nullus autem intellectus creatus est, aut potest esse in ratione principii cognoscitivi infinitus, & illimitatus.

79. Dicendum est secundò. Non implicare visionem intuitivam DEI, quâ DEUS ità videatur, ut in eo clarè, & distinctè cognoscantur omnia possibilia; adeóque non implicat visio, quâ videantur in Verbo omnia possibilia. Illa enim, quæ in DEO, seu in Essentia Divina videntur, dicuntur videri in Verbo, ex eo, quòd opera supernaturalia ad extra, pertinentia ad intellectum, attribuantur Verbo. Scut opera supernaturalia ad extra pertinentia ad voluntatem, attribuuntur Spiritui sancto, & opera Omnipotentiæ Divinæ attribuuntur specialiter Patri æterno, licèt omnia, & singula hæc opera procedant indivisim ab omnibus Personis Divinis.

Ratio Conclusionis est. Tum à nullitate implicantiæ. Tum quia defacto multi Theologi docent, Humanitatem Christi habuisse defacto, & habere etiam nunc talem visionem, quâ clarè, & distinctè cognoscebat omnia possibilia in Verbo. Tum quia alii Theologi docent, eandem Christi Humanitatem per visionem intuitivam DEI vidisse in Verbo omnes terminos scientiæ visionis DEI; scilicet omnia præterita, præsentia, & futura per totam æternitatem. Ergo saltèm non implicat talis visio, quâ videantur in Verbo omnia possibilia.

Proponuntur Objectiones contra Conclusionem primam.

80. Objicitur. Si implicaret cognitio comprehensiva DEI propriè, & in rigore talis, implicaret ex eo, quòd de ratione cognitionis comprehensivæ esset procedere à principio perfectiore, vel æquè perfecto in ratione cognoscitivi, atque objectum est perfectum in ratione cognoscibilis. Sed hoc non requiritur. Ergo. Minor hæc probatur primò Authoritate tum S. Augustini, id non requirentis ad rationem cognitionis comprehensivæ, sed solùm requirentis, ut per cognitionem comprehensivam videatur totum objectum, ità ut nihil ejus lateat videntem; videtúrque per hoc sufficienter differre cognitio comprehensiva à cognitione non comprehensiva. Tum S. Thomæ, qui dum dicit: oportere virtutem cognoscentis adæquari cognoscibilitati rei, requirit hanc adæquationem inter principium cognoscens quâ cognoscens; adeóque requirit adæquationem ratione cognitionis æqualis cognoscibilitati objecti; quæ æqualitas consistit in clara repræsentatione omnium, quæcunque continentur formaliter, vel eminenter in objecto.

81. Secundò probatur prima Minor. Non est de ratione cognitionis comprehensivæ, ut sit cognitio sua perfectione æqualis objecto cognoscibili. Ergo multò minùs non est de ratione cognitionis comprehensivæ, ut procedat à principio æquè perfecto, atque perfectum est ipsum objectum.

82. Tertiò probatur eadem Minor. Neque est de ratione cognitionis comprehensivæ, ut procedat à principio in omni

omni ea ratione æquè perfecto, in qua ratione eſt perfectum objectum. Quia etiam non eſt de ratione comprehenſionis corporalis, ut comprehendens ſit æquè perfectum, atque perfectum eſt id, quod corporaliter comprehenditur; aliàs cavea comprehendens hominem deberet eſſe æquè perfecta, ac homo. Neque etiam eſt de ratione cognitionis comprehenſivæ, ut procedat à principio in ratione cognoſcitivi æquè perfecto, ac perfectum eſt ipſum cognoſcibile. Quia in hoc ipſo explicando non levis eſt difficultas: Principium in ratione cognoſcitivi, per quidnam ſit æquale objecto, in ratione cognoſcibilis ſpectato. Ergo.

83. Quartò hæc ipſa Minor probatur. Ab Angelo inferiori poteſt comprehendi ſuperior, qualis tamen comprehenſio non procederet à principio æquè perfecto in ratione cognoſcitivi, atque objectum eſt perfectum in ratione cognoſcibilis. Ergo.

Solvuntur propoſitæ Objectiones.

84. Reſpondetur, & negatur Minor primi Argumenti. Ad primam hujus Minoris Probationem dico: Licèt ex adducta S. Auguſtini explicatione cognitionis comprehenſivæ non conſtet, quòd ad rationem talis cognitionis requiratur, ut hæc procedat à principio æquè perfecto in ratione cognoſcitivi, atque perfectum eſt objectum in ratione cognoſcibilis; conſtat tamen id omnino requiri ad rationem cognitionis comprehenſivæ, ex alia ejuſdem comprehenſionis priorem complente explicatione data, à S. Auguſtino lib. 9. de Trinitate cap. 11. ubi S. Doctor dicit: *Ex eo notitiam, quâ Deum novimus, licèt ſit aliqua ſimilitudo DEI, eſſe ſimilitudinem inadæquatam, & inferiorem, Quia in inferiore natura eſt; creatura quippe eſt animus, Creator autem DEUS.* Ergo de ratione notitiæ adæquatæ; adeóque comprehenſivæ eſt, non eſſe in natura inferiore; ſeu non procedere à principio imperfectiore, ſed potiùs à principio perfectiore, vel æquè perfecto, atque objectum eſt perfectum. Unde prior definitio cognitionis comprehenſivæ ex S. Auguſtino petita eſt ſolùm definitio comprehenſionis incompleta, & inadæquata. Illud, quod additur: Cognitio comprehenſiva ſufficienter differt à non comprehenſiva per hoc, quòd cognitio comprehenſiva repræſentet omnia in objecto formaliter, & eminenter contenta. Reſpondeo, negando id ſimpliciter. Tum quia poteſt dari in Angelo inferiore cognitio clarè repræſentans id totum, quidquid ſive formaliter, ſive eminenter continet Angelus ſuperior, ût à multis docetur. Et tamen communiter negatur ab Angelo inferiore, poſſe comprehendi ſuperiorem. Tū quia negatur cōmuniter ab omnibus, poſſibilis eſſe cognitio cōprehenſiva Dei, non negatur autem à multis poſſibilitas cognitionis clarè repræſentantis omnia poſſibilia in Verbo; adeóque repræſentantis omnia, quæ in DEO continentur, ſive formaliter, ſive eminenter. Ad Authoritatem S. Doctoris Angelici dico: claram eſſe mentem ejuſdem S. Doctoris, quòd ad rationem cognitionis comprehenſivæ requiratur adæquatio inter virtutem cognoſcentis etiam ſpecificativè ſumptam, & inter objectum cognoſcibile.

85. Ad ſecundam Minoris Probationem dico: Non eſſe quidem de ratione cognitionis comprehenſivæ, ut ſit æqualis quoad ſuam perfectionem entitativam ipſi objecto cognoſcibili. Cognitio enim creata eſt accidens, objectum autem poteſt eſſe, & eſt frequenter ſubſtantia. Eſt nihilominus de ratione cognitionis comprehenſivæ, non ſolùm ut ſit æqualis in repræſentando ipſi objecto, hoc eſt, ut totum objectum clarè repræſentet quoad omnia in ipſo contenta, ſed etiam, ut inter cognitionem comprehenſivam & objectum ipſius ſit in hoc æqualitas, quòd cognitio à tantæ perfectionis principio procedat, quantæ perfectionis eſt objectum, quod cognitio repræſentat.

86. Ad tertiam Probationem Reſpondeo imprimis: De ratione cognitionis comprehenſivæ eſſe, ut à principio æquè perfecto in omni ratione procedat, atque perfectum eſt objectum. Ad rationem ulteriorem dici poteſt: Etiamſi quoad aliquid comprehenſio intentionalis aſſimiletur comprehenſioni corporali, ùt conſtat ex num. 75. non debet tamen illi aſſimilari in eo, in quo illam vult aſſimilari objecto; hoc eſt, quoad inæqualitatem perfectionis inter comprehendens, & comprehenſum; ſed potiùs quoad æqualitatem perfectionis inter comprehendens,

dens, & comprehensum, debet assimilari continentiæ adæquatæ effectûs in causa. Sicut enim ad rationem continentiæ adæquatæ alicujus effectûs in causa requiritur, ut majoris, vel tantæ sit perfectionis causa, quantæ perfectionis est effectus; ità ad rationem comprehensionis intentionalis requiritur, ut tantæ, vel majoris sit perfectionis, principium eliciens comprehensionem, quantæ perfectionis est objectum. Cùm enim comprehensio intentionalis contineat intentionaliter totam perfectionem objecti, debet eandem continere ipsum quoque principium comprehensionis. Potest deinde transita, & omissa prima parte Probationis negari pars secunda, & dici: De ratione cognitionis comprehensivæ esse, ut procedat à principio æquè perfecto in ratione cognoscitivi, atque objectum in ratione cognoscibilis est perfectum. Quid verò sit principium esse æquè perfectum in ratione cognoscitivi, atque est perfectum in ratione cognoscibilis objectum: non omnes eodem modo explicant. Aliqui per hoc: quòd principium cognoscitivum possit producere tam perfectam cognitionem objecti, ut non sit possibilis perfectior cognitio ejusdem objecti. Cæterùm hæc explicatio subsistere non potest. Ex illa enim sequitur, impossibilem esse comprehensionem creatam ullius objecti. Cùm à nullo principio creato possit produci cognitio objecti tam perfecta quoad intensionem v. g. claritatis, ut non sit possibilis cognitio alia perfectior, seu majoris claritatis. Alii per hoc explicant hanc æqualitatem perfectionis inter principium in ratione cognoscitivi, & inter objectum in ratione cognoscibilis: quòd principium cognoscitivum per cognitionem tantæ perfectionis, & claritatis possit cognoscere objectum, quanta claritate, & perfectione ipsum objectum exigit cognosci. Sed neque hæc explicatio satisfacit. Quia iterum ex illa sequitur: quòd solus DEUS possit objecta creata comprehendere; adeóque quòd implicet cognitio creata comprehensiva cujuscunque objecti. Solus enim DEUS tam perfecta cognitione potest cognoscere objecta, quàm perfecta cognitione hæc exigunt cognosci. Cùm enim hæc exigant gubernari à Providentia Divina, exigunt à DEO cognosci illa cognitionis perfectione, quæ decet ipsum DEUM. Nulla autem creatura potest cognoscere ullum objectum ea perfectione, quâ DEUS illud cognoscit.

Ego censeo principium in ratione cognoscitivi, & objectum in ratione cognoscibilis, per hoc sibi adæquari, quòd sint sibi æqualia, & æquè perfecta in ratione entis. Cùm enim modus operandi sequatur modum essendi, perfectio in ratione cognoscitivi, sequitur, proportionatur, vel potiùs adæquatur rationi essendi; adeóque principiũ in ratione cognoscitivi adæquatur objecto in ratione cognoscibilis, si illi adæquatur in ratione essendi, seu in ratione entis. Deinde etiam principium in ratione cognoscitivi, & objectum in ratione cognoscibilis, sibi adæquantur, & commensurantur per hoc, quòd principium cognoscitivum, si creatum est, ità contineat perfectionem cognitionis intuitivæ objecti, ut cognitionem si non circa hoc determinatè cognoscibile, saltèm circa aliud æqualis, vel majoris perfectionis, cum solo concursu generali DEI elicere possit, nec indigeat concursu ullius alterius comprincipii à se distincti, creati, etiam talis, quòd in ratione objecti ad producendam illam cognitionem concurrat. Et sic per hoc Angelus A. potest comprehendere Angelum B, sibi in perfectione æqualem; & per hoc Angelus A. in ratione principii cognoscitivi est æqualis Angelo B. in ratione objecti cognoscibilis, quòd Angelus A. cum solo concursu generali DEI possit producere cognitionem claram, & immediatam sui ipsius; adeóque cognitionem objecti æquè perfecti, atque perfectum est objectum Angelus B. Siquidem ad talem sui ipsius cognitionem producendam non indiget concursu aut objecti à se distincti, aut speciei impressæ, ùt docetur in materia de Angelis. Estque hæc doctrina expressa S. Augustini lib. 9. de Trin. cap. 12. dicentis: *Cùm mens se ipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ, & cognitum enim, & cognitor est.*

87. Quartæ Probationis nego Antecedens quoad primam partem. Negatur enim communiter in materia de Angelis utpote repugnans Authoritati SS. Augustini, & Thomæ.

Proponuntur Objectiones contra Concl. num 79.

88. Objicitur primò. Implicat cognitio comprehensiva DEI. Sed si possibilis esset visio, qua in Verbo viderentur omnia possibilia non implicaret cognitio comprehensiva DEI. Hæc enim ipsa Visio, esset cognitio Comprehensiva DEI, vel saltèm esset comprehensiva Omnipotentiæ Divinæ. Quia per illam cognosceretur clarè id totum, quidquid sive formaliter, sive eminenter, continetur in Omnipotentia DEI, idque illa visio omnium possibilium in Verbo (ùt arguit P. Amicus) est comprehensio Omnipotentiæ Divinæ, non solùm extensiva, sed etiam intensiva. Tum quia illa visio deberet habere claritatem infinitè intensam. Objecta enim infinita, claritatem visionis, infinitè intendunt. Quia singulis objectis, possibilibus visis, debet in visione ipsa respondere determinatus gradus, claritatis. Hæc enim sicut sunt determinatæ naturæ & perfectionis, ità postulant determinatum gradum claritatis. Tum quia illa Visio est comprehensiva intensivè, quæ tantùm cognoscit objectum, quantùm postulat cognoscibilitas illius, Atqui visio omnium possibilium in Verbo, tantùm cognoscit DEUM, quantùm cognoscibilitas DEI exigit cognosci. Per visionem enim omnium visibilium in Verbo, cognoscuntur clarè & distinctè omnes errores, omnes ignorantiæ, & quævis dubia circa DEUM, hæcque omnia clarè dissolvuntur. Cognoscibilitas autem DEI non exigit magis cognosci, quàm ut cognoscantur clarè & distinctè omnes errores, omnes ignorantiæ, & quævis dubia circa DEUM, & ut hæc omnia clarè dissolvantur. Ergo.

89. Objicitur secundò & arguitur. Implicat actuali scientia creata, exhauriri totam scibilitatem seu cognoscibilitatem DEI, ità ut, à creatura ea & tanta sciantur in Verbo, ut plura sciri de novo non possint, nec DEUS possit plura docere illam creaturam. Sicut implicat actuali productione Creaturarum, exhauriri totam virtutem productivam seu Omnipotentiam Divinam, ità ut de novo non possint produci plures & plures creaturæ, sed si possibilis esset Visio, qua in Verbo viderentur omnes creaturæ possibiles, non implicaret à Scientia actuali creata exhauriri totam cognoscibilitatem DEI, ità ut &c. Ergo.

90. Objicitur tertiò. Implicat Visio creata etiam in certo aliquo genere perfectionis perfectissima. Quia implicat creatura etiam in uno certo genere perfectissima. Sed admissa possibili visione, qua in Verbo viderentur omnes creaturæ possibiles, visio talis possibilis, esset visio in aliquo certo genere perfectissima, scilicet esset perfectissima in genere claritatis extensivæ. Quia non posset dari cognitio clara, quæ se extenderet ad plura objecta, quàm se extendat visio omnium possibilium. Ergo.

91. Quartò arguitur: Implicat visio infinita simpliciter. Sed Visio omnium possibilium in Verbo, esset infinita simpliciter. Superaret enim alias possibiles visiones infinitis formalitatibus. Quia formalitatibus specificatis ab objectis, diversis infinitis. Ergo.

92. Quintò arguitur. Implicat intellectum creatum esse virtutis infinitæ simpliciter in cognoscendo. Atqui admissa possibili visione creata, qua viderentur omnia possibilia in Verbo, intellectus creatus esset virtutis infinitæ simpliciter in cognoscendo. Quò enim ad plura objecta distinctè cognoscenda extendit se virtus cognoscitiva intellectûs creati, eò est perfectior illa virtus. Ergo si se extendit ad cognoscenda clarè & distinctè objecta infinita, debet & ipsa virtus esse infinita simpliciter. Ergo.

93. Sexto tandem à Patre Hurtado arguitur. Si possent videri omnia possibilia in Verbo, vel possent videri unico actu, vel multiplici. Utrumque implicat. Ergo, Implicat primum. Si enim omnia possibilia possent videri unico actu, ille ipse actus posset videri à se ipso. Cùm & hic actus sit unum ex entibus possibilibus. Sed hoc implicat. Tum quia implicat cognitio clarè & distinctè repræsentativa sui ipsius. Quia talis cognitio deberet se ipsam gignere. Siquidem esset objectum sui ipsius. Notitia enim non solùm à potentia, sed etiam ab objecto gignitur. Ut cum S. Augustino docent Theologi. Tum quia implicat eodem actu cognosci sive id, quod est ratione priùs, sive id, quod est ratione posteriùs, quatenus

nus enim per illum actum cognoscerentur alia entia possibilia, cognosceretur objectum ratione nostra priùs; quatenus verò cognosceretur idem ipse actus, cognosceretur aliquid per rationem posteriùs. Cùm cognitio directa sit essentialiter prior, & debeat præsupponi ante cognitionem reflexam. Implicat etiam secundum. Si enim multiplici actu viderentur in Verbo omnia possibilia, vel singuli illi actus essent reflexivi supra se ipsos, & tales actus implicare immediatè sunt ostensi, vel certè unus quisque illorum esset reflexivus supra alium. Et hoc ipso deberent dari actus reflexivi cathegorematicè infiniti, posset enim & deberet in talibus actibus dari processus in infinitum.

Solvuntur Objectiones contra Concl. secundam.

94. Respondeo. Primæ Rationis nego Minorem: cum sua Probatione. Ad quam quid sit dicendum, patet ex dictis. Potest etiam admitti cognitionem illam, qua in Verbo viderentur omnia possibilia fore comprehensivam secundùm quid, seu extrinsecè, terminativè, extensivè & impropriè. Non fore autem comprehensivam simpliciter, seu intrinsecè, entitativè, intensivè, & propriè. Probationem primam ulteriorem nego & dico: diversis objectis non debere respondere diversos gradus claritatis intensivæ, sed posse plura objecta repræsentari tanta claritate, quanta repræsentatur unicum. Secundæ Probationis Transita Majore Nego Minorem. Visio enim creata, qua viderentur omnia possibilia in Verbo, siquidem non procederet à principio æquè perfecto, atque perfectum est objectum cognoscibile, non cognosceret DEUM tantùm, quantùm exigit cognosci cognoscibilitas Divina. Hæc enim exigit cognosci cognitione Divina, seu cognitione principii cognoscentis æquè perfecti, atque perfectum est objectum. Adeóque licèt per aliquam cognitionem cognoscerentur clarè & distinctè omnes errores, ignorantiæ, & dubia circa DEUM, adhuc per illam cognitionem, DEUS non comprehenderetur simpliciter.

95. Secunda Ratio multum probat. Probat enim primò implicare visionem intuitivam DEI, per hanc enim exhaurire-tur Scibilitas DEI in aliqua ratione, Quia per illam visionem sciretur à Creatura objectum, quô perfectius sciri non potest, nimirum sciretur DEUS. Implicat autem etiam hoc modo exhauriri scibilitatem DEI, sicut implicat exhauriri Omnipotentiam DEI productione talis entis, quo perfectius produci non possit. Secundò probat etiam DEI non posse sua cognitione cognoscere simul omnia possibilia. Sicut non potest sua productione producere simul omnia possibilia. Tertiò probat non posse videri in Verbo omnia existentia pro quacunque temporis differentia; seu omnia præterita, præsentia, & futura. Quia per talem visionem exhauriretur scibilitas scientiæ Visionis. Et tamen talem visionem haberi ab Anima Christi, ipsi etiam quidam Adversarii docent. Quartò probat nullam creaturam à DEO posse produci, & nullum possibile posse in Verbo videri, non solùm enim implicat ex toto exhauriri, & evacuari, Omnipotentiam & Scibilitatem DEI, quomodo exhauriretur Omnipotentia, si omnia producibilia simul producerentur, & quomodo exhauriretur scibilitas DEI si omnia possibilia & cognoscibilia viderentur in Verbo, sed implicat etiam ex parte evacuari & minui eandem Omnipotentiam & Scibilitatem Divinam, quomodo certè per paritatem rationis deberet in parte evacuari Omnipotentia Divina, si aliquam produceret creaturam; & Scibilitas Divina deberet in parte evacuari si aliquod possibile posset videri in Verbo. Directè Respondeo Negando Minorem. Ad paritatem ab Omnipotentia Divina dico: Transeat hoc, quòd Omnipotentia Divina exhauriretur productione illa, qua producerentur omnia possibilia. Transeat inquam, hoc enim ipsum mihi omnino est inintelligibile. Cùm enim per productionem unius entis possibilis nulla fiat diminutio virtutis in Omnipotentia Divina, nec ejusdem evacuatio & exhaustio etiam partialis; neque esset, aut esse deberet totalis evacuatio & exhaustio Omnipotentiæ Divinæ, si producerentur omnia possibilia. Non sequitur tamen hinc, quòd etiam Scibilitas Divina exhauriretur visione creata omnium possibilium in verbo. Ratio disparitatis est. Quia si producerentur omnia possibilia, Omnipotentia

Divina non posset exerceri de novo aliquid producendo. Si autem in Verbo viderentur omnia possibilia, scibilitas DEI, adhuc posset exerceri, movendo intellectum, non quidem ad videndum de novo aliquod possibile, sed ad videndum visione intuitiva perfectione, & clariore.

96. Tertia Ratio iterum multùm probat. Probat primò implicare visionem creatam DEI. Nam etiam hæc deberet esse perfectissima in certo aliquo genere, nimirum in genere claritatis extensivæ. Quia extenderetur sua claritate ad objectum præstantissimum, quô præstantius dari non potest. Secundò probat implicare visionem claram unius objecti. Quia hæc deberet esse imperfectissima in genere claritatis extensivæ. Æquè autem implicat creatura in aliquo genere imperfectissima, atque implicat creatura in uno aliquo genere perfectissima. Tertiò probat implicare cognitionem confusam omniũ possibilium. Hæc enim deberet esse creatura aut perfectissima, aut imperfectissima in ratione confusionis extensivæ. Directè nego Minorem. Ad Probationem dico: Ex sola extensione ad omnia possibilia non posse argui summitatem perfectionis in aliqua cognitione in genere claritatis extensivæ, sed debere illam argui, & inferri ex utroque, nimirũ tam ex claritate, quàm ex extensione. Quare cùm unum possit adhuc crescere, scilicet cùm possit crescere claritas. Potest enim quacunque dabili cognitione omnium possibilium in Verbo, dari alia, & alia clarior, & intensior in claritate cognitio, hinc potest crescere & ipsum complexum, quod est *claritas extensiva cognitionis*. Adeóque si daretur visio omnium possibilium in Verbo, non deberet hæc esse imperfectissima in genere claritatis extensivæ. Ad solvendam prædictam Rationem servire etiam potest responsio data superiùs num. 15. ad similem Objectionem.

97. Quartæ Rationis nego Minorem cum sua Probatione. Si enim visio intuitiva DEI non debet superare possibiles visiones objectorum imperfectiorum, formalitatibus simpliciter infinitis, etiam visio omnium possibilium in Verbo non debet superare alias possibiles visiones formalitatibus simpliciter infinitis. Quod ipsum ex eo ulteriùs est; quia formalitates, quæ in tantum præcisè debent esse infinitæ, in quantum specificantur à perfectionibus objecti infinitis, vel etiam ab ipsis objectis in multitudine infinitis, non possunt esse infinitæ simpliciter, ùt superiùs dictum est. Formalitates verò visionis intuitivæ DEI, similiter formalitates visionis omnium possibilium in Verbo in tantum deberent esse infinitæ, in quantum specificarentur ab infinitis perfectionibus Divinis, & à creaturis infinitis possibilibus.

98 Quintæ Rationis nego Minorem, & dico: Sicut intellectus creatus non debet esse perfectionis infinitæ ex eo, quòd virtus cognoscitiva illius extendat se ad repræsentandum clarè objectum simpliciter infinitum, nimirum DEUM; ità etiam idem intellectus creatus non debet esse perfectionis infinitæ ex eo, quòd virtus illius cognoscitiva possit se extendere ad videnda omnia possibilia in Verbo. Certè si ex extensione virtutis cognoscitivæ ad videnda omnia possibilia, argueretur infinita perfectio in intellectu vidente; à fortiori talis perfectio deberet argui in eodem intellectu, ex extensione suæ virtutis cognoscitivæ ad clarè videndum DEUM. Cùm DEUS sit objectum cathegorematicè infinitum, ídque infinitum simpliciter in omni genere, quatenus continet eminenter omnem possibilem perfectionem, æquivaletque omnibus possibilibus creatis perfectionibus cum infinito earundem excessu. Omnia verò possibilia creata sunt solùm infinitum in multitudine infinitum syncathegorematicè; adeóque infinitum secundùm quid sua perfectione infinities distans, & deficiens à perfectione DEI.

99. Ad sextam Rationem dico: Utrumque dici posse, & quòd omnia possibilia possint videri in Verbo per unicum actum, illúmque ipsum, quo DEUS intuitivè videretur; & quòd DEUS possit videri multiplici actu. Quod fieret tunc, dum ad exigentiam visionis, quâ DEUS videretur, ponerentur actus repræsentativi aliorum possibilium. Ad impugnationem primæ partis dico: Quòd actus ille unicus, quo viderentur omnia possibilia in Verbo, esset repræsentativus sui ipsius, & reflexivus supra se ipsum, qualem actum posse dari, docent communiter Philosophi, cum quibus idem & ego docui Disp. de Anima. Prima Ratio non convincit. E-

tiamsi enim omnis cognitio producatur à potentia, & objecto, non est tamen necesse, ut objectum immediatè, & ratione sui concurrat ad producendam sui cognitionem. Sed satis est, si species impressa talis objecti concurrat, maximè si objectum ratione sui concurrere sit impotens, vel quia est absens, vel quia non est proportionatum ad producendam cognitionem. Unde cognitio supra se ipsam reflexa si daretur, non deberet se ipsam gignere, & producere. Cùm impotens sit producere se ipsam, nec præsupponatur ante se ipsam, sed talem cognitionem deberet producere species impressa à DEO producta, vel certè DEUS deberet supplere hujus speciei concursum. Secunda ratio impugnat possibilitatem visionis increatæ, quæ essentialiter est reflexiva supra se ipsam. Hujus Rationis falsa imprimis est Major. Nam animal est ratione nostra priùs quàm rationale, & tamen unio actu potest utrumque cognosci. Negari etiam potest Minor. Si eo sensu intelligatur, quem sensum facere videtur; quòd scilicet alia entia possibilia in tantum sint ratione nostra priora, cognitio verò illorum sit quid ratione nostra posterius, in quantum entia possibilia exigunt priùs cognosci, antequam cognoscatur reflexè cognitio directa illorum entium. Ad secundæ partis impugnationem dico: Si per plures actus viderentur possibilia in Verbo, illos actus aut singulos fore reflexivos supra se ipsos, aut certè sinè multiplicatione infinita talium actuum, aliquos actus fore mutuò reflexivos unum supra alium, & supra alios actus possibiles reflexivos.

QUÆSTIO II.

De Principiis Visionis beatæ.

SIcut actûs supernaturalis Fidei tria communiter principia numerantur, scilicet: Habitus infusus fidei, potentia intellectiva, & species impressa objecti fidei. Ità pariter Visionis Beatæ à plerisque Theologis tria assignantur principia, nimirum: Lumen gloriæ, potentia naturalis intellectiva, & species impressa DEI. De his principiis agemus triplici sequenti Puncto.

PUNCTUM I.

De Lumine Gloriæ.

Circa Lumen Gloriæ sequentia inquiri solent.

§. I.

Quid sit Lumen Gloriæ?

100. Respondeo: Lumen gloriæ in propria, & stricta acceptione esse qualitatem supernaturalem permanentem, inhærentem intellectui creato, eundémque perficientem, & per modum habitûs elevantem ad eliciendam visionem intuitivam DEI. Ratio responsionis est. Tum quia nomine Luminis gloriæ nihil aliud intelligitur à Theologis. Tum quia data definitio convenit omni, & soli lumini gloriæ strictè sumpto. Addidi in Responsione: Lumen gloriæ in stricta acceptione esse qualitatem, &c. In latiori enim acceptione Lumen gloriæ est principium supernaturale sive extrinsecum, sive intrinsecum intellectui creato, sive permanens, sive transiens, elevans intellectum ad eliciendam visionem.

§. II.

An detur Lumen Gloriæ?

101. Respondeo primò. Lumen gloriæ saltèm latiùs sumptum dari in Beatis, est de fide. De fide enim est, DEUM ab intellectu creato Beati videri intuitivè, ùt ostensum est num. 5. Est itèm de fide, non videri DEUM à Beatis per solas ipsorum naturæ vires, ùt dictum est num. 59. Ergo est de fide DEUM videri ab intellectu Beati prout elevato per principium supernaturale. Sed hoc principium supernaturale elevans intellectum Beati, ad eliciendam visionem, est lumen gloriæ saltèm latiùs sumptum. Ergo. Confirmatur. In Concilio Viennensi, ùt refertur in Clementina cap. ad *Nostrum* de Hæreticis, damnata est illa propositio Begvardorum, & Begvinarum: *Non indiget anima lumine gloriæ ipsum elevante ad videndum DEUM.*

102. Respondeo, & dico secundò: Dari defacto in intellectu Beatorum Lumen gloriæ sumptum in stricta acceptione.

Probatur. Lumen gloriæ strictè sumptum

ptum est qualitas supernaturalis permanens, inhærens intellectui Beati, eundémque perficiens, & elevans ad eliciendam visionem intuitivam DEI. Sed datur talis qualitas in intellectu Beatorum. Ergo. Major est definitio Luminis gloriæ strictè sumpti. Minor probatur. Tum quia sicut licèt mors violenta non sit simpliciter secundùm exigentiam, & inclinationem hominis nocentis, & ad mortem damnati, tamen ex suppositione, quòd ad mortem damnandus sit, secundùm ipsius inclinationem, est mors quàm levissima. Sicut itèm, licèt intellectus humanus non exigat simpliciter elevari ad actum supernaturalem fidei, talísque elevatio non sit eidem connaturalis simpliciter; ex suppositione tamen, quòd elevari debeat, ad talē actū exigit eo modo elevari, ut non deserat suum modum repræsentandi objecta, dependenter à phantasmatibus. Hicque elevationis modus intellectui humano est connaturalior, quàm si elevaretur ad actum fidei, eo modo repræsentantem objectum fidei, quo illud repræsentaret actus fidei, elicitus ab intellectu Angelico. Ità pariter, licèt intellectus creatus simpliciter non exigat elevari ad visionem intuitivam DEI, nec hæc elevatio sit illi connaturalis simpliciter, tamen ex suppositione, quòd elevari debeat, magis est secundùm ipsius inclinationem, & exigentiam; adeóque magis sibi connaturale, elevari per principium intrinsecum, illúdque permanens, quàm per principium extrinsecum, vel transiens. Idque magis connaturale est intellectui hoc modo elevari ex eo, quia magis connaturalè est sic elevari, ut vi elevationis operetur, & moveatur magis ab intrinseco, ut itèm per elevationem sui compleatur complemento stabili permanente, & ab intrinseco. Sicut pro statu naturali idem intellectus ad actus naturales in ratione potentiæ est completus permanenter, & intrinsecè. Sed intellectus Beati elevatur ad visionem beatam modo sibi magis connaturali. Sicut idem intellectus in homine viatore elevatur modo magis sibi connaturali ad actum supernaturalem fidei. Ergo. Et ratio ulterior est. Quia sicut entia, ità nec miracula, nec rationes formales supernaturalitatis sunt multiplicandæ sinè fundamento, & necessitate. Multiplicarentur autem taliter, si intellectus Beati elevaretur per principium extrinsecum, & transiens. Nam tunc DEUS ageret non solùm supra exigentiam intellectûs creati conferendo ipsi principium supernaturale elevativum ipsius. Sed etiam quoad modum elevandi contraveniret exigentiæ ejusdem intellectûs. Cujus tamen contraventionis nulla est necessitas, & fundamentum. Ergo intellectus Beati elevatur per principium intrinsecum, & permanens. Adeóque datur in intellectu Beati qualitas intrinseca permanens elevans intellectum Beati ad visionem intuitivam DEI. Tum quia in Justis viatoribus principia elevativa potentiarum naturalium ad actus supernaturales sunt qualitates permanentes, & inhærentes potentiis, quas elevant. Hæc enim principia sunt habitus fidei, spei, charitatis, cæteríque habitus infusi. Qui omnes sunt qualitates permanentes, inhærentes potentiis naturalibus, intellectui, & voluntati, easdem perficientes, & elevántes ad actus supernaturales. Ergo etiam in Justis comprehensoribus, seu Beatis, principium elevativum intellectûs ipsorum ad eliciendam visionem intuitivam DEI, est qualitas permanens, & inhærens intellectui, eundémque perficiens, & elevans. Et ratio ulterior est. Quia gratia habitualis non solùm est prima radix operationum sanctarum conducentium, & ordinantium creaturam rationalem ad finem ultimum, sed etiam est radix ipsius gloriæ, quatenus est semen ejusdem. Ergo sicut gratiæ habituali in Justis viatoribus debentur principia permanentia, & intrinseca potentiis naturalibus, elevativa earundem potentiarum ad eliciendos actus supernaturales, conducentes ad ultimum finem consequendum; ità eidem gratiæ in Justis comprehensoribus, seu Beatis, debetur principium permanens, & intrinsecum potentiæ naturali, elevativum ejusdem, ad actum supernaturalem illum, in quo consistit Beatitudo formalis, seu vita æterna. Confirmatur. Habitui infuso fidei succedit Lumen gloriæ. Ergo sicut habitus fidei est qualitas permanens, & intrinseca intellectui, ità & Lumen gloriæ debet esse qualitas permanens, & intrinseca eidem intellectui.

Adverto: quòd etiam hanc secundam Assertionem putent aliqui esse de fide, ex eo.

eo, quòd cenſeant Beguardos in ſua illa propoſitione à Concilio Viennenſi damnata, intellexiſſe & negâſſe Lumen ſtrictè ſumptum. Hi enim eo & tali lumine negabant indigere animam ad Viſionem DEI eliciendam, quali eam indigere affirmabant Doctores Catholici. Hi autem affirmabant animam indigere lumine ſtrictè tali.

103. Dices. Ut videatur lumen per ſe viſibile, non eſt neceſſarium aliud lumen ex parte potentiæ, ùt patet in ſenſibilibus. Sed DEUS eſt lumen per ſe viſibile. Ergo ut videatur DEUS, non eſt neceſſarium aliud lumen ex parte potentiæ. Reſpondeo Lumen increatum, quod eſt DEUS, viſuros nos dependenter ab alio lumine, inſinuatur clarè illius Scripturæ Verbis: *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Argumentum, quod opponitur Diſtinguo: Ut lumen per ſe viſibile videatur, non eſt neceſſarium aliud lumen ex parte potentiæ naturaliter completæ in ratione potentiæ. Tranſeat Antecedens. Nam ùt docet S. Thomas, etiam in ſenſu viſûs ad videnda objecta ſenſibilia, requiritur aliquod lumen ex parte potentiæ quod faciat medium transparens in actu, ut poſſit moveri à colore. Non eſt neceſſarium lumen aliud ex parte potentiæ naturaliter incompletæ, ſolúmque elevabilis ad videndum objectum. Nego Majorem, & omiſſa Minore, Diſtinguo ſimiliter Conſequens.

§. III.

Quod ſit munus Luminis gloriæ?

104. Reſpondeo. Munus Luminis gloriæ non eſt præciſè diſponere intellectum in ratione cauſæ Materialis ad recipiendam Viſionem Divinæ eſſentiæ tanquam ſpeciei intelligibilis. Neque munus eſſe recipere immediatè Viſionem DEI, ſive totaliter, ſive partialiter. Neque eſt præciſè movere per modum ſpeciei intelligibilis. Sed potiùs munus hujus Luminis eſt concurrere effectivè ad viſionem intuitivam DEI. Ratio primi eſt: Tum quia ad gratiam ſanctificantem ſeu habitualem, non datur diſpoſitio phyſica in genere cauſæ materialis, pariter ad unionem Hypoſtaticam non datur ſimilis diſpoſitio ordinis ſupernaturalis. Ergo neque debet dari diſpoſitio phyſica in genere cauſæ materialis, ad viſionem intuitivam DEI, aut ad Unionem eſſentiæ Divinæ per modum ſpeciei intelligibilis. Tum quia nulla eſt neceſſitas talium diſpoſitionum reſpectu formarum ſupernaturalium. Quæ enim eſt illa neceſſitas? Certè non eſt neceſſitas ex ratione formarum ſupernaturalium. Aliàs cùm ipſæ diſpoſitiones debeant eſſe formæ ſupernaturales reſpectu illarum deberent dari aliæ diſpoſitiones, & ſic deinceps. Adeóque daretur proceſſus in infinitum in diſpoſitionibus. Non eſt etiam neceſſitas diſpoſitionis hujuſmodi ad viſionem beatam ex hac ratione: quòd Viſio hæc ſit ultimus terminus in ordine ſupernaturali, nam etiam gratia ſanctificans eſt ultimus terminus ordinis ſupernaturalis in ſtatu viæ, & tamen ad hanc gratiam nulla requiritur diſpoſitio phyſica. Unio quoque hypoſtatica eſt ultimus ſupernaturalis terminus ſaltèm ùt quo, iſque ſubſtantialis reſpectu humanitatis, & tamen ad unionem Hypoſtaticam nulla datur diſpoſitio ſupernaturalis phyſica. Ergo. Tum quia in ordine naturali intantùm nonniſi dantur diſpoſitiones phyſicæ reſpectu formarum ſubſtantialium, inquantùm hæ ſubſerviunt, vel ad eliciendas operationes proprias formæ ſubſtantialis, vel ad excludenda ex ſubjecto accidentia inimica formæ ſubſtantiali. Ergo etiam in ordine ſupernaturali ſi deberent dari diſpoſitiones ad formam ſupernaturalem, deberent dari propter alterutrum hunc finem; adeóque lumen gloriæ deberet ſubſervire viſioni beatæ vel ad aliquas ipſius operationes, vel ad excludendum accidens inimicum viſioni. Sed ad neutrum hunc finem eſt neceſſarium lumen gloriæ. Ergo. Neque valet ſi dicas à S. Thoma hic Quæſt. 12. Art. 5. in O. Lumen gloriæ appellari diſpoſitionem. Non valet inquam, à S. Doctore enim non intelligitur diſpoſitio in genere cauſæ materialis, ſed nomine diſpoſitionis intelligitur qualitas inhærens intellectui Beati, quæ ſimul ſit virtus partialis effectiva ſeu productiva viſionis, elevans virtutem naturalem intellectûs ad eliciendam eandem viſionem.

105. Ratio ſecundi eſt. Quia ſolus intellectus recipit viſionem intuitivam DEI, idque non tantùm partialiter, ſed etiam tota-

totaliter. Sicut idem solus intellectus recipit omnes alias intellectiones à se elicitas, etiam actus supernaturales fidei. Licèt enim intellectus in genere causæ efficientis, non sit se solo proportionatus ad producendam Visionem DEI, est tamen proportionatus in genere causæ materialis. Quemadmodùm idem intellectus est se solo proportionatus ad recipiendum Lumen gloriæ. Sicut itèm Humanitas Christi se sola est proportionata ad recipiendam Unionem Hypostaticam, & anima est se sola proportionata ad recipiendam gratiam habitualem. Si enim hæc se solis non essent proportionata ad recipiendas prædictas formas supernaturales, deberet dari aut processus in infinitum in formis supernaturalibus, aut certè deberent multiplicari entia supernaturalia sinè fundamento. Addo. Si lumen gloriæ reciperet sive totaliter, sive partialiter visionem DEI, idem lumen deberet denominari videns DEUM. Sicut organa materialia desumunt denominationes vitales ab operationibus, quæ in ipsis recipiuntur. Nimirum Oculus desumit denominationem videntis, auris audientis, &c.

106. Ratio tertii est. Quia licèt lumen gloriæ (ùt multi Theologi sentiunt) habeat fortè sibi identificatam rationem formalem speciei impressæ; tamen debet insuper habere identificatam rationem virtutis complentis potentiam intellectivam, in ratione potentiæ. Potentia enim intellectiva respectu visionis intuitivæ DEI, non solùm est incompleta ex defectu speciei impressæ, sed etiam est incompleta & insufficiens in ratione potentiæ. Ergo etiam in hac ratione debet compleri per principium aliquod, idque per nullum commodius secundùm legem ordinariam, quam per Lumen gloriæ.

107. Ratio quarti est. Tum ex authoritate D. Thomæ hìc Quæst. 12. Art. 5. in ☉ dicentis: *Cùm virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad DEI essentiam videndam, oportet, quòd ex gratia Divina superaccrescat ei virtus intelligendi.* Et iterum ad primum. *Lumen creatum ad hoc est necessarium, quòd intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum.* Tum quia, Habituum supernaturalium munus est, concurrere effectivè ad actus supernaturales. Hi enim habitus potentiis naturalibus dant posse simpliciter operari. Ergo etiam idem munus debet esse supernaturalis Luminis gloriæ. Tum quia causa adæquata effectus debet continere formaliter vel eminenter totam perfectionem effectûs. Quia debet continere virtualiter adæquatè effectum. Quomodo eum non continet, si nec formaliter nec eminenter continet totam ejusdem perfectionem. Sed si Lumen gloriæ non concurreret effectivè ad visionem intuitivam DEI, tunc causa adæquata effectiva visionis, neque formaliter neque eminenter contineret totam perfectionem Visionis. Quia hæc causa nullatenùs contineret prædicatum supernaturalitatis conveniens visioni. Siquidem causa adæquata effectiva visionis nullum diceret principium visionis, quod esset supernaturale. Tale enim principium deberet esse ipsum Lumen gloriæ supernaturale.

§. IV.

An Lumen gloriæ sit tota ratio agendi respectu Visionis Beatæ?

108. Per rationem agendi intelligitur hoc loco, potentia seu virtus effectiva immediatè efficienter, influens in effectum. Per totam rationem agendi, intelligitur potentia seu virtus effectiva adæquata, & se sola influens immediatè in effectum. Unde dum quæritur: An lumen gloriæ sit tota ratio agendi respectu visionis Beatæ? Sensus quæsiti est: An Lumen gloriæ sit virtus effectiva adæquatè & se solâ immediatè influens in visionem Beatam, ità, ut præter Lumen gloriæ nulla sit alia causa & virtus effectiva immediatè influens in visionem? & nominatim; an Lumen gloriæ ità sit virtus immediata agendi, ut intellectus naturalis creatus Beati, non sit virtus & causa etiam partialis effectiva, immediatè influens in visionem. Ratio agendi seu potentia, & virtus immediatè productiva effectûs, alio nomine dicitur principium *quò*. Jam verò id, cui talis potentia & virtus confertur, dicitur principium *quod* respectu effectûs, immediatè producti à principio *quo*, eò, quòd tale principium censeatur & dicatur media virtute, & ratione

tione operandi, producere effectum. Et ſic Lumen gloriæ reſpectu Viſionis Beatæ, dicitur à quibuſdam principium *quò*. Anima verò & intellectus Beati, dicitur principium *quod*. Lumen gloriæ eſſe totam rationem agendi, reſpectu Viſionis intuitivæ DEI, ità ut intellectus non concurrat effectivè immediatè, etiam ùt virtus immediata partialis, ad eandem Viſionem, docent: Bannez, Alvarez, Gonet, & alii communiter Thomiſtæ; E contra Lumen gloriæ nonnisì partialem eſſe rationem agendi, Totalem verò rationem agendi, conſtitui tam lumine gloriæ, quàm ipſo intellectu Beati, tanquam virtutibus & cauſis immediatis partialibus, aſſerunt ac defendunt Suarez, Vaſquez, & alii paſſim Societatis Theologi.

109. Reſpondeo & Dico Lumen gloriæ non eſſe totam rationem agendi, reſpectu Viſionis intuitivæ DEI.

Ratio prima eſt ab authoritate S. Thomæ; Lumen gloriæ requirentis ad hoc, ut per illud augeatur, roboretur, & juvetur virtus naturalis, intellectus creati in ordine ad eliciendam viſionem DEI. Id autem per quod augetur, roboratur, & juvatur virtus naturalis ad aliquem effectum, non poteſt eſſe tota ratio agendi. Quia ipſa virtus naturalis quæ juvatur, debet eſſe partialis ratio agendi. Quod enim juvatur ad aliquem effectum, debet & ipſum producere effectum, atteſtante S. Auguſtino in illud Pſal. 78. *Adjuva nos DEUS ſalutaris noſtor. Qui adjuvatur, aliquid etiam per ſe ipſum agit.* Præterea idem S. Angelicus Doctor docet Beatitudinem, quæ formaliter conſiſtit in viſione DEI, eſſe perfectiſſimam operationem hominis. Atqui non eſſet talis operatio, ſi Lumen gloriæ eſſet tota ratio agendi. Quia non eſſet ſimpliciter operatio hominis. Siquidem homo nullatenus effectivè ad illam concurreret. Non concurreret enim effectivè immediatè: ùt volunt Thomiſtæ, non concurreret etiam effectivè mediatè; Quia hoc modo, in tantum deberet concurrere, in quantum produceret effectivè ipſum Lumen gloriæ, quod eſſet adæquata ratio agendi reſpectu Viſionis. Homo autem non producit effectivè etiam inadæquatè lumen gloriæ. Ergo.

110. Secunda Ratio eſt: Habitus ſupernaturales virtutum, qui in juſtificatione hominis ſimul cum gratia ſanctificante, infunduntur animæ ejuſdem hominis, non ſunt tota ratio agendi reſpectu actuum ſalutarium. Ergo neque lumen gloriæ eſt tota ratio agendi reſpectu viſionis intuitivæ DEI. Conſequentia patet ex paritate rationis. Antecedens quod à Thomiſtis negari ſolet, probatur: Tum quia à Concilio Tridentino Seſſ. 6. Can. 4. damnata eſt doctrina aſſerentium: Liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum, (eadem eſt ratio de intellectu reſpectu actûs fidei) nihil cooperatur DEO excitanti & vocanti, nihilq; omnino agere, ſed ſe habere merè paſſivè. Sed ſi habitus infuſi & gratia Divina, eſſent tota ratio agendi, reſpectu actuum ſupernaturalium, arbitrium hominis à DEO motum & excitatum non cooperaretur DEO excitanti & vocanti, ſed velut quoddam inanime, nihil omnino ageret, & merè paſſivè ſe haberet. Nihil enim in oppoſita ſententia plus præſtaret arbitrium hominis, niſi quod præcisè reciperet, non ſolùm gratiam ſanctificantem & habitus infuſos, ſed etiam operationes dictorum habituum. Ergo. Tum quia per habitus infuſos, juvatur ſolùm arbitrium hominis ad ſalutariter operandum, & non ſoli habitus operantur: ùt docet S. Auguſtinus Tract. 4. in Epiſt. Joannis. Columna 4. *Quia agis aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tribuendum eſt, ut dicas: Adjutor meus eſto, nè derelinquas me. Si dicis, Adjutor meus. Ergo aliquid agis, nam ſi nihil agis, quomodo ille adjuvat.* Ergo liberum hominis arbitrium, adjutum habitibus infuſis, etiam per ſe ipſum agit. Adeóque dicti habitus nòn ſunt tota ratio agendi. Tum quia. Si voluntas hominis non concurreret immediatè ad actus ſupernaturales, ſed hi actus adæquatè immediatè procederent à ſolis habitibus ſupernaturalibus, dicta voluntas non eſſet laude & præmio digna propter tales actus: ſicut non eſſet digna vituperio & pænâ propter actus malos, ad quos nullatenus effectivè concurreret. Atqui voluntas propter actus ſupernaturales eſt laude & præmio digna. Ergo.

111. Ratio tertia eſt. Quia actus vitalis poſtulat eſſentialiter procedere effectivè ídque immediatè à principio vitali, & ab ipſo vivente. Per talem enim actum, vivens debet ſe movere ab intrinſe-

co; adeóque debet agere, & operari ab intrinſeco. Sed viſio beata eſt actus vitalis, & vita in actu ſecundo, ùt probatum eſt num. 29. Ergo viſio beata poſtulat eſſentialiter procedere à principio vitali, ſeu vivente. Atqui non procederet à tali principio, ſi lumen gloriæ eſſet tota ratio agendi reſpectu viſionis. Lumen enim gloriæ non eſt principium vitale, neque enim eſt principium vitale *ùt quod*. Quia ſecundùm Thomiſtas tale principium eſt ſola anima Beati; neque eſt principium vitale *ùt quò*. Sicut intellectus prout diſtinctus ab anima; in ſententia Thomiſtarum, diſtinguentium potentias animæ ab anima, eſt principium vitale *ùt quò* intellectivum. Quia Lumen gloriæ non procedit emanativè ab anima, quomodo ab ipſa procedunt omnes potentiæ naturales vitales. Deinde ſi Lumen gloriæ eſſet principium vitale etiam *ùt quò*, tunc ſicut intellectus per viſionem à ſe productam vivit, & videt objectum, pariter etiam Lumen gloriæ vivet, & videbit DEUM.

Proponuntur Objectiones.

112. Objicitur primò, & arguitur ab Authoritate S. Thomæ, qui Quæſt. unica de Virtutibus Art. 10 per hoc res naturales diſtinguit à ſupernaturalibus, quòd ad naturalia dicat in natura eſſe virtutem activam, & paſſivam. Ad ſupernaturalia verò dicat in natura eſſe virtutem ad recipiendum. Sed ſi intellectus creatus eſſet ſaltèm partialis ratio agendi reſpectu viſionis DEI, tunc ad ſupernaturalem viſionem daretur in natura virtus & activa, & paſſiva. Ergo. Idem S. Doctor lib. 3. contra Gentes cap. 13. dicit: *Sicut Diaphani virtus augetur ad hoc, ut poſſit illuminare per hoc, quòd fiat lucidum actu per formam lucis in ipſo, licèt Diaphaneitas non illuminet; ità augetur virtus intellectûs per lumen gloriæ, licèt ipſe non agat.* Ergo. Inſuper S. Doctor lib. 3. contra Gentes cap. 7. negat, in natura eſſe initia gratiæ, proindéque negat, cauſas naturales eſſe cauſas partiales effectuum ſupernaturalium, ità ut effectus ſupernaturalis attribuatur partim virtuti Divinæ, partim cauſæ naturali. Sed ſi intellectus creatus eſſet ratio partialis agendi reſpectu viſionis beatæ, tunc initium gratiæ eſſet in natura, & cauſa naturalis eſſet cauſa partialis effectûs ſupernaturalis. Ergo.

113. Objicitur ſecundò. Intellectus creatus eſt improportionatus reſpectu viſionis. Ergo non poteſt eſſe cauſa viſionis. Cùm inter cauſam, & effectum requiratur proportio. Antecedens probatur. Quia ſicut finiti ad infinitum nulla eſt proportio, ità nec entis naturalis eſt proportio ad ens ſupernaturale. Sed intellectus creatus eſt ens naturale, viſio DEI eſt ens ſupernaturale. Ergo inter intellectum creatum, & viſionem DEI non eſt ulla proportio. Adeóque intellectus creatus eſt improportionatus reſpectu viſionis DEI.

114. Objicitur tertiò. In tantum intellectus naturalis creatus deberet eſſe partialis, & inadæquata ratio agendi, in quantum vitalitas viſionis deberet haberi ab intellectu. Sed ex hac ratione intellectus non poteſt eſſe ratio agendi. Ergo. Minor probatur. Tum quia intellectus naturalis creatus nullatenus continet vitalitatem viſionis beatæ. Vitalitas enim viſionis eſt vitalitas ſupernaturalis, ſed hanc intellectus ſecundùm ſe nullatenus continet. Quia vitalitas intellectûs naturalis creati eſt vitalitas naturalis non ſupernaturalis; adeóque intellectus non continet formaliter vitalitatem viſionis. Non continet etiam eandem eminenter. Vitalitas enim naturalis non poteſt eminere, & eſſe perfectior vitalitate ſupernaturali. Ergo. Tum quia ſi intellectus naturalis animæ beatæ ſecundùm ſe eſſet inadæquata ratio agendi reſpectu viſionis, tunc intellectus immediatè produceret viſionem DEI vel adæquatè ſumptam, vel ſumptam inadæquatè. Neutrum dici poteſt. Non primum, quia viſio adæquatè ſumpta eſt ſupernaturalis. Ergo intellectus ſecundùm ſe non poteſt illam immediatè producere. Si enim illam immediatè produceret, produceret ſupernaturalitatem viſionis, quam tamen non poteſt producere. Quia nulla cauſa poteſt dare prædicatum effectui, quod ipſa nullatenus habet. Intellectus verò Beati ſecundùm ſe nullatenus habet ſupernaturalitatem. Cùm ſit ens naturale. Ergo. Non poteſt deinde dici, quòd intellectus creatus producat viſionem DEI inadæquatè ſumptam, dando viſioni prædicatum *Vitalis*, non dando verò prædicatum *Supernaturalis*. Viſio enim Divina eſt indiviſibilis, ità, ut in ipſa non diſtinguantur

tur

tur prædicata vitalitatis, & ſupernaturalitatis. Ergo implicat, ut aliquod prædicatum viſionis cauſet intellectus, & aliud priori realiter identificatum non cauſet; aliàs de identificatis realiter verificabuntur prædicata contradictoria, eáque phyſica. Deinde ſupernaturalitas ità tranſcendit alia prædicata viſionis, ut, quidquid eſt in viſione totum, ſit ſupernaturale, ipſáque vitalitas viſionis ſit ſupernaturalis. Ergo intellectus naturalis Beati non poteſt producere viſionem DEI inadæquatè ſumptam, ità ut producat vitalitatem, non producat ſupernaturalitatem. Tum quia ſi intellectus eſſet partialis ratio agendi reſpectu viſionis, viſio DEI deberet eſſe naturalis, non ſupernaturalis. Effectus enim debet ſequi debiliorem partem, hoc eſt, cauſam imperfectiorem, ùt ex tot inſtantiis facilè patet: in tractione v.g. currûs ab equo robuſtiore uno, & altero debiliore. Sed intellectus creatus utpote naturalis eſt cauſa debilior, & imperfectior; Lumen gloriæ eſt cauſa perfectior. Ergo ſi intellectus eſſet partialis ratio agendi reſpectu viſionis, viſio deberet ſequi conditionem intellectûs naturalis; adeóque viſio deberet eſſe naturalis. Tum quia ut viſio DEI ſit vitalis, ſufficit, quòd intellectus Beati, qui eſt vivens in actu primo, ſit principium *quod*, ſufficítque, quòd complexum ex principio *quod*, & principio *quô*, contineat omnia prædicata viſionis. Ità enim habetur, ut cauſa adæquata effectûs contineat totum eſſe, & totam perfectionem effectûs. Sed intellectus Beati, etiamſi non ſit principium *quô*, & ratio agendi reſpectu viſionis, eſt tamen principium *quod*. Ergo.

115. Objicitur quartò. Lumen gloriæ eſt principium vitale. Ergo non eſt ratio, propter quam intellectus naturalis creatus debeat eſſe ratio agendi reſpectu viſionis beatæ. Antecedens probatur Tum quia principium actionis vitalis debet eſſe vitale. Sed Lumen gloriæ eſt principium actionis vitalis, ſcilicet viſionis. ergo. Tum quia anima hominis, ſicut in ordine naturali potentias naturales vitales habet à ſe diſtinctas intellectum, & voluntatem, ità in ordine ſupernaturali debet habere potentias ſupernaturales vitales, à ſe itidem diſtinctas, ex quarum potentiarum numero una talis potentia eſt, , Lumen gloriæ. Tum quia Lumen gloriæ eſt formalis participatio Divini intellectûs viventis; ſicut gratia eſt formalis participatio Naturæ Divinæ per modum principii radicalis. Ergo.

116. Objicitur quintò. Si intellectus eſſet ratio partialis agendi reſpectu viſionis, ſequeretur imprimis, quòd dictus intellectus & eſſet potentia naturalis, & non eſſet, ſed eſſet potentia ſupernaturalis. Eſſet potentia naturalis, quia eſſet potentia animæ, tanquam naturæ inſita, & ab ea emanata, Eſſet verò ſupernaturalis, quia eſſet potentia ad actus ſupernaturales, & ab ipſis ſpecificata. Secundò ſequeretur, quòd Lumen gloriæ eſſet naturale. Eſſet enim complementum intellectûs tanquam potentiæ inchoatæ, exigitum ab eodem intellectu; cùm omnis potentia inchoata exigat ſuum complementum. Tertiò ſequeretur, quòd viſio DEI beata non eſſet præmium, non eſſet enim totaliter à præmiante, ſcilicet à DEO. De ratione autem præmii eſt eſſe totaliter à præmiante, nullatenùs verò effectivè ab eo, cui confertur præmium; aliàs aliquis ſe ipſum præmiaret. Quartò tandem ſequeretur: quòd viſio DEI in ordine ſupernaturali non eſſet donum maximum; majora enim viſione DEI dona eſſent, gratia ſanctificans, habitus infuſi, & ipſum Lumen gloriæ. Siquidem ad hæc dona homo haberet ſe merè paſſivè, ad viſionem autem concurreret effectivè. Sed viſio DEI eſt donum maximum, eſt enim ſumma felicitas creaturæ rationalis. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

117. Reſpondeo ad primum. Authoritas prima S. Angelici Doctoris ſic intelligenda eſt: Dum S. Doctor per hoc vult diſtingui res naturales à ſupernaturalibus, quòd ad res naturales in natura ſit virtus activa, non ſit verò ad ſupernaturalia; intelligi debet de virtute activa adæquata, vel de virtute inadæquata quidem ex ſe tamen determinata ad actus ſupernaturales. Non verò de virtute activa inadæquata, eáque indifferente, & elevabili per aliud comprincipium ad actus ſupernaturales, ut ſenſus ſit: res naturales per hoc differre à ſupernaturalibus, quòd ad res naturales in natura ſit virtus activa adæquata, aut virtus licèt inadæquata, de-

determinata tamen, & exigitiva talium actuum, ac complebilis per comprincipia naturalia. Ad res verò ſupernaturales in natura non detur virtus activa adæquata, ſed nonniſi virtus detur adæquata paſſiva, & ad recipiendū. Quamvis ad res ſupernaturales ſaltèm aliquas poſſit, & debeat admitti virtus activa inadæquata; hæc tamen indifferens elevabilis, & obedientialis. Fundamentum ſic intelligendi S. Doctorem, eſt ex doctrina Concilii Tridentini, ſecundùm quod liberum arbitrium hominis ad actus ſupernaturales non habet ſe merè paſſivè, & velut aliquid inanime. Cui certè doctrinæ non contradicit S. Thomas. Addo: ex hoc textu ſequi, quòd in natura ad res ſupernaturales non debeat dari virtus activa etiam per modum principii *quod*. Quod tamen eſt contra doctrinam Thomiſtarum. Ad ſecundam Authoritatem dico: Comparationem diaphani cum virtute intellectûs, prout fit in adducto textu, eſſe comparationem in genere cauſæ formalis, non verò in genere cauſæ efficientis. In hoc enim genere ſicut Diaphanum concurrit efficienter partialiter ad viſionem objecti illuminati, ità & intellectus concurrit efficienter partialiter cum Lumine gloriæ ad viſionem DEI. Concurrit efficienter partialiter Diaphaneitas ad viſionem, ùt patet in Diaphano colorato viridi, aut rubeo. Qualis certè Diaphaneitas cum luce concurrit ad viſionem materialem repræſentantem objecta viridia, vel rubea. Concurrit etiam efficienter partialiter intellectus cum Lumine gloriæ ad viſionem DEI, ídque non ſolùm ex Rationibus ſuprà adductis, ſed etiam ex mente ipſius S. Doctoris, clariùs alibi expreſſa, ità enim inferiùs dicit: *Ità ſe habere Lumen ad intellectum, ſicut lux corporea ad oculum. Et ſicut oculus concurrit cum luce ad viſionem naturalem, ità intellectus debet concurrere lumine ad viſionem DEI.* Hoc ipſum expreſſiùs adhuc habet prima parte Quæſt. 12. Art: 5. ad primum. *Lumen creatum eſt neceſſarium ad videndam DEI Eſſentiam, non quòd per hoc lumen DEI Eſſentia intelligibilis fiat, quæ ſecundùm ſe intelligibilis eſt, ſed ad hoc, quòd intellectus fiat potentior ad intelligendum, per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum. Sicut etiam & lumen corporale eſt neceſſarium in viſu exteriori, in quantum facit medium transparens, in actu, ut poſſit moveri à colore.* Eodem Articulo in ☉. dicit: *Cùm virtus naturalis intellectûs creati non ſufficiat ad DEI Eſſentiam videndam, oportet, quòd ex Divina gratia ſuperaccreſcat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis illuminationem vocamus.* En ſecundùm S. Thomam, Lumen gloriæ eſt augmentum virtutis naturalis convenientis intellectui; & virtus ſuperaccreſcens ex Divina gratia, ac potentia ad operandum potentiorem redens intellectum; adeóque Lumen gloriæ non eſt tota ratio agendi. Dico præterea, quòd S. Doctor ſicubi videtur negare, intellectum naturalem eſſe rationem agendi, neget intellectum eſſe rationem agendi ejuſdem rationis, & ordinis cum Lumine gloriæ. Non negat verò eſſe rationem agendi diverſæ rationis, & ordinis. Siquidem aſſerit lib. 3. contra Gentes: *Nihil poteſt ad altiorem operationem elevari, niſi quòd ejus virtus fortificetur. Hæc autem cùm non fortificetur per additionem virtutis ejuſdem rationis, ac per intenſionem ſui, fortificatur per additionem virtutis diverſæ rationis, & ordinis altioris. Virtus enim naturalis ad actum ſupernaturalem non poteſt fortificari, niſi per principium ſupernaturale, per quod elevari poteſt, & debet ad actum ſupernaturalem.* Poteſt adhuc eo ſenſu intelligi S. Doctor, quòd intellectus non ſit ratio agendi in genere cauſæ, & virtutis determinativæ; aut ex ſe determinatæ ad viſionem DEI, ſit verò ratio agendi determinabilis, & elevabilis per aliud comprincipium, nimirum per Lumen gloriæ. Ità enim conciliantur Authoritates S. Doctoris, nè ſibi repugnent. Ad tertiam Authoritatem dicendum eſt: Dari in natura virtutem inchoatam, & potentiam obedientialem ad actus ſupernaturales, non poſſe propriè, & in ſenſu Patrum dari in natura initia gratiæ. Patres enim, & Theologi ea initia gratiæ negant dari in natura, quæ in hac dari admittebant Pelagianiſtæ, & Semi-Pelagianiſtæ. Hi verò admittebant, & dicebant, dari initia gratiæ in natura per hoc, quòd cenſerent in natura dari vires naturales adæquatas ad actus meritorios primæ gratiæ, ipsóſque tales actus eſſe merè naturales. Conformiter ad hunc Patrum ſenſum negat S. Thomas dari in natura initia gratiæ, quatenus negat in natura dari vires naturales adæquatas,

tas, ſive ad eliciendos actus meritorios primæ gratiæ, ſive ad acquirendam ipſam primam gratiam. Quodſi verò S. Doctor negat cauſas naturales eſſe cauſas partiales effectuum ſupernaturalium, negat cauſas naturales eſſe cauſas partiales ex ſe determinatas ad effectus ſupernaturales. Negat itèm eſſe cauſas partiales exigentes compleri per concauſas ſupernaturales. Non negat verò cauſas naturales eſſe cauſas partiales effectuum ſupernaturalium indifferentes, elevabiles abſque ulla exigentia ipſius elevationis, dicentes meram capacitatem & potentiam obedientialem ad elevari. Hoc enim ſenſit S. Doctor, quod poſtea definivit Concilium Tridentinum. Quòd videtur definiviſſe liberum arbitrium eſſe cauſam efficientem partialem actuum ſupernaturalium. Negando quòd tale arbitrium ad dictos actus habeat ſe merè paſſivè & velut aliquid inanime.

118. Ad ſecundum Reſpondeo cum Diſtinctione. Intellectus naturalis creatus ſemper eſt improportionatus ad Viſionem DEI, ſe ſolo, & ſinè conſortio principii elevativi producendam. Concedo Antecedens. Intellectus eſt improportionatus ad viſionem DEI dependenter ab elevatione ſui per principium ſupernaturale, producendam. Nego Antecedens & Conſequentiam. Ad Probationem Antecedentis dico: ſicut inter finitum & infinitum licèt in aliqua ratione nulla ſit proportio, tamen in alia ratione poteſt eſſe ſufficiens proportio, ut defacto eſt inter Hominem finitum & DEUM infinitum, proportio in ratione Creaturæ ad Creatorem; in ratione principii cognoſcitivi & objecti cognoſcibilis. Ità inter ens naturale & ens Supernaturale, licèt in aliqua ratione nulla ſit proportio. Quia non eſt proportio cauſæ adæquatæ, cauſæ itèm determinatæ ad effectum ſupernaturalem, & talem effectum exigentis, tamen in alia ratione poteſt eſſe, & eſt ſufficiens proportio inter ens naturale & inter ens ſupernaturale nimirum eſt proportio in ratione cauſæ inadæquatæ indifferentis elevabilis & per potentiam obedientialem concurrentis ad effectum ſupernaturalem, debétque talis proportio inter ens naturale & ſupernaturale admitti, ut non contradicatur Concilio Tridentino. Certè Adverſarii inter ens naturale & ſupernaturale admittunt proportionem in ratione principii *quod*, & effectûs, itèm in ratione principii paſſivi. Quare ergo inter hæc non poterit admitti proportio in ratione cauſæ inadæquatæ elevabilis &c. & effectûs.

119. Ad tertium Reſpondeo Negando Minorem. Primæ Probationis nego Antecedens. Ulterioris Probationis Minorem vel Nego ſimpliciter vel certè Diſtinguo. Sed vitalitatem ſupernaturalem viſionis, intellectus ſecundùm ſe ſumptus non continet. Omitto Minorem. Non continet intellectus prout elevatus per lumen gloriæ. Nego Minorem. Ad id, quod ulteriùs additur, Reſpondeo, intellectum prout inſtructum lumine gloriæ elevativo ſui continere formaliter vitalitatem ſupernaturalem viſionis. Ut verò hanc contineat formaliter, ſufficit, quòd intellectus contineat formaliter vitalitatē, ſupernaturalitatem verò lumen gloriæ. Secundæ Probationis conceſſa ſequela Majoris nego Minorem, & dico: quòd intellectus producat immediatè inadæquatè viſionem DEI adæquatè ſumptam, ità ut inadæquatio teneat ſe ex parte cauſæ & rationis agendi, adæquatio teneat ſe ex parte effectûs qui producitur, hoc eſt ex parte viſionis. Ubi adverto ab intellectu produci viſionem adæquatè ſumptam in ſenſu reali & à parte rei. Cùm enim ex parte viſionis, quæ eſt terminus productionis non ſit diviſibilitas, ex vi cujus aliud quid à parte rei ſit vitalitas viſionis, & aliud quid ſupernaturalitas ejuſdem: Quidquid eſt cauſa vitalitatis eſt à parte rei cauſa ſupernaturalitatis. Et quidquid eſt cauſa ſupernaturalitatis viſionis, eſt etiam à parte rei cauſa vitalitatis ejuſdem. Adeóque intellectus ità eſt à parte rei cauſa vitalitatis viſionis, ut ſit etiam à parte rei cauſa ſupernaturalitatis ejuſdem. Sicut etiam Lumen gloriæ à parte rei non ſolùm eſt cauſa ſupernaturalitatis viſionis, ſed etiam eſt cauſa vitalitatis ejuſdem. In ſenſu tamen formali & ex modo noſtro concipiendi, diſtinguente formaliter & ex parte actûs, vitalitatem viſionis à ſupernaturalitate ejuſdem, intellectus naturalis concurrit ad vitalitatem, Lumen gloriæ concurrit ad ſupernaturalitatem, quatenus vitalitas viſionis refunditur in intellectum, eíque attribuitur; ſupernaturalitas verò refunditur in Lumen gloriæ. Et quatenus viſio à reſpe-

respectu & dependentia, quam dicit ab intellectu dicitur vitalis, jam verò à respectu & dependentia, quam dicit à lumine gloriæ, dicitur supernaturalis. Ad Probationem ulteriorem primæ partis Minoris Respondeo: Concesso Enthimemate nego subsumptam Minorem. Hujus ipsius Probationem Distinguo: Nulla causa adæquata potest dare effectui, quod ipsa nullatenus habet. Concedo Probationem. Nulla causa inadæquata potest dare prædicatum effectui, quod ipsa nullatenùs habet. Subdistinguo: Nec tale prædicatum continet formaliter vel eminenter alia concausa, Concedo Si tale prædicatum contineat alia concausa nego Probationem. Et dico: si causæ plures partiales concurrant ad effectum, non est necesse, ut singulæ earum contineant formaliter vel eminenter singula prædicata effectûs, sed satis est, quod una causa contineat unum prædicatum, altera aliud. Et sic dum potentia intentionalis cum specie impressa concurrit ad actum vitalem intentionalem, ità hæ causæ concurrunt, ut potentia intentionalis aliud contineat formaliter prædicatum actus vitalis intentionalis, scilicet vitalitatem, & aliud species impressa, nimirùm esse repræsentationis talis objecti. Hoc ipsum dici debet à Thomistis asserentibus intellectum esse principium quod, respectu visionis. Quæri enim potest: an intellectus naturalis creatus, sit principium quod, tam vitalitatis, quàm supernaturalitatis convenientis visioni. Quidquid dictum fuerit, redeunt argumenta contra assertionem nostram proposita. Ad quæ ut respondeatur, id dici debet, quod immediatè responsum est. Tertiæ Probationi nego sequelam. Majoris, hujus Probationem Distinguo: Effectus debet sequi partem debiliorem, hoc est, causam imperfectiorem, si causa imperfectior non elevetur à perfectiore. Transeat. Si causa imperfectior elevetur à perfectiore. Nego Probationem. Porrò intellectus & lumen gloriæ sunt causæ visionis; intellectus est causa imperfectior, Lumen gloriæ est causa perfectior, taliter ad se comparatæ, ut intellectus elevetur à lumine gloriæ. Unde sequitur, quòd visio non debeat sequi conditionem intellectûs, tanquam causæ imperfectioris, sed quòd potiùs sequi debeat conditionem Luminis gloriæ, in ratione supernaturalis, tanquam causæ perfectioris, imperfectiorem elevantis. Quartam Probationem nego simpliciter & dico: Ut visio sit vitalis, requiri ut principium quô, sit vitale. Causa enim proxima & immediata debet continere adæquatam perfectionem effectus. Quia hæc dat immediatè esse effectui. Ergo illud debet continere. Si verò vitalitatem, solum principium quod contineat, causa proxima & immediata visionis non continet eandem. Siquidem principium quod non est causa proxima & immediata effectûs v. g. visionis. Addo, vitalitatem visionis non haberi à complexo ex intellectu tanquam principio quod, & ex lumine gloriæ tanquam principio quô. Nullatenus enim habetur ab intellectu, si intellectus non est principium quô visionis, hic enim nullam activitatem exercet, neque enim producit immediatè visionem, ùt volunt Thomistæ, neque producit mediatè. Quia in tantum hanc mediatè deberet producere, in quantùm produceret effectivè ipsum lumen gloriæ, quod certè non producit. Quia hoc est supernaturale, quod à causa naturali produci non potest. Addo iterum Intellectum non esse, nec posse esse principium *quod* visionis, ut volunt Thomistæ. Principium enim *quod* alicujus effectûs debet esse principium activum, mediatum, & remotum: ùt patet in anima, quæ in tantùm est principium *quod*, actuum naturalium vitalium inquantùm secundùm Thomistas producit, & ex se emanat potentias naturales vitales, quæ sunt rationes agendi, & principia *quô*, respectu actuum naturalium vitalium. Sed intellectus naturalis non est principium activum influens activè in Lumen gloriæ, quod est ratio agendi respectu visionis. Ergo. Addo tandem. Etiamsi anima sit principium *quod*, respectu visionis, tamen intellectus, qui est potentia animæ, non est, nec debet esse principium *quod*, sed debet esse principium *quô*, ità ut anima mediante intellectu simul cum lumine gloriæ producat visionem, aliàs duo dabuntur principia *quod*, visionis, unum remotius, alterum minùs remotum. Cùm tamen respectu actuum vitalium naturalium, unum nonnisi sit principium *quod*, nimirum sola anima. Deinde potentiæ vitales naturales erunt principia *quod* respe-

ctu

ctu actuum ſupernaturalium. Cùm tamen reſpectu actuum naturalium, nulla potentia animæ ſit principium *quod*, ſed ſolùm ſit unaquæque principium *quò*.

120. Ad quartum Reſpondeo negando Antecedens: Primam Probationem Diſtinguo: Principium adæquatum actionis vitalis, debet eſſe vitale. Concedo Majorem. Principium quodcunque inadæquatum, debet eſſe vitale. Nego Majorem. Similiter diſtincta Minore nego Conſequentiam. Poteſt etiam omiſſa Majore negari Minor, & dici: Si Lumen gloriæ ſupponatur eſſe tota ratio agendi. Nego lumen gloriæ eſſe principium actionis vitalis, ſeu viſionis. Cùm ſupra probatum ſit Lumen gloriæ non poſſe eſſe totam rationem agendi reſpectu Viſionis DEI ex ea ratione, quia non poteſt eſſe principium actionis vitalis. Siquidem, neque eſt ſubſtantia vivens movens ſe ab intrinſeco, cùm ſit accidens, neque eſt potentia per emanationem producta à ſubſtantia vivente ſeu anima. Secunda Probatio falſo ſuppoſito laborat, quod potentiæ animæ diſtinguantur ab anima: Interim hoc gratis admiſſo. Nego Paritatem. Diſparitas eſt: Ideò non poſſunt dari potentiæ animæ ſupernaturales ſuperadditæ, quæ ſint vitales. licèt admitterentur potentiæ naturales ſuperadditæ eæque vitales. Quia anima per actus potentiarum ſupernaturalium, in quos non influunt immediatè potentiæ naturales, nullatenus vivit aut vivere poteſt in actu ſecundo, vivit autem per actus potentiarum naturalium, quas ex ſe emanat anima. Quod ipſum ex eo eſt. Quia per actus potentiarum ſupernaturalium anima non ſe movet ab intrinſeco, nec agit ab intrinſeco etiam mediatè, agit autem ab intrinſeco ſaltèm mediatè, per actus potentiarum vitalium naturalium. Ad tertiam Probationem dico: Etiamſi gratia habitualis ſit participatio naturæ Divinæ, per modum principii radicalis, reſpectu potentiarum ſupernaturalium & operationum ſanctarum, eſt tamen participatio moralis, non formalis, ùt cenſent plures Theologi. Deinde hæc participatio non eſt vivens in actu primo ità, ut poſſit ſive in potentias à ſe cauſatas, ſive in actus ſalutares refundere prædicatum potentiarum & actuum vitalium. Licèt verò gratia habitualis dicatur vita ſpiritualis animæ, non eſt tamen talis vita, quæ ſinè conſortio potentiæ naturalis vitalis, poſſit producere actus vitales. Sed in tantum dicitur vita, in quantum per illam perficitur vita animæ, & in quantùm eſt maximum decus & ornamentum animæ, ratione cujus DEO placet, & in quantùm actionibus meritoriis condignitatem confert, ratione cujus hæ ſunt meritoriæ de condigno vitæ æternæ. Pariter Lumen gloriæ dici poteſt participatio intellectus Divini, per modum principii reſpectu viſionis DEI, non eſt tamen ſecundùm ſe vivens phyſicè in actu primo, ità ut ſe ſolo poſſit tribuere viſioni DEI prædicatum *vitalis, & vitæ in actu ſecundo*. Tum quia. Si tam gratia habitualis, quàm Lumen gloriæ eſſent quid vivens phyſicè in actu primo, tunc, ſicut anima & intellectus per operationes ſuas naturales vivunt in actu ſecundo, ſicut itèm per tales operationes vident & cognoſcunt objecta, ità gratia habitualis, & Lumen gloriæ per viſionem DEI viverent in actu ſecundo, DEUMque viderent & cognoſcerent. Hæ enim denominationes principiis viventibus debent tribui, ab earum actibus vitalibus. Sed tales denominationes non tribuuntur gratiæ habituali & Lumini gloriæ. Ergo Tum quia. Si gratia habitualis & Lumen gloriæ, eſſent principia viventia in actu primo, idque per modum principii adæquati, anima hominis Juſti per actus ſalutares non viveret, non mereretur &c. intellectus etiam hominis Beati non videret DEUM. Præterea anima ad actus ſalutares haberet ſe merè paſſivè, & nullatenus activè, quod repugnat Concilio. Addo: cùm in DEO non detur intellectus per modum potentiæ phyſicæ & realis, non apparet, quomodo Lumen gloriæ ſit participatio Luminis Divini.

121. Ad quintum Reſpondeo negando ſequelam primam, & dico intellectum Beati ità eſſe rationem agendi reſpectu viſionis Beatæ, ut ſecundùm ſuam entitatem, ſit ſolùm potentia naturalis, non ſit verò potentia ſupernaturalis. Licèt autem ſit potentia extendens ſe etiam ad actus ſupernaturales, ab his tamen non ſpecificatur, Quia ad tales actus non eſt ex ſe determinata, ſed eſt indifferens, elevabilis nonniſi, & obedientialis, qualis potentia

tentia non specificatur, ab actibus, ad quos taliter se habet, verùm potentia specificatur nonnisi ab actibus illis ad quos est determinata, & ex se ordinata, éstque vel completa, vel saltèm exigit suum completivum. Hoc ipsum dici debet ab adversariis de intellectu, qui, prout est principium *quod* visionis, deberet esse potentia naturalis & supernaturalis. Naturalis, quia est potentia emanata ab anima; supernaturalis, quia est principium *quod*, actûs supernaturalis, scilicet visionis DEI. Adeóque ab hoc actu deberet specificari. Dici deinde potest intellectum esse potentiam naturalem intrinsecè & entitativè. Esse verò supernaturalem extrinsecè terminativè & impropriè. Secundam sequelam pariter nego. Probationem Distinguo. Lumen gloriæ esset complementum intellectûs ùt potentiæ inchoatæ illi omnino indebitum nec ab ipso exigitum Concedo Antecedens. Esset complementum intellectus illi debitum & ab ipsô exigitum. Nego Antecedens & Consequentiam. Nego itèm illam universalem: Omnis potentia inchoata (intellige etiam obedientialis) exigit suum complementum. Tertiam quoque sequelam nego. Ad Probationem illius dico: præmium consistens in actione vitali illius principii, cui tale confertur præmium, nec debere, nec posse esse totaliter à præmiante, sed sufficit, quòd sit à præmiante prout elevante ad talem actum, & ex vi virtutis elevativæ in præmium collatæ à præmiante. Unde non sequitur quòd aliquis se ipsum præmiet. Cùm enim nullus intellectus creatus possit causare visionem virtute à se habita, elevativa sui ad talem actum, non potest dici præmiare se ipsum. Quartam tandem sequelam nego, & dico gratiam habitualem, Lumen gloriæ, & habitus infusos esse dona supernaturalia diversæ rationis ab eo dono, quod est visio DEI. Non esse verò dona majora quàm visio.

§. V.

An sinè Lumine gloriæ strictè sumpto possit elici visio intuitiva DEI?

122. Quæsiti hujus sensus est: An intellectus creatus cum solo auxilio intrinseco quidem, sed transeunte, adeóque sinè Lumine gloriæ permanente & habituali, possit elicere visionem intuitivam DEI? an itèm possit elicere visionem sinè omni lumine, sive permanente, sive transeunte cum sola extrinseca assistentia Omnipotentiæ Divinæ, supplentis defectum luminis gloriæ & auxilii intrinseci, & se ipsa influxum exhibentis in visionem?

123. Respondeo & Dico primò Intellectum creatum cum solo auxilio intrinseco transeunte, posse elicere Visionem DEI. Est contra aliquos Thomistas. Ratio est tum ab authoritate S. Thomæ secunda secundæ Quæst. 175. art. 3. ad 2. dicentis: *Lumen gloriæ ab intellectu creato, dupliciter participari potest, uno modo per modum formæ immanentis, alio modo per modum cujusdam passionis transeuntis.* Tum à paritate, Potest intellectus creatus sinè habitu infuso fidei, cum solo auxilio intrinseco transeunte elicere actum supernaturalem fidei, voluntas etiam sinè habitu claritatis cum solo auxilio intrinseco transeunte, potest alicere actum supernaturalem charitatis. Ergo etiam intellectus creatus cum solo auxilio intrinseco transeunte potest elicere visionem DEI. Tum quia visio intuitiva DEI ex nullo suo prædicato postulat dependere essentialiter à lumine gloriæ permanente. Non ex prædicato vitalitatis. Quia ad hoc ut visio sit vitalis, sufficit, quòd dependeat ab intellectu creato, tanquam à principio vitali, à quo deberet dependere visio illa, quæ dependeret à lumine gloriæ transeunte. Non etiam ex prædicato supernaturalitatis. Quia cùm lumen gloriæ transiens, sit futurum supernaturale, visio à tali lumine dependens erit supernaturalis non minùs atque est supernaturalis visio illa, quæ dependet à Lumine gloriæ permanente. Non denique ex ullo alio prædicato. Par enim est ratio discurrendi de aliis prædicatis visionis. Cùm enim Lumen gloriæ transiens à permanente non differat in aliis prædicatis, nisi quòd illud sit transiens hoc permanens, Lumen transiens potest communicare omnia prædicata Visioni quæ illi communicat Lumen gloriæ permanens, hoc unico excepto, quòd non possit communicari visioni permanentia, quam tunc non est habitura. Ergo.

124. Reſpondeo, & dico ſecundò: Intellectum creatum poſſe elicere viſionem DEI cum ſola aſſiſtentia extrinſeca Omnipotentiæ Divinæ, ſe ipſa imediatè influentis in viſionem, & ſupplentis defectum Luminis gloriæ intrinſeci. Adeóque ſinè lumine gloriæ intrinſeco, ſive permanente, ſive tranſeunte. Ratio eſt tum ab Authoritate D. Thomæ Quæſt. 10. de Veritate Art. I. *Sicut Petrum fecit ſinè eo, quòd dotem agilitatis tribuerit, ſuper aquas ambulare, ità poteſt mentem ad hoc perducere, ut Divinæ Eſſentiæ uniatur in ſtatu viæ, modo illo, quo ſibi unitur in Patria ſinè hoc, quòd à Lumine gloriæ perfundatur.* Idem S. Doctor prima parte Quæſt. 105. Art. 2. in ☉. dicit: *Erroneum eſt dicere, DEUM non poſſe per ſe ipſum cauſare omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque cauſam creatam.* Sed viſio DEI eſt determinatus effectus, qui fit per lumen gloriæ, tanquam per cauſam creatam. Ergo erroneum eſt dicere, DEUM non poſſe per ſe ipſum cauſare viſionem, quæ fit per lumen gloriæ. Tum à nullitate implicantiæ. Tum quia lumen gloriæ ad viſionem concurrit nonniſi in genere cauſæ efficientis, ejúſque non viventis in actu primo, ùt ſuperiùs dictum eſt. Poteſt autem DEUS ſupplere defectum talis cauſæ. Tum quia nullum eſt prædicatum in viſione, ratione cujus hæc poſtulet eſſentialiter provenire nonniſi ab hac cauſa, quæ eſt lumen gloriæ. Ergo.

Proponùntur Objectiones contra Concluſionem ſecundam.

125. Objicitur primò ab Authoritate D. Thomæ, qui I. parte Quæſt. 12. Art. 5. ait: *Ut intellectus creatus videat DEI Eſſentiam, hæc debet fieri forma intelligibilis.* Sed DEI Eſſentia non fit forma intelligibilis, niſi per lumen gloriæ. Ergo intellectus creatus ut videat DEUM, DEI Eſſentia debet eſſe intelligibilis per lumen gloriæ. Minor probatur. Tum quia Dei Eſſentia non fit forma intelligibilis per Omnipotentiam Divinam. Aliàs cùm Eſſentia DEI, & Omnipotentia identificentur ſecum realiter, Eſſentia fieret per ſe ipſam forma intelligibilis. Tum quia Eſſentia Divina debet eſſe intelligibilis per id, cui non repugnat eſſe forma, cùm debeat Eſſentia eſſe forma intelligibilis. Atqui lumini gloriæ convenit eſſe formam intelligibilem; repugnat autem Omnipotentiam Divinam eſſe talem formam. Ergo. Tum quia forma intelligibilis faciens, ut intellectus creatus videat DEI Eſſentiam, ſecundùm S. Thomam, eſt *Diſpoſitio Ordinis Divini*, ſeu diſpoſitio ſupernaturalis. Sed talis diſpoſitio non poteſt eſſe, niſi lumen gloriæ. Ergo.

126. Objicitur ſecundò. Implicat, ut intellectus videat DEUM ſinè potentia tribuente ſibi ſimpliciter poſſe. Sed lumen gloriæ permanens eſt potentia dans intellectui ſimpliciter poſſe videre Deum. Ergo. Minor probatur. Tum quia lumen gloriæ reſpectu viſionis habet ſe per modum habitûs infuſi ſupernaturalis ad actum ſalutarem; adeóque ſicut habitus infuſi potentiis naturalibus dant ſimpliciter poſſe operari ſalutariter, ità & lumen gloriæ intellectui Beati dat ſimpliciter poſſe videre DEUM. Tum quia impoſſibile eſt cauſam agere, ſi non eſt in actu, ſeu ſi non eſt actuata. Ergo impoſſibile etiam eſt intellectum creatum videre Deum, ſi non eſt in actu, ſeu ſi non eſt actuatus. Sed intellectus non eſt actuatus, quamdiu caret lumine gloriæ; per hoc enim intellectus actuatur, & completur. Ergo. Tum quia lumen gloriæ ità ſe habet ad videndum DEUM, ſicut lumen materiale ſe habet ad videndum objectum coloratum. Sed lumen materiale ità eſt neceſſarium, ut ſinè ipſo non poſſit ſimpliciter videri objectum coloratum. Ergo & lumen gloriæ ità eſt neceſſarium, ut ſinè ipſo non poſſit ſimpliciter videri DEUS. Tum quia implicat, ut cæcus in ſenſu compoſito cæcitatis videat objectum, Ergo etiam implicat, ut intellectus in ſenſu compoſito carentiæ luminis, ſeu ſinè lumine videat DEUM. Tum quia ſi lumen non eſſet neceſſarium ad viſionem, daretur defacto viſio ſinè lumine. Sed non datur, Ergo.

127. Objicitur tertiò. Implicat, ut intellectus ſit potens intrinſecè producere viſionem ſinè potentia ſibi intrinſeca. Sed ſi intellectus poſſet producere viſionem DEI cum ſola Omnipotentia Divina ſibi extrinſecè aſſiſtente, tunc intellectus poſſet intrinſecè producere viſionem ſinè potentia ſibi intrinſeca. Tum quia poſſet producere intrinſecè viſionem, ſic enim defacto illam produceret, quatenus ipſam utpote vitalem produceret vitali-

ter, de cujus ùt talis ratione est, produci ab intrinseco, & tamen produceret eandem sinè potentia intrinseca. Quia non haberet lumen gloriæ, quod est potentia intrinseca intellectui creato, productiva visionis, solúmque haberet assistentem sibi Omnipotentiam, & secum concurrentem locò luminis, quæ est potentia extrinseca. Tum quia etiamsi DEUS possit supplere defectum causæ efficientis extrinsecæ, operantis, & producentis effectum in subjecto extraneo, tamen DEUS non potest supplere defectum causæ efficientis intrinsecè, seu operantis immanenter; aliàs deberet etiam supplere defectum causæ materialis, quod DEO repugnat. Sed lumen gloriæ est causa efficiens operans intrinsecè, & immanenter, hoc est, effectum immanentem, producit enim visionem DEI, quæ ex ratione actûs vitalis debet esse effectus immanens suo principio. Ergo.

128. Objicitur quartò. Implicat, à DEO suppleri defectum causæ formalis, in ordine ad præstandum aliquem effectum formalem. Sed si intellectus creatus produceret visionem DEI sinè lumine gloriæ, tunc à DEO suppleretur defectus causæ formalis, ipsiúsque effectus formalis à DEO præstaretur. Ergo. Major patet. Quia implicat, ut DEUS suppleat defectum caloris, & præstet effectum formalem calidi, ut suppleat defectum animæ, & præstet effectum formalem animati, & sic de cæteris. Minor etiam probatur. Tum quia in data suppositione DEUS suppleret defectum luminis gloriæ, quod lumen est causa formalis intellectum intrinsecè perficiens, eundémque reddens intrinsecè elevatum. Tum quia complere, illuminare, & roborare intellectum, est effectus formalis luminis gloriæ. Sed hunc effectum DEUS suppleret. Ergo suppleret præstando effectum formalem luminis gloriæ. Confirmatur. Implicat, ut intellectus creatus per visionem increatam sibi unitam sit formaliter videns DEUM. Ergo etiam implicat, ut idem intellectus per Omnipotentiam sibi assistentem reddatur formaliter potens proximè producere visionem. Confirmatur iterum. Ad præstandum aliquem effectum formalem, hæc requiruntur: Subjectum capax talis effectûs, seu denominationis, forma potens tribuere denominationem, & debita applicatio formæ ad subjectum. Sed hæc non interveniunt, dum Omnipotentia extrinsecè assistens suppleret defectum luminis gloriæ. Nam imprimis in hac suppositione intellectus non est capax denominari à forma sibi extrinseca, quòd sit potens intrinsecè producere visionem. Omnipotentia etiam Divina non est forma potens eandem denominationem tribuere; cùm hæc denominatio sit intrinseca, & debeat provenire à forma intrinseca. Extrinseca etiam assistentia Omnipotentiæ DEI non est applicatio sufficiens formæ ad subjectum. Ergo.

129. Objicitur quintò. Si intellectus creatus posset producere visionem sinè lumine sibi intrinseco, per illam visionem & viveret in actu secundo, & non viveret. Viveret, ùt supponitur. Non viveret. Quia per illam visionem non se moveret ab intrinseco, sed potiùs moveret ipsum. Quia elevaret Omnipotentia DEI extrinsecè assistens. Confirmatur. In sententia distinguente potentias vitales ab anima, hæc non potest vivere, & intelligere per actum productum à potentia extrinseca, & à principio extrinseco supplente defectum potentiæ intellectivæ, nec ullum principium extrinsecum potest supplere defectum potentiæ intellectivæ. Ergo etiam intellectus creatus non potest vivere in actu secundo, & intelligere per visionem, ad quam compleretur, & elevaretur per potentiam, & principium extrinsecum; nec tale principium potest supplere defectum potentiæ intrinsecè elevantis.

Solvuntur Objectiones.

130. Respondeo ad primum. Authoritatem D. Thomæ eo sensu debere intelligi: Quòd, ut intellectus connaturaliter, & secundùm providentiam quasi ordinariam, videat DEI Essentiam, Essentia hæc debeat fieri forma intelligibilis per lumen gloriæ intellectui intrinsecum; ut verò intellectus absolutè loquendo, possit videre DEI Essentiam, non est opus, ut Essentia fiat forma intelligibilis per lumen intrinsecum, sed satis est, si fiat intelligibilis per auxilium extrinsecum, seu per Omnipotentiam extrinsecè assistentem. Admissa in hoc sensu reverentissimè Authoritate S. Doctoris. Nego Minorem.

Pri-

Primæ Probationis Sequelam Concedo, & dico: Eſſentiam Divinam tanquam objectum viſionis fieri formam intelligibilem non ſolùm per lumen gloriæ, vel ſpeciem impreſſam DEI, ſed etiam per Omnipotentiam Divinam ipſi Eſſentiæ identificatam, tanquam per cauſam efficientem partialem, elevantem intellectum creatum ad producendam viſionem. Nec in hoc eſt ullum inconveniens, aut repugnans doctrinæ S. Thomæ. Ad ſecundam Minoris Probationem dico: Eſſentiam Divinam debere fieri intelligibilem vel per formam propriè dictam, vel per formam latiùs ſumptam. Porrò Omnipotentia Divina licèt non ſit forma propriè dicta, nec poſſit eſſe, eſt tamen,& poteſt eſſe forma latiùs ſumpta; per talem formam intelligendo principium complementivum intellectûs, ipſique convenientis potentiæ inchoatæ, determinativum ejuſdem ad actum ſupernaturalem viſionis. Ad tertiam Probationem quid debeat dici, conſtat ex num. 104. Interim Majorem hujus Probationis vel nego ſimpliciter, vel diſtinguo. Forma intelligibilis faciens, ut intellectus connaturaliter videat DEI eſſentiam, eſt diſpoſitio ordinis Divini. Omitto Majorem. Forma intelligibilis faciens, ut intellectus ſimpliciter, quamvis non connaturaliter videat DEUM, eſt diſpoſitio ordinis Divini. Nego Majorem. Minor etiam ſecundùm ſuperiùs dicta, non eſt undequaque vera. Lumen enim gloriæ cùm ſit cauſa efficiens viſionis beatæ, non eſt propriè diſpoſitio ad viſionem. Quodſi diſpoſitio accipiatur pro cauſa, Omnipotentia Divina in hac acceptione diſpoſitionis poteſt dici diſpoſitio. Addo: ſi lumen gloriæ exercet utrumque hoc munus, & quòd ſit cauſa efficiens partialis viſionis, & quòd ſit diſpoſitio intrinſeca intellectûs ad viſionem. Locò luminis gloriæ ad viſionem poteſt concurrere Omnipotentia DEI extrinſecè aſſiſtens, ſupplendo rationem ſolius cauſæ reſpectu viſionis, & hoc munus præcisè exercendo, non ſupplendo verò defectum diſpoſitionis intrinſecæ, nec talis diſpoſitionis munus exercendo, ſed faciendo, ut intellectus ſinè ulla prævia intrinſeca ſui diſpoſitione producat viſionem DEI cum concurſu ſupernaturali Omnipotentiæ Divinæ. Licèt enim ad producendam connaturaliter viſionem, & prout hæc ſecundùm legem præſentem producitur, poſſit requiri diſpoſitio intrinſeca, tamen ad producendam viſionem, prout hæc ſimpliciter, & abſolutè poteſt produci, non requiritur hujuſmodi diſpoſitio. Cùm etiam alii effectus, licèt requirant diſpoſitiones ex parte ſubjecti, ut connaturaliter fiant, non requirunt tamen eaſdem, ut ſimpliciter, & per potentiam abſolutam fiant. Et ſic, ut producatur ignis in ligno connaturaliter, requiritur exſiccatio ligni tanquam diſpoſitio, non requiritur verò, ut abſolutè producatur.

131. Ad ſecundum Reſpondeo imprimìs per Retorſionem. Implicat, ut voluntas amet DEUM ſinè potentia tribuente ſibi ſimpliciter poſſe. Sed habitus charitatis eſt potentia tribuens voluntati ſimpliciter poſſe. Ergo implicat, ut voluntas amet DEUM ſinè habitu charitatis. Adeóque implicabit elici actum amoris Dei à peccatore, in quo talis habitus non datur. Quod tamen non videtur eſſe conſonum principiis fidei. Directè diſtinguo Majorem. Implicat, ut intellectus videat DEUM ſinè potentia tribuente ſimpliciter poſſe, quæ unicè eſt talis, & cum excluſione etiam poſſibilium aliarum hujuſmodi potentiarum dantium ſimpliciter poſſe. Concedo Majorem. Implicat, ut intellectus videat DEUM ſinè potentia tribuente ſimpliciter poſſe, quæ non eſt unicè talis, ſed poteſt ſuppleri ab alio principio. Si defacto à tali principio ſuppleatur. Nego Majorem,& Minorem diſtinguo. Sed lumen gloriæ eſt potentia tribuens ſimpliciter poſſe, unicè talis, & cum excluſione aliarum dabilium etiam potentiarum. Nego Minorem. Eſt potentia non unicè talis, & quæ poſſit ſuppleri. Concedo Minorem, & nego Conſequentiam. Vel ſic diſtinguo. Implicat, ut intellectus videat DEUM ſinè potentia hac determinatè, quam habet, tribuente ſimpliciter poſſe. Nego Majorem. Implicat, ut intellectus videat DEUM ſinè quacunque potentia tribuente ſimpliciter poſſe. Concedo Majorem. Ad primam Minoris Probationem dico: Qua ratione habitus infuſi ſunt potentiæ dantes ſimpliciter poſſe operari ſalutariter ea ratione lumen gloriæ eſt potentia intellectui tribuens ſimpliciter poſſe videre DEUM. Nimirum, ſicut habitus ſunt poten-

tentiæ tribuentes simpliciter posse operari salutariter, sed non unicè tales potentiæ cum exclusione aliarum etiam possibilium potentiarum, quæ dent simpliciter posse, & quæ suppleant defectum habituum. Verùm sunt potentiæ tales, præter quas dantur, vel possunt dari aliæ potentiæ, quæ dent simpliciter posse operari, ùt Omnipotentia concurrens supernaturaliter. Ità & lumen gloriæ est potentia tribuens simpliciter posse videre DEUM, non tamen unicè talis, & cum exclusione alterius potentiæ dantis simpliciter posse, quæ defectum luminis gloriæ supplere possit, sed est potentia, præter quam datur alia potentia, quæ possit tribuere intellectui simpliciter posse videre DEUM. Talisque potentia est Omnipotentia DEI extrinsecè assistens, & concurrens concursu supernaturali ad visionem DEI, locò luminis gloriæ, & intellectum naturalem creatum elevans. Secundam Probationem distinguo. Impossibile est causam agere, si non est in actu per ipsummet suum agere, si itèm pro priori ante suum agere non est in actu per sui completionem, & elevationem. Concedo Majorem. Impossibile est causam agere, si pro priori non est in actu per comprincipium sibi omnino intrinsecum. Nego Majorem, & distinguo Minorem. Sed intellectus carens lumine gloriæ non est in actu per ipsam visionem, si illam producat, nec est in actu per sui completionem, & elevationem. Nego Minorem. Non est in actu, hoc est, intellectus non est intrinsecè actuatus per comprincipium sibi intrinsecum. Concedo Minorem, & nego Consequentiam. Tertiam quoque Probationem distinguo. Lumen gloriæ intrinsecum ità he habet ad videndum DEUM, sicut se habet lumen materiale ad videndum colorem. Nego Majorem. Lumen gloriæ vel intrinsecum, vel extrinsecum ità se habet ad videndum DEUM, sicut se habet lumen materiale ad videndum colorem. Omitto Majorem. Omissa pariter Minore distinguo Consequens. Ergo lumen gloriæ intrinsecum, vel extrinsecum ità est necessarium, ut sinè alterutro ipsorum non possit videri DEUS. Concedo Consequentiam. Ergo lumen gloriæ intrinsecum determinatè ità est necessarium, ut sinè hoc ipso determinatè non possit videri DEUS. Nego Consequentiam, & dico: Sicut ad videndum objectum coloratum non requiritur determinatè lumen materiale solis, sed ad hunc finem sufficiens est quodcunque lumen, sive solis, sive facis accensæ, sive aliud quodcunque. Ità ad videndum DEUM non est determinatè necessarium lumen gloriæ creatum intrinsecum, & permanens, sed est sufficiens indeterminatè lumen, vel increatum vel creatum, vel extrinsecum, vel intrinsecum, vel transiens, vel permanens. Porrò per lumen necessarium ad videndum DEUM intelligitur hoc loco principium completivum potentiæ inchoatæ intellectûs, elevativum ejusdem ad videndum DEUM. Adverto: Lumen gloriæ non ità omnino se habere ad videndum DEUM, sicut se habet lumen materiale ad videndum objectum coloratum. Lumen enim materiale ità se habet ad videndum colorem, ut se teneat ex parte objecti, non ex parte potentiæ, seu causæ physicè efficientis; lumen verò requisitum ad visionem DEI ità se habet, ut teneat se ex parte potentiæ, eámque compleat, & elevet. Adverto & illud, bene dubitari posse, an lumen materiale ità requiratur ad visionem objecti colorati, ut sinè ipso non possit simpliciter haberi talis visio. Videtur enim id negari posse, & dici: posse haberi divinitus visionem objecti colorati sinè lumine materiali. Quartæ Probationis omisso Antecedente, distinguo Consequens. Ergo etiam implicat, ut intellectus in sensu composito carentiæ luminis gloriæ intrinseci, ejúsque permanentis, seu sinè lumine intrinseco permanente videat DEUM. Nego Consequentiam. Ergo etiam implicat, ut intellectus sinè omni lumine tam intrinseco, quàm extrinseco videat DEUM. Concedo Consequentiam. Disparitas etiam est. Ideò in sensu composito cæcitatis anima non potest videre objectum coloratum, quia in sensu hoc composito potentia visiva animalis supponitur non esse completa adæquata, & expedita. Cùm ipsa cæcitas sit negatio principii expediti, & sufficientis ad videndum objectum coloratum. Implicat autem fieri visionem à potentia in ratione causæ solùm inadæquata, & incompleta. Quia implicat poni effectum sinè sufficientia effectiva adæquata ad esse talis effectus. Jam verò in-

intellectus in sensu composito carentiæ, seu negationis luminis gloriæ intrinseci, & permanentis, si locò talis luminis eidem intellectui extrinsecè assistat Omnipotentia DEI, eúmque elevet, & simul concursu supernaturali concurrat, habetur virtus, & potentia productiva visionis completa adæquata, & expedita. Quare in sensu tali composito negationis, &c. intellectus potest producere visionem DEI. Quintæ Probationis Sequelam vel nego, vel distinguo. Si lumen gloriæ (intellige intrinsecum, & permanens) non esset necessarium ad visionem DEI connaturaliter producendam, daretur (intellige connaturaliter) sinè hoc lumine visio DEI. Concedo sequelam. Si lumen gloriæ non esset necessarium ad visionem, prout hæc absolutè, seu per potentiam absolutam haberi potest, licèt esset necessarium ad visionem habendam connaturaliter, tunc defacto visio DEI daretur connaturaliter sinè tali lumine gloriæ. Nego Sequelam. Et distincta pariter Minore, nego Consequentiam, ac dico: Lumen gloriæ intrinsecum, & permanens, non est absolutè, & pro omni providentia necessarium ad visionem, prout hæc absolutè haberi potest. Sed talis luminis defectum potest supplere Omnipotentia Divina extrinsecè assistens, & concurrens cum intellectu, ità ut ab intellectu per Omnipotentiam elevato, & completo habeatur simpliciter, & absolutè visio DEI. Idem tamen lumen intrinsecum est necessarium ad visionem connaturaliùs habendam. Hæc enim eò connaturaliùs habetur, quò magis habetur ab intrinseco ipsius principii vitalis, cujus est actus vitalis ipsa visio. Sed si lumen gloriæ sit intrinsecum intellectui, visio DEI habetur magis ab intrinseco ipsius principii vitalis, ità enim habetur à potentia vitali, virtute sibi per identitatem intrinseca, operante immanenter, ut etiam habeatur partialiter à lumine intrinseco ipsi potentiæ vitali. Unde habetur, secundùm ordinariam Providentiam non produci defacto visionem sinè lumine gloriæ intrinseco. Quia hæc connaturaliter datur, & producitur, quomodo produci non potest sinè lumine gloriæ intrinseco. Confirmatur. Licèt actus fidei, spei, charitatis, & cæteri actus supernaturales haberi possint absolutè sinè habitibus infusis earundem virtutum, prout habentur ab infidelibus ad DEUM se convertentibus, connaturaliùs tamen habentur per habitus infusos, & defacto per eosdem habentur à Justis. Ergo pariter licèt visio DEI possit absolutè haberi sinè lumine gloriæ intrinseco, & permanente per Omnipotentiam Divinam, supplentem se ipsa defectum luminis, tamen connaturaliùs habetur per lumen gloriæ intrinsecum, & permanens; & defacto per tale lumen habetur à Beatis

132. Ad tertium Respondeo cum Distinctione: Implicat, ut intellectus sit potens intrinsecè producere visionem, absque potentia sibi intrinseca, quæ saltèm inadæquatè accepta sit intrinseca intellectui. Concedo Majorem. Implicat, ut intellectus sit potens intrinsecè producere visionem absque potentia adæquata productiva visionis, quæ adæquatè sumpta sit intrinseca intellectui. Nego Majorem. Minorem deinde distinguo: Sed si intellectus cum Omnipotentia Divina sibi extrinsecè assistente, posset producere visionem, tunc possèt eam producere sinè potentia adæquata, quæ adæquatè sumpta esset intrinseca intellectui. Concedo Minorem. Tunc posset producere visionem sinè potentia, quæ nè inadæquatè sumpta esset intrinseca intellectui. Nego Minorem, & Consequentiam. Pro explicatione Distinctionis, & ad primam Minoris Probationem dico: Quòd intellectus creatus sive elevetur per principium extrinsecum, sive per intrinsecum habeat semper potentiam intrinsecam productivam visionis, intrinsecè, & immanenter operantem, cum differentia: quòd tunc, dum elevatur per principium extrinsecum, habeat principium, & potentiam solùm inadæquatè sibi intrinsecam, simúlque inadæquatè extrinsecam. Potentia enim hæc in dicto casu coalescit tum ex ipso intellectu, ejúsque virtute inchoata, & inadæquata, eidem intellectui identificata, tum ex principio elevativo intellectûs, eidem extrinseco. Dum verò idem intellectus elevatur per principium intrinsecum, habet tunc potentiam sibi adæquatè intrinsecam; siquidem virtus inchoata intellectûs productiva visionis est eidem intellectui per identitatem intrinseca, principium verò elevativum complens potentiam intellectûs, est intrin-

trinsecum eidem per receptionem & unionem. Ad secundam Probationem dico DEUM posse supplere non solùm defectum causæ efficientis extrinsecæ producentis effectum in subjecto extraneo, sed etiam posse supplere defectum causæ intrinsecæ seu operantis immanenter, non quidem ità, ut effectus productus immaneat ipsi DEO & ejus omnipotentiæ, nec ità ut DEUS ejúsque omnipotentia debeant esse intrinseca alteri concausæ, nimirum potentiæ vitali naturali, quæ elevatur, sed ità ut effectus productus sit intrinsecus ipsi potentiæ vitali naturali quæ elevatur, sit verò extrinsecus Omnipotentiæ Divinæ elevanti. Patet id in actibus salutaribus peccatoris pænitentis, qui cum auxilio extrinseco absque habituum infusorum concursu, utpote in defectu ipsorum producitur. Hac ratione Lumen gloriæ suppleretur, dum ad visionem DEI eliciendam intellectus elevaretur ab omnipotentia DEI extrinsecè assistente, nimirùm visio DEI nullatenus immaneret omnipotentiæ DEI, cùm etiam lumini intrinseco non immaneat tanquam subjecto. Omnipotentia etiam non esset intrinseca intellectui. Sed Visio dicta immaneret intellectui seu animæ tanquam suo principio vitali. Nec plus ad rationem actus vitalis prout simpliciter & absolutè fieri potest, requiritur, nisi ut suo principio vitali immaneat.

133. Ad quartum Respondeo: Defectum aliquarum causarum formalium posse suppleri à DEO in tali genere, hoc est, in genere causæ formalis, non quidem in ordine ad præstandum omnino & identicè eundem effectum formalem, quem præstat causa formalis creata, sed in ordine ad præstandum effectum formalem, priori illi in aliqua ratione similem. Et sic à Verbo Divino suppletur defectus subsistentiæ creatæ in genere causæ formalis, in ordine ad præstandum effectum formalem Humanitatis subsistentis. Potest igitur etiam Omnipotentia Divina supplere defectum Luminis gloriæ in genere causæ formalis, in ordine ad præstandum effectum formalem, qui est: *elevare intellectum Naturalem ad videndum DEUM, eúmque reddere proximè & completè potentem elicere visionem DEI.* Addo tamen ab eadem Omnipotentia non suppleri defectum Luminis intrinseci tanquam causæ formalis in ordine ad præstandum hunc effectum, qui est *perficere intrinsecè intellectum.* Quia hic effectus non potest præstari, nisi à forma intrinseca, Omnipotentia autem Divina non est talis forma, cùm supponatur esse extrinsecè assistens. Ad Minoris Probationes quid dici debeat, patet ex data Responsione. Nimirum ad primam Probationem dicendum est, ab Omnipotentia Divina non præstari effectum formalem virtutis intrinsecè perficientis & elevantis intellectum. Sed nec est necesse ut hic effectus formalis præstetur. Ut enim intellectus producat visionem, non est necesse illum intrinsecè perfici per aliud comprincipium, nec est necesse elevari eundem intrinsecè, seu per intrinsecam formam: sed satis est intellectum compleri in ratione causæ efficientis, & in ratione potentiæ adæquatæ, ac etiam elevari eundem per additum sibi principium supernaturale, quod habetur si principium supernaturale sit extrinsecum, vel Omnipotentia extrinsecè assistens. Secunda Probatio non impugnat nostrã doctrinam, proindéque intellecta secundùm datam responsionem potest concedi. Confirmationis primæ Nego Consequentiam. Disparitas est: Quia, ùt dictum superiùs & probatum est contra Franciscum Bonæ spei, denominatio *videntis in actu secundo*, debet procedere à visione immanenter & vitaliter producta à subjecto talis denominationis, Denominatio verò *intellectûs proximè & completè potentis elicere visionem,* non petit essentialiter provenire à forma adæquatè intrinseca intellectui, id enim nulla evincit ratio. Confirmationis secundæ nego Minorem. Ad Probationem illius, dico intellectum creatum esse subjectum capax hujus denominationis: *potens completè elicere visionem.* Ut illam accipiat à forma extrinseca, nimirum ab Omnipotentia Divina. Ipsa etiam Omnipotentia est capax tribuere hanc denominationem. Hæc enim denominatio ex ratione sua non est essentialiter intrinseca, seu non est ità intrinseca, ut non possit esse extrinseca, & provenire à forma aliquomodo extrinseca. Applicatio etiam formæ, nimirum extrinseca assistentia Omnipotentiæ Divinæ, est applicatio sufficiens formæ ad subjectum. Hæc enim assistentia

ſiſtentia nihil aliud eſt, niſi Omnipotentiæ Divinæ nullatenus intrinſecæ intellectui, concurſus ſupernaturalis in actu primo, præparatus in ordine ad producendam viſionem. Eo enim ipſo, quòd Omnipotentiæ taliter ſpectatæ concurſus dictus ſit præparatus, intellectus eſt potens producere viſionem. Addo, ſecundùm dicta, Omnipotentiam DEI non eſſe formam adæquatam intellectui adæquatè tribuentem denominationem *potentis producere viſionem*, ſed ſolùm eſſe formam inadæquatam: forma verò adæquata coaleſcit partim ex Omnipotentia DEI, partim ex potentia inchoata vitali intrinſeca intellectui, adeóque formam, à qua habetur denominatio *potentis producere viſionem*, eſſe formam ſemiextrinſecam intellectui, & ipſam denominationem pariter eſſe ſemiextrinſecam. Aliter diſcurrendum eſt de denominatione intellectûs completi & elevati ad videndum DEUM. Hæc enim denominatio poteſt provenire à forma adæquatè extrinſeca intellectui, & ut hæc poſſit tribui, habetur ſubjectum capax, forma potens tribuere denominationem, & applicatio ſufficiens formæ ad ſubjectum.

134. Ad quintum Reſpondeo negando ſequelam cum ſua Probatione, & dico: quòd intellectus ſi produceret viſionem ſinè Lumine gloriæ cum concurſu Omnipotentiæ Divinæ ſibi extrinſecè aſſiſtentis, adhuc moveret ſe ab intrinſeco per illam ipſam viſionem. Sicut per actus ſalutares virtutum elicitos à peccatore pænitente, potentiæ intentionales vitales movent ſe ab intrinſeco, licèt illos producant ex vi auxilii ſupernaturalis extrinſeci, ſeu cum concurſu Omnipotentiæ Divinæ extrinſecè aſſiſtentis. Licèt verò in data ſuppoſitione Omnipotentia elevaret intellectum, adhuc tamen intellectus moveret ſe ipſum vitaliter. Quia operaretur per actionem ſibi immanentem. Confirmationi nego Conſequentiam. Diſparitas eſt. Quia ut anima vivat & intelligat in actu ſecundo debet agere ab intrinſeco ſaltèm virtute inadæquata, ſi autem anima, neque per ſe ipſam immediatè, neque per intellectum à ſe emanatum, produceret intellectionem aut viſionem, verùm ſi principium aliquod non productum ab anima, produceret illam viſionem, tunc anima nihil ageret ab intrinſeco, etiam virtute inadæquata. E contra ſi intellectus naturalis compleretur, & elevaretur per potentiam ſibi extrinſecam inadæquatè, ſecum concurrentem, adhuc ageret ab intrinſeco, Potentia enim extrinſeca elevans intellectum & complens eundem ad eliciendam viſionem, non eſſet tota ratio agendi, reſpectu viſionis, ſed intellectus tanquam cauſa partialis influeret in viſionem ſibi immanentem.

PUNCTUM II.

De altero principio Viſionis beatæ, ſcilicet de Intellectu naturali creato-

INtellectum, ſecundùm ſuum eſſe naturale, ſibi identificatum eſſe principium & cauſam eámque proximam & immediatam Viſionis beatæ, patet ex Puncto præcedente, in quo ſtatuimus Lumen gloriæ non eſſe totam rationem agendi, ſed intellectum etiam ſecundùm eſſe ſuum proprium, eſſe partialem rationem agendi & cauſam proximam & immediatam, licèt partialem Viſionis intuitivæ DEI. In præſenti duo potiſſimum inquirentur & examinabuntur.

§. I.

Intellectus ſecundùm ſe, qualis eſt cauſa Viſionis. An cauſa inſtrumentalis, an cauſa principalis?

Cauſam inſtrumentalem Viſionis eſſe, intellectum aſſerit Suarez. Cauſam principalem cenſent, Vaſquez, Herize, P. Mlodzianowski, & alii:

135. Reſpondeo & Dico. Intellectum certo ſenſu eſſe cauſam principalem Viſionis, certo ſenſu eſſe cauſam inſtrumentalem.

Ratio primi eſt. Quia ſi per cauſam principalem intelligatur cauſa operans ſua propria virtute, & in proprium commodum, atque taliter, ut illi principaliter attribuantur præcipua quædam effectûs prædicata;

dicata; intellectus, in hac causæ principalis acceptione, est talis causa visionis; operatur enim virtute propria. Quia operatur ab intrinseco, se ipsum determinando juxta exigentiam Luminis gloriæ & objecti: non verò operatur ex impulsu aliquo ab extrinseco sibi impresso. Operatur etiam in commodum & bonum proprium. Quia Visio est tale bonum intellectûs, cùm sit potissima perfectio & essentialis Beatitudo ejusdem. Intellectui etiam quædam præcipua prædicata Visionis specialia, eáque principalia attribuuntur. Illi enim attribuitur vitalitas Visionis, perceptio intentionalis objecti, &c. Ergo.

136. Ratio secundi est. Quia si per causam principalem intelligatur causa se ipsa proportionata ad producendum effectum, nec indigens elevatione, aut etiam elevativa alterius comprincipii; per causam verò instrumentalem intelligatur causa ad producendum effectum indigens elevatione; Intellectus in hac acceptione est causa instrumentalis, indiget enim elevatione ad producendam visionem intuitivam DEI. Adverto dici posse intellectum respectu visionis beatæ, in consideratione Philosophica esse causam principalem; secundùm considerationem verò Theologicam esse causam instrumentalem. Quod ipsum nihil aliud est, nisi quòd intellectus prout communicat visioni prædicata, quæ sunt considerationis Philosophicæ, qualia prædicata sunt: *Vitalitas, tendentia intentionalis in objectum, spiritualitas* &c. Sit causa principalis visionis. Hæc enim prædicata, intellectui principaliter attribuuntur. Non sit verò causa principalis, sed instrumentalis, idem intellectus, prout intelligitur cum Lumine gloriæ concurrere ad prædicata visionis, quæ sunt considerationis Theologicæ, qualia prædicata sunt: *Supernaturalitas, intuitio essentiæ Divinæ, perfecta DEI possessio, &c.* Hæc enim prædicata attribuuntur principaliter, & tanquam causæ principali, Lumini gloriæ vel auxilio supernaturali extrinseco.

§. II.

Inæqualitas Visionum DEI unde habeatur an ab inæqualitate entitativa Intellectuum, an ab inæqualitate Luminis gloriæ?

137. Quæsitum hoc ut pleniùs penetretur, adeóque faciliùs resolvi possit.

Suppono primò in Beatis esse inæqualitatem entitativam intellectuum. Nam intellectus Angelicus est entitativè perfectior, quàm intellectus humanus. Quia & ipsa entitas ac substantia Angeli est perfectior, quàm entitas & substantia animæ rationalis hominis. Perfectio verò intellectûs sequitur perfectionem substantiæ cui convenit. Cùm intellectus aut sit indistinctus à tali substantia, aut sit passio & proprietas ejusdem substantiæ. Passiones autem & proprietates debent proportionari suæ radici. Præterea modus cognoscendi objecta conveniens intellectui Angelico, est longè perfectior quàm modus cognoscendi, conveniens intellectui humano. Intellectus enim Angelicus cognoscit objecta independenter à sensibus, per species sibi concreatas easque proprias, non solùm accidentium, sed etiam substantiarum. Adeóque plurima objecta cognoscit intuitivè &c. Intellectus verò humanus cognoscit objecta dependenter à sensibus, per species acquisitas, ministerio sensuum, idque species accidentium habet nonnisi aliquorum proprias, adeóque vix aliqua objecta intuitivè, pleraque verò cognoscit abstractivè. Inter ipsos etiam intellectus Angelicos unus intellectus est perfectior quàm alius. Cùm enim plerique Angeli sint inter se specie diversi, adeóque cùm ex ejusmodi Angelis, unus sit entitativè perfectior quàm alius, etiam intellectus unius ex his Angeli, est perfectior quàm intellectus alterius Angeli.

138. Suppono secundò. Etiam Lumen gloriæ esse inæquale in Beatis. Tum quia S. Thomas id expresśè docet hìc Quæst. 12. art. 6. in ☉ dum dicit: *Plus participabit de Lumine gloriæ, qui plus habet de charitate.* Tum quia Lumen gloriæ proportionatur gratiæ habituali acquisitæ in via, tanquam suæ radici. Ergo cùm gratia habitualis sit inæqualis in Justis, etiam Lumen gloriæ est inæquale in iisdem, dum ad Visionem DEI admittuntur.

139. Suppono tertiò, in Beatis Visiones etiam ipsas inæquales esse. Est de fide. Tum

Tum quia 1. ad Corinth 13. dicitur: *Unusquisque propriam mercedem recipiet secundùm suum laborem.* Hæc verò merces futura est visio Dei. Et 2. ad Corinth. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Tum quia id definitum est à Concilio Toletano adducto superiùs: *Animas beatas DEUM videre aliâ aliam perfectiùs, pro meritorum diversitate.*

140. Suppono quartò. Inæqualitatem duplicem esse: aliam materialem, quam etiam Philosophicam vocant, aliam formalem, seu Theologicam. Materialis, & Philosophica inæqualitas visionum consistit in dependentia earundem à principiis quibuscunque inæqualibus, & connexione earundem cum talibus principiis. Cùm enim actus vitales se ipsis, & per actiones à se indistinctas dependeant à suis principiis, eò ipso, quòd visio dependeat à principiis nobilioribus, sumit aliquam perfectionem majorem, quàm desumat visio dependens à principiis imperfectioribus. Formalis inæqualitas visionum, & Theologica consistit in majore, vel minore claritate, seu intensione visionis, ratione cujus una visio clariùs repræsentat DEUM, quàm alia. Hæc inæqualitas dicitur formalis, & Theologica, ex eo, quòd hæc propriè spectat ad considerationem Theologicam; cùm è contra prior inæqualitas materialiter se habeat ad talem considerationem, potiúsque cadat sub considerationem Philosophicam. His suppositis

141. Sensus Quæsiti est: an in casu, in quo intellectui perfectiori v. g. Angelico, & intellectui imperfectiori v. g. humano conferretur æquale, & æquè perfectum lumen gloriæ, seu principium quodcunque supernaturale, elevans utrumque hunc intellectum, atque principia hæc exercerent totam suam virtutem, nec aliunde limitarentur. An inquam in tali casu visio elicita ab Angelo esset perfectior formaliter, & Theologicè, quàm visio elicita ab homine.

Addidi imprimis: *Seu principium quodcunque supernaturale elevans utrumque hunc intellectum.* Par enim est ratio pro elevatione intellectûs per lumen gloriæ, intensum ùt 6. & pro elevatione per Omnipotentiam Divinam, prout supplentem defectum nonnisi tanti luminis.

Addidi secundò: *Atque hæc principia exercerent totam suam virtutem, nec limitarentur aliunde.* Certum enim est, quòd posito æquali lumine tam in intellectu Angelico, quàm in intellectu humano, si lumen gloriæ positum in Angelo secundùm totam suam virtutem ageret; jam verò lumen gloriæ positum in homine non ageret secundùm totam suam virtutem, sed limitaretur à DEO concurrente ad imperfectiorem nonnisi actum, non verò ad illum, ad quem concursum postulat ipsum lumen. Quòd inquam tunc intellectus Angelicus produceret visionem perfectiorem, quàm intellectus humanus.

Addidi tertiò: *An visio elicita ab Angelo esset perfectior formaliter, & Theologicè, quàm visio elicita ab homine.* Certum enim est, quòd in proposito casu visio elicita ab Angelo esset perfectior materialiter, & Philosophicè, quàm visio hominis. Quia visio Angelica ab uno principio perfectiore dependeret se ipsâ; adeóque sumeret hinc aliquam perfectionem, & aliquem perfectionis gradum.

Circa hoc Quæsitum duæ sunt oppositæ sententiæ: Una Scotistarum, & è Nostris, Molina. Lessii, Alarcon, Herize, Ripalda. Qui affirmant, à perfectiori intellectu cum æquali lumine produci visionem Theologicè perfectiorem, hoc est, clariorem, & in ratione Beatitudinis formalis majorem, quàm debeat produci ab intellectu imperfectiore. Altera sententia est Thomistarum, Nostrorùmque communiter id ipsum negantium.

142. Respondeo, & dico: Ab intellectu entitativè perfectiore cum æquali lumine gloriæ non produci visionem formaliter, & Theologicè perfectiorem, quàm producatur ab intellectu minùs perfecto: totámque inæqualitatem Theologicam visionum, in genere causæ efficientis, haberi ab inæqualitate luminis gloriæ.

Probatur primò ab Authoritate D. Doctoris Angelici, qui hìc Quæst. 12. Art. 6. ad tertium dicit: *Diversitas videndi erit per diversam facultatem intellectûs, non quidem naturalem, sed gloriosam.*

143. Probatur secundò à pari. Inæqualitas Theologica meritorum habetur ab inæqualitate auxiliorum DEI supernaturalium, non verò ab inæqualitate naturali potentiarum intellectûs, & voluntatis. Aliàs rudis homo, & indoctus de-

beret esse meritis inferior coram DEO, quàm homo doctus. Hic enim operatur per potentias naturales perfectiores, nimirum per intellectum magis perspicacem, & excultum, & per voluntatem meliùs illuminatam; homo verò rudis operatur per intellectum simplicem, & incultum, & per voluntatem minùs illuminatam. Cùm tamen multi rudes, & indocti coram DEO sint majoris meriti, quàm plerique docti. Ergo etiam inæqualitas Theologica visionum habetur ab inæqualitate luminum gloriæ, non ab inæqualitate intellectuum.

144. Probatur tertiò ab inconvenienti: Si intellectus perfectior Angelicus v. g. cum æquali, lumine perfectiùs formaliter, & Theologicè videret DEUM, quàm intellectus perfectior v. g. humanus, sequeretur, quòd æqualibus meritis non responderet æquale præmium. Sed hoc dici non debet, Videtur enim hoc ipsum repugnare scripturæ, Concilio, & Patribus asserentibus diversitatem præmii in Beatis, ipsorúmque beatitudinis, sequi præcisè diversitatem meritorum. Ergo. Sequela probatur. In Angelo, & homine, æquale lumen gloriæ habentibus, essent æqualia merita. Quia esset æqualis gratia habitualis, talem enim debet supponere æquale lumen gloriæ. Gratia autem habitualis æqualis supponit ulteriùs æqualia merita; ab his enim dependenter augetur. Simúlque in Angelo, & homine, non esset æquale præmium. Quia visio DEI, quæ est præmium tam Angeli, quàm hominis, esset perfectior formaliter, & Theologicè in Angelo, quàm in homine.

145. Probatur quartò à priori. Illius solùm prædicati excessus intensivus in visione perfectiore supra visionem aliam imperfectiorem haberi potest ab intellectu perfectiore, quod prædicatum simpliciter convenit, & attribuitur visioni ratione ejusdem principii. Si enim aliquod prædicatum non convenit simpliciter effectui, ratione certi cujuspiam principii, neque convenit ejusdem prædicati intensiva major perfectio ratione majoris perfectionis in hujusmodi principio. Quia universaliter ea est causa intensionis rei, quæ causa est ipsius ejusdem rei secundùm se. Sed claritas visionis intuitivæ DEI est tale prædicatum visionis, quod quoad suum esse simpliciter non convenit visioni ratione intellectûs. In conceptu enim adæquato talis claritatis involvitur essentialiter supernaturalitas, quæ cùm visioni non conveniat ratione intellectûs, etiam claritas visionis non convenit visioni ratione intellectûs, ut in eundem refundi possit, aut debeat; sed utraque convenit visioni ratione luminis gloriæ, in illúdque refunditur. Ratione autem intellectûs convenit eidem visioni vitalitas; siquidem intellectus ex ea ratione debet concurrere ad visionem, ut in eam refundat prædicatum vitalitatis. Ergo intensiva perfectio claritatis in visione non potest haberi à perfectiore intellectu; adeóque inæqualitas Theologica visionum non habetur ab inæqualitate intellectuum, si lumina gloriæ sunt æqualia.

Proponuntur Objectiones

146. Objicitur primò. Dum intellectus unus perfectior, alter imperfectior cum æquali lumine gloriæ concurrunt ad eliciendas visiones DEI, excessui illi, quo intellectus perfectior superat imperfectiorem, debet respondere excessus perfectionis in visione à tali intellectu elicita, supra perfectionem visionis elicitæ ab intellectu imperfectiore. Ergo inæqualitas visionum haberi debet etiam ab inæqualitate intellectuum. Antecedens probatur. Tum quia talem excessum debet sequi perfectio visionis, ùt docet S. Dionysius de Divinis Nominibus cap. 1. ubi dicit: *Pro ratione uniuscujusque mentis Divina revelari, & conspici.* Et S. Thomas 3. parte Quæst 10. Art. 4. ad secundum dicit: *Gradus visionis attenduntur magis secundùm ordinem gratiæ, quàm secundùm ordinem naturæ.* Unde deducit Cajetanus, S. Doctorem velle per hoc ipsum, quòd utatur termino comparativo *magis*, attendi gradus visionis, non solùm secundùm virtutem supernaturalem gratiæ, seu luminis gloriæ, sed etiam secundùm virtutem naturalem potentiæ intellectivæ, licèt minùs secundùm hanc virtutem. Tum quia à causa totali perfectiore, & activiore effectus producitur perfectior. Atqui intellectus entitativè perfectior cum æquali lumine gloriæ ratione excessûs, quo superat imperfectiorem, est causa totalis perfectior, & activior, quàm sit intellectus imperfectior cum simili lumi-

Bibl. Jac.

ne gloriæ. Ergo. Tum quia, quò perfectior est elevatio intellectûs, eò perfectior debet esse visio. Atqui eò ipso, quòd perfectior intellectus excedat sua perfectione intellectum alium imperfectiorem, elevatio intellectûs perfectioris est perfectior. Per lumen enim gloriæ conjunctum perfectiori intellectui elevantur plures gradus perfectionis entitativæ in intellectu perfectiore, quàm eleventur in intellectu imperfectiore. Siquidem elevatur etiam ille excessus perfectionis, quo superat intellectus perfectior imperfectiorem. Ergo. Tum quia intellectus perfectior visionem DEI elicit etiam secundùm illum excessum, quo superat intellectum perfectiorem. Ille enim excessus est elevatus, nec est otiosus. Implicat præterea, ut intellectus secundùm alios gradus agat, & eliciat visionem, non agat verò secundùm hunc excessum. Tum quia in tantum excessui illi perfectionis, in intellectu perfectiore non responderet excessus perfectionis in visione, in quantum intellectus solùm ad vitalitatem visionis concurreret, non concurreret verò ad claritatem, ejúsque intensionem, & ad supernaturalitatem, visioni convenientem. Sed hoc dici non debet. Intellectus enim ad totam perfectionem visionis, omniáque ejus prædicata concurrit. Cùm enim in visione, & vitalitas, & claritas, & supernaturalitas, & alia prædicata sint secum realiter adæquatè identificata, implicat, ut intellectus ad unum ex his prædicatis concurrat, non concurrat verò ad alia. Ergo.

147. Opponuntur secundò aliquæ paritates. Prima: Si intellectus duo sint æquales, lumina verò gloriæ habeant in perfectione inæqualia; in hoc casu intellectus cum perfectiori lumine perfectiorem elicit visionem, quàm intellectus cum imperfectiori lumine. Ergo etiam si duo intellectus sint inæquales, & lumen gloriæ habeant æquale, intellectus perfectior cum suo lumine perfectiorem elicit visionem, quàm inperfectior. Secunda paritas. Perfectior intellectus cum æquali habitu infuso fidei, perfectiorem elicit actum fidei, quàm eliciat intellectus imperfectior. Scilicet perfectiorem elicit actum fidei intellectus Angelicus, quàm intellectus humanus; intellectus itèm hominis docti, quàm intellectus hominis rudis. Ergo. Tertia. Visus acutior cæteris paribus meliùs, & clariùs videt. Ergo etiam intellectus perfectior, & acutior, si lumen gloriæ, cæteráque sint æqualia, meliùs, & clariùs videt DEUM. Quarta. Una, eadémque voluntas cum eodem habitu ratione suæ libertatis, potest modò intensiorem, modò remissiorem elicere actum charitatis. Ergo intellectus perfectior ex ratione potentiæ necessariæ necessitatur ad eliciendam visionem perfectiorem, quàm hæc eliceretur ab intellectu imperfectiore. Quinta. Artifices in sua arte æquè perfecti si perfectiora adhibeant instrumenta, perfectiores producunt effectus. Et sic Scriptor habens perfectiorem calamum, meliores format characteres; Pictor melioribus penicillis meliùs pingit. Ergo etiam in ordine supernaturali, si causæ principales sint æquales, una tamen illarum conjungatur cum causa instrumentali perfectiore, producit hæc perfectiorem effectum, quàm alia. Proindéque Lumen gloriæ, quod est causa principalis visionis, si conjungatur cum perfectiore intellectu, tanquam cum causa instrumentali perfectiore, perfectiorem producet visionem.

Solvuntur Objectiones.

148. Respondeo ad primum negando Antecedens in sensu Conclusionis: quòd scilicet excessui perfectionis in intellectu perfectiore debeat respondére excessus formalis, & Theologicus in visione DEI. Ad Primam Probationem dico: S. Dionysium eo sensu intelligendum esse, quòd mens creata non secundùm virtutem naturalem, sed secundùm virtutem supernaturalem; adeóque secundùm inæqualitatem luminum gloriæ, Divina conspiciat. S. etiam Thomas in objecto textu ly *magis* accipit non comparativè, sed exclusivè, & pro ly *potiùs*, ità ut sensus sit: Gradus visionis attendi potiùs secundùm ordinem gratiæ, & non secundùm ordinem naturæ. Colligitur hæc mens S. Doctoris ex textu ejusdem in Probationem Conclusionis adducto. Ad secundam Probationem dico: Effectum in ea ratione perfectiorem produci à causa totali activiore, quoad quam rationem hæc est activior. Cùm ergo causa totalis coalescens ex intellectu perfectio-

ctiore & lumine æquali non sit activior quoad causandam majorem claritatem visionis, ùt patet ex ratione conclusionis à priori, à tali causa non producetur visio DEI quæ sit majoris claritatis. Ad tertiam Probationem dico: elevationem intellectûs perfectioris ab æquali lumine gloriæ esse elevationem majorem & perfectiorem extensivè & terminativè, quatenus lumen hoc terminat unionem cum perfectiore intellectu eúmque elevat; Non esse verò eandem elevationem majorem & perfectiorem intensivè. Quia lumen gloriæ non est perfectius intensivè in intellectu perfectiore, quàm sit in intellectu imperfectiore. Cùm supponatur lumen hoc in utroque esse æquale. Porrò perfectio formalis Visionis debet haberi ab elevatione perfectiore intensivè. Quia à lumine gloriæ, quod sit simpliciter, adeóque intensivè perfectius. Non debet verò, nec potest haberi ab elevatione perfectiore extensivè & terminativè. Quartæ Probationis nego Consequentiam, & dico: etiamsi intellectus perfectior etiam secundùm excessum suæ perfectionis, agat & concurrat ad visionem DEI, agit enim se toto, hinc tamen non sequitur visionem DEI à perfectiore intellectu, cum æquali lumine productam, debere esse formaliter & Theologicè perfectiorem. Quia excessus hujusmodi perfectionis non potest provenire ab excessu perfectionis in solo intellectu perfectiori, sed ab hoc excessu prout conjuncto æquali lumini gloriæ provenit æqualis perfectio visionis, formalis & Theologica; major tamen materialiter & Philosophicè quàm sit perfectio visionis productæ ab imperfectiore intellectu, & æquali lumine. Quintæ Probationis nego causalem, aliámque assigno & dico: Excessui perfectionis in intellectu perfectiore supra intellectum imperfectiorem, ex eo non debere respondere excessum perfectionis Theologicæ in visione DEI. Quia etiamsi quoad rem intellectus naturalis ad omnia prædicata visionis, & non ad solam vitalitatem concurrat, ex modo tamen significandi, sola vitalitas ratione intellectûs, specialiter attribuitur visioni. Quod ipsum tum ex eo est. Quia concursus intellectûs ad visionem DEI requiritur, propter refundendam vitalitatem. Tum quia, quòd intellectus concurrat ad alia prædicata visionis formalia & Theologica, non habet hoc ex se, sed habet ex consortio Luminis gloriæ, seu principii elevativi. Siquidem sinè tali consortio nunquam concurret ad causanda ejusmodi prædicata. Quod autem concurrat ad vitalitatem, habet hoc ex se, & ratione sui, non verò ex vi Luminis gloriæ. Siquidem intellectus tale prædicatum causat in aliis actibus, respectu quorum non habet consortium Luminis gloriæ.

149. Ad secundum Respondeo: Omnibus adductis paritatibus nego Consequentiam, & hanc communem assigno disparitatem. Quia ex nullius paritatis Antecedente sequitur, perfectionem actûs, quæ aliunde convenit simpliciter, & non ratione certi alicujus & determinati principii, posse crescere, crescente perfectione talis seu ejusdem principii. Sequitur verò id ex consequenti. Nam imprimìs cùm claritas visionis DEI conveniat simpliciter visioni DEI ratione Luminis gloriæ, crescente lumine gloriæ, crescit principium illud, ratione cujus, visioni DEI convenit claritas. Adeóque ratione talis principii crescentis, crescit & ipsa claritas visionis DEI. E contra hæc crescere non potest ratione intellectûs perfectioris. Siquidem hæc non convenit simpliciter visioni DEI ratione intellectûs. Secundò: claritas visionis corporalis, convenit simpliciter ratione potentiæ visivæ materialis. Hæc enim est determinata ex se ad talem modum tendendi in omne suum objectum, igitur crescente perfectione talis potentiæ, potest crescere claritas actûs. Tertiò: obscuritas in actu fidei, & modus ænigmaticus tendendi tam in objectum materiale, quàm in objectum formale fidei, convenit simpliciter actui ratione intellectûs, & ratione specierum naturalium. Quare, modus hic tendendi actuum fidei, quoad suam perfectionem diversus habetur, & haberi potest ratione diversæ perfectionis in prædictis principiis. Ratione quorum tamen non potest crescere certitudo assensûs, & firmitas Fidei, sed hæc deberet crescere ratione majoris perfectionis habitûs infusi fidei; cùm ab hoc desumatur simpliciter. Quartò: Usus remissior vel intensior habitûs v. g. charitatis habetur à voluntate ejúsque libertate. Quia ab hac habe-

habetur ſimpliciter quicunque uſus habitûs, cùm ſit in poteſtate voluntatis, uti vel non uti habitu, Ergo ab eadem voluntate haberi poteſt uſus modò remiſſior, modò intenſior habitûs. Adeóque productio remiſſioris vel intenſioris actûs charitatis. Quintò: tandem perfectio effectûs dependentis ab inſtrumentis naturalibus, v. g. perfectio characterum, convenit iiſdem effectibus ratione talium inſtrumentorum, cùm hæc, quò meliora ſunt, ordinentur ad perfectiores effectus, iiſdémque ex ſe ſunt proportionata. Ergo majori perfectioni talium inſtrumentorum poteſt reſpondere major perfectio in effectibus. E contra claritas intuitionis DEI, non habetur ſimpliciter ab intellectu, nec illi ſimpliciter attribuitur, ſed Lumini gloriæ Ergo quantumvis creſcat perfectio intellectûs, non poterit creſcere claritas intuitionis DEI.

PUNCTUM III.

De tertio Principio Viſionis DEI ſcilicet de ſpecie impreſſa DEI.

150. Suppono ex Tractatu de Anima ſpeciem impreſſam objecti, eſſe qualitatem aliquam inhærentem potentiæ vitali repræſentativam virtualiter objecti, hoc eſt, potentem locò & nomine objecti cum potentia vitali concurrere ad eliciendum actum vitalem intentionalem. Species hæc, alio nomine appellatur virtualis repræſentatio, imago, & ſimilitudo intentionalis objecti. Cùm è contra ſpecies expreſſa, ſit formalis repræſentatio, imago & ſimilitudo intentionalis objecti. De his ſequentia reſolvenda erunt.

§. I.

An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa DEI?

Speciem impreſſam DEI poſſibilem eſſe negant Thomiſtæ, Complutenſes, Salmanticenſes, & è noſtris Arrubal, Torrez, Granado, Tannerus, Recupitus, & Amicus. Affirmant, Suarez, Vaſquez, Valentia, & alii noſtri magis communiter.

151. Reſpondeo & Dico poſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam DEI.

Probatur tum nullitate implicantiæ ùt patebit ex ſolutione objectionum. Certè ſi aliqua implicantia eſſet, deduceretur hæc, vel ex uno aliquo diviſim ab aliis ſumpto prædicato ſpeciei impreſsæ, vel ex omnibus prædicatis complexè acceptis. Sed nulla implicantia deducitur ſive ex uno, ſive ex omnibus prædicatis ſpeciei impreſſæ DEI. Ergo. Tum quia non implicat ſpecies expreſſa DEI. Ergo nec implicat ſpecies impreſſa DEI. Tum quia ex poſſibilitate ſpeciei impreſſæ nulla in DEO arguitur imperfectio, quin potiùs arguitur aliqua perfectio, quòd ſcilicet DEUS poſſit aliquem effectum ponere per aliquid ſui vicarium, quem poteſt ponere per ſe ipſum.

Objectiones Proponuntur.

152. Objiciuntur aliquæ SS. Patrum authoritates. S. Dionyſii lib. 1. de Divinis nominibus dicentis: *Per ſimilitudines rerum inferioris ordinis nullo modo ſuperiora poſſunt cognoſci.* Subſumitur. Sed ſpecies impreſſa DEI eſt ſimilitudo inferioris ordinis. Ergo per ipſam DEUS, qui eſt Ens ſupremi ordinis non poteſt cognoſci (intellige intuitivè) abſtractivè enim DEUM poſſe cognoſci per ſimilitudines rerum creatarum. Adeóque rerum inferioris ordinis, indubitatum eſt. S. Auguſtini lib. de libero arbitrio dicentis: *Sicut umbra languidiorem facit oculum carnis nè poſsit lumen perfectè videre, ità creatura omnis tanquam Divinæ intelligibilitatis umbra, languidiorem facit oculum mentis, nè poſsit DEUM clarè conſpicere.* S. Thomæ Doctoris Angelici, qui 1 parte. Quæſt. 12. Art. 2. in ☉. *Per nullam ſimilitudinem creatam DEI eſſentia videri poteſt. Unde dicere DEUM per ſimilitudinem videri, eſt dicere Divinam eſſentiam non videri. Quod eſt erroneum.* Et iterum adhuc clariùs dicit: *Multò minùs per ſpeciem creatam quamcunque poteſt eſſentia DEI videri.*

153. Objiciuntur ſecundò: & afferuntur plures implicantiæ ſpeciei impreſſæ. *Prima:* Implicat DEUM non eſſe actum purum, non eſſe itèm per ſuam eſſentiam ſummè & completè intelligibilem, præterea implicat intelligibilitatem DEI per aliquid creatum perfici, ac etiam DEUM non eſſe ſummè liberum. Atqui

ſi poſſibilis eſſet ſpecies impreſſa DEI, DEUS non eſſet actus purus, haberet enim potentiam activam & motivam Viſionis creatæ à ſe realiter diſtinctam, quia talis potentia eſſet ſpecies impreſſa. De ratione autem actûs puri eſt, non habere potentias activas à ſe emanatas. Non eſſet etiam DEUS per ſuam eſſentiam complete intelligibilis, quia in eſſe intelligibili deberet compleri per ſpeciem impreſſam. Perficeretur etiam DEI intelligibilitas per aliquid creatum, nempe per ſpeciem impreſſam, de cujus ratione eſt, eſſe perfectivam intelligibilitatis. Præterea DEUS non eſſet perfectè liber. Quia neceſſariò deberet emanare ex ſe ſpeciem ſui impreſſam, ſicut alia objecta neceſſariò emanant ſuas ſpecies. Deberet inſuper talem ſpeciem emanare quæ eſſet repræſentativa omnium veritatum contingentium. Ergo. *Secunda* implicantia eſt: Implicat objectum ſuperioris ordinis repræſentari intuitivè per ſpeciem inferioris ordinis. Cùm enim ſpecies ſit ſimilitudo intentionalis virtualis objecti, eáque in hoc genere adæquata, debet continere formaliter vel eminenter perfectionem objecti. Adeóque non poteſt eſſe niſi ordinis cum objecto æqualis, vel ſuperioris. Sed ſi poſſibilis eſſet ſpecies impreſſa DEI, tunc objectum ſuperioris ordinis poſſet videri per ſpeciem inferioris ordinis. Poſſet enim objectum ſummè immateriale, actus purus, & objectum increatum videri per ſpeciem inferioris immaterialitatis, eámque creatam, & quæ non ſit actus purus. Ergo. *Tertia*: Implicat intuitio creata comprehenſiva DEI. Sed intuitio ad quam concurreret ſpecies impreſſa DEI creata, eſſet comprehenſiva DEI. Quia tantùm repræſentaret DEUM, quantùm exigeret intelligibilitas & cognoſcibilitas creata DEI, nimirum quantùm exigeret ſpecies impreſſa DEI. *Quarta*: Admiſſa poſſibili ſpecie impreſſa DEI, cognitio DEI à tali ſpecie producta, & eſſet ænigmatica, & non eſſet. Non eſſet: ùt ſupponitur. Eſſet autem. Quia non eſſet repræſentativa DEI ùt eſt in ſe, ſed eſſet repræſentativa ejuſdem ùt eſt in ſimilitudine creata. *Quinta*: Implicat ens creatum eſſe perfectam ſimilitudinem DEI, Atqui ſpecies impreſſa DEI, ſi daretur, eſſet ens creatum, ſimúlque eſſet perfecta ſimilitudo DEI. Quia concurreret ad perfectam Viſionem DEI, ad quam non poteſt concurrere niſi perfecta ſimilitudo. Ergo. *Sexta*: Implicat intellectum naturalem creatum beatificari objectivè ab objecto creato, Hunc enim beatificare, ſeu reddere ſummè beatum, & ſummè felicem, non poteſt niſi ſummum bonum, quale bonum non eſt, nec poteſt eſſe quidquam creatum. Admiſſa autem poſſibili ſpecie impreſſa DEI, objectum creatum poſſet beatificare intellectum creatum, ſpecies enim impreſſa eſſet objectum tale. Quia ageret munus & vices objecti beatificantis. Ergo. *Septima*: Si ſpecies impreſſa DEI eſſet poſſibilis, eſſet eſſentialiter fruſtra, Neque enim eſſet neceſſaria ad hoc ut redderet objectum intimè præſens intellectui. Quia hoc, nempe DEUS eſt ſummè præſens eidem, ità ut S. Thomas dicat quodlib. 7. art. 1. *DEUM cuicunque rei viciniorem eſſe, quàm rem ipſam ſibi.* Neque eſſet neceſſaria ad hoc, ut redderet idem objectum proportionatum intellectui creato. Huic enim DEUS eſt objectum proportionatum per hoc ipſum, quòd ſit ſummè immaterialis. Neque ad hoc eſſet neceſſaria ſpecies impreſſa ut determinet intellectum ad actum circa objectum ejuſdem. Quia hæc determinatio poteſt haberi immediatè ab ipſo objecto, ſcilicet ab ipſo DEO. Neque eſſet ulla alia neceſſitas & finis ſpeciei impreſſæ DEI. Quæ enim eſſet illa neceſſitas? Ergo. Confirmatur. Finis ſpeciei impreſſæ propter quem hæc datur, eſt reddere objectum æqualis immaterialitatis immaterialitati ſubjecti, ex eo enim præter ſpecies materiales objectorum materialium, dantur ſpecies ſpirituales intellectuales. Quia per has objectum fit æqualis immaterialitatis ipſi ſubjecto, ſcilicet animæ. Sed hic finis ceſſat reſpectu ſpeciei impreſſæ ipſius DEI. Hæc enim non poteſt eſſe æqualis immaterialitatis atque eſt ipſe DEUS, ſed eſt immaterialitatis longè inferioris. DEUS enim eſt ſummè immaterialis, utpote actus purus. Species verò eſt longè inferiori immaterialitate immaterialis. Quia eſt ordinata ad perficiendum intellectum tanquam ſuum ſubjectum.

154. Objiciuntur tertiò aliquæ Paritates. *Prima*: Implicat DEUM eſſe ſapientem accidentaliter & per ſapientiam ſibi extrin-

extrinſecam. Ergo etiam implicat DEUM eſſe accidentaliter intelligibilem, & per ſpeciem impreſſam ſibi extrinſecam. *Secunda* paritas: Implicat DEUM eſſe viſibilem & intelligibilem terminativè per aliquid ſibi extrinſecum. Ergo etiam implicat eundem eſſe viſibilem & intelligibilem motivè per aliquid extrinſecum. Eſſet autem hoc modo viſibilis, ſi poſſet dari ſpecies impreſſa DEI. Hæc enim haberet rationem objecti motivi & ſufficientiæ motivæ reſpectu viſionis. *Tertia:* Repugnat accidens objectivum reſpectu DEI. Ergo etiam repugnat accidens objectivum repræſentativum ipſius DEI. Ergo repugnat ſpecies impreſſa DEI. Hæc enim eſſet accidens objectivum repræſentativum DEI. *Quarta:* Implicat qualitas phyſica vicaria Cauſæ primæ, quâ ſolùm mediatè, DEUS concurreret ad producendos effectus. Ergo etiam implicat qualitas vicaria ipſius DEI in ratione objecti, qua mediante DEUS ſolùm concurrat objectivè ad producendam ſui viſionem. *Quinta:* Ex ſuppoſitione quòd intellectus ſit eſſentialiter indiſtinctus ab anima, implicat qualitas diſtincta ab anima ordinata ad conſtituendam animam in ratione intellectivæ. Ergo etiam cùm DEUS per ſuam eſſentiam ſit eſſentialiter intelligibilis, repugnat, ut ſit intelligibilis per ſpeciem impreſſam à ſe diſtinctam. *Sexta:* DEUS ſe ſolo perfectiùs agit effectivè, quàm agat concurrendo cum creatura. Se ſolo enim agit etiam creativè, ſeu per creationem, qui modus agendi eſt perfectior. Si verò agat ſimul cum creatura debet agere per eductionem formæ ex ſubjecto, ſeu per generationem. Ergo idem DEUS objectivè & motivè ſe ſolo perfectiùs agit, quàm agat concurrendo cum ſpecie impreſſa. Hoc eſt, DEUS ſe ſolo, objectivè & motivè influendo in actum, producit viſionem ſui claram; ſi agat cum creatura producit cognitionem obſcuram. Adeóque tunc non producit viſionem.

Solvuntur Objectiones.

155. Reſpondetur ad primum. Authoritatem S. Dionyſii etiam ab ipſis adverſariis explicari & limitari debere in hunc modum: Quòd per ſimilitudines rerum inferioris ordinis non poſſint ſuperiora cognoſci ſolùm intuitivè, licèt poſſint cognoſci abſtractivè: ùt ex ipſo ſubſumpto Objectionis patet. Debet ſecundò limitari & intelligi taliter: quòd per ſimilitudines rerum inferioris ordinis, quæ ſint *media in quô*, non poſſint cognoſci ſuperiora, poſſint verò cognoſci ſuperiora per ſimilitudines inferioris ordinis, quæ ſint *media quô*. Quæ limitatio, ut meliùs intelligatur. Adverto. Medium reſpectu actûs intellectûs, è mente S. Thomæ, trifariam dividi. Unum dicitur *medium ſub quo*, alterum *medium in quo*. Tertium *medium quô*. *Per medium ſub quô*, non intelligit S. Doctor ullam ſimilitudinem, in qua objectum cognoſcatur, ſed intelligit perfectionem intellectûs, quâ virtus ejus completur & roboratur. Tale *medium ſub quo*, eſt lumen gloriæ reſpectu Viſionis DEI, & habitus fidei reſpectu actûs fidei. Per *medium in quo*, intelligit ſimilitudinem aliquam unius rei, per quam cognitam, res alteri priori ſimilis cognoſcitur. *Tale medium in quo*, ſunt v. g. creaturæ, quæ propter participationem aliquam perfectionum Divinarum, habent ſimilitudinem aliquam cum DEO, eædémque ſecundùm ſe cognitæ ducunt in cognitionem DEI, & faciunt, ut adinſtar illarum concipiatur DEUS. Per *medium quô*, intelligitur ſimilitudo talis, quæ ſecundùm ſe non cognita movet ad cognitionem objecti à ſe diverſi, tanquam intelligibilitas ejuſdem. Talis ſimilitudo & *medium quô* eſt ſpecies impreſſa objecti. Hæc enim ſecundùm ſe non cognita movet ad cognitionem objecti, cujus eſt ſpecies, éſtque aliqua intelligibilitas ejuſdem objecti. Hac diviſione medii ſuppoſita, certum erit: per ſimilitudines inferioris ordinis, quæ ſint *media in quo*, non poſſe cognoſci intuitivè ſuperiora. Siquidem per talem ſimilitudinem & medium cognoſci aliquid, eſt cognoſci illud abſtractivè, ænigmaticè, & mediatè, per ſimilitudines tamen & *media quô*, licèt illæ ſimilitudines fuerint inferioris ordinis, poſſunt cognoſci intuitivè ſuperiora. Per ſpecies enim impreſſas quæ ſunt ſimilitudines inferioris ordinis quàm nonnulla objecta, poſſunt cognoſci intuitivè ſuperiora, nimirum ſubſtantiæ. Et hoc modo de facto cognoſcuntur ſubſtantiæ ab Angelis. Hic enim

enim modus cognoscendi intuitivè objecta, etiam substantias, est modus proprius intellectûs Angelici. Conformiter ad hanc doctrinam, etiam ipsis adversariis communem, intelligenda est authoritas S. Dionysii. *Tertiò* ad eandem authoritatem dici potest, adductam S. Doctoris authoritatem non pugnare contra nostram sententiam, si non transponantur termini, sed debitè conjungantur, & ambiguitas evolvatur. Ut sensus sit: Per similitudinem rerum, quæ res sint inferioris ordinis non possunt cognosci intuitivè superiora: posse tamen per similitudines ipsorum superiorum cognosci superiora, quamvìs illæ ipsæ similitudines sint ordinis inferioris. Porrò species impressa propria alicujus objecti, v. g. Species impressa DEI, licèt sit similitudo secundùm suam entitatem inferioris ordinis, tamen non est similitudo rei, quæ sit inferioris ordinis, quàm sit res, quæ cognoscenda venit per speciem. Aliàs aliquid esset inferioris ordinis se ipso. Hinc directè concessa authoritate potest negari subsumpta Minor, quæ priùs sic corrigi debet: sed species impressa DEI, est similitudo rei inferioris ordinis. S. Augustini textus pariter intelligi debet de Creatura omni, si per illam, tanquam per *medium in quo* cognoscendus veniat DEUS, quòd hæc tali modo concurrens cum intellectu, tanquam Divinæ intelligibilitatis umbra, languidiorem faciat oculum mentis, nè intellectus possit DEUM clarè conspicere. Non potest verò nec debet intelligi de creatura per quam, tanquam *medium quô*, & tanquam per speciem impressam DEI, eámque propriam sit cognoscendus DEUS. Id ipsum & eodem sensu loquitur S. Thomas in primo adducto textu. In secundo etiam textu non loquitur S. Doctor de specie impressa, quòd per illam essentia DEI videri non possit, sed loquitur de specie logicè accepta, nimirùm quòd per nullius creaturæ speciem, seu per nullam creaturam cujuscunque speciei possit videri essentia DEI. Itá intelligi debere S. Doctorem colligitur ex alia ipsius authoritate adducta num. 125. Ubi dicit: Ut intellectus creatus videat essentiam DEI, *hæc debet fieri forma intelligibilis.* Subsumitur: Sed Essentia DEI non potest fieri forma intelligibilis nisi per speciem impressam. Hæc enim cùm sit aliqua intelligibilitas essentiæ Divinæ, teneátque se ex parte objecti, facit formaliter, ut ratione illius, Essentia Divina fiat forma intelligibilis. Quodsi Lumen gloriæ hunc effectum præstat, præstat illum, quatenus ipsi Lumini est identificata species impressa. Cui si non identificatur, lumen gloriæ sic distinctum à specie cùm se teneat nonnisi ex parte potentiæ, est solùm intellectivitas potentiæ, non verò intelligibilitas objecti. Nec valet si dicas, cum quibusdam Thomistis, Essentiam Divinam, fieri formam intelligibilem per unionem physicam cum intellectu creato. Non valet inquam. Tum quia sicut visio Divina, quâ DEUS se ipsum videt, non est forma physicè unita intellectui Beati, ratione cujus intellectus hic videat intuitivè DEUM: Sicut itèm sufficientia, quâ DEUS sibi ipsi sufficit, & ex vi cujus existit visio Divina DEO identificata, non est forma physicè unita intellectui creato, reddens eundem potentem videre DEUM: seu non est lumen gloriæ complens & roborans virtutem intellectûs. Ità Essentia Divina non est forma physicè unita intellectui, ex vi cujus dicta Essentia sit forma intelligibilis, respectu intellectûs creati. Tum quia non est fundamentum & necessitas ulla unionis physicæ, quâ Essentia Divina uniatur intellectui. Cùm optimè intelligatur Essentiam Divinam ab intellectu creato esse intelligibilem & visibilem independenter ab unione physica, quatenus est sic intelligibilis vel per speciem sui impressam, vel per concursum immediatum objectivum, seu in ratione objecti, quô ipsa Essentia Divina secundùm se concurreret cum intellectu creato ad producendam Visionem DEI. Quodsi Essentia Divina dicitur à Theologis unita intellectui Beati, intelligenda est unio non physica immediata, sed intentionalis, quæ habetur per ipsammet visionem Essentiæ Divinæ, quatenus hæc in intellectu creato se ipsa depingit imaginem Essentiæ Divinæ, illámque perfectè ùt est in se ipsa repræsentat, ità ut Beatus DEUM possidere censeatur, ac in ipsum quodammodò transire juxta illud: *Intellectus intelligendo fit omnia.* Talem unionem videtur intelligere & velle S. Thomas, dum dicit; hìc art. 2. in ☉

Rem

Rem viſam neceſſe eſt aliquomodo uniri videnti.

156. Ad ſecundum Reſpondetur negando ſubſiſtere adductas implicantias. Primæ conceſſa Majore, nego Minorem, & dico: Admiſſa ſpecie impreſſa DEUM eſſe actum purum. Sicut eſt actus purus admiſſis tot potentiis effectivis à ſe diſtinctis, ídque ex eo: quia licèt de ratione actûs puri ſit habere potentias activas ſibi identificatas, non eſt tamen de ratione actûs puri, ultra potentias identificatas non dari potentias ſive effectivè, ſive objectivè productivas quorundam effectuum, vel actuum, realiter à DEO diſtinctas, & creatas, non tamen propriè emanatas. Eſſet etiam DEUS intelligibilis per Eſſentiam, ídque eſſet completè eſſentialiter intelligibilis. Hanc enim intelligibilitatem non deſtruit, nec tollit intelligibilitas perfecta accidentalis, & extrinſeca, proveniens à ſpecie impreſſa. Sed nec aliquid intelligibilitas, quæ habetur per ſpeciem impreſſam, addit intelligibilitati eſſentiali DEI, quòd ad perfectionem talis intelligibilitatis pertineat, ipsámque perficiat intrinſecè. Etiamſi enim de ratione ſpeciei impreſſæ ſit perficere intrinſecè potentiam vitalem intentionalem, creatam. Quia eſt de ratione illius inhærere eidem potentiæ; adeóque eſſe perfectivam ipſius: non eſt tamen de ratione ſpeciei impreſſæ eſſe perfectivam objecti, cujus eſt intelligibilitas. Id enim ex nullo prædicato ſpeciei impreſſæ deduci poteſt, ejúſque conceptus eſſentialis optimè ſubſiſtit, licèt ſpecies non intelligatur eſſe perfectiva intelligibilitatis eſſentialis ipſi objecto. Inſuper admiſſa poſſibili tali ſpecie, DEUS eſt perfectè liber. Quia ſicut omnes alios effectus liberè producit, etiamſi cauſæ quædam creatæ ſuos effectus producant neceſſariò, ità & ſpeciem ſui liberè imprimit intellectui creato, etiamſi objecta creata ſpecies ſui imprimant, & emanent neceſſariò. Quodſi verò DEUS eſt liber quoad productionem ſimpliciter ſuæ ſpeciei, eſt etiam liber quoad productionem ſpeciei modò perfectioris, modò imperfectioris. Adeóque non neceſſitatur ad infuſionem intellectui creato talis ſpeciei, quæ ſit repræſentativa omnium veritatum contingentium. Et certè etiam objecta creata pro ratione applicationis ſui ad potentiam, poſſunt producere ſpeciem modò perfectiorem, modò imperfectiorem. Quare ergo DEUS pro ratione applicationis ſui per liberum ſuum decretum non poterit producere ſpeciem impreſſam nunc perfectiorem, nunc imperfectiorem. Secundæ implicantiæ falſa eſt ſimpliciter Major. Per ſpeciem enim accidentalem; adeóque per ſpeciem inferioris ordinis poſſunt videri intuitivè ſubſtantiæ, quæ ſunt ordinis ſuperioris. Probatio à pari non ſubſiſtit. Quòd enim ſpecies materiales non poſſit repræſentare objectum ſpirituale, ex eo provenit: quòd objectum ſpirituale ſit extra objectum adæquatum potentiæ materialis, quæ ſola poteſt habere ſpeciem materialem. Poteſt etiam eadem Major diſtingui: Per ſpeciem inferiorem in eſſe tam reali, ſeu naturali, quàm intentionali, & repræſentativo, non poſſunt videri res ordinis ſuperioris. Concedo Majorem. Per ſpeciem inferioris ordinis ſolùm in eſſe naturali, & reali, non autem in eſſe intentionali, & repræſentativo, non poſſunt videri res ſuperioris ordinis. Nego Majorem. Porrò ſpecies impreſſa licèt in eſſe reali ſit inferioris ordinis, quàm ſit DEUS; cùm ſpecies hæc ſit quid creatum accidentale, dependens à ſubjecto, &c. tamen in eſſe intentionali, & repræſentativo non eſt ordinis inferioris. Eſt enim ſpecies propria DEI, éſtque hujus objecti, quod eſt DEUS, principaliter repræſentativa. Tertiæ implicantiæ Major eſt falſa cum ſua Probatione. Ad rationem enim cognitionis comprehenſivæ requiritur, ut à principio cognoſcitivo æquè perfecto procedat, atque perfectum eſt objectum cognoſcibile, quòd non haberet intuitio DEI, ad quam concurreret ſpecies impreſſa ejuſdem. Probatio ulterior ſecundùm dicta ſuperiùs negari debet. Præſcindendo à doctrina tradita, poteſt ſic diſtingui: Intuitio illa DEI tantùm repræſentaret objectum, quantùm poteſt, vel exigit repræſentari intelligibilitas *eſſentialis, & ùt quod*, ipſius objecti. Nego. Quantùm exigit intelligibilitas *extrinſeca, accidentalis, & ùt quò.* Concedo Probationem. Hoc tamen nego ſufficere ad rationem comprehenſionis ſtrictè talis. Quartæ implicantiæ nego Minorem. Ad Probationem dico: Illam ſolùm cognitionem DEI in ſimilitu-

 dine

dine creata non esse cognitionem DEI, ùt est in se, quâ cognoscitur DEUS in similitudine creata, tanquam *medio in quo*, per eandem ipsam cognitionem cognito. Quomodo DEUS cognoscitur in creaturis, & per species creaturarum, sed talem cognitionem esse cognitionem ænigmaticam. Illam verò cognitionem, quâ DEUS cognoscitur in similitudine creata, tanquam *in medio quô*, seu tanquam ratione videndi ac principio proximo tenente se ex parte objecti, nec tamen illo ipso terminante cognitionem, hanc inquam cognitionem esse cognitionem DEI, ùt est in se, & intuitivam. Aliàs per paritatem rationis nulla visio corporalis per sensum visûs esset visio objecti, ùt est in se; nulla itèm talis visio esset intuitiva. Siquidem quævis talis visio repræsentat suum objectum in similitudine ejusdem, tanquam *in medio quô*, nimirum in specie impressa concurrente locò objecti ad eandem visionem. Quintæ implicantiæ Majorem distinguo: Implicat ens creatum esse perfectam similitudinem DEI in essendo, & in esse reali. Concedo Majorem. Implicat ens creatum esse perfectam similitudinem DEI in repræsentando virtualiter, & in esse intentionali. Nego Majorem. Sed species impressa DEI est similitudo perfecta ejusdem in essendo, & in esse reali ac physico. Nego Minorem. Est similitudo perfecta ejusdem in repræsentando, & in esse intentionali. Concedo Minorem, & nego Consequentiam. Hac ratione videtur impugnari possibilitas visionis DEI creatæ, quæ etiam est similitudo perfecta DEI. Sextam itèm implicantiam distinguo: Implicat intellectum creatum beatificari ab objecto creato, tanquam termino visionis, & *motivo ùt quod*, ejusdem. Concedo Majorem. Implicat intellectum creatum beatificari ab objecto creato, tanquam ratione formali videndi objectum increatum tenente se ex parte objecti, & tanquam *motivo ùt quò*. Nego Majorem. Potest etiam negari, quòd species impressa Dei sit objectum creatum; cùm nullatenus debeat terminare visionem, nec debeat per ipsam videri. Septimæ implicantiæ Nego Sequelam Majoris, & dico: Speciem impressam DEI esse imprimis necessariam ad hoc, ut objectum reddat se ipsa, præsens intellectui, præsentialitate eidem intrinseca, DEO verò extrinseca, & accidentali. Licèt enim DEUS ratione sui sit objectum intimè præsens præsentialitate essentiali, potest tamen reddi intimè præsens per speciem præsentialitate accidentali, & DEO extrinseca. Sicut etiamsi Verbum Divinum sub Speciebus Eucharisticis sit præsens ratione immensitatis Divinæ, præsentialitate essentiali, tamen ratione unionis cum Humanitate Christi, & ratione unionis ipsius humanitatis cum Speciebus Eucharisticis, suæ itèm definitivæ ubicationis sub iisdem Speciebus, est etiam præsens præsentialitate accidentali, & extrinseca. Secundò: Est necessaria species impressa ad reddendum objectum proportionatum intellectui; quod potest duplici modo reddi proportionatum, nimirum vel ratione sui, si intimè sit præsens potentiæ, vel ratione speciei impressæ. Sicut etiam intellectus in ratione potentiæ potest reddi proportionatus objecto, scilicet ipsi Deo, in ordine ad visionem ipsius, vel per lumen gloriæ intrinsecum, vel per extrinsecam assistentiam Omnipotentiæ Divinæ, se ipsa concurrentis ad producendam visionem. Tertiò: Species impressa est necessaria, ut determinet intellectum ad actum circa hoc objectum. Licèt enim hæc determinatio in aliquo casu possit haberi immediatè ab ipso objecto, tamen non est necesse, ut semper habeatur ab ipso immediatè, sed potest haberi etiam à specie impressa, tanquam à principio *quô*. Tandem species impressa est necessaria, ut intellectus perficiatur intrinsecè per comprincipium in ratione objecti concurrens ad actum intentionalem. Ità enim perfici, est connaturaliùs potentiæ, & potentiæ vitales intentionales taliter completæ per species suorum objectorum, eliciunt suos actus circa hæc ipsa objecta. Ad Confirmationem dico: Licèt finis aliquarum specierum impressarum sit, reddere objectum immateriale, dum subjectum, seu potentia est immaterialis. Nimirum specierum intellectualium finis est, objecta materialia reddere immaterialia, sicut & ipse intellectus est immaterialis, & spiritualis, quatenus & ipsæ species intellectuales debent esse immateriales, & spirituales. Aliàs non possent intellectui inhærere, in eòque recipi. Cùm nihil materiale possit re-

recipi in subjecto spirituali. Nihilominus species non debent reddere objecta immaterialitatis æqualis, immaterialitati subjecti, seu potentiæ. Immaterialitas enim objecti conveniens speciei impressæ, est perfectiva intrinsecè subjecti, seu potentiæ. Adeóque non est, nec potest esse in omni ratione æqualis. Non omnis item species, nec cujuscunque objecti, objectum debet reddere æqualis immaterialitatis immaterialitati subjecti. Species enim objectorum spiritualium non reddunt objecta immaterialia, cùm objecta spiritualia ratione sui habeant immaterialitatem, nec acquirant illam ratione speciei. Multò minùs imaterialitas objecti conveniens speciei debet esse æqualis objecto, ejusdémque secundùm se immaterialitati, ùt per Minoris Probationem intenditur, dum per hanc requiritur, ut immaterialitas speciei impressæ DEI sit æqualis immaterialitati ipsius DEI. Sunt enim hæc diversa, subjectum, & objectum. Quare exinde, quòd immaterialitas speciei debeat esse æqualis immaterialitati subjecti, seu potentiæ vitalis, nimirum intellectûs creati, non bene infertur, quòd eadem immaterialitas debeat etiam æqualis esse immaterialitati objecti. Certè immaterialitas speciei, quam habet Angelus infimus, éstque repræsentativa Angeli supremi, non est æqualis immaterialitati ejusdem supremi Angeli. Hæc enim sua immaterialitate magis proportionatur subjecto, quàm objecto. Cùm nulla præsertim ratio evincat oppositum.

157. Ad tertium Respondetur. Prima, secunda, & quinta paritate impugnari possibilitatem speciei impressæ cujuscunque objecti creati. Directè nego primam paritatem. Disparitas est: Quia manifesta est in terminis repugnantia, Deum sapientem esse (intellige Sapientiam actu, qualiter nonnisi DEUS sapiens esse potest) & tamen per formam extrinsecam, & accidentalem. Esse enim sapientem in actu est denominatio vitalis, quæ essentialiter postulat provenire à forma intrinseca, ídque intrinseca non per inhæsionem, seu receptionem. Quia hæc DEO repugnat, sed debet esse forma intrinseca per identitatem. E contra non est ulla repugnantia in hoc, quod est Deum esse intelligibilem, per formam, & speciem ipsi DEO extrinsecam. Cùm intelligibilitas ex suo conceptu non postulet esse intrinseca ipsi objecto intelligibili, sed possit dari intelligibilitas extrinseca objecti, ùt patet in objectis creatis, quarum pleraque sunt intelligibilia intelligibilitate extrinseca proveniente formaliter à specie impressa. Secundæ paritati disparitas est. Quia intelligibilitas terminativa est passio entis Metaphysica, eáque transcendens; in hac enim intelligibilitate consistit ratio veri: talis autem passio entis non potest haberi à forma extrinseca; non secùs ac ipsa ratio entis non potest haberi à forma extrinseca. E contra intelligibilitas motiva, eáque motiva *ùt quò*, non est passio entis, cùm non conveniat omni enti. Multa enim entia propter suam improportionem cum intellectu non possunt se ipsis per modum motivi influere immediatè in cognitionem sui. Potest igitur talis intelligibilitas haberi à forma extrinseca objecto, hoc est, à specie impressà objecti, quæ est intelligibilitas motiva *ùt quò*, ipsum verò objectum, pro quo substituitur species, est motivum *ùt quod*. Tertiæ Paritati disparitas est. Quia accidens subjectivum respectu DEI vel esset tale, quod reciperetur in DEO, vel esset tale, ratione cujus DEUS reciperet aliquas formas. Utrumque autem implicat. Quia quocunque ipsorum admisso invehitur in DEUM imperfectio mutabilitatis, & perfectibilitatis intrinsecæ, tollitúrque ratio actûs puri. Admisso autem accidente objectivo, quo mediante DEUS in ratione objecti concurrit ad visionem sui creatam, nulla in DEUM invehitur imperfectio. Quartæ Paritati disparitas est. Quia ex admissa qualitate vicaria Causæ primæ, qua mediante nonnisi DEUS concurreret ad effectus creatos, sequitur DEUM non esse summè necessarium ad existentiam creaturarum: sequitur item DEUM non esse Ens perfectissimum in operando, non esse principium immediatum universalissimum omnium creaturarum. E contra nullum prædicatum DEO repugnans in DEUM invehitur admissa qualitate vicaria DEI in ratione objecti ad producendam visionem DEI concurrente. Occasione hujus paritatis sic potest telum & argumentum retorqueri in Objicientem: Etiamsi non sit possibilis qualitas vicaria Cau-

Causæ primæ, qua mediante nonnisi DEUS concurrat ad effectus quoscunque creatos, tamen non implicat qualitas vicaria DEI tanquam causæ efficientis particularis, quâ mediante DEUS ùt causa particularis concurrat. Talis enim qualitas defacto datur, éstque Lumen gloriæ creatum, quod est vicarium DEI, tanquam causæ particularis efficientis, potentis se ipsa cum intellectu creato concurrere ad visionem. Ergo pariter etiamsi implicet qualitas vicaria causæ primæ &c. tamen non implicabit qualitas vicaria DEI tanquam causæ particularis in ratione objecti, quâ mediante, DEUS ùt causa particularis objectiva concurrat ad visionem sui. Talísque qualitas est, & esse debet è mente suorum propugnatorum species impressa DEI. Addo & Lumen gloriæ, & speciem impressam, tales esse causas particulares, vicarias DEI, ut cum illis DEUS concursu generali immediatè influat in illarum & suum effectum. Quintæ Paritatis Antecedens est falsum. Lumen enim gloriæ est qualitas ordinata ad complendum intellectum, & defacto complens eundem in ratione potentiæ per ordinem ad visionem DEI. Interim omisso Antecedente nego Consequentiam. Disparitas est: Quia si intellectus identificatur animæ, anima ratione hujus identitatis est omnimodè completa in ratione potentiæ proximæ intellectivæ in ordine ad actus naturales. DEUS verò etiamsi identificet sibi intelligibilitatem, non est proximè intelligibilis à creatura, defectu liberæ applicationis, ratione cujus, potest vel intelligibilitatem sibi identificatam, vel intelligibilitatem sibi extrinsecam consistentem in specie sui impressa, applicare in ordine ad concursum & influxum objectivum in visionem sui. Præterea DEUS ratione intelligibilitatis sibi identificatæ, non est intelligibilis intelligibilitate intrinseca intellectui creato eidémque inhærente, sed est taliter intelligibilis ratione speciei impressæ, qua ratione DEUS debet esse intelligibilis, ut intellectus creatus connaturaliùs compleatur per comprincipium in ratione objecti, & ut connaturaliùs producat visionem. Sextæ Paritatis Antecedens debet sano sensu intelligi, hoc nimirum sensu: quòd DEUS ex parte sui agat semper perfectissimè, sive se solo agat, sive agat cum creatura, ex parte tamen effectûs & modo agendi sibi extrinseco, agit modò perfectiùs, modò imperfectiùs; hoc est, effectum jam perfectiorem, jam imperfectiorem producit. Operatur etiam modo extrinseco jam perfectiore, jam imperfectiore. Et licèt aliquos effectus se solo producat creativè, quomodò non potest producere operando simul cum creatura, tamen quosdam effectus se solo potest producere vel creativè vel eductivè, pro ratione applicationis & suæ libertatis. Cum creaturis etiam non potest agere saltèm de potentia ordinaria, nisi juxta exigentiam & virtutem naturalem ipsarum. Et sic cùm calore non potest de potentia ordinaria producere frigus, cum frigore non potest producere calorem. Pariter DEUS in ratione objecti secundùm potentiam ordinariam, pro sua applicatione & libertate potest operari & concurrere ad visionem cum specie impressa, & juxta exigentiam talis speciei. Et quia species impressa DEI in ratione objecti exigit concurrere ad visionem claram DEI, DEUS cum specie dicta non potest saltèm secundùm potentiam ordinariam concurrere nisi ad claram visionem DEI, ad quam etiam potest concurrere in ratione objecti, se solo concurrendo cum intellectu creato.

§. II.

An in Beatis detur defacto Species impressa DEI?

158. Respondeo & Dico: Probabilius esse, quòd in Beatis detur species impressa DEI. Ratio est: Quia connaturaliùs est DEUM videri à Beatis per speciem impressam DEI, Ergo per hanc DEUM defacto vident. Adeóque datur species impressa in Beatis. Consequentia patet. Quia secundùm legem ordinariam DEUS effectus sive naturales sive supernaturales per talia principia producit, per qualia hi connaturaliùs producuntur. Et sic licèt de potentia absoluta possit haberi visio DEI sinè Lumine gloriæ intrinseco. Quia tamen connaturaliùs producitur Lumine intrinseco elevante intellectum, & cum illo concurrente, sic defacto producitur. Quia item connaturaliùs est actus super-

supernaturales à Justis produci dependenter ab habitibus infusis, defacto hoc modo producuntur, etiamsi sinè illis possint produci absolutè. Ergo. Antecedens deinde probatur. Quia connaturaliùs est potentiæ intellectivæ compleri intrinsecè etiam principio tenente se ex parte objecti. Quod ipsum probatur: Tum à paritate potentiarum intentionalium materialium, quæ complentur intrinsecè principio tenente se ex parte objecti, nimirum speciebus impressis. Tum quia connaturaliùs est, intellectui compleri intrinsecè principio tenente se ex parte potentiæ, scilicet Lumine gloriæ. Ergo etiam eidem intellectui connaturaliùs est, compleri intrinsecè principio tenente se ex parte objecti. Hinc adverto species impressas dari in potentiis intentionalibus non solùm in ordine ad hoc, ut objectum intelligibile reddatur proportionatum potentiæ, dum hoc est ex se improportionatum; Quomodo objectum materiale per sensus perceptum redditur proportionatum intellectui per species impressas intellectuales; sed etiam ad complendum intrinsecè potentiam, & ad agendum connaturaliùs. Aliàs sufficeret species materiales objectorum sensibilium recipi in vicino aëre; nec deberent recipi in ipsa potentia ac sensibus in ordine ad producendam sensationem, si potentiæ intentionales possent connaturaliter operari non completæ intrinsecè per species objectorum.

159. Dices, Etiamsi possibilis sit species impressa, tamen ipsam dari nulla est necessitas & nullum fundamentum in scripturis & Patribus. Imò S. Thomas videtur illam negare, dum etiam impossibilem dicit. Quod saltèm debet intelligi de impossibilitate per legem ordinariam. Respondeo speciem impressam DEI non solùm possibilem esse, sed etiam debere dari allatum est fundamentum & ostensa necessitas. Nimirum: quia ex una parte est necessitas, ut objectum cum potentia intentionali influat & concurrat ad actum intentionalem, juxta illud axioma ex S. Augustino desumptum: *Ex potentia & objecto paritur notitia.* Ex altera parte necessitas est secundùm legem ordinariam, ut principium in ratione objecti concurrens ad actum intentionalem, sit intrinsecum potentiæ vitali, cum quo hæc producit simul eundem actum, est inquam hæc necessitas, ut potentia vitalis principio intrinseco tenente se ex parte objecti, completa, connaturaliùs producat visionem. Cùm ergo species impressa sit principium in ratione objecti concurrens, illúdque intrinsecum potentiæ intellectivæ, nec aliud tale principium admitti aut assignari possit; est necessitas, ut dicta species secundùm legem ordinariam concurrat ad visionem, adeóque ut detur. Fundamentum ex scriptura & Patribus in re merè Scholastica frustra exigitur. Sufficit fundamentum illud, quod habetur ex ratione adducta pro conclusione. Cùm præsertim etiam in oppositum non habeatur fundamentum, ex scriptura, & Patribus. Deinde SS. Patres eo ipso, quòd Lumen gloriæ velint esse intrinsecum intellectui, etiam speciem impressam DEI ab hoc Lumine indistinctam volunt esse intrinsecam eidem intellectui. S. Thomas quo sensu intelligi debeat, expositum est §. præcedente, ejúsque authoritas adducta pro nostra Sententia.

160. Dices ulteriùs. Ad hoc ut intellectus creatus connaturaliùs producat visionem DEI sufficit, quòd Lumen gloriæ tenens se ex parte potentiæ sit intrinsecum intellectui, non requiritur verò, ut etiam principium in ratione objecti in visionem influens sit intrinsecum eidem intellectui. Cùm potiùs connaturaliùs sit intellectum uniri immediatè objecto & suo fini. Respondeo, ex probatione Conclusionis constare ad connaturalitatem Visionis non sufficere quòd Lumen gloriæ sit intrinsecum potentiæ, sed requiri insuper, ut principium tenens se ex parte objecti sit intrinsecum potentiæ vitali. Ad Probationem dico non solùm connaturale, sed etiam ex suppositione Visionis necessarium esse, ut intellectus Beati per visionem DEI uniatur intentionaliter objecto seu ipsi DEO tanquam termino & fini intellectûs. Cum hoc tamen ipso stat, quòd eidem intellectui connaturaliùs sit, si principium tenens se ex parte objecti, sit intrinsecum eidem.

 §. III.

§. III.

An Species impreſſa DEI ſit diſtincta à Lumine gloriæ?

161. Reſpondeo, & dico: Etiamſi ſpecies impreſſa poſſit eſſe diſtincta realiter à Lumine gloriæ, tamen probabile eſt, ſpeciem impreſſam, quæ defacto datur in Beatis, eſſe indiſtinctam à Lumine gloriæ.

Prima pars probatur. Ex una parte non implicat ſpecies impreſſa, ùt oſtenſum eſt ſuprà. Ex altera parte non implicat ſpecies impreſſa, quæ ſit diſtincta à Lumine gloriæ. Tum quia in tali ſpecie nulla apparet implicantia. Tum quia prædicata ſpeciei impreſſæ ex ratione, & ſuo conceptu ſunt diverſa à prædicatis Luminis gloriæ. Lumen enim gloriæ eſt principium tenens ſe ex parte potentiæ, eámque complens, & elevans. Species impreſſa eſt principium tenens ſe ex parte objecti, & reddens objectum proximè intelligibile; quæ ipſa prædicata non ſunt ità connexa, nec ſe inferentia, ut eſſentialiter poſtulent ſecum identificari. Confirmatur. Species naturales objectorum creatorum diſtinguuntur defacto à principiis tenentibus ſe ex parte potentiæ naturalis vitalis. Ergo ſaltèm non implicat, ſpeciem impreſſam DEI diſtingui realiter à principio tenente ſe ex parte potentiæ, quale principium eſt Lumen gloriæ.

162. Secunda pars probatur. Ex una parte non implicat talis entitas, in qua rationi luminis gloriæ identificetur ratio ſpeciei impreſſæ DEI. Tum quia nulla eſt implicantia in tali entitate. Tum quia prædicata luminis gloriæ licèt non ità inferant prædicata ſpeciei impreſſæ, nec ità ſint cum illis connexa, ut poſtulent eſſentialiter ipſis identificari, tamen eadem prædicata non ſibi repugnant, quò minùs poſſint per identitatem realem coadunari in unam, eandémque indiviſibilem entitatem. Ex altera parte ſpeciem impreſſam DEI, quæ defacto datur eſſe indiſtinctam à lumine gloriæ, probat tam Authoritas S. Thomæ hic Quæſt. 12. Art. 2. in ☉. aſſerentis: *Lumen gloriæ eſſe aliquam ſimilitudinem ex parte potentiæ viſivæ.* Quo textu S. Doctor præcipuum, & differentiale prædicatum ſpeciei impreſſæ attribuit lumini gloriæ. Nimirum eſſe ſimilitudinem, eámque non phyſicam, ſed intentionalem, & objectivam cum objecto viſo, ſeu cum ipſo DEO. Adeóque S. Doctor admittit ſpeciem indiſtinctam à Lumine gloriæ. Tum quia talis ſpecies, & tale Lumen gloriæ admitti debent, ut non multiplicentur entia ſinè fundamento, & neceſſitate. Sed ſi hæc ſint indiſtincta realiter, non multiplicantur entia. Si verò aſſerantur eſſe diſtincta, multiplicantur entia. Quia diſtinguuntur realiter principia viſionis DEI, ídque ſinè fundamento, & neceſſitate. Cùm nullum fundamentum, & neceſſitas hujuſmodi diſtinctionis, & multiplicationis afferri poſſit. Neque enim tale fundamentum habetur ex Ratione, neque ex Authoritate. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

163. Objicitur, & probatur: Speciem impreſſam DEI eſſe diſtinctam à Lumine gloriæ. *Primò*: De quibus verificantur prædicata contradictoria, illa ſunt diſtincta realiter. Cùm implicet de uno, eodémque verificari contradictoria. Sed de ſpecie impreſſa, & de Lumine gloriæ verificantur contradictoria. Nimirum de Lumine gloriæ verificatur, quòd ſit de fide illud dari. De ſpecie impreſſa verificatur: non eſſe de fide illam dari. Itèm verificatur de ſpecie impreſſa DEI, quòd ſit intelligibilitas DEI, de Lumine verò gloriæ, quòd non ſit intelligibilitas DEI. Ergo Lumen gloriæ, & ſpecies impreſſa DEI diſtinguuntur à ſe realiter.

164. Secundò: Species impreſſa Dei, & Lumen gloriæ differunt à ſe eſſentialiter, & per ſua prædicata eſſentialia. Nimirum ſpecies impreſſa differt per hæc prædicata: quòd ſe teneat ex parte objecti, quòd ſit ſemen objecti, quòd ſit virtus vicaria, locò, & nomine objecti concurrens ad viſionem DEI. Lumen verò gloriæ differt per hæc prædicata: quòd ſe teneat ex parte potentiæ, quòd potentiæ inſufficientiam compleat, intellectum elevet, roboret, &c. quæ prædicata ſunt eſſentialia hæc Lumini gloriæ, illa ſpeciei impreſſæ. Ergo ſpecies impreſſa, & Lumen gloriæ non identificantur ſibi, nec poſſunt identificari. Repugnat enim prædicata differentialia, per quæ aliqua à ſe differunt, ſibi identificari. Aliàs aliquid differret à ſe ipſo.

165 Obji-

165. Objicitur tertiò. Non est de ratione speciei impressæ DEI, identificari illam Lumini gloriæ. Siquidem potest distingui à Lumine gloriæ. Ergo non identificatur eidem. Consequentia probatur. Implicat identificari ea realiter, quæ possunt à se distingui realiter. Quod enim est semel identificatum alicui, semper est identificatum, nec potest non esse identificatum. Vicissimque, quod est semel distinctum, semper est distinctum, nec potest non esse distinctum. Aut si potest esse distinctum, non est, nec potest esse identificatum. Ergo si species impressa potest distingui à Lumine gloriæ, non est identificata eidem.

166. Quartò objicitur. Est perfectio DEI, quòd DEUS videatur defacto per suam Essentiam, imò quòd sit tantæ intelligibilitatis, ut non possit videri, nisi per suam Essentiam. Sed si daretur species impressa DEI, & identificaretur Lumini gloriæ, DEUS non videretur per suam Essentiam, nec esset tantæ intelligibilitatis, ut non posset videri, nisi per suam essentiam. Posset enim videri per speciem impressam identificatam Lumini gloriæ, quæ certè species non est Essentia DEI. Ergo.

167. Quintò tandem objiciuntur duæ paritates. Prima: Habitus infusus fidei non identificatur speciei impressæ objecti Fidei. Ergo neque Lumen gloriæ, quod se habet per modum habitûs, identificatur speciei impressæ DEI. Altera paritas est. Lumen materiale non est identificatum speciei impressæ objecti colorati. Ergo neque Lumen gloriæ est identificatum speciei impressæ DEI.

Solvuntur Objectiones.

168. Respondetur ad primum cum Distinctione. De quibus secundùm esse reale, & objectivum spectatis verificantur contradictoria, illa sunt distincta realiter. Concedo Majorem. De quibus pro statu intentionali formali spectatis verificantur contradictoria, illa sunt distincta realiter. Nego Majorem. Sed de specie impressa DEI, & Lumine gloriæ existentibus, spectatis pro statu intentionali formali verificantur contradictoria. Concedo Minorem. Sed de specie impressa, & Lumine gloriæ defacto existentibus, spectatis pro statu reali, & secundùm esse reale verificantur contradictoria. Nego Minorem, & Consequentiam, & dico: Prædicata contradictoria, si quæ dicuntur de specie impressa, & de Lumine gloriæ, dici de illis pro statu intentionali spectatis, hoc est, prout substant diversis conceptibus præcisivis. Nimirum de Lumine gloriæ sub conceptu explicito talis luminis verificatur, quòd sit de fide illud dari. De eodem verò Lumine, & de specie impressa spectatis pro statu reali, quidquid verè dicitur de Lumine gloriæ, id ipsum verè dicitur de specie impressa. Nimirum verè dicitur: quòd tota entitas, quæ indivisibiliter est Lumen gloriæ, & species impressa, sub conceptu Luminis gloriæ, quòd detur, sit de fide; sub alio conceptu, nimirum sub conceptu speciei impressæ, non est de fide. Sicut de unione Hypostatica, quæ per identitatem realem est modus, est verum dicere: quòd sit de fide illam dari sub conceptu unionis Hypostaticæ; non sit verò de fide illam dari sub conceptu modi, seu dictam unionem esse modum. Sicut itèm de ipso Lumine gloriæ, quod realiter, & per identitatem realem est ratio agendi, secundùm aliquos adæquata, secundùm alios inadæquata; verum est dicere: de fide esse lumen hoc dari sub conceptu luminis; non est autem de fide, esse illud rationem agendi inadæquatam respectu visionis, vel ùt alii volunt, rationem adæquatam.

169. Ad secundum Respondetur iterum cum Distinctione. Lumen gloriæ, & species impressa differunt à se invicem essentialiter differentia reali, & physica. Nego Antecedens. Differentia intentionali, & ex parte actûs. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam, ac dico: Lumen gloriæ, & species impressa differunt quidem essentialiter; hæc tamen differentia non est realis, quia non est differentia rei à re, seu entitatis unius ab alia entitate, sed est differentia intentionalis, seu est differentia duarum rationum, & prædicatorum, intentionaliter nonnisi, & per rationem à se distinctorum. Unde non sequitur hæc non identificari secum realiter. Nec obstat, quòd hæc differentia sit per prædicata essentialia. Non obstat inquam, est enim hæc differentia per prædicata essentialia non rerum, & entitatum diversarum, sed per prædicata essen-

eſſentialia Rationum à ſe præciſarum, & formalitatum à ſe per rationem diſtinctarum. Cùm enim hæ rationes per rationem ſint diverſæ, habent prædicata ſibi eſſentialia, per quæ differunt ex modo noſtro concipiendi, licèt à parte rei hæc ipſa prædicata ſecum identificentur, & in unam coadunentur entitatem. Talia prædicata ſunt: tenere ſe ex parte potentiæ, & tenere ſe ex parte objecti: Intellectum elevare, & cum intellectu locò objecti, per modum principii *quò*, concurrere. Quæ licèt dici poſſunt prædicata eſſentialia, & differentialia Luminis gloriæ, ac ſpeciei impreſſæ, ſunt tamen prædicata rationum ex modo noſtro concipiendi diverſarum, & in unam entitatem per realem identitatem coadunatarum; non verò entitatum realiter diſtinctarum. Eô planè modô, quemadmodum eſſe principium ſenſationum, & eſſe principium ratiocinationum, ſunt prædicata eſſentialia differentialia animalis, & rationalis. Quæ ipſa duo ſunt formalitates, & rationes ſecum realiter identificatæ, & per rationem nonniſi præciſæ, non ſunt verò duæ res realiter à ſe diſtinctæ, & diverſæ.

170. Ad tertium Reſpondeo, diſtinguendo Antecedens. Non eſt de ratione ſpeciei impreſſæ DEI, ſpeciei inquam ùt ſic, ſeu cujuſcunque poſſibilis ipſam identificari cum Lumine gloriæ. Concedo Antecedens. Siquidem poſſibilis eſt ſpecies impreſſa DEI diſtincta à Lumine. Non eſt de ratione ſpeciei impreſſæ DEI hujus in particulari, v. g. actu exiſtentis ipſam identificari cum Lumine gloriæ. Nego Antecedens. Unde etiam ex rationibus in probationem Conſequentiæ adductis, implicat hanc ſpeciem, quæ defacto datur, non identificari Lumini, ſeu diſtingui illam realiter à Lumine gloriæ. Idem Antecedens aliter poteſt ſic diſtingui: Non eſt de ratione ſpeciei impreſſæ abſtractè acceptæ, & independenter à facta ſuppoſitione diſtinctionis, vel identitatis cum Lumine gloriæ, identificari ipſam Lumini gloriæ. Concedo Antecedens. Siquidem in ratione formali ſpeciei impreſſæ abſtracta, & præciſa à ſuppoſitione identitatis, vel diſtinctionis à Lumine, neque involvitur identitas cum Lumine, neque ex ea infertur. Non eſt de ratione formali ſpeciei impreſſæ contractè ſumpta, ſeu de ratione ſpeciei dicentis identitatem cum Lumine, & ſupponentis ſenſum compoſitum talis identitatis. Non eſt, inquam, de ratione ſpeciei ſic ſumptæ, identificari illam Lumini. Nego Antecedens, & Conſequentiam. Ea, quæ afferuntur in Probationem Conſequentiæ, oſtendunt, ex ſuppoſitione identitatis inter ſpeciem impreſſam, & Lumen gloriæ, ac in ſenſu compoſito talis identitatis non poſſe hæc diſtingui. Sicut è contra ſpecies impreſſa, & Lumen gloriæ ex ſuppoſitione diſtinctionis inter iſta, & in ſenſu compoſito ejuſdem, non poſſunt hæc ſecum identificari. Non probant autem ſpeciem impreſſam, & Lumen gloriæ, independenter à ſuppoſitione diſtinctionis, attentis præcisè rationibus propriis tam Luminis gloriæ, quàm ſpeciei impreſſæ, ſecundùm ſe ſpectatis, non poſſe ſecum identificari.

171. Ad quartum Reſpondeo cum Diſtinctione: Eſt perfectio DEI, quòd defacto DEUS videatur per ſuam Eſſentiam tam terminativè, quàm immediatè motivè, imò quòd ſit tantæ intelligibilitatis, ut non poſſit videri, niſi per ſuam Eſſentiam tam terminativè, quàm immediatè motivè. Nego Majorem. Quòd videatur per ſuam Eſſentiam terminativè, non verò motivè, & quòd ſit tantæ intelligibilitatis, ut non poſſit videri, niſi per ſuam Eſſentiam terminativè, quamvis non debeat videri per ſuam Eſſentiam im̃ediatè motivè cum excluſione motivi creati *ùt quò*. Omitto hanc partem diſtinctæ Majoris. Diſtinguo deinde Minorem. Sed ſi ſpecies impreſſa DEI daretur, & identificaretur Lumini gloriæ, DEUS non videretur per ſuam Eſſentiam terminativè. Nego Minorem. DEUS non videretur immediatè motivè, & cum excluſione ſpeciei impreſſæ. Concedo Minorem, & nego Conſequentiam, ac dico: Dici poſſe, quòd ſit perfectio DEI videri DEUM per ſuam Eſſentiam terminativè, hoc eſt, ità, ut viſio DEI terminetur immediatè ad Eſſentiam Divinam, nec poſſit non terminari ad eandem. Non eſt autem perfectio DEI, ità DEUM videri per ſuam Eſſentiam immediatè etiam motivè, ut non poſſit videri, niſi per ſuam Eſſentiam etiam motivè, & cum excluſione ſpeciei impreſſæ. Sicut non eſt perfectio DEI, ipſum videri per ſuam Eſſentiam effectivè cum ex-

exclusione Luminis gloriæ. Potiùs enim, sicut perfectio DEI est, posse ipsum videri per suam Essentiam, influente effectivè in visionem, vel ipso DEO immediatè tanquam causa efficiente particulari, vel Lumine gloriæ; ità perfectio ejusdem est, posse ipsum videri per suam Essentiam, influente in ratione objecti in visionem, vel ipso DEO, vel specie impressa DEI.

172. Ad quintum Respondeo. Primæ Paritatis negant aliqui Antecedens, & dicunt: Habitum infusum fidei identificari speciei impressæ Authoritatis, & locutionis Divinæ. Omisso tamen Antecedente videtur neganda Consequentia. Disparitas est. Quia Distinctionis realis inter habitum infusum fidei, & inter species impressas objectorum fidei, habentur fundamenta. Quale fundamentum est separabilitas entitativa inter habitum infusum fidei, & inter species impressas objecti fidei. Habitum enim infusum fidei habent, & habere possunt amentes in amentia, & infantes in infantia baptizati, qui tamen non habent species impressas objectorum credendorum. Neque enim habent species omnium, neque aliquorum. Non aliquorum; cùm non sit major ratio pro his, quàm pro aliis. Non omniū; quia species objectorum in hominibus sicut naturales non sunt concreatæ, ità supernaturales non sunt simul infusæ. Imò probabile est, quòd etiam species naturales cum habitu infuso fidei, possint concurrere ad actum supernaturalem fidei. Alterum Distinctionis fundamentum inter habitum infusum fidei, & inter species objecti fidei est indifferentia habitûs infusi fidei jam ad has, jam ad illas species objectorum credendorum. Tertium fundamentum est dependentia specierum impressarum objecti fidei ab actibus elicitis dependenter ab habitu fidei. Hæ enim species connaturaliter comparantur dependenter ab actibus fidei. Jam verò distinctionis realis inter Lumen gloriæ, & inter speciem impressam DEI, non sunt hæc, nec similia fundamenta. Imprimis enim Lumen gloriæ, & species impressa DEI, non sunt à se separabilia, Cùm nullibi unum sinè altero detur. Deinde Lumen gloriæ non est indifferens ad speciem impressam DEI talem vel talem, nec ante hanc præextitit. Tandem species impressa DEI non comparatur dependenter ab actibus, à Lumine gloriæ causatis. Ergo. Secundæ etiam Paritati similis danda est disparitas. Nimirum, quòd lumen materiale non identificetur speciei impressæ materiali objecti materialis, habetur fundamentum ex separabilitate entitativa luminis hujus à dictis speciebus. Itèm ex præexistentia Luminis, antequam species diffundantur ab objectis. Tandem ex dependentia Luminis materialis, & speciei impressæ materialis objecti à diversis principiis. Lumen enim materiale producitur v. g. à sole: Species impressæ producuntur ab objecto colorato. Talia verò fundamenta non habentur pro distinctione Luminis gloriæ à specie impressa DEI.

§. IV.

An sit possibilis Species creata expressa DEI? an itèm Verbum mentis detur, & an sit distinctum à Visione DEI?

173. Respondeo, & dico: Speciem expressam DEI creatam, & Verbum mentis esse possibilia, imò dari, nec esse distincta ab ipsa Visione DEI. Ratio primi est à nullitate implicantiæ. Ratio secundi, & tertii est, Quia datur visio intuitiva Dei. Ergo datur species expressa ejusdem, & verbum mentis. Hæc enim sunt indistincta à visione, ùt docet S. Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 11. dum dicit: *Cùm DEUM novimus, notitia illa placita, dignéque amata, Verbum est, fitque aliqua similitudo illa notitia.* Et iterum: *Notitia habet aliquam similitudinem ad eam rem, quam novit. Adeòque imago, & verbum est, quia de illa exprimitur.* Et rursus lib. 14. cap. 17. *In hac quippe imagine* (id est anima) *tunc perfecta erit similitudo, quando perfecta erit visio.* Ratio insuper est. Tum quia species expressa est signum manifestativū, & expressivum objecti procedens ab intellectu. Sed tale signum est visio. Cùm non possit assignari alius effectus formalis visionis, nisi repræsentare intellectui, & clarè exprimere Essentiam DEI. Ergo. Tū quia in Divinis Verbum Divinum non est distinctum à productione, & passiva sui generatione. Ergo & in creatis verbum

bum mentis non est distinctum à productione sui, adeóque à visione, quæ deberet esse productio verbi. Sicut omnes aliæ operationes intellectûs sunt productiones verbi.

QUÆSTIO III.

De Objecto Visionis.

OBjectum Visionis DEI dividitur communiter in primarium, & secundarium. Primarium est ipse DEUS. Secundarium sunt creaturæ, & omnia cognoscibilia. De utroque hoc objecto agemus duplici sequenti Puncto.

PUNCTUM I.

De Objecto primario Visionis DEI.

§. I.

An possit videri Essentia DEI non visis attributis?

Posse videri Essentiam non visis attributis, asserunt Scotistæ, negant Thomistæ, & plures è Nostris.

174. Respondeo, & dico: Essentiam Divinam non posse videri non visis ex parte objecti directi attributis. Posse autem eandem videri non visis iisdem attributis ex parte actûs.

Ratio primi est. Quia sicut implicat Præcisio objectiva per cognitionem ænigmaticam Essentiæ Divinæ ab attributis, ità implicat præcisio objectiva per cognitionem intuitivam ejusdem Essentiæ Divinæ ab attributis. Non minùs enim hæc præcisio, ac illa infert contradictionem in unum, idémque realiter adæquatè objectum. Ergo.

175. Ratio secundi est. Tum quia nulla est in eo implicantia, quòd videatur Essentia DEI, non visis ex parte actûs attributis, ùt constabit solutione Objectionũ. Tum quia per visionem sensibilem objecti colorati frequenter percipimus, quòd objectum illud sit color, non percipimus autem, qualis sit color, an ruber, an viridis, &c. Percipimus etiam aliquando rationem specificam albedinis, non verò rationem individualem. Quod exinde colligitur: Quia si locò albedinis A substitueretur albedo B. non deprehenderetur tunc mutatio. Insuper per visionem albedinis percipitur ratio albedinis, non percipitur verò ratio accidentis, ratio itèm dependentiæ essentialis à DEO. Ergo. Nec valet, si dicas: visione sensibili percipi rationem albedinis, non verò rationem accidentis. Quia ratio accidentis est extra adæquatum objectum potentiæ visivæ materialis; non sunt autem extra objectum adæquatum potentiæ visivæ spiritualis attributa DEI. Non valet, inquam, si enim ratio albedinis potest esse intra objectum potentiæ visivæ materialis, ità ut simul sit extra objectum ejusdem potentiæ ratio accidentis, potest pariter Essentia DEI ità esse objectum alicujus visionis actualis intellectualis, ut ejusdem visionis non sint objectum attributa Divina. Tum quia visio hæc intuitiva Dei, quæ defacto datur in Beatis, est talis, ut per illam videatur Essentia Divina non visis ex parte actûs prædicatis secundariis Divinis, seu gradibus attributorum. Per illam enim à plerisque Beatis videtur Essentia Divina, non visa distinctè potentia productiva leonis, vel muscæ; aliàs qualibet visione DEI deberent distinctè videri omnia possibilia in Verbo. Ergo saltèm possibilis est visio, qua videatur Essentia DEI, non visis ex parte actûs perfectionibus primariis, seu ipsis attributis Divinis. Confirmatur. Visâ Essentiâ DEI non est necesse cognosci etiam confusè omnia possibilia, omne itèm tempus extrinsecum possibile, omnem locum extrinsecum possibilem. Sicut non est necesse cognosci distinctè species aliquas, ùt leonis, equi, &c. Ergo neque est necesse visâ Essentiâ Divinâ cognosci ex parte actûs, omnipotentiam, æternitatem, immensitatem DEI, &c. Consequentia probatur. Quia hæc attributa Divina non possunt cognosci ex parte actûs, nisi indirectè, & tanquam connotata, ac termini eorundem cognoscantur, omnia possibilia, omne tempus extrinsecum possibile, & omnis locus extrinsecus possibilis. Ergo.

Pro-

Proponuntur Objectiones.

176. Objicitur primò contra secundam Conclusionis partem. Si Essentia Divina ex parte actûs posset videri, non visis ex parte actûs attributis, tunc visio illa & esset intuitiva, & non esset. Esset intuitiva, ùt supponitur. Non esset autem. Tum quia talis visio non repræsentaret DEUM, sicutì est à parte rei. DEUS enim à parte rei est Omnipotens, æternus, immensus, &c. Visio autem Essentiæ Divinæ sinè attributis non repræsentaret DEUM, ùt omnipotentem, ùt æternum, ùt immensum. Tum quia talis visio esset cognitio abstractiva. Per illam enim abstraheretur Essentia ab attributis. Ergo non est intuitiva. Cùm cognitio abstractiva, & intuitiva sibi opponantur. Tum quia talis visio esset cognitio confusa. Si enim videretur Essentia Divina, non visa v. g. Omnipotentia DEI, per talem visionem confunderetur DEUS cum potentia limitata, vel cum impotentia, sicutì confunditur homo cum brutis; dum ex parte actûs cognoscitur animal, non cognoscitur verò rationale. Atqui repugnat cognitionem intuitivam DEI esse confusam. Quò magis enim unum objectum distat ab alio, illúdque excedit, eò minùs per visionem cum illo potest confundi. Et sic quia Templum v. g. Cracoviense S. Petri excedit magno excessu muscam, ideò per visionem non potest confundi cum musca. Ergo. Tum quia repugnat per visionem intuitivam DEI videri tantùm rationem entis, non verò alia prædicata. Repugnat itèm per visionem intuitivam DEI non videri existentiam exercitam, & actualem; non videri itèm prædicatum aseitatis. Ergo etiàm repugnat, per visionem intuitivam non videri Omnipotentiam, vel alia attributa. Tum quia implicat visio intuitiva DEI inadæquata. Sed visio, quâ videretur Essentia, non visis ex parte actûs attributis, esset visio inadæquata. Ergo. Major probatur. Quia implicat DEUM non esse actum purissimum, ejúsque intelligibilitatem non esse summæ actualitatis, exclusivam omnis potentialitatis. Atqui si daretur visio DEI inadæquata, DEUS non esset actus purissimus, ejúsque intelligibilitas non esset summæ actualitatis, nec esset exclusiva potentialitatis ulterioris ad intelligi: ità enim videretur per visionem inadæquatam, ut essent in DEO aliqua intelligibilia, quæ tamen non viderentur. Ergo.

177. Objicitur secundò. Si posset videri intuitivè Essentia DEI non visis attributis, visio hujusmodi & esset beatifica, & non esset. Sed hoc implicat. Ergo. Sequela probatur. Esset beatifica. Quia visio intuitiva DEI debet esse beatifica. Cùm in illa consistat beatitudo formalis ipsius Beati. Non esset autem beatifica. Tum quia visio conjuncta cum ignorantia, sive positiva, sive negativa, vel certè fundativa talis ignorantiæ non potest esse beatifica. Visio enim fundativa miseriæ non potest esse beatifica; visio autem fundativa ignorantiæ est fundativa miseriæ. Quia talis ipsa ignorantia est miseria naturæ rationalis. Atqui visio, quâ videretur Essentia DEI non visis attribuis, esset fundativa ignorantiæ sive positivæ, sive negativæ. Is enim, qui tali visione videret DEUM, interrogatus, an DEUS sit Omnipotens, vel deberet negare, DEUM esse Omnipotentem; & sic haberet ignorantiam positivam; vel nec affirmare, nec negare posset, sed solùm posset dicere: *Nescio*; & sic haberet ignorantiam negativam. Ergo. Tum quia visio, quæ non est satiativa, nec quietativa appetitûs videntis, non est beatifica. Illa autem visio, quâ videretur Essentia non visis attributis, non est satiativa, & quietativa appetitûs videntis. Est enim potiùs conjuncta cum rationabili solicitudine, & inquietudine ejusdem, ac desiderio cognoscendi, & videndi, quæ sint dotes, quæ perfectiones, ac prædicata boni à se visi, & amati. Tum quia visio beatifica debet esse visio, & cognitio summi Boni. Sicut enim beatitudò objectiva debet esse summum bonum, ità & beatitudo formalis; adeóque visio beatifica debet esse visio summi boni. Sed visio Essentiæ Divinæ non visis attributis non est visio summi boni. Essentia enim DEI formaliter, & ex parte actûs sumpta non est summum bonum. Sed potiùs ratio summi boni ex parte actûs est attributum, & proprietas Essentiæ. Deinde summum bonum dicit omne purum bonum; adeóque omnem puram perfectionem. Essentia autem ùt præcisa ab attributis non dicit omnem puram perfectionem. Quia non

non dicit attributa, quæ sunt puræ perfectiones DEI. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

178. Respondeo. Rationes utriusque Objectionis cum suis probationibus posse retorqueri contra visionem DEI, quâ videretur Essentia, & attributa, seu perfectiones primariæ DEI, non viderentur verò perfectiones secundariæ, seu gradus attributorum. Qualem visionem non solùm esse possibilem, sed etiam defacto dari, omnes admittere tenentur. Ad primum directè Respondeo, negando Sequelam, primam Probationem distinguo. Visio illa DEI, quâ ex parte actûs videretur Essentia non visis attributis, non repræsentaret DEUM, sicuti est, hoc est, non repræsentaret DEUM per speciem propriam, sed potiùs per species objectorum creatorum. Nego Antecedens. Non repræsentaret DEUM, sicuti est, hoc est, relatè ad omnes terminos, quos respicit. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam, ac dico: De ratione cognitionis intuitivæ esse, repræsentare DEUM, ùt est in se, in tantum nonnisi, ut non repræsentet DEUM per species alienas, sed ut repræsentet eundem per speciem propriam, vel DEO immediatè in ratione objecti concurrente ad visionem. Non est autem de ratione cognitionis intuitivæ DEUM repræsentare, sicuti est, eo sensu, ut repræsentet ipsum quoad omnes terminos, quos respicit. Aliàs esset pariter de ratione ejusdem cognitionis repræsentare DEUM, sicuti est, eo sensu, ut repræsentet eum distinctè, & in particulari quoad omnes suos terminos. Cùm enim DEUS taliter sit à parte rei, ut respiciat omnes in particulari, & singulos distinctè terminos, eosdémque in sua virtute contineat, non solùm quoad rationem communem, & genericam, sed etiam secundùm rationes particulares sive specificas, sive individuales; illa solùm visio deberet repræsentare DEUM, sicuti est, quæ repræsentaret eundem quoad omnes distinctè, ac in particulari terminos, omnésque, & singulas eorum rationes etiam specificas speciei infimæ, & individuales. Proindéque visio Beatorum, quæ defacto datur, si non est talis, non est, nec potest esse visio repræsentativa DEI, sicuti est. Secundam Probationem distinguo: Visio Essentiæ DEI sinè attributis, si talis daretur, esset cognitio abstractiva, hoc est, abstraheret ab Essentia objecti, solámque illius possibilitatem repræsentaret, vel certè esset cognitio mediata similis illi, quâ nunc ex creaturis DEUM cognoscimus. Nego Antecedens. Esset cognitio abstractiva, hoc est, præscinderet ex parte actûs ab aliquibus prædicatis DEI, licèt repræsentaret DEI existentiam, essétque cognitio immediata ejusdem. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam, ac dico: Cognitioni intuitivæ solùm opponi cognitionem abstractivam, prout hæc supponit, aut pro cognitione abstrahente ab existentia, & solùm repræsentante possibilitatem rei, aut pro cognitione mediata. Non opponitur verò cognitioni intuitivæ cognitio abstractiva, prout hæc supponit pro cognitione immediata objecti existentis, præscindente tamen ab aliquibus prædicatis ejusdem objecti. Tertiæ Probationis distinguo Sequelam Majoris. Cognitio illa, quâ videretur ex parte actûs Essentia sinè attributis, esset confusa, hoc est, esset ænigmatica. Nego Sequelam. Esset confusa, hoc est, non haberet omnimodam claritatem. Concedo Sequelam. Vel certè sic distinguo. Illa visio, seu cognitio esset confusa positivè, hoc est, esset repræsentativa DEI, quoad prædicata communia DEO cum creaturis, nec esset discretiva DEI à creaturis. Nego Sequelam. Esset confusa negativè, hoc est, non esset repræsentativa DEI, ea claritate, ut vi illius ex parte actûs clarè cognoscerentur omnia prædicata Dei. Concedo Sequelam. Distincta similiter Minore nego Consequentiam. Probationem ulteriorem Majoris vel simpliciter nego, vel certè distinguo. Per illam visionem DEUS confunderetur positivè cum potentia limitata, talísque potentia per visionem DEO appingeretur. Nego Probationem. Confunderetur negativè, hoc est, non repræsentaretur clarè Omnipotentia Divina. Concedo. Quartæ Probationis Antecedens negat Arriaga, dum censet possibilem esse visionem intuitivam DEI, quâ videatur in DEO sola ratio entis, solúmque DEUS per illam dignoscatur ab omni non ente, non dignoscatur verò ab ullo ente. Puto tamen probabiliùs negandam esse Consequen-

quentiam. Disparitas est. Ideo imprimis repugnat per cognitionem intuitivam DEI videri tantùm rationem entis, quia illa cognitio & esset per speciem propriam DEI, & non esset. Esset, ex ratione cognitionis intuitivæ. Non esset autem: Quia de ratione speciei impressæ DEI est, ità DEUM repræsentare, ut eum discernat ab omnibus, quæ non sunt DEUS. Quia de ratione hujus speciei est, esse veram & propriam assimilationem cum objecto, & similitudinem propriam objecti. Hæc autem, quò magis objectum distat ab aliis (prout DEUS distat infinitè à quibusvis distinctis à se objectis) eò minùs debet confundere cum illis aliis, adeóque debet illud discernere ab omni eo, quod non est ipsum. Repugnat deinde, per visionem intuitivam DEI præcisivam ab attributis, non videri existentiam DEI actualem & exercitam. Cùm de ratione visionis præcipuè intellectualis sit esse repræsentationem objecti exercitè existentis. Præterea in conceptu essentiæ Divinæ involvitur existentia exercita DEI. Quare videri hæc Essentia non potest, nisi videatur ipsa existentia DEI. Repugnat tandem per visionem Essentiæ DEI præcisivam ejusdem ab attributis, non videri aseitatem. Cùm enim illa visio supponatur esse visio essentiæ DEI; cùm itèm debeat esse visio discretiva DEI ab omni alio; debet necessariò per illam videri aseitas, utpote prædicatum constitutivum essentiæ, illúdque discretivum DEI ab omni alio ente. Addo possibilem etiam esse visionem, quâ ex parte actûs videatur attributum aliquod DEI discretivum ejusdem ab omni alio, prout exercitè existens, non visa ex parte actûs aseitate. Si hæc non est ratio Transcendens attributa Divina. Quintæ Probationis nego Majorem. Nego ulteriùs ex admissa visione inadæquata DEI, sequi debere in DEO tolli rationem actûs puri, rationem itèm summæ actualitatis essentialis intelligibilitati Divinæ, prout hæc sunt prædicata Divina & perfectiones simpliciter simplices. Nam sicut ratio actûs puri convenientis DEO, solùm excludit potentialitatem propriè dictam, & quæ involvit aliquam imperfectionem; quales potentialitates sunt: objectiva seu logica ad existere vel non existere; & potentialitas subjectiva ad acquirendam perfectionem aliquam intrinsecam. Quam utramque potentialitatem excludit ratio actûs puri, conveniens DEO: ùt dictum est num. 59 Disp. 1. Non excludit verò potentialitatem seu potentiam ad communicare se ad extra creaturis, per earundem productionem. Ità summa actualitas intelligibilitatis Divinæ excludit potentialitatem illam, quæ invehit in DEUM aliquam imperfectionem: qualis iterum potentialitas est vel objectiva, quæ stat in indifferentia ad existere vel non existere, adeóque quæ dicit potentiam ad non existere, vel est potentionalitas subjectiva, quæ esset ad acquirendam intellectionem actualem, DEO intrinsecam, quam DEUS aliquando non haberet. Eadem verò summa actualitas intelligibilitatis Divinæ, non excludit potentialitatem ad intelligi à creaturis, per earundem intellectiones, DEO objectivè ad illas concurrente, ídque non solùm ut talis intellectio existat vel non existat, sed etiam sit tantæ vel tantæ claritatis, tantæ vel tantæ extensionis, nimirum ut vel per illam videatur non solùm essentia, sed etiam attributa omnia, imò & gradus attributorum, vel ut videatur essentia non visis attributis, aut ipsorum gradibus.

179. Ad secundum Respondeo. Negando sequelam. Ad quam respondet Arriaga Visionem illam, quâ videretur essentia non visis ex parte actûs attributis, non fore beatificam, alii communiùs putant fore beatificam. Prima Probatio multùm probat: probat enim visiones Beatorum defacto existentes non esse beatificas. Quia etiam hæ sunt conjunctæ cum ignorantia, vel saltèm hujus sunt fundativæ, quatenus hæ visiones non repræsentant ex parte actûs prædicata secundaria, & gradus attributorum DEI. Beatus enim ille, qui sua visione, quâ DEUM videt, non videt ex parte actûs potentiam productivam leonis, tigridis &c. vi talis visionis ignorat, an DEUS sit productivus defacto leonis &c. Directè Distinguo Probationem. Visio conjuncta vel fundativa ignorantiæ circa ipsum summum bonum, seu fundativa talis ignorantiæ, ex vi cujus non possidetur summum bonum, non potest esse beatifica. Concedo Majorem. Visio conjuncta vel fundativa ignorantiæ circa respectus, quos summum bonum dicit

cit ad extra, non potest esse beatifica. Nego Majorem. & distincta Minore nego consequentiam, & dico: Non quamcunque ignorantiam esse fundativam miseriæ repugnantis Beatitudini & statui beatifico, sed solùm ignorantiam illam, quâ simpliciter non videtur nec possidetur DEUS. Secundæ Probationis nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: sicut visio, quæ nunc datur in Beatis, non conjungitur cum rationabili solitudine & inquietudine Beati, ac desiderio cognoscendi & videndi perfectiones secundarias DEI, seu gradus attributorum; cognoscendi itèm plures actus DEI liberos, quos Beatus non videt: ità nec visio Essentiæ Divinæ non visis ex parte actûs attributis, conjungitur cum solitudine & inquietudine Beati, nec cum desiderio videndi ipsa attributa. Quod ipsum ex eo ulteriùs est. Quia eo ipso, quòd per aliquam visionem possideatur summum bonum, intellectus & voluntas Beati in illo, ùt suo centro conquiescunt, nec per solicitudinem ac desiderium ultrà tendunt. Per illam verò visionem, per quam videretur essentia DEI, non visis ex parte actûs attributis, possideretur summum bonum. Igitur intellectus in tali visione, & voluntas in amore hinc consecuto quiescerent, nec ulteriùs per solitudinem ac desiderium tenderent. Tertiæ Probationis nego Minorem. Ad Probationem dico: Essentiam DEI ex parte actûs sumptam esse summum bonum, cum enim hæc essentia sit pura perfectio DEI, sitque prædicatum DEI perfectissimum & nobilissimum: ùt dixi: num. 20. Disp. 1. idem prædicatum necessariò est summum bonum. Sicut enim in ratione perfecti includitur & imbibitur ratio boni; cùm perfectum ex suo conceptu sit bonum integrum, cui nihil deest: Ità in prædicato summè perfecto, includitur ratio summi boni. Unde patet rationem summi boni non esse attributum & proprietatem essentiæ, sed esse prædicatum transcendens ipsam essentiam, in eáque imbibitum. Potest etiam hoc argumentum distingui: visio beatifica debet esse visio summi boni, quod in se sit tale. Concedo Majorem. Debet esse visio summi boni, sub conceptu talis boni. Nego Majorem. Distincta similiter Minore nego Consequentiam. Ad Confirmationem hujus Probationis dico, cum distinctione: summum bonum dicit formaliter vel eminenter omne purum bonum. Concedo; dicit omnino formaliter omne purum bonum. Nego. Porrò Essentia DEI ùt præcisa ab attributis, licèt non dicat formaliter omne purum bonum, cùm non dicat formaliter attributa, quæ singula sunt aliquod purum bonum. Quia sunt perfectiones simpliciter simplices, eadem tamen essentia dicit virtualiter omne purum bonum, quatenus est radix attributorum.

§. II.

An possit videri Essentia DEI sinè Personis, vel Personæ sinè essentia, vel una Persona sinè aliis?

180. Respondeo & Dico Primò: Non posse videri Essentiam DEI non visis ex parte objecti Personis; nec posse videri Personas, non visâ ex parte objecti Essentiâ. Non posse itèm videri unam Personam non visis ex parte objecti aliis. Est contra Scotum & Scotistas.

Prima pars probatur primò authoritate S. Augustini in Psal. 85. dicentis: *Patris & Filii non potest separari visio, ubi non separatur natura & substantia.* Et S Thomæ 2. secundæ Quæst. 2. Artic. 8. ad tertium dicentis: *Summa bonitas DEI, secundùm quod intelligitur in se ipsa, prout videtur à Beatis, non potest intelligi sinè Trinitate Personarum.*

Secundò probatur Ratione. Implicat essentiam Divinam aliquid agere ad extra non agentibus id ipsum ad extra Personis Divinis. Sed si Essentia Divina posset videri non visis ex parte objecti Personis, hoc ipso posset Essentia Divina agere ad extra non agentibus id ipsum Personis. Ergo. Major innititur communi illi Theologorum axiomati desumpto ex Concilio Toletano VI. & Lateranensi sub Innocentio III. Cap. Firmiter. *Opera Trinitatis inseparabilia sunt, seu indivisa ad extra.* Et Ratio à priori est. Quia virtus operativa ad extra est communis toti Trinitati. Hæc enim virtus est ipsa Omnipotentia DEI, quæ est communis omnibus Personis Divinis,

vinis. Ergo operatio procedens ab hac virtute, debet quoque communis eſſe toti Trinitati. Adeóque implicat eſſentiam Divinam agere aliquid ad extra non agentibus id ipſum Perſonis Divinis. Probatur jam Minor. Videri Eſſentiam Divinam non viſis ex parte objecti Perſonis, eſt agere Eſſentiam Divinam ad extra non agentibus Perſonis. Ergo. Antecedens probatur. Videri Eſſentiam Divinam non viſis ex parte objecti Perſonis, eſt Eſſentiam Divinam movere ad actum viſionis, non moventibus ad eundem actum Perſonis. Cùm enim Eſſentia Divina ſit motivum *quod* ſuæ viſionis, ipſum videri eſt movere ad actum viſionis. Non videri autem ex parte objecti Perſonas, eſt illas non movere ad viſionem. Si enim moverent ad talem actum, deberent videri per eundem. Cùm implicet motivum ùt *quod* actûs non terminare actum. Sed movere Eſſentiam Divinam ad actum non moventibus Perſonis, eſt agere ad extra Eſſentiam non agentibus Perſonis. Quia movere objectivè ad actum eſt in actu ſecundo eſſe ſufficientiam objectivam actûs, vi cujus hìc exiſtat. Eſſe autem talem ſufficientiam in actu ſecundo, eſt in genere cauſæ motivæ objectivæ agere & producere actum. Sicut eſſe ſufficientiam effectivam in actu ſecundo reſpectu actûs, eſt in genere cauſæ efficientis agere & producere actum. Ergo.

Pro ſecunda & tertia Reſponſionis parte probanda idem argumentum facilè accommodari poteſt.

181. Reſpondeo & Dico ſecundò. Poſſe videri Eſſentiam non viſis ex parte actûs Perſonis. Non poſſe tamen videri Patrem, non viſo ex parte actûs Filio & viciſſim. Nec Spiritum S. poſſe videri ex parte actûs, non viſo ex parte actûs principio ſpirativo.

Primi Ratio prima eſt: Quia non implicat totum eſſe Divinum videri ſub conceptu Eſſentiæ, abſque eo, quòd videatur ſub conceptu Perſonarum, ùt patet ex nullitate implicantiæ. Ergo poteſt videri ex parte actûs eſſentia, non viſis ex parte actûs Perſonis. Siquidem videri eſſe Divinum ſub conceptu Eſſentiæ, non verò ſub conceptu Perſonarum eſt videri ex parte actûs Eſſentiam, non videri ex parte actûs Perſonas. Nec valet ſi dicas: Implicat movere eſſentiam ad aliquem actum non moventibus Perſonis, hoc verò fieret ſuppoſita Antecedentis veritate. Non valet inquam: Etiamſi enim ad viſionem movere debeant, ac agere tam Eſſentia quàm Perſonæ ex parte objecti ſpectatæ; tamen Eſſentia & Perſonæ ſpectatæ ex parte actûs, ſeu ſecundùm conceptus, ſub quibus veniunt, non debent movere; adeóque nec ſic attingi, ut viſâ eſſentiâ ſub conceptu eſſentiæ debeant cognoſci Perſonæ ſub conceptibus Perſonarum. Ratio ſecunda eſt. Quia ſicut non implicat viſio repræſentativa ex parte actûs, Eſſentiæ Divinæ, non repræſentativa verò ex parte actûs illorum prædicatorum abſolutorum DEI, quæ vocantur attributa; ità non apparet implicantia in tali viſione, ex vi cujus videatur eſſentia ex parte actûs, non videantur verò ex parte actûs prædicata relativa, adeóque Perſonæ.

182. Ratio ſecundi eſt: Quia per quam viſionem non ſolùm videtur Pater, ſed etiam videtur diſcretivè Filius, per illam ex parte actûs videtur Filius. Sed per viſionem ex parte actûs repræſentativam Patris, videtur diſcretivè Filius. Quia attingitur ſecundùm illum conceptum, ſecundùm quem eſt correlativus Patris. Siquidem correlativa debent eſſe ſimul cognitione. Eſt autem Filius ſecundùm conceptum Filii ſeu geniti, correlativus Patris. Ergo. Neque valet dicere: viſo Patre non eſt neceſſe videri Filium intuitivè, ſed ſatis eſt cognoſci illum abſtractivè. Sicut viſâ intuitivè creaturâ, non eſt neceſſe videri Creatorem, ſed ſatis eſt cognoſci Creatorem abſtractivè & ænigmaticè. Ergo viſo Patre non debet videri intuitivè Filius. Non valet inquam: Contrà enim eſt: Quando neceſſe eſt Filium cognoſci per ſpeciem propriam, eſt neceſſe videri Filium intuitivè. Sed viſo intuitivè Patre, neceſſe eſt cognoſci Filium per ſpeciem propriam. Pater enim videri non poteſt, niſi per ſpeciem propriam, & ſui ipſius & Filii. Cùm ſpecies propria repræſentativa Patris, ſit repræſentativa Filii, prout eſt in ſe, & prout eſt æqualis & conſubſtantialis Patri. Non eſt verò repræſentativa adinſtar Filii creati, & entis creati. Ergo.

Proponuntur Objectiones contra Conclusionem primam.

183. Objicitur, & probatur, visâ Essentiâ posse ex parte objecti non videri Personas. *Primò:* Videri Essentiam non visis ex parte objecti Personis, neque implicat ex ratione generica visionis, neque ex ratione specifica visionis beatæ. Ergo simpliciter non implicat videri Essentiam non visis ex parte objecti Personis. Antecedens probatur imprimis quoad primam partem. Non implicat unum ex distinctis realiter inadæquatè extensivè, vel alia distinctione sufficiente ad salvanda contradictoria videri, non visò aliò. Atqui Essentia Divina est unum ex distinctis tali distinctione, alterum ex distinctis sunt Personæ. Ergo. Probatur deinde idem Antecedens quoad secundam partem. Non est de ratione visionis beatæ, ut per illam videatur tam Essentia Divina, quàm etiam Personæ. Nam Pater æternus pro illo priori, quo Origine præcedit Filium, habet visionem beatam. Cùm sit pro illo priori summè felix, & verè beatus. Pater enim æternus sicut nullam perfectionem, ità nec beatitudinem accipit à Filio. Sed illa visio est Essentiæ Divinæ non visis Personis, Filii, & Spiritûs sancti; cùm hæ Personæ pro illo priori Originis non intelligantur existere. Ergo.

184. Objicitur secundò. Per visionem beatam potest Beatus præscindere Essentiam à Personis, idque potest præscindere objectivè. Tum quia talis præcisio per cognitionem DEI ænigmaticam non implicat, ùt constat ex dictis Disp. 2. Ergo neque implicat præcisio objectiva Essentiæ à Personis, per cognitionem intuitivam, seu per visionem. Tum quia de facto Beatus per visionem beatam potest judicare, quòd Essentia per identitatem communicetur Filio, non communicetur verò per identitatem Paternitas eidem Filio. Sed per tale judicium necessariò præscinditur objectivè à Personis Essentia. Ergo.

185. Objicitur tertiò. Non implicat unam Personam Divinam uniri Humanitati Christi, non unitâ Essentiâ, & aliis Personis eidem Humanitati. Ergo etiam non implicat videri unam Personam per hanc ipsam visionem non visâ Essentiâ, & aliis Personis.

Solvuntur Objectiones.

186. Respondeo ad primum negando Antecedens, & dico: Implicare ut videatur Essentia DEI non visis ex parte objecti Personis, implicare inquam ex ratione visionis intuitivæ hujus objecti, quod est DEUS. Primæ partis Probationem distinguo: Non implicat ex distinctis inadæquatè extensivè videri unum non viso ex parte objecti alio, dum utrique ex distinctis est una, eademque virtus motiva. Nego Majorem. Si habeant diversas rationes, & virtutes motivas. Concedo Majorem, Eodem modo distincta Minore nego Consequentiam, & dico: Sicut implicat unum ex distinctis realiter inadæquatè extensivè agere ad extra, alterum non agere, v. g. implicat, ut Essentia producat mundum, Persona Patris non producat mundum; ità implicat ex distinctis realiter inadæquatè extensivè, unum videri, alterum non videri. Cùm videri sit agere ad extra, hoc est, movere; non videri sit non agere ad extra. Secundæ partis Antecedentis Probationem nego. Nego itèm Minorem ulterioris Probationis, & dico: quòd pro illo priori Originis, in quo Pater æternus præcedit Origine Filium, visio beatifica, quâ Pater æternus est beatus, sit visio non solùm Essentiæ, sed etiam omnium Personarum Divinarum. Adeóque quòd pro illo priori Pater æternus habeat visionem Filii æterni. Nec obstat, quòd pro illo priori non existat Filius. Quia etiam creaturæ, quæ existunt in tempore, non extiterunt ab æterno, & tamen DEUS ab æterno habuit scientiam visionis earundem, non quidem ùt existentium ab æterno, sed prout existentium in certa temporis differentia. Pariter ergo licèt Filius æternus non extiterit pro illo priori Originis, quo Pater præcedit Filium, habuit tamen Pater æternus pro illo priori visionem Filii, non quidem prout existentis pro illo priori, sed prout existentis in posteriori Originis.

187. Ad secundum Respondeo cum Distinctione. Per visionem beatam potest Beatus præscindere objectivè Essentiam à Personis, præcisione positiva, quæ fit, dum attinguntur tam Essentia, quàm Personæ per eandem visionem, ac ità secum comparantur, ut de Essentia aliquod prædica-

dicatum affirmetur, quod negatur de Persona. Concedo Antecedens. Per visionem beatam potest Beatus præscindere objectivè Essentiam à Personis præcisione negativa, quâ attingatur, & videatur Essentia, non attingantur verò, nec videantur ex parte objecti Personæ. Nego Antecedens, & Consequentiam. Primæ Probationis transito Antecedente, nego Consequentiam. Disparitas est. Quia respectu cognitionis ænigmaticæ, vi cujus cognoscitur Essentia Divina non cognitis Personis, Essentia Divina non habet se per modum motivi, sed motivum talis cognitionis est vel authoritas DEI loquentis, vel sunt entia creata, per quorum similitudinem, & species cognoscitur Essentia DEI. Jam verò respectu visionis beatæ Essentia Divina habet se per modum motivi. Porrò ex ratione motivi ostensum est, Essentiam Divinam ità debere attingi, & videri, ut simul ex parte objecti videantur Personæ. Antecedentis transiti ratio hæc dari potest: Quia etiam per cognitionem ænigmaticam Essentia DEI à Personis ex parte objecti præscinditur præcisione positiva, non verò præcisione negativa, ratione cujus præcisionis habetur, ut dum cognoscitur Essentia, cognoscantur Personæ. Secundæ Probationis distinguo Minorem. Per tale judicium Essentia necessariò præscinditur ex parte objecti à Personis præcisione positiva. Concedo Minorem. præscinditur negativè, & omissivè, seu præcisione negativa. Nego Minorem, & distinguo similiter Consequens.

188. Ad tertium Respondeo negando Consequentiam. Disparitas prima est. Quia ex hoc, quòd Persona Verbi uniatur Humanitati Christi, non uniatur verò Essentia, nec aliæ Personæ, non sequitur unam Personam agere ad extra non agentibus aliis. Uniri enim Personam Humanitati, non est agere, sed est esse præcisè terminum intrinsecum. Si verò videretur una Persona non visis ex parte objecti aliis, tunc una Persona ageret ad extra non agentibus aliis. Videri enim unam Personam est agere ad extra. Quia est movere ad actum, quod est propriè agere. Non videri verò alias Personas, est illas non movere ad actum; adeóque nec agere ad extra. Disparitas secunda est. Quia illa solùm prædicata contradictoria verificantur de diversis Personis, ac etiam de Essentia DEI, quæ secundùm fidei ac Patrum doctrinam debent verificari de iisdem. Horúmque prædicatorum verificatio bene salvatur per distinctionem, quæ est inter Personas ad se comparatas, & quæ est inter Essentiam, ac Personas. Secùs prædicata contradictoria, quæ nec fides, nec Patres exigunt, debere verificari de Personis, & Essentia, non debent de iisdem verificari, sed unũ, idémque ex contradictoriis prædicatum poterit verificari tam de hac, quàm de illa Persona. Itèm tam de Essentia, quàm de Personis. Et distinctio, quæ est inter talia extrema, non faciet, ut talia contradictoria ambo verificentur. Et sic hæc prædicata: producere hominem, non producere hominem, non bene dicuntur de Personis diversis, nec unum de aliqua Persona, alterum de Essentia, nec verificatio talium prædicatorum salvari potest per distinctiones, quæ sunt sive inter Personas adinvicem, sive inter Personas, & Essentiam. Siquidem fides non exigit illa verificari, sed potiùs exigit unum, idémque ex his prædicatis verificari tam de Personis, quàm de Essentia. Cùm ergo prædicata: uniri humanitati, non uniri humanitati, secundùm fidem, & doctrinam Conciliorum, & Patrum, debeant verificari de diversis Personis; nimirum de Filio debeat verificari, quòd uniatur humanitati, de Patre, quòd non uniatur; bene hæc salvantur per distinctionem, quæ est inter dictas Personas Divinas. E contra prædicata: videri, non videri, non debent verificari de diversis Personis, nec de Personis, ac Essentia, sed ex his unum, idémque prædicatum & potest, & debet verificari tam de Personis, quàm de Essentia. Nimirum, quòd, dum videtur Filius, videatur & Pater, videatur & Spiritus S. ac etiam videatur Essentia Divina. Quia fides non docet ex his contradictoriis unum de una Persona, alterum de altera Persona, vel de Essentia dici debere; quin potiùs Patres docent unum, idémque ex dictis contradictoriis dici debere de his omnibus, ùt constat ex num. 180.

§. III.

§. III.

Quænam defacto prædicata DEI videant Beati per Visionem beatam?

189. Respondeo, & dico: A beatis videri defacto non solùm Essentiam, sed etiam Personas. Videri itèm non solùm Essentiam metaphysicam, sed etiam attributa, & prædicata primaria DEI, saltèm ea, quæ expressè crediderunt in vita. Ex prædicatis verò liberis, qualia prædicata sunt actus DEI liberi, non videri ab omnibus Beatis, omnia hæc prædicata in particulari.

Ratio primi est ab Authoritate Concilii Florentini in literis unionis definientis: quòd *animæ in gratia DEI decedentes, à maculis peccati purgatæ intueanur clarè DEUM Trinum, & Unum, sicuti est.*

Ratio secundi est ab Authoritate tum sacræ Scripturæ, dicentis: *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Tum S. Augustini lib. de diligendo DEO cap. 18. *Quod hìc crediderunt, ibi videbunt.*

Ratio tertii est. Tum quia ex comuni Theologorum consensu, soli animæ Christi id est proprium cognoscere clarè, & distinctè omnia in particulari decreta DEI libera. Tum quia si viderentur omnia in particulari decreta DEI libera, deberent eò ipsò cognosci omnia in particulari complementa,& omnes termini dictorum decretorum, hæc autem non cognoscuntur à Beatis, aliàs deberent cognosci omnia entia existentia, sive præterita, sive præsentia, sive per totam æternitatem futura; quæ tamen, ùt constabit ex dicendis, non omnia distinctè cognoscuntur à Beatis. Tum quia decreta DEI libera sunt arcana Cordis Divini. Ergo non omnia debent à singulis Beatis videri: quandoquidem etiam in humanis non quævis arcana à quovis amico sciri debent, sed uni communicantur plura, alteri pauciora.

PUNCTUM II.

De Objecto secundario Visionis intuitivæ DEI.

Circa hoc Objectum quæri hìc potuit: an possibilis sit Visio omnium creaturarum possibilium in Verbo. Sed hoc quæsitum jam est resolutum superiùs.

§. I.

An possibilis sit Visio intuitiva DEI, quâ nulla creatura videatur in Verbo?

190. Respondeo affirmativè, & dico: Possibilem esse Visionem, quâ nulla creatura ab ipso distincta vidente, videatur in Verbo.

Ratio est. Tum quia in tali visione nulla apparet implicantia. Tum quia si ex aliqua ratione deberent videri in Verbo creaturæ possibiles, deberent videri ex hac ratione: Quia ad videndam Omnipotentiam Divinam, vel simile aliud attributum, necesse esset videri creaturas. Sed ex hac ratione non est necesse ipsas videri. Siquidem dari potest talis visio, quâ videatur sola Essentia DEI, vel certè hæc videatur, & illa præterea attributa, quæ in suo conceptu non dicunt habitudinem ad creaturas. Qualia attributa sunt: Immortalitas, Simplicitas, Unicitas DEI, &c. non videantur verò ex parte actûs, quæ in suo conceptu dicunt talem habitudinem. Ergo.

Addidi: quâ nulla creatura distincta ab ipso vidente videatur. Existimo enim quemvis Beatum videndo DEUM, etiam se ipsum debere cognoscere.

§. II.

An defacto à Beatis videantur in Verbo creaturæ possibiles?

191. Respondeo, & dico: Videri defacto à Beatis in Verbo tum omnes in communi, tum aliquas in particulari creaturas possibiles.

Ratio primi est. Quia defacto vident nunc ex parte actûs Omnipotentiam Divinam, Scientiam simplicis intelligentiæ, ideam, & comprehensionem perfectissimam omnium effectuum creabilium, quâ DEUS dirigitur in producendis iisdem effectibus, aliaque similia attributa in suo con-

conceptu dicentia aliquem ordinem ad creaturas possibiles. Siquidem in statu viæ hæc ipsa attributa per fidem cognoscebant. Sed eò ipsò, quòd beati videant Omnipotentiam Divinam, scientiam simplicis intelligentiæ, & similia attributa, vident creaturas possibiles in communi. Implicat enim videri prædicatum dicens Relationem Transcendentalem ad aliquem terminum, non viso, seu non cognito illo ipso termino. Ergo.

192. Ratio secundi est. Tum quia Beati inæqualiter vident DEUM. Ergo aliqui illorum ità vident attributa DEI, ut etiam videant perfectiones secundarias & gradus attributorum. Cùm inæqualitas visionum etiam penès hoc esse possit. Adeóque aliqui beati vident potentias productivas aliquarum in particulari creaturarum, v. g. potentiam productivam Angeli, leonis &c. Atqui has perfectiones non possunt videre Beati, nisi simul videant in particulari creaturas illas possibiles, à quibus extrinsecè specificantur dictæ potentiæ & perfectiones Divinæ. Ergo. Adverto, quòd licèt major claritas & intensio visionis unius præ alia, sit propriè in ordine ad idem objectum, sicut intensio qualitatum materialium desumitur in ordine ad idem subjectum, tamen intensio visionis, saltèm aliqua, potest haberi ab extensione ad plura objecta indirecta, eáque clariùs & distinctiùs cognita. Intensior enim est visio & cognitio objecti formalis & directi, si repræsentet clariùs & distinctiùs plures terminos, quos respicit ipsum objectum directum. Tum quia Beati, dum essent in via, saltèm plerique cognoverunt multa possibilia: circa hæc speculati sunt, disputârunt &c. idque cognoverunt illa, non solùm ex ratione, sed etiam cognoverunt per fidem, v. g. cognoverunt possibilitatem unionis hypostaticæ, quâ Verbum potuit uniri naturæ Angelicæ, fundamento accepto ex illo Scripturæ ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ergo hæc ipsa possibilia cognoscunt, dum sunt in statu Beatitudinis, idque vident illa in Verbo.

193. Dices. Ex eo, quòd aliqui Beati cognoscant quasdam perfectiones Divinas secundarias, v. g. potentiam productivam alterius mundi, itèm alterius solis &c. licèt bene inferatur debere cognosci aliquomodo alterum mundum & alterum solem, non inferri tamen, quòd cognosci intuitivè & videri debeant. Ad cognoscendas enim tales perfectiones satis est, si abstractivè & obscurè cognoscantur dicta possibilia. Respondeo. Si à Beato aliquo videantur intuitivè secundariæ perfectiones Divinæ, v. g. potentia productiva alterius mundi, vel alterius solis, bene hinc inferri alterum mundum, & alterum solem videri intuitivè à Beato, & non quomodocunque cognosci. Cùm enim cognoscantur in Verbo tanquam in suo perfectissimo exemplari & in causa tales effectus eminenter continente, clariùs ideo, & lucidiùs videntur hæc ipsa in Verbo, quàm in se ipsis, ùt docet S. Augustinus lib. 10. de Civit. DEI. cap. 7. dum dicit: *Creaturæ cognitio in se ipsa decolorativa est* (scilicet propter defectum, quem habet) *quàm, cùm in DEI Sapientia cognoscitur velut in arte, quâ facta est, scilicet propter negationem omnis defectus.*

§. III
Secundùm quod esse, & qua ratione videntur Creaturæ possibiles in Verbo?

194. Præmitto *Primò.* Creaturas possibiles duplex habere esse; unum eminentiale in DEO, alterum proprium in se ipsis. Esse eminentiale creaturarum, quod habent in DEO, est ipsa perfectio Omnipotentiæ Divinæ, continentis in sua virtute creaturas possibiles; seu est ipsa virtus Divina productiva creaturarum. Esse autem formale & proprium creaturarum, est illud ipsum esse, quod creaturæ in se ipsis habent, dum producuntur & ponuntur extra causas, seu, quod haberent, si producerentur.

195. Præmitto secundò. Aliquid posse cognosci modo duplici, vel in alio, vel in se ipso. In se ipso cognoscitur aliquid, dum cognoscitur secundùm se, & ratione sui, ità, ut excludat medium, ratione cujus cognoscatur, ipsúmque sit motivum respectu cognitionis, quâ cognoscitur. In alio cognoscitur aliquid, dum cognoscitur per aliud à se distinctum tanquam per medium *in quo*, & motivum cognitionis, quâ cognoscitur.

196. Præmitto tertiò. Posse iterum cognosci aliquid in alio, vel potiùs potest unum cognosci cognito alio, tripliciter. Primò Formaliter. Secundò Causaliter. Tertiò Concomitanter. Formaliter unum cognoscitur in alio, v. g. creaturæ cognoscuntur formaliter in Verbo tunc, quando per ipsam visionem essentiæ Divinæ, tanquam medii connexi cum creaturis possibilibus, & motivi formalis, cognoscuntur creaturæ possibiles, ùt objectum materiale & terminativum. Causaliter cognoscitur unum aliquid cognito alio. v. g. creaturæ possibiles cognoscuntur causaliter cognita & visa Essentia DEI, quando aliquid cognoscitur cognitione distincta à cognitione alterius, ab ipsa tamen physicè vel moraliter dependente, v. g. quando creaturæ possibiles cognoscuntur cognitione distincta à visione, quâ DEUS videtur, licèt causata ab eadem. Concomitanter cognoscitur unum cognito alio, quando vel unico actu cognoscuntur aliqua duo, sed disparatè, ità, ut unum respectu alterius non sit medium nec motivum, cum illo altero connexum, vel cognoscuntur aliqua duobus actibus distinctis à se invicem independentibus. His præmissis.

197. Respondeo & Dico primò. Creaturas possibiles videri in Verbo tam secundùm esse eminentiale, quàm secundùm esse formale & proprium.

Ratio primi est, à Beatis per visionem DEI videtur Omnipotentia Divina & virtus productiva creaturarum; itèm scientia simplicis intelligentiæ & ratio ideæ, ac artis perfectissimæ, secundùm quam produci debent eædem creaturæ, ùt dictum est num. 191. Ergo à Beatis videtur esse eminentiale creaturarum possibilium. Hoc enim esse sunt memorata attributa & perfectiones Divinæ.

198. Ratio secundi est. Per visionem, quâ Omnipotentia DEI, virtus productiva creaturarum, scientia simplicis intelligentiæ &c. videntur, per hanc inquam visionem non solùm videntur dicta prædicata, sed etiam videntur creaturæ possibiles tanquam termini connexionis essentialis & Relationis Transcendentalis, quam in suo conceptu dicunt eadem prædicata, ídque videntur secundùm illud esse, secundùm quod sunt termini dictæ relationis. Cùm ergo creaturæ possibiles, secundùm suum esse formale & proprium, sint termini connexionis, & relationis Transcendentalis dictorum prædicatorum, neque enim sunt eorum termini secundùm esse eminentiale, aliàs memorata prædicata dicerent connexionem & relationem realem ad se ipsa; sequitur, quòd creaturæ possibiles per visionem, quâ videtur DEUS, videantur secundùm suum esse formale & proprium.

199. Respondeo & Dico secundò. Creaturas possibiles videri tum in alio, tum in se ipsis.

Ratio primi est. Quia creaturæ possibiles videntur in Verbo, ùt in medio & motivo à se distincto, & secum connexo, súntque objectum materiale & terminativum visionis, quâ videtur omnipotentia Divina, ejúsque connexio, Relatio Transcendentalis ad creaturas possibiles. Ergo.

200. Ratio secundi est: Quia à Beatis videntur creaturæ non solùm illa visione, quâ videtur ipse DEUS, sed etiam cognitione distincta à visione DEI, licèt ab ipsa dependente, ùt patebit ex responsione sequente. Sed cognitio illa distincta à visione Verbi, est visio creaturarum in se ipsis. Quia est visio illarum secundùm se & ratione sui, ità, ut ipsæ creaturæ sint motivum respectu talis cognitionis. Respectu enim talis cognitionis jam non est motivum ipsum Verbum, seu Essentia Divina, aliàs hæc cognitio deberet esse visio Verbi, adeóque non esset distincta à visione Verbi, contrà, quàm supponatur.

201. Respondeo & Dico tertiò. Creaturas possibiles videri in Verbo à Beatis tum formaliter tum etiam causaliter.

Ratio primi est. Videri creaturas in Verbo formaliter, est videri creaturas per ipsam visionem Essentiæ Divinæ tanquam motivi formalis connexi cum creaturis possibilibus, ità ut ipsæ creaturæ sint solùm objectum terminativum, illúdque indirectum hujus visionis. Sed defacto videntur creaturæ per visionem Essentiæ DEI tanquam motivi cum creaturis possibilibus connexi, ídque videntur ùt objectum materiale terminativum & indirectum, ùt constat ex dictis superiùs. Ergo.

202. Ratio secundi est. Tum ab authoritate S. Augustini, qui lib. 4. de Genesi ad literam. cap. 22. & lib. 11. de Civit. DEI. cap.

cap. 7. *Cognitionem creaturarum in Verbo, vocat diurnam & matutinam. Cognitionem autem creaturarum in ſe ipſis, vocat veſpertinam.* Unde conſtat ex mente S. Doctoris, in Beatis dari duplicem cognitionem creaturarum, unam in Verbo, alteram in ſe ipſis. Porrò cognitio, quâ creaturæ videntur formaliter in Verbo, eſt ſimpliciter cognitio & viſio earundem creaturarum in Verbo. Cognitio autem, quâ creaturæ videntur in Verbo ſolùm cauſaliter, eſt propriè cognitio creaturarum in ſe ipſis. Dari utramque hanc cognitionem in Beatis, rurſus ſupponit idem S. Doctor lib. 11. de Civit. DEI. cap. 29. dum dicit: *Creaturam meliùs ibi, hoc eſt in Sapientia DEI, tanquam in arte, quâ facta eſt, quàm in ea ipſa ſciri.* Tum quia cognitio quâ videntur creaturæ in verbo cauſaliter, videtur admittenda eſſe in Beatis ratione ſtatûs beatifici, tanquam complementum ipſius, præcipuè cùm talis cognitio aliter repræſentet creaturas poſſibiles, & aliter eas repræſentet viſio, per quam formaliter videntur creaturæ in Verbo. Hæc enim repræſentat ſolùm creaturas ùt objectum materiale & terminativum; repræſentat itèm illas indirectè & tanquam terminum connexionis & Relationis, quam dicit DEUS ad creaturas. Illa verò repræſentat creaturas ùt objectum formale & motivum, repræſentat itèm illas directè & primariò.

§. IV.

An, & quomodo Creaturæ, exiſtentes videantur in Verbo à Beatis?

203. Reſpondeo & Dico primò. Non videri in Verbo ab omnibus Beatis omnes in particulari creaturas exiſtentes. Videri tamen omnes in communi. Videri itèm aliquas in particulari.

Ratio primi eſt. Quia ſi viderentur in Verbo ab omnibus Beatis, omnes creaturæ exiſtentes in particulari, tunc viderentur diſtinctè omnia Decreta DEI libera, viderentur enim omnes termini & omnia complementa talium Decretorum. Et cùm etiam videatur ipſa Ratio, & forma volendi, adæquatè DEO identificata, viderentur omnia DEI decreta, quæ his conſtituuntur. Sed hæc non videntur ab omnibus Beatis, ſecundùm dicta Num. 189. Ergo.

204. Ratio ſecundi eſt. Quia à Beatis videtur ſcientia Viſionis Divina; Ergo debent videri omnes termini illius ſaltèm in communi. Sicut viſâ omnipotentiâ Divinâ debent videri omnes termini illius ſcilicet omnes creaturæ poſſibiles in communi. Atqui termini Scientiæ Viſionis ſunt creaturæ exiſtentes. Ergo.

205. Ratio tertii eſt. Quia Beati in hac vita multas cognoverunt creaturas exiſtentes, ídque per actus fidei à ſe elicitos. Ergo juxta doctrinam à S. Auguſtino traditam has ipſas creaturas cognoſcent in Patria. Porrò Beati ex rebus creatis exiſtentibus cognoſcent *primò* Humanitatem Chriſti Domini, Beatiſſimam Matrem ejus & præcipua fidei noſtræ myſteria. *Secundò* cognoſcent clarè & diſtinctè cælum, terram, & præcipuas rerum ſpecies. *Tertiò* cognoſcent res, quæ geruntur in hoc mundo ſpecialiter ad ipſos pertinentes, quales v. g. ſunt preces hominum, in hac vita exiſtentium fuſæ ad Beatum. Ex rebus etiam futuris vident & videbunt multa ad ipſos ſpectantia, non tamen videbunt tempus futuri judicii, ùt conſtat ex verbis Chriſti Domini Matth. 24. *De illa die nemo ſcit.*

206. Reſpondeo & Dico ſecundò: Creaturas exiſtentes non videri in Verbo ſtrictè formaliter, videri tamen cauſaliter, imò quaſi concomitanter.

Ratio primi eſt. Quia ut Creaturæ exiſtentes videantur ſtrictè formaliter in Verbo, requiritur, ut per viſionem Verbi videantur tanquam objectum materiale & terminativum ejuſdem viſionis, reſpectu cujus ipſum Verbum & Eſſentia Divina ſit medium & motivum formale, illúdque connexum cum ipſo tali objecto materiali: ùt conſtat ex num. 195. Sed Creaturæ exiſtentes non videntur per viſionem Verbi tanquam objectum materiale, cum quo ſit connexum motivum formale viſionis, ipſum ſcilicet Verbum, ſeu Eſſentia Divina. Quia cum Creaturis exiſtentibus quâ talibus, nullum prædicatum Divinum connectitur. Non connectuntur enim prædicata DEI neceſſaria, ùt clarum eſt, ex quibus licèt aliqua dicant connexionem cum creaturis poſſibilibus nulla tamen cum exi-

existentibus. Non connectuntur etiam prædicata libera. Quia hæc potiùs juxta veriorem sententiam, complentur per creaturas existentes. Licèt verò talia prædicata connecterentur cum creaturis existentibus, tamen cùm hæc aliquomodo distinguantur ab Essentia Divina, non sunt motivum respectu visionis creaturarum existentium, ità ut hæ dici possint videri strictè formaliter in Verbo. Ergo.

207. Ratio secundi est. Quia Beati vident creaturas existentes cognitione aliquomodo dependente à Visione DEI, cùm talium creaturarum cognitio pertineat aliquomodo ad complementum status beatifici. Ergo Beati creaturas existentes vident causaliter in Verbo.

208. Ratio tertii est. Quia, quod per visionem Verbi ità videtur, ut respectu visionis talis objecti, Essentia Divina non se habeat per modum medii & motivi cum ipso connexi, sed habeat se disparatè, illud videtur concomitanter: ùt constat ex num. 195. Sed creaturæ existentes per ipsam Visionem Verbi ità videntur, ut respectu visionis creaturarum possibilium Essentia Divina non habeat se per modum medii & motivi connexi cum tali objecto. Minor probatur. Quia potest dari species impressa ipsius DEI (imò probabiliter talis defacto in Beatis datur) quæ simul sit species multarum creaturarum existentium. Atqui ex vi talis speciei videntur per ipsam visionem Verbi creaturæ existentes, licèt respectu illarum videndarum Essentia Divina non habeat se per modum motivi connexi, ùt patet ex num. 206. Ergo.


§. V.

An per Visionem DEI videatur reflexè hæc ipsa Visio ejúsque perpetuitas.

209. Respondeo affirmativè. Ratio est. Quia Beati credebant in vita gloriam illis conferendam fore perpetuam, juxta illud scripturæ: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ergo hoc ipsum in Patria debent videre per visionem Verbi. Adeóque per visionem debet videri ipsa visio ejúsque perpetuitas. Consequentia probatur: Quia Beati, quæcunque crediderunt in via, illa vident in Patria, idque vident in Verbo seu per visionem DEI, si non repugnat ea videri tali visione, non repugnat autem, ut per visionem videatur ipsa visio ejúsque perpetuitas, ùt diximus suprà num. 99.

210. Dices. Si Beatus videret perpetuitatem suæ visionis per ipsammet visionem, visio hujusmodi & esset intrinsecè indestruibilis & non esset. Non esset; Quia esset indestruibilis ratione Decreti Divini extrinseci, ratione cujus esset perpetuò duratura. Ergo esset indestruibilis extrinsecè: Simul verò esset indestruibilis intrinsecè. Quia esset indestruibilis ex prædicatis suis intrinsecis, nimirum ratione connexionis essentialis intentionalis cum Decreto DEI de se non destruenda unquam, & ratione essentialis exigentiæ ex vi cujus exigeret essentialiter non destrui, visio enim illa cùm deberet esse supernaturalis, deberet esse essentialiter vera, adeóque cùm repræsentaret se perpetuò duraturam, exigeret essentialiter non habere se aliter suum objectum, adeóque exigeret essentialiter perpetuò durare, nec unquam se destrui. Sed implicat visionem & esse intrinsecè indestruibilem, & non esse, imò implicat esse intrinsecè indestruibilem, etiamsi alterum contradictorium non inferretur. Quia implicat in visione talis exigentia ad esse, cui DEUS contravenire non possit. Ergo.

211. Respondeo. Aliquos Theologos negare Visionem, si repræsentet suam perpetuitatem, fore indestruibilem intrinsecè, sed solùm futuram indestruibilem extrinsecè. Siquidem repræsentaret se non destruendam unquam ratione Decreti Divini de se non destruenda. Alii cum Card. de Lugo censent visionem suæ perpetuitatis repræsentativam, primò originativè esse indestruibilem extrinsecè ratione decreti Divini de se non destruenda, hoc enim Decretum est radix & fundamentum, à quo originem suæ indestruibilitatis primò habet Visio, non solùm tanquam à causâ formali extrinsecè denominante, sed etiam tanquam ab objecto & termino suæ connexionis, & essentialis exigentiæ ad non destrui. Simul tamen eadem visio est indestruibilis intrinsecè ratione prædicatorum suorum essentialium sibi adæquatè intrinsecorum, per quæ essentialiter petit non destrui,



destrui, quæ prædicata in objectione sunt expressa. Et utramque hanc suam indestruibilitatem repræsentat visio. Patet hinc, ad Argumentum quid responderi debeat. Ad implicantiam, quâ impugnatur intrinseca indestruibilitas visionis, Respondeo cum distinctione: Implicat in visione talis exigentia ad non destrui independens à Decreto DEI, & ex suppositione antecedente omne Decretum DEI liberum, cui DEUS contravenire non possit. Concedo Probationem. Implicat in visione talis exigentia ad non destrui orta ex Decreto DEI, & ex suppositione consequente Decreti Divini liberi, cui DEUS contravenire non possit. Nego Probationem. Porrò in visione indestruibili intrinsecè ratione connexionis intentionalis cum Decreto DEI de se non destruenda, daretur talis exigentia ad non destrui, orta ex Decreto Divino, & ex suppositione consequente Decreti liberi.

DISPUTATIO IV.

De Intellectu, & Scientia DEI.

TRes Quæstiones continebit præsens Disputatio. Prima aget de intellectu DEI, Scientia in communi, ejúsque divisione. De objecto Scientiæ necessariæ, & Scientiæ simplicis Intelligentiæ. Secunda aget de Scientia Visionis, & de Scientia Objectorum absolutè futurorum. Tertia de Scientia Media, seu de Scientia Objectorum liberorum conditionatè futurorum.

QUÆSTIO I.

De Intellectu DEI, Scientia in communi, ejúsque Divisione, & Objecto Scientiæ necessariæ, ac Scientiæ simplicis Intelligentiæ.

PUNCTUM I.

De Intellectu DEI, Specie impressa, Habitu, & Motivo formali respectu Intellectionis Divinæ.

HOc Puncto aliquot Paragraphis examinabuntur hæc: an in Deo detur propriè sive potentia intellectiva, & intellectus per modum actûs primi, sive illa, quæ in creatis complent, & constituunt actum primum intelligendi?

§. I.

An detur in DEO potentia intellectiva, per modum actûs primi, condistincta ab Intellectione actuali?

1. Circa hoc Quæsitum præmitto primò: Non quæri hic de Intellectu, & Principio intellectivo notionali condistincto ab Intellectione Passiva notionali. Constat enim ex dictis num. 26. Disp. 2. dari talem Intellectum. Talis enim Intellectus, & Principium intellectivum notionale est prædicatum proprium Patris æterni. Adeóque sicut datur Pater æternus, éstque distinctus realiter à Filio, utpote eundem Origine præcedens; ità datur Intellectus notionalis à Patre indistinctus, eíque proprius, qui ipse est distinctus ab Intellectione Passiva notionali, identificata Filio, eíque propria. Solùm itaque in præsenti quæritur: an Intellectus essentialis, qui sit prædicatum commune omnibus Personis Divinis, per modum potentiæ detur, & an sit distinctus ab Intellectione actuali essentiali, communi itidem omnibus Personis?

2. Præmitto secundò: Non quæri etiam hic de Potentia intelligendi Logica, quæ est ipsa possibilitas, & non repugnantia Intellectionis. Certum enim est debere in DEO admitti Potentiam intelligen-

ligendi Logicam. Eô enim ipso, quòd detur in DEO Intellectio actualis, necesse est, possibilem esse, & non repugnare Intellectioně actualem; adeóque dari possibilitatem, & non repugnantiam Intellectionis actualis. Sed possibilitas, & non repugnantia Intellectionis actualis est potentia intelligendi Logica. Ergo eô ipso, quòd detur in DEO intellectio actualis, necesse est dari in DEO Potentiam intelligendi Logicam. Potiùs itaque procedit Quæsitum de Potentia intelligendi, quæ se habeat per modum actûs primi physici.

3. Præmitto tertiò: Non quæri adhuc de tali Potentia intellectiva, quæ sit realiter, vel formaliter ex natura rei, vel virtualiter Distinctione virtuali intrinsecâ distincta ab intellectione actuali essentiali. Certum enim est secundùm fidem, inter prædicata DEI absoluta, & essentialia, qualia prædicata sunt, vel esse deberent, Potentia intellectiva, & intellectio essentialis, nullam intercedere Distinctionem realem. Constat itèm ex dictis Disp. 2. inter nulla prædicata DEI absoluta, seu essentialia posse admitti, & sustineri ullam distinctionem sive formalem ex natura rei, sive virtualem intrinsecam. Quæritur ergo potiùs: an detur in DEO potentia intellectiva, ratione nostra, & per actum intellectûs, distincta ab intellectione actuali Divina. Idque non quæritur de potentia intellectiva, quæ ab intellectione actuali DEI sit distincta per rationem nostram fingentem, & tribuentem DEO aliquod prædicatum proprium potentiæ intellectivæ, quod DEO repugnet. Nec quæritur de potentia intellectiva, quæ ab intellectione actuali in tantum sit per rationem distincta, in quantùm Substantia DEI conciperetur adinstar substantiæ intellectivæ creatæ intelligentis, per intellectionem à se productam, & in se receptam. Sed quæritur de potentia intellectiva, eatenus ratione nostra distincta ab intellectione actuali, quatenus verificaret aliquod prædicatum, quod in creatis soli potentiæ intellectivæ est proprium.

4. Respondeo, & dico: Dari in DEO potentiam intellectivam ab actuali intellectione distinctam per rationem, de Deo verè affirmantem prædicatum ità proprium potentiæ intellectivæ, ut hoc in creatis non conveniat intellectioni actuali creatæ. Ità Vasquez, Molina, Granado, Arriaga, Alarcon, Comptonus, & alii.

Probatur primò Authoritate tum Scripturæ, quæ sæpius DEO attribuit intellectum. Neque valet, si dicas: in Scripturis intellectum, prout hìc DEO attribuitur, sumi impropriè, & metaphoricè: sicut sumuntur metaphoricè oculi, aures, manus, quatenus DEO tribuuntur. Non valet, inquam, Verba enim Scripturæ accipi, & intelligi debent in sensu maximè proprio, si nihil obstet. Non obstat verò quidquam, intellectum prout attribuitur DEO, sumi in sensu proprio. Tum S. Thomæ, qui 1. parte Quæst. 41. Art. 4. ad tertium dicit: *Respectu horum actuum* (loquitur S. Doctor de intelligere, & velle essentiali Divino) *non potest salvari ratio potentiæ in DEO, nisi secundùm modum intelligendi, & significandi tantùm, prout diversimodè significatur in DEO intellectus, & intelligere.* Et iterum lib. 2. contra Gentes cap. 10. dicit: *Si aliquæ actiones DEO conveniant, quæ maneant in agente, respectu illarum non datur in DEO potentia, nisi secundùm modum intelligendi, non verò secundùm rei veritatem, hujusmodi autem sunt, intelligere, & velle.* Ex quibus S. Doctoris textibus clarè colligitur, dari in DEO ex modo nostro concipiendi potentiam intelligendi.

5. Probatur secundò Ratione: Illa formalitas, & perfectio quocunque nomine significata, DEO propriè, & non metaphoricè tribuenda est, quæ depurata ab omnibus imperfectionibus, quibus infecta convenit creaturis, intelligitur permanere quoad aliquam rationem, soli illi formalitati, & perfectioni, prout tali nomine significatæ propriam, ejusdémque ab aliis discretivam. Atqui ratio intellectûs, seu potentiæ intellectivæ, per modum actûs primi, est talis formalitas, & perfectio nomine intellectûs significata, quæ depurata ab omnibus imperfectionibus, quibus infecta invenitur in creaturis, permanet quoad aliquam rationem, soli intellectui, & potentiæ intellectivæ propriam, & nomine intellectûs significatam. Ergo ratio intellectûs per modum actûs primi DEO propriè, & non metaphoricè est tribuenda. Major probatur tum Authoritate sancti Augustini, qui lib. 2. ad Simplicianum hanc

ipsam

ipsam regulam statuit ad dignoscendum, quænam prædicata DEO propriè tribui possint, & debeant, cùm dicit: *De ira hominis detrahe turbulentum motum, ut maneat vindictæ rigor, atque ità utcunque assurge in notitiam illius, quæ appellatur ira Dei.* Tum inductione virtutum, & actuum, qui DEO tribui solent: Ex eo misericordia propriè tribuitur DEO, quia hæc depurata ab omnibus imperfectionibus, quibus in creaturis inficitur, retinet rationem aliquam soli misericordiæ propriam, & tali nomine significatam; nimirum retinet rationem virtutis subvenientis alienæ miseriæ. Ex eo etiam intellectio actualis propriè tribuitur DEO, quia hæc depurata ab imperfectionibus intellectionis creatæ, quales imperfectiones sunt: Quòd sit quid creatum, quòd sit accidens, quòd sit quid producibile ab intellectu; itèm quòd sit receptibile, retinet rationem soli intellectioni propriam, & hoc nomine significatam: nimirum quòd sit perceptio, & repræsentatio vitalis, intentionalis objecti, & sic de aliis. Ergo. Tum quia DEO propriè, & non metaphoricè tribui debet omnis perfectio nullam involvens imperfectionem, idque tribui debet sub nomine talem perfectionem significante. Id enim requirit ratio Entis perfectissimi Deo conveniens. Sed formalitas, quæ depurata ab omnibus imperfectionibus, retinet rationem sibi propriam, & sui discretivam, hoc nomine significatam, est perfectio nullam involvens imperfectionem, cùm supponatur esse depurata ab omnibus imperfectionibus. Ergo hæc debet DEO tribui propriè, & non metaphoricè.

Probatur deinde Minor primi Argumenti. Formalitas Intellectûs per modum Potentiæ, depurata ab omnibus imperfectionibus, quibus infecta reperitur in creaturis, scilicet depurata ab imperfectione causæ, realiter productivæ intellectionis à se distinctæ, ab imperfectione causæ receptivæ, itèm indifferentis ad intellectionem, &c. retinet conceptum virtutis perceptivæ intentionaliter objecti. Siquidem hic conceptus nullam infert, aut involvit imperfectionem. Atqui hic conceptus est proprius solius intellectûs per modum potentiæ, solètque nomine intellectûs significari. Ergo. Minor immediata probatur. Tum quia conceptus, & prædicatum proprium intellectionis actualis, hoc nomine significatum, est expressio, & perceptio intentionalis objecti. Ergo conceptus, & prædicatum proprium intellectûs, per modum potentiæ erit, esse virtutem expressivam, & perceptivam *ùt quod* intentionaliter objecti. Tum quia prædicatum virtutis intentionaliter perceptivæ *ùt quod* objecti, nulli alteri in creatis est proprium, nisi potentiæ intellectivæ. Cui enim alteri convenit? Certè si conveniret alicui esse talem virtutem perceptivam intentionaliter objecti, conveniret intellectioni actuali; huic autem non convenit. Hæc enim est solùm perceptio actualis intentionalis objecti, non est verò virtus perceptiva; vel certè est virtus perceptiva *ùt quò*, non autem virtus perceptiva *ùt quod*. Ergo. Tum quia esse virtutem perceptivam objecti, habet se per modum subjecti capacis, & apti ad denominari actu intentionaliter percipiens objectum, quod prædicatum in creatis non convenit intellectioni actuali, nec ulli alteri. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

6. Objicitur primò. Intellectio actualis Divina est purè intellectio, idque est magis purè intellectio, quàm intellectio creata. Ergo cùm intellectio creata sit ità purè intellectio, ut non dicat per identitatem realem, rationem formalem potentiæ intellectivæ, etiam Intellectio Divina est ità purè Intellectio, ut non dicat per identitatem rationem formalem potentiæ intellectivæ. Et ratio ulterior est. Quia rationem puræ intellectionis destruit admistio Potentiæ.

7. Objicitur secundò. Si in DEO daretur Ratio potentiæ intellectivæ ratione nostra distinctæ ab intellectione, deberet hæc potentia esse prior ratione nostra, quàm intellectio actualis. Illa enim ratio Potentiæ deberet esse ratione nostra actus primus intelligendi, qualis actus debet esse prior, quàm actus secundus intelligendi; adeóque quàm intellectio. Sed Intellectus in DEO non potest esse prior etiam ratione nostra, quàm intellectio. Si enim esset prior, deberet habere vel rationem potentiæ effectivæ, vel rationem potentiæ receptivæ. Cùm his solis conveniat, & ratione illarum possit convenire prioritas per rationem ipsi Intelle-

lectui Divino respectu intellectionis actualis. Neutra autem hæc ratio potest convenire DEO utpote involvens imperfectionem. Ergo.

8. Objicitur tertiò. Formalitas, & perfectio, quæ post depurationem ab imperfectionibus in suo conceptu formali, & discretivo involvit imperfectionem, Deo tribui non potest. Sed potentia intellectiva per modum actûs primi est talis perfectio, quæ post depurationem ab imperfectionibus in suo conceptu proprio, & discretivo involvit imperfectionem. Hanc enim involvit in conceptu potentiæ perceptivæ objecti, qui conceptus dicitur esse proprius, & discretivus potentiæ intellectivæ. In hoc enim conceptu involvitur ratio potentiæ, quæ ratio, utpote repugnans rationi actûs puri, ejúsque exclusiva, est imperfectio.

Solvuntur Objectiones.

9. Respondeo ad primum. Transito Antecedente distinguendo Consequens. Ergo cùm intellectio creata sit ità purè intellectio, ut non dicat per identitatem realem, rationem formalem potentiæ intellectivæ, etiam intellectio Divina ità est purè intellectio, ut non dicat per identitatem realem, rationem formalem potentiæ intellectivæ, prout depuratæ ab omnibus imperfectionibus. Nego Consequentiam. Ut non dicat per identitatem realem, rationem formalem potentiæ intellectivæ permistæ imperfectionibus. Concedo Consequentiam. Antecedens transitum potest sic distingui. Intellectio actualis Divina magis est purè intellectio, quàm intellectio actualis creata; est, inquam, magis purè talis per exclusionem potentiæ involventis imperfectionem, eandémque invehentis in intellectionem. Concedo Antecedens. Est magis purè intellectio, quàm creata, etiam per exclusionem potentiæ depuratæ ab omnibus imperfectionibus, & secum identificatæ. Nego Antecedens, & dico: Per hoc intellectionem actualem Divinam esse magis purè intellectionem, quòd magis, quia essentialiter, & ex ratione formali talis intellectionis excludat potentiam permistam imperfectionibus, & inferentem in DEUM imperfectiones. Non esse verò magis purè intellectionem, per exclusionem potentiæ etiam depuratæ ab omnibus imperfectionibus, & à se indistinctæ. Si enim etiam hanc excluderet, excluderet à DEO perfectionem simpliciter simplicem, seu perfectionem, sinè qua DEUS non esset perfectissimus, in omni genere. Quia non haberet perfectionem, quæ in suo conceptu nullam dicit imperfectionem.

Rationem ulteriorem distinguo: Rationem puræ intellectionis destruit admistio potentiæ non depuratæ ab imperfectionibus, & inferentis imperfectionem in intellectionem. Concedo. Destruit admistio potentiæ etiam depuratæ ab imperfectionibus, & nullam invehentis imperfectionem. Nego.

10. Ad secundum Respondeo distinguendo Sequelam Majoris. Si in DEO daretur ratio potentiæ intellectivæ ratione nostra distinctæ ab intellectione actuali, potentia hæc deberet esse ratione nostra prior, quàm intellectio, prioritate propriè dicta. Nego sequelam. Deberet esse prior, quàm intellectio, prioritate impropriè tali. Concedo Sequelam, & dico: Prioritatem propriè talem respectu intellectionis, convenire potentiæ productivæ, aut receptivæ ejusdem intellectionis, non verò potentiæ perceptivæ intentionaliter objecti. Quare cùm in DEO non detur, nec debeat admitti potentia intellectiva productiva, aut receptiva intellectionis actualis essentialis, sed solùm detur potentia perceptiva intentionaliter objecti, non datur in DEO prioritas propriè dicta, respectu intellectionis essentialis actualis. Datur tamen prioritas impropriè dicta. Tum quia virtus illa perceptiva objecti, DEO conveniens, concipitur adinstar virtutis creatæ perceptivæ objecti, quæ propter identitatem cum virtute effectiva, & receptiva intellectionis, est prior intellectione. Tum quia valet Consequentia à denominatione entis actu intentionaliter percipientis objectum, ad denominationem entis apti, & potentis intentionaliter percipere objectum; adeóque illa denominatio hanc supponit. Addo: prioritas potentiæ perceptivæ objecti respectu intellectionis actualis, vel dicit aliquam imperfectionem, vel non dicit. Si dicit: cùm potentia perceptiva objecti non admittatur in DEO, nisi depurata ab imperfectionibus; etiam ab imperfectione pri-

prioritatis debet esse depurata; adeóque hæc potentia in DEO non debet esse prior Intellectione actuali, si non dicit imperfectionem ullam; non erit inconveniens ullum, admittere in DEO potentiam perceptivam objecti, ratione nostra priorem quàm sit intellectio actualis, quæ tamen non sit productiva physicè, nec receptiva Intellectionis.

11. Ad tertium Respondeo. Negando Minorem. Nego itèm in Conceptu Potentiæ perceptivæ objecti involvi aliquam imperfectionem. Licèt verò in hoc conceptu involvatur ratio Potentiæ, tamen hæc ratio non est imperfectio, nec repugnat rationi actûs puri, cui nonnisi repugnat potentia productiva & receptiva Intellectionis; potentia itèm invehens distinctionem realem, vel objectivam inter actum primum intelligendi, & inter actum secundum seu Intellectionem, & potentia non depurabilis ab imperfectionibus, quibus talis potentia inficitur in creatis. Porrò potentia perceptiva intentionaliter objecti, secundùm hunc præcisè conceptum, nec est potentia productiva vel receptiva Intellectionis, nec invehit distinctionem realem aut objectivam inter actum primum, & inter actum secundum intelligendi. Est insuper dicta potentia depurabilis, imò secundùm hunc præcisè conceptum accepta, est depurata ab imperfectionibus, quibus hæc inficitur in creatis. Ergo dicta potentia secundùm hunc præcisè conceptum, DEO tribui potest.

§. II.

An detur in DEO Ratio speciei Intelligibilis, seu Ratio speciei impressæ?

12. Respondeo & Dico affirmativè. Ità S. Thomas hic Quæst. 14. art. 4. in ⊙. dum dicit: *In DEO Intellectus intelligens, & id, quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino unum & idem.*

Probatur Ratione. Tunc in DEO datur species intelligibilis, quando detractis omnibus imperfectionibus speciei, quibus hæc inficitur in creatis, remanet adhuc aliqua speciei impressæ propria ratio, & discretiva ejusdem ab omnibus, quæ non sunt ipsa. Cùm enim omnis pura perfectio debeat dari in DEO; debet dari in eodem & illa speciei impressæ propria & discretiva perfectio, quæ remanet post detractionem omnium imperfectionum; adeóque debet in DEO dari species intelligibilis, utpote indistincta à ratione sibi propria, suíque discretiva. Sed detractis omnibus imperfectionibus, quibus species impressa est infecta in creatis, adhuc remanet ratio propria & discretiva speciei impressæ, si enim hæ imperfectiones speciei detrahantur: quòd sit semen & instrumentum connaturale objecti, in ordine ad producendam locò objecti intellectionem; quòd sit quid productum; quòd sit principium physicè productivum intellectionis, adeóque quòd species sit distincta ab intellectione, &c. Manet adhuc hæc Ratio; quòd sit intelligibilitas objecti extrinseci, v. g. creaturarum, intrinseca ipsi Potentiæ intellectivæ. Quæ ratio est propria & discretiva speciei, ità enim convenit speciei, ut nulli præterea in creatis conveniat. Ergo ratio speciei intelligibilis seu impressæ datur in DEO, éstque verè affirmabilis de DEO.

§. III.

An detur in DEO propriè Habitus?

13. Respondeo & Dico dari in DEO propriè Habitum.

Probatur. Datur in DEO per rationem verè affirmantem ratio, quæ depurata ab omnibus imperfectionibus, quibus in creatis habitus inficitur, soli Habitui est propria, ejúsque discretiva, nimirum datur hæc Ratio; quòd sit determinatio permanens & stabilis Potentiæ universalis intentionalis, tenens se ex parte actûs primi, determinatio inquam ad certæ rationis actum. Intellectus enim Divinus est permanenter & stabiliter determinatus, ut possit scientificè percipere objectum; itèm est determinatus ad repræsentandum & proponendum, quod agi debet per dictamina prudentiæ, quæ sint infallibilis regula honestatis. Sed hæc ratio depurata, ab imperfectionibus, in hoc ipso conceptu, nullam involvit imperfectionem. Quam enim? Est etiam propria & discretiva Habitûs.

bitûs. Habitus enim sive infusi, sive acquisiti determinant permanenter & stabiliter Potentias intentionales, idque determinant ex parte actûs primi ad certæ rationis actus. Infusi habitus determinant ad actus, ad quos dant simpliciter posse. Acquisiti determinant ad actus, ad quos dant facilè posse, seu ad quos facilitant. Ità ut hæc ratio soli Habitui in creatis conveniat, adeóque sit illius discretiva.

14. Probatur secundò. Datur in DEO Scientia propriè talis: ut proximè ostendetur: Prudentia itèm propriè talis, idque utraque datur non solùm per modum actûs, sed etiam per modum habitûs. Quia DEUS ità scientificè cognoscit objecta, ut non possit illa aliter cognoscere, adeóque ità, ut quodammodo ex parte actûs primi sit determinatus ad ea scientificè cognoscenda. Itèm DEUS habet dictamina prudentialia & infallibilia, nec potest habere dictamina his contraria: éstque proinde quasi in actu primò determinatus ad dictamina prudentialia. Ergo datur in DEO propriè & per rationem verè affirmantem Ratio habitûs. Aliàs daretur ratio specifica sinè generica. Totum sinè parte sui constitutiva. Ergo ulteriùs à scientia & prudentia per modum habitûs, poterit abstrahi ratio habitûs, eáque erit determinatio Potentiæ intentionalis permanens & stabilis, tenens se quodammodo ex parte actûs primi ad certæ rationis actum.

Proponuntur Objectiones.

15. Objicitur primò. Illa perfectio seu ratio non datur in DEO propriè & per rationem verè enunciativam, quæ si depuretur ab omnibus imperfectionibus, quibus hæc inficitur in creatis, non relinquit nisì rationem Entis. Illa enim ratio seu prædicatum non potest dari in DEO, cujus ratio propria & discretiva DEO repugnat, prout repugnat ratio propria & discretiva illius formalitatis vel perfectionis, in cujus depuratione ab imperfectionibus non potest sisti, quousque non perveniatur ad rationem Entis. Sed ratio habitûs est talis ratio, à qua si detrahantur omnes imperfectiones, non relinquitur nisì ratio Entis. Hæc enim sola manet, si detrahatur ratio qualitatis, ratio complementi superadditi potentiæ, ipsam perficientis & dantis vel simplicitèr posse, vel facilè posse. Ergo.

16. Objicitur secundò. Ratio habitûs, quæ detractis imperfectionibus manet, non est propria & discretiva habitûs. Ergo non datur propriè in DEO ratio habitûs. Antecedens probatur. Ratio communis Habitui cum Potentiis vitalibus, non est ratio propria & discretiva Habitûs. Sed ratio illa Habitûs, quæ manet post detractionem imperfectionum: nimirum esse determinationem stabilem, tenentem se quodammodo ex parte actûs primi, est ratio communis habitui cum potentiis vitalibus. Convenit enim potentiæ ex se determinatæ ad eundem operandi modum, quales aliquæ potentiæ dantur in creatis, nec in talibus potentiis debent dari Habitûs. Ergo.

17. Objicitur tertiò. Ratio habitûs repugnat DEO. Ergo non potest DEO tribui per rationem verè affirmantem. Antecedens probatur. Tum quia ratio habitûs repugnat in potentiis ex se determinatis ad eundem operandi modum, imò ad unum eundémque actum, & sic repugnant habitus in potentiis, respirativa, nutritiva, augmentativa, &c. Quia hæ potentiæ sunt determinatæ ad eundem operandi modum, & ad unum eundémque actum. Sed Potentia intellectiva Divina est potentia ex se determinata ad eundem intelligendi modum, imò ad eundem actum. Quia est determinata ad hunc nonnisì modum, quem habet præsens intellectio DEI. imò est determinata ad hanc unicè intellectionem. Implicat enim DEUM circa hæc determinatè objecta non habere, vel non habuisse hanc intellectionem, quam defacto habet, sed aliam alio modo tendentem in hæc ipsa objecta. Aliàs DEUS esset mutabilis, ac prædicatum DEO semel identificatum posset non esse eidem identificatum. Ergo. Tum quia repugnat DEO ratio seu formalitas, quæ si in eo admitteretur, esset essentialiter frustrà. Sed ratio habitûs si daretur in DEO, esset essentialiter frustrà. Frustrà enim essentialiter admittitur Habitus, ut aliqua secum identificentur. Habitus verò, qui daretur in DEO, esset habitus ad hoc, ut Intellectui Divino essentiali identificetur Intellectio actualis essentialis. Ergo. Tum quia repugnat

pugnat DEO omnis imperfectio. Est verò aliqua imperfectio DEUM ex habitu intelligere, qui per identitatem intelligit. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

18. Respondetur ad primum Negando Minorem, cum sua Probatione. Constat enim ex probatione conclusionis, quòd detractis omnibus imperfectionibus, quibus habitus inficitur in Creatis, relinquatur ratio propria & discretiva habitûs, ubi etiam statim ratio hujusmodi assignatur. Quæ si post detractionem imperfectionum non relinqueretur, in tantum non relinqueretur, in quantum in ipsa ratione assignata involveretur aliqua imperfectio. Sed non involvitur ulla. Quæ enim? Ergo.

19. Ad secundum Respondeo negando Antecedens. Ulterioris Probationis Nego Minorem. Esse enim determinationem stabilem Potentiæ universalis intentionalis ad actum certæ rationis, tenentem se aliquomodo ex parte actûs primi, nulli Potentiæ vitali ex se determinatæ ad eundem operandi modum convenit. Neque enim convenit potentiis vitalibus non intentionalibus; hæ enim licèt sint determinatæ ad eundem operandi modum, non sunt tamen determinatæ determinatione potentiæ intentionalis & universalis ad actum Intellectionis, qui sit certæ rationis, ùt clarum est. Non convenit etiam Potentiis creatis vitalibus intentionalibus & universalibus. Quia nulla ex his potentiis est ex se determinata ad eundem operandi modum. Aliàs hoc ipso, non esset universalis. Licèt verò Intellectui Divino in sensu reali conveniat, quòd sit ex se determinatus, &c. Non convenit tamen illi in sensu formali & ex parte actûs; convenit imprimis Intellectui Divino in sensu reali esse determinatum, ad actum certo modo tendentem in objectum, quia in sensu reali habet sibi identificatam rationem propriam, & discretivam habitûs, ab eáque habet, quòd sit determinatus, &c. Non convenit verò eidem in sensu formali, & ex parte actûs. Tum quia in ratione præcisa intellectivi, convenit DEUS cum intellectivis creatis, quibus non convenit esse potentias ex se determinatas ad certum operandi vel intelligendi modum & actum. Tum quia conceptus Potentiæ intellectivæ DEO convenientis subsistit in esse virtutis perceptivæ intentionaliter objecti. Ergo esse determinationem potentiæ seu virtutis perceptivæ objecti, ex modo nostro concipiendi, est ratio propria diversæ per rationem perfectionis. Quam ipsam perfectionem censeo ego esse Habitum.

20. Ad tertium Respondeo Negando Antecedens. Primæ Probationis Distinguo Majorem. Ratio Habitûs repugnat in Potentiis non intentionalibus nec universalibus determinatis ad eundem operandi modum. Concedo Majorem. Ratio Habitûs repugnat in Potentiis Intentionalibus & universalibus determinatis ad eundem operandi modum. Subdistinguo, determinatis inquam propter identitatem realem cum ratione formali Habitûs. Nego hoc sensu intellectam Majorem. Repugnat ratio Habitûs in Potentiis intentionalibus ex ratione talis potentiæ determinatis ad unum eundémque actum. Nego suppositum, quòd Potentiæ intentionales ex ratione propria talis potentiæ habeant hoc, quòd sint determinatæ ad certæ rationis actum. Minorem etiam Distinguo. Sed Potentia intellectiva Divina est ex se determinata ad eundem intelligendi modum, & hoc habet ex ratione potentiæ intentionalis & intellectivæ. Nego Minorem. Et hoc habet ratione identitatis cum ratione formali propria & discretiva habitûs. Concedo Minorem, & Nego Consequentiam. Adverto, licèt virtus Intellectiva Divina, sit determinata ad eundem actum scientiæ necessariæ, ac scientiæ simplicis Intelligentiæ: non esse tamen determinatam ad eundem actum scientiæ non necessariæ, non quidem taliter, ut potuerit aliter tendere in unum idémque objectum, quàm nunc tendat; sed taliter, ut potuerit tendere in aliud objectum, & non in hoc, in quod nunc tendit. Quomodo autem hoc stet cum immutabilitate DEI & veritate aliorum Principiorum lumine naturæ notorum, Disputatione sequente decidetur. Secundæ Probationis nego Minorem. Ad Majorem ulterioris Probationis dico: Frustrà dari Habitum realiter distinctum & realiter superadditum Potentiæ in ordine ad hoc, ut aliqua se-

cum identificentur; non frustrà tamen dari indistinctum habitum, imò hunc exinde posse alicubi inferri, quòd aliqua Potentia identificetur suo actui. Hinc enim infertur, quòd non potuerint hæc non identificari; adeóque quòd unum ex taliter identificatis, v. g. Potentia intellectiva, identificans sibi intellectionem, sit determinata ad eandem. Omissa etiam Majore ulterioris Probationis, potest negari Minor. Habitus enim (intellige indistinctus à Potentia intentionali) datur in DEO in ordine ad hunc præstandum effectum formalem, ut Potentia, & virtus DEI intellectiva sit determinata in actu primo ad unum, eundémque actum. Tertiæ Probationis distinguo Minorem. Est imperfectio DEUM ex habitu à se distincto, & sibi realiter superaddito intelligere. Concedo Minorem. Est imperfectio DEUM ex habitu realiter indistincto à Potentia sua intellectiva intelligere. Nego Minorem, & distinguo similiter Consequens, ac dico: Cùm non sit imperfectio ex determinatione sui intellectûs ad intelligere, modo perfectissimo DEUM intelligere; non esse imperfectionem, eundem ex habitu realiter indistincto intelligere.

§. IV.

An detur in DEO ratio motivi propriè talis respectu suæ intellectionis?

21. Respondeo, & dico affirmativè. Ità præter alios sentiunt illi Authores, qui negant in DEO potentiam intelligendi, & rationem speciei intelligibilis.

Probatur. Detractis omnibus imperfectionibus, quas dicit Motivum formale respectu actûs creati, detractis itèm illis rationibus, quæ invehunt aliquam, vel aliquas imperfectiones, in actum intentionalem creatum, manet adhuc pura perfectio, nec in se continens, nec ullam imperfectionem invehens in actum. Estque hæc perfectio propria, & discretiva motivi formalis. Ergo hæc perfectio Deo concedenda, & ratione illius concedenda, & admittenda est in DEO ratio motivi propriè talis. Antecedens probatur. Quia detractis omnibus imperfectionibus motivi creati, illis itèm rationibus, quæ invehunt imperfectionem in actum intentionalem, ad quem movet motivum, manet perfectio sufficientiæ in ratione objecti, ut sit intellectio. Hæc enim perfectio nec ipsa dicit ullam imperfectionem, nec infert aliquam in ipsam intellectionem. Neque enim dicit, aut infert imperfectionem ratio sufficientiæ, cùm ipse DEUS sit sufficientia sibi, suísque omnibus prædicatis ad esse. Neque dicit, aut infert imperfectionem sufficientia in ratione objecti. Cùm DEUS ità sit sibi sufficientia ad esse, ut sit objectum formale suæ intellectionis, & ratio formalis, propter quam DEUS & se ipsum, & omnia cognoscit. Consequenter DEUS est sufficientia hæc intellectioni, in ratione objecti. Per hanc enim intelligitur id, quod ità est objectum intellectionis, ut sit sufficientia ejusdem, excludens omnem distinctam in hac ratione sufficientiam. Atqui sufficientia in ratione objecti, ad esse intellectionis est ratio propria, & discretiva objecti motivi formalis. Ergo.

22. Adverto: Respectu scientiæ Dei non dari motivum per modum sufficientiæ objectivæ, physicè causantis hanc ipsam scientiam. Ratio est: Quia tale motivum invehit imperfectionem in Scientiam Divinam; scilicet hanc: quòd dicta intellectio sit physicè producibilis, quæ producibilitas est imperfectio repugnans Scientiæ Divinæ. Nullum siquidem prædicatum absolutum Divinum potest esse physicè producibile. Cùm omne tale prædicatum sit à se, excludátque causam sui physicam, & principium productivum.

§. V.

Ratio motivi formalis an soli Essentiæ Divinæ quoad prædicata absoluta acceptæ, an etiam Relationibus conveniat?

23. Respondeo, & dico: Ipsam Essentiam Divinam, non verò etiam Personalitates esse motivum per modum sufficientiæ objectivæ, respectu Scientiæ Divinæ.

Ratio est. Tum quia Essentia Divina est sibi sufficientia ad esse in omni ratione, non invehente in DEUM imperfectionem. Ergo est sufficientia sibi, suæque scientiæ à se indistinctæ in ratione obje-

objecti. Cùm hæc sufficientia nullam in DEUM invehat imperfectionem. Tum quia omnis pura perfectio, quæ est absoluta, & non relativa, convenit Essentiæ Divinæ secundùm se, & ratione sui sumptæ, non verò Personalitatibus, & Relationibus Divinis. Sed esse sufficientiam in ratione objecti, est pura perfectio, eáque absoluta, & non relativa. Cùm hæc sufficientia in suo conceptu nec rationem Principii physicè productivi, nec rationem termini physicè producti dicat. Ergo dicta sufficientia convenit Essentiæ secundùm se, & ratione sui sumptæ. Tum quia si Personalitates Divinæ ratione sui essent sufficientia in ratione objecti, respectu Scientiæ Divinæ, tunc Personalitates communicarent aliquid ipsi naturæ. Non verò ipsæ haberent omnem perfectionem absolutam sibi communicatam à natura: communicarent enim naturæ rationem scientiæ absolutæ. Siquidem respectu talis scientiæ haberent rationem sufficientiæ motivæ, seu ex parte objecti. Sed hoc non est dicendum. Ergo.

§. VI.

An Objectis creatis conveniat Ratio motivi formalis respectu intellectionis Divinæ?

24. Respondeo, & dico: Objecta creata non esse motivum formale respectu Intellectionis Divinæ per motivum formale intelligendo sufficientiam in ratione objecti. Hæc ipsa tamen posse dici motivum respectu Intellectionis Divinæ, per motivum intelligendo objectum, in se ipso immediatè cognitum; intelligendo itèm rationem formalem sub qua, seu Rationem purè objectivè, hoc est, sinè ullo influxu physico determinativam Dei, ut DEUS hoc objectum cognoscat. Tale motivum dicitur ab aliis objectum formale terminativum.

Ratio primi est. Quia nihil creatum potest esse sufficientia in ulla ratione, vi cujus existat esse Divinum; adeóque vi cujus existat Intellectio Divina. Ergo.

25. Ratio secundi est. Quia ex una parte hæc prædicata: Esse objectum in se ipso immediatè cognitum; esse rationem formalem sub qua, & esse rationem objectivam purè, hoc est, sinè ullo influxu, determinativam intelligentis, ut cognoscat objectum; sunt prædicata propria motivi formalis respectu intellectionis. Unde cuicunque objecto hæc prædicata conveniunt respectu Intellectionis, illud est motivum, aut objectum formale terminativum ejusdem ipsius Intellectionis. Ex altera parte admisso, quòd objecta creata habeant hanc rationem motivi respectu Intellectionis Divinæ, nulla in DEUM invehitur imperfectio. Quæ enim? Ergo.

Proponuntur Objectiones.

26. Opponitur primò. Ad rationem motivi requiritur, ut cognoscatur in se ipso per speciem actu, vel potentiâ à se provenientem. Sed creaturæ non cognoscuntur à DEO per speciem actu, vel potentiâ ab ipsis provenientem. Ergo hæ non habent rationem motivi respectu Intellectionis Divinæ.

27. Opponitur secundò. Motivo debet essentialiter correspondere Potentia mobilis. Sed non datur in DEO talis potentia. Ergo neque datur motivum respectu Intellectionis Divinæ.

28. Opponitur tertiò. Ratio determinationis, quâ intelligens determinatur ad hoc objectum cognoscendum, non est ratio propria, & discretiva motivi formalis. Hæc enim ratio, ùt suprà dictum est, est ratio propria, & discretiva Habitûs. Ergo creaturæ ex hac ratione, quòd sint objectum determinativum DEI ad hanc Intellectionem, non sunt motivum formale respectu intellectionis Divinæ etiam latiùs sumptum.

29. Opponitur quartò. Nihil potest esse determinativum DEI ad Intellectionem, quâ cognoscat objecta. Ubi enim nulla est indifferentia, ibi nullo opus est determinativo. Sed in DEO ad suam Intellectionem nulla est indifferentia. Ergo nullo opus est determinativo. Adeóque creaturæ nec sunt, nec possunt esse tale determinativum, & per consequens non sunt motivum formale etiam latiùs sumptum respectu Intellectionis Divinæ.

Solvuntur Objectiones.

30. Respondeo ad primum. Ad rationem motivi requiritur, ut cognoscatur in se ipso per speciem actu, vel potentiâ à se provenientem; si speciei conveniat esse

esse productam, vel producibilem. Transeat. Si speciei impressæ non conveniat esse productam, nec producibilem. Nego. Porrò species impressa in DEO non est producta, nec producibilis. Respondeo secundò cum hac Distinctione: Ad rationem motivi propriam, & discretivam, nec inferentem ullam imperfectionem in cognoscentem, requiritur, ut motivum cognoscatur in se ipso, per speciem actu, vel potentiâ ab ipso provenientem. Nego Majorem. Ad rationem motivi sumptam etiam quoad conceptus invehentes imperfectionem in cognoscentem, requiritur, ut motivum cognoscatur in se ipso per speciem actu, vel potentiâ ab ipso motivo provenientem. Transeat Major. Concessa deinde Minore distinguo Consequens. Ergo creaturæ non habent rationem motivi respectu Intellectionis Divinæ invehentem imperfectionem in DEUM, ejúsque Intellectionem. Concedo Consequentiam. Non habent rationem illam motivi, quæ in DEUM intelligentem nullam involvit imperfectionem. Nego Consequentiam.

31. Ad secundum Respondeo: Argumentô oppositô probari, quòd etiam Essentia DEI respectu Intellectionis DEI non sit objectum motivum formale. Quia etiam huic tanquam correlativum deberet correspondere Potentia intellectiva mobilis. Directè distinguo Majorem. Motivo debet respondere Potentia intellectiva mobilis, per potentiam mobilem intelligendo potentiam physicè receptivam actûs. Nego Majorem. Debet respondere potentia mobilis per potentiam mobilem intelligendo Potentiam potentem habere actum intentionalem circa tale objectum. Concedo Majorem, & dico: Talem potentiam mobilem admittendam esse in DEO. Tum quia hæc secundùm allatum conceptum nullam dicit imperfectionem. Tum quia talem potentiam videtur in DEO supponere S. Thomas hìc Quæst. 18. Art. 3. ad primum, ubi in simili sensu motum admittit, dum dicit: *Quòd DEUS se ipsum moveat, non tamen eo motu, qui sit actûs imperfecti.*

32. Ad tertium Respondeo cum Distinctione. Ratio determinationis objectivæ, quâ intelligens determinatur ab objecto, ut illud cognoscat, seu determinationis ab objecto aliquomodo petibilis, non est ratio propria, & discretiva motivi formalis. Nego Antecedens. Ratio determinationis in quacunque alia ratione non est ratio propria, & discretiva motivi formalis. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Ad Probationem Antecedentis dico: Determinationem tenentem se ex parte potentiæ perceptivæ intentionaliter objecti, & spectantem ad actum primum Potentiæ, esse rationem propriam, & discretivam Habitûs. Determinationem verò tenentem se ex parte objecti, & ab objecto aliquomodo petibilem in ordine ad actum, esse rationem propriam, & discretivam motivi. Potest etiam dici determinationem intrinsecam Potentiæ intellectivæ, intrinsecè eandem afficientis, esse rationem propriam, & discretivam Habitûs. Determinationem verò extrinsecam Potentiæ per modum conditionis, & specificativi extrinseci, esse rationem propriam, & discretivam motivi; prout ratio motivi convenit creaturis. Tandem dici potest determinationem à motivo petibilem esse determinationem ad hoc, ut actus sit perceptio hujus objecti in se ipso: Determinationem verò propriam, & discretivam habitûs esse determinationem, ut actus sit talis, & tantæ perfectionis perceptio intentionalis objecti v. g. ut sit scientificus.

33. Ad quartum Respondeo cum Distinctione. Nihil potest esse determinativum DEI ad Intellectionem per modum principii physici, & per influxum physicum in Intellectionem. Concedo Antecedens. Nihil potest esse determinativum DEI ad intellectionem per modum conditionis, & specificativi extrinseci sinè omni influxu physico in intellectionem. Nego Antecedens. Probationem Antecedentis distinguo: Ubi nulla est indifferentia tam realis, & physica, quàm intentionalis, & ex parte actûs, ibi nullo opus est determinativo. Concedo Majorem. Ubi nulla est indifferentia realis, & physica, est tamen indifferentia rationis, & ex parte actûs, ibi nullo opus est determinativo. Nego Majorem, & distinguo Minorem. Sed in DEO ad suam Intellectionem nulla est indifferentia realis, & physica. Concedo Minorem. Nulla est indifferentia etiam Rationis, & ex parte actûs. Nego Minorem, & Consequentiam,

am, ac dico: Determinativum non necessariò supponere indifferentiam realem, & physicam rei determinabilis ad suum actum; sed sufficere quandoque indifferentiam ex parte actûs. Quamvìs ergo non detur in DEO indifferentia physica ad suam Intellectionem. Quia tamen datur indifferentia Logica, quatenus DEUS pro priori rationis potest concipi præcisivè, & ùt indifferens ad intellectionem hujus objecti, poterit dari respectu DEI determinativum ejusdem ex parte actûs ad Intellectionem. Eadem Antecedentis Probatio potest rursus sic distingui. Ubi nulla est indifferentia, ibi nullo opus est determinativo sublativo indifferentiæ. Concedo Majorem. Ubi nulla est indifferentia, ibi nullo opus determinativo, etiam in ordine ad diversum finem, v. g. ad præstandum effectum formalem Entis determinati. Nego Majorem. Et concessa Minore distinguo Consequens. Ergo respectu DEI non est opus determinativo, quòd sit sublativum indifferentiæ. Concedo Consequentiam. Non est opus ullo determinativo in ordine ad alium finem, v. g. ad præstandum effectum formalem Potentiæ objectivè determinatæ ad actum. Nego Consequentiam.

PUNCTUM II.

De Scientia DEI in communi, ejúsque Divisione.

§. I.

An detur in DEO Scientia?

34. Respondeo dari in DEO Scientiam propriè talem.

Probatur tum Authoritate S. Augustini lib. 2. ad Simplicianum, sic discurrentis: *Cùm dissero de humana Scientia, mutabilitatem, & transitus quosdam de cognitione in cognitionem reperio. Cùm recolimus, ut cernamus animo, quòd in contuitu ejus paulò antè non erat, atque ità de parte in partem crebris recordationibus transimus. Unde etiam ex parte dicit Apostolus esse Scientiam nostram. Cùm ergo cuncta hæc detraxero, & reliquero solam vivacitatem certæ, atque inconcussæ veritatis, una, atque æterna contemplatione cuncta collustrantis, imò non reliquero, non enim habet hoc humana Scientia, sed pro viribus cogitavero, utcunque insinuatur* Scientia *DEI.* Tum quia nulla pura perfectio est DEO deneganda. Sed scientia propriè talis est pura perfectio. Siquidem recisis omnibus imperfectionibus potest manere conceptus proprius, & discretivus Scientiæ nullam dicens imperfectionem. Scilicet manet conceptus Intellectionis certæ, infallibilis, & evidentis. Qui conceptus est proprius, & discretivus Scientiæ, cùm in creatis soli Scientiæ propriè tali conveniat. Ergo. Tum quia DEUS est perfectissimè liber. Ergo in DEO debet dari certa, evidens, & immediata cognitio, quâ DEUS dirigatur in exercitio suæ libertatis. Ergo ulteriùs debet dari Scientia propriè talis.

35. Adverto: Adductis Rationibus Conclusionis probari, quòd detur in Deo Scientia actualis propriè talis. Eandem Scientiam per modum Habitûs dari in DEO, patet tum ex dictis num. 14. tum ex hac paritate: Datur in DEO non solùm Intellectio actualis, sed etiam virtus intellectiva per modum potentiæ, & actûs primi. Ergo etiam datur in DEO non solùm Scientia actualis, sed etiam virtus permanens; adeóque habitus Scientiæ per modum actûs primi. Consequentia probatur. Ex eo datur in DEO non solùm Intellectio, sed etiam Intellectus per modum Potentiæ, quia datur in DEO prædicatum proprium, & discretivum Intellectûs per modum potentiæ nullam involvens imperfectionem. Atqui etiam datur in DEO prædicatum proprium, & discretivum Scientiæ per modum Habitûs non involvens imperfectionem: nimirum, quemadmodum prædicatum proprium, & discretivum Intellectûs per modum potentiæ, nullam involvens imperfectionem, est esse virtutem perceptivam intentionaliter objecti; ità prædicatum proprium, & discretivum Scientiæ per modum habitûs, nullam itidem involvens imperfectionem, est esse determinationem stabilem, & permanentem, tenentem se ex parte potentiæ, determinationem, inquam, ad actum Scientiæ.

§. II.

Qualis detur Scientia in DEO?

Cùm in Creatis habeatur Scientia, vel per Discursum, vel per Judicium. Quæritur in præsenti; Scientia, quæ datur in DEO, an sit discursiva formaliter, an itèm sit judicativa formaliter.

36. Respondeo & Dico: In DEO non dari discursum formalem, adeóque non dari scientiam formaliter discursivam. Dari tamen in sano sensu Discursum virtualem. Dari itèm Judicium formale, licèt sinè compositione & divisione.

Ratio primi est. Quia Discursus formalis in suo conceptu proprio & discretivo, dicit multiplicitatem realem actuum, dicit enim progressionem intellectûs ab uno actu ad alium, idque taliter dicit hanc multiplicitatem, ut si ab ea depuretur discursus, non retineat ampliùs, ullum conceptum proprium & discretivum discursûs formalis. Cùm non possit ullus talis conceptus assignari, qui sit proprius & discretivus discursûs formalis, & simul non dicat multiplicitatem realem actuum. Ergo discursus formalis dicit ex suo conceptu essentiali imperfectionem DEO repugnantem. Multiplicitas enim realis actuum Divinorum, utpote destructiva Simplicitatis DEI est imperfectio. Ergo talis discursus non datur in DEO.

37. Ratio secundi est. Quia Discursus virtualis est unica nemine cogitante Intellectio eminenter continens totam perfectionem Discursûs formalis, seu est Intellectio, unica & indivisibili sua entitate cognoscens & repræsentans quascunque connexiones unius objecti cum alio. Sed talis Intellectio datur in DEO. Quia nullam in suo conceptu involvit imperfectionem. Ergo. Addidi, dari in DEO Discursum virtualem in sano sensu. Si enim per discursum virtualem intelligatur progressio ab una cognitione ad aliam, non quidem realiter, virtualiter tamen intrinsecè à priore distinctam, Dico talem Discursum non dari in DEO. Cùm non detur in DEO Distinctio Virtualis unius Intellectionis essentialis Divinæ ab alia. Ut constare potest ex dictis Disp. 2.

38. Ratio tertii est. Quia cognitio judicans & affirmans aliquid convenire objecto, quod defacto eidem convenit; negans itèm aliquid convenire objecto, quod ipsi non convenit; nullam, in hoc suo conceptu dicit imperfectionem, quam enim? Ergo datur in DEO talis cognitio; adeóque datur scientia formaliter judicativa. Porrò hæc scientia est sinè compositione & divisione. Quia non supponit ante se primas apprehensiones extremorum, à se invicem distinctas. Tales enim apprehensiones & cognitiones apprehensivæ plures involvunt imperfectiones DEO repugnantes. Quales sunt: multiplicitas & distinctio actuum, imperfectus modus percipiendi objectum, repræsentatio objecti sinè determinatione ad unam contradictionis partem, &c.

§. III

Quotuplex sit in DEO Scientia?

39. Respondeo & Dico: Scienriam Divinam dividi primò in Scientiam Necessariam & in Scientiam Liberam, seu non necessariam. Scientia necessaria est, quæ ità in DEO datur, ut non potuerit non dari, & quæ est de objecto necessario. Scientia Libera seu non necessaria, est scientia, quæ ità est in DEO, ut potuerit non fuisse in DEO. Hæc ipsa scientia est de objecto libero seu contingente.

Secundò Dividitur Scientia DEI in Practicam & Speculativam. Practica est Scientia, quæ est de objecto operabili à DEO, dirigitque DEUM in productione talis objecti. Speculativa scientia est, quæ est de objecto non operabili à DEO, quale objectum est omne impossibile, peccatum itèm ùt tale, in qualis objecti contemplatione sistit DEUS, ejúsque scientia.

Tertiò Dividitur Scientia DEI in scientiam approbationis, & in scientiam reprobationis. Scientia approbationis est, quæ connotat, vel infert complacentiam & approbationem objecti cogniti. Scientia Reprobationis est, quæ connotat vel infert displicentiam & reprobationem objecti, quod per ipsam scientiam cognoscitur.

Quartò Dividitur Scientia Divisione celeberrima, in scientiam simplicis Intelligentiæ, in Scientiam Visionis, & in Scientiam Mediam. Scientia simplicis Intelligentiæ, est scientia, quâ DEUS contemplatur rerum essentias ipsarúmque prædicata essentialia, & horum prædicatorum Meta-

Metaphyſicas connexiones & diſconnexiones; ſeu, quâ DEUS contemplatur objecta ùt poſſibilia vel impoſſibilia. Scientia Viſionis eſt, quâ DEUS videt exercitas & abſolutas rerum exiſtentias, vel non exiſtentias; ſeu, quâ DEUS videt res abſolutè exiſtentes, vel non exiſtentes. Scientia Media, eſt ſcientia, quâ DEUS videt actus liberos ſub certa conditione futuros. Seu eſt ſcientia objectorum liberorum ſub certa conditione futurorum. Hanc Diviſionem rejiciunt Thomiſtæ cum quibuſdam aliis Theologis, negantes dari in DEO ſcientiam Mediam, putántque ſcientiam DEI adæquatè dividi in ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ & ſcientiam Viſionis. Sed de hoc agemus alibi.

§. IV.

Per quid differant, Scientia ſimplicis Intelligentiæ, Scientia Viſionis, & Scientia Media?

40. Reſpondeo & Dico primò. Per hoc differre dictas ſcientias, quòd licèt ſint, aut poſſint eſſe circa unum idémque objectum, tamen tale objectum, non pro eodem, ſed pro diverſo ſtatu contemplantur.

Ratio primi eſt. Quia circa unam eandémque abnegationem Chriſti à Petro verſatur & ſcientia ſimplicis Intelligentiæ, contemplando talis abnegationis prædicata eſſentialia, illorúmque connexionem metaphyſicam & non repugnantiam. Verſatur præterea ſcientia Media, contemplando dictæ abnegationis futuritionem conditionatam, ſub conditione contingente, & non neceſſariò inferente dictam abnegationem, v. g. ſub hac conditione: *Si Petrus loquetur cum oſtiaria, abnegabit Chriſtum.* Tandem verſatur circa eandem abnegationem Scientia Viſionis, quatenus DEUS videt futuram abſolutè abnegationem Chriſti à Petro, depurata conditione, hoc eſt exiſtente abſolutè, & exercitè locutione Petri cum oſtiaria. Ergo dictæ ſcientiæ: ſcientia nimirum ſimplicis Intelligentiæ, ſcientia viſionis, & ſcientia media, non neceſſariò differunt objectô, ſed poſſunt eſſe circa unum idémque objectum.

41. Ratio ſecundi eſt. Quia ſcientia ſimplicis Intelligentiæ abnegationem Chriſti à Petro contemplatur in ſtatu poſſibilitatis; hoc eſt, ſecundùm metaphyſicam prædicatorum eſſentialium connexionem, ipſorúmque non repugnantiam. Scientia Media eandem abnegationem contemplatur ſecundùm ſtatum futuritionis conditionatæ, quatenus contemplatur, an ſub conditione contingente locutionis Petri cum oſtiaria, ſit futura abnegatio Chriſti à Petro, nécne? Scientia Viſionis contemplatur abnegationem Chriſti à Petro, prout hæc eſt in ſtatu futuritionis abſolutæ, hoc eſt, contemplatur illam prout abſolutè & exercitè futuram. Ergo.

42. Reſpondeo & Dico ſecundò. Eſſe & alias differentias inter prædictas Scientiæ Divinæ ſpecies. Quales ſunt hæ: primò. Quia ſcientia ſimplicis Intelligentiæ non dicit ullam dependentiam tam objecti proprii, quàm ſui ipſius à Decreto Divino ſive abſoluto ſive conditionato ex parte ſubjecti, ſed ad ſummum dicit dependentiam à Decreto poſſibili. Scientia Media eſt independens à decreto abſoluto ex parte ſubjecti, quod ſcilicet detur in DEO abſolutè: eadem tamen ſcientia eſt dependens à decreto conditionato ex parte ſubjecti, ſeu à Decreto conditionatè præſuppoſito. Scientia Viſionis eſt dependens à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, ſeu à Decreto, quod abſolutè datur in DEO de objecto ſcientiæ Viſionis. Et Ratio eſt. Quia ſtatus poſſibilitatis Creaturarum dicit dependentiam prout poſſibilem à DEO. Dependentia autem prout poſſibilis ſupponit decretum circa creaturam ùt poſſibile. Status etiam futuritionis conditionatæ, cùm dicat ex parte conditionis omnia principia actûs non abſolutè exiſtentia, ſed ſaltèm conditionatè præſuppoſita (hæc enim debent eſſe proportionata ipſi actui conditionatè futuro) dicit ex parte hypotheſis ſeu conditionis decretum conditionatum ex parte ſubjecti tanquam unum ex principiis vel requiſitis ad actum conditionatè futurum. Status tandem abſolutæ futuritionis rei v. g. actûs creati liberi dicit dependentiam à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, hoc eſt, à Decreto abſolutè exiſtente in DEO. Status enim hic eſt ſtatus exiſtentiæ exercitæ actûs, in certa temporis differentia. Res verò creata exiſtens exercitè & abſo-

lutè ſupponit Decretum DEI abſolutum ex parte ſubjecti, ſeu abſolutè exiſtens. Implicat enim rem creatam abſolutè exiſtere aliquando, non exiſtente abſolutè Decreto de tali exiſtentia rei.

Secundò. Etiam per hoc differunt dictæ ſcientiæ, quòd ſcientia ſimplicis Intelligentiæ ſit univerſaliſſima. Extendit enim ſe non ſolùm ad Poſſibilia, ſed etiam ad impoſſibilia, quatenus contemplatur non ſolùm connexionem aliquorum prædicatorum & non repugnantiam, ſed etiam diſconnexionem quorundam, & ſibi invicem repugnantiam. Scientia Viſionis extendit ſe ad objecta quævis quocunque tempore exiſtentia, imò etiam ad non exiſtentias & negationes rerum contingentes. Licèt enim ſcientia Viſionis propriè & principaliter reſpiciat res exiſtentes, & DEO præſentes in aliqua temporis differentia, tamen ad hanc ſcientiam reductivè pertinet contemplari etiam negationes contingentes. Quia ad eam pertinet contemplari omne id, quidquid dependet à Decreto DEI abſoluto, ab hoc verò dependent non ſolùm res exiſtentes contingenter, ſed etiam non exiſtentes contingenter. Scientia Media extendit ſe ad ſolos actus liberos & contingentes prout futuros ſub certa conditione contingente.

Tertiò. Eædem Scientiæ per hoc differunt: quòd ſcientia ſimplicis Intelligentiæ, quæ nimirùm contemplatur eſſentias Creaturarum, earúmque prædicata eſſentialia ac horum connexiones, ſit directiva DEI ejúſque potentiæ in dictarum Creaturarum productione. Scientia verò Media ſit directiva DEI ejúſque Providentiæ in conferendis creaturæ rationali auxiliis gratiæ ſuæ, & in exercenda ſua circa illam benevolentia. Scientia Viſionis nullam directionem præſtat, ſed cùm ſit conſequens poſt Decretum DEI abſolutum, intuetur objectum prout jam determinatè exiſtens, in aliqua temporis differentia, vel prout non exiſtens.

Aliæ præterea differentiæ inter prædictas ſcientias aſſignari poſſunt; cæterùm, cùm illarum pleræque in dubium revocentur, quamvis & hæ, quæ adductæ ſunt, non ſint extra ictum. Tam hæ, quàm aliæ examinabuntur inferiùs, ubi agetur de ſingulis his, Divinæ ſcientiæ ſpeciebus.

PUNCTUM III.

De Objecto Scientiæ Neceſſariæ & Scientiæ ſimplicis Intelligentiæ.

Licèt Scientia Neceſſaria & Scientia ſimplicis Intelligentiæ à multis confundantur & ſumantur pro una eadémque ſcientia, nihilominus inter has ſcientias eſt aliqua diverſitas. Latiùs enim patet Scientia Neceſſaria, quàm Scientia ſimplicis Intelligentiæ, cùm eſſe ſcientiam Neceſſariam conveniat alicui ſcientiæ Viſionis, illi nimirum, quâ DEUS cognoſcit ſe actu exercitè exiſtere, cognoſcit itèm ſua omnia prædicata Divina Neceſſaria, ſive abſoluta, ſive Relativa. Talis enim ſcientia eſt ſcientia Viſionis, quatenus tendit in objectum exiſtens, & ſimul eſt ſcientia neceſſaria. Quia cùm Neceſſarium ſit DEUM exiſtere, & certa habere prædicata, ſcientia dicta tendit in objectum Neceſſarium. De Objecto utriuſque hujus Scientiæ, tam ſcientiæ Neceſſariæ, quàm Scientiæ ſimplicis Intelligentiæ, aliqua quæſita reſolventur.

§ I.

An, & quomodo DEUS ſe ipſum cognoſcat?

43. Reſpondeo & Dico DEUM neceſſariò & comprehenſivè cognoſcere ſe ipſum. Ratio primi eſt. Tum quia 1. ad Corint. 2. dicitur: *Quæ DEI ſunt nemo cognoſcit niſi ſpiritus DEI.* Tum quia DEUS ſe ipſum amat, ſibi complacet in ſe ipſo, ſuíſque perfectionibus. Ergo ſe ipſum, ſuáſque perfectiones cognoſcit. Cùm nihil ſit volitum niſi cognitum. Tum quia DEUS ſe ipſum ſuáſque perfectiones revelat hominibus. Ergo eaſdem cognoſcit. Tum quia DEUS eſt ſummè beatus. Ergo ſe cognoſcit. Cùm hæc ipſius beatitudo, debeat ſaltèm inadæquatè conſiſtere in cognitione & viſione, quâ DEUS ſe ipſum videt & perfectiſſimè cognoſcit.

Tum

Tum quia si DEUS se ipsum non cognosceret, careret aliqua perfectione simpliciter simplici. Cognitio enim objecti cognoscibilis, ejúsque summè cognoscibilis, est talis perfectio.

44. Ratio secundi est. Tum quia Deus necessariò est beatus, seu ità est beatus, ut non possit non esse beatus. Est itèm necessariò summè perfectus. Ergo se ipsum necessariò cognoscit, Cùm sinè cognitione sui nec beatus, nec perfectus possit esse. Tum quia DEUS sola objecta contingentia non necessariò cognoscit, de talibúsque objectis habet Scientiam contingentem. Sed DEUS est objectum summè necessarium. Ergo.

45. Ratio tertii est. Tum quia DEUS cognoscit se ipsum cognitione clara immediata, secundùm omne id, quidquid sive formaliter, sive eminenter continet, & insuper in ratione cognoscibilis non est perfectior, quàm perfectus sit in ratione cognoscitivi. Ergo cognoscit se comprehensivè. Tum quia DEUS ità se cognoscit clarè immediatè, & quoad omnes perfectiones, & respectus, quos dicit, ut sit se solo omnis sufficientia respectu suæ cognitionis, nec indigeat ullô extra se, quod sit sufficientia suæ cognitionis. Ergo se comprehendit. Sicut enim causa continet comprehensivè perfectionem effectûs, si se sola sit sufficientia adæquata respectu effectûs; sicut itèm locus extrinsecus continet intrà se comprehensivè aliquod corpus, si illud ità contineat, ut nihil ipsius sit extra illum locum. Ità & intellectivum est comprehensivum objecti; si ità contineat perfectionem cognitionis ejusdem objecti, ut sit omnis sufficientia etiam in ratione objecti respectu talis cognitionis. Consequenter cognitio, quâ intellectivum taliter percipit objectum, est comprehensio. Tum quia si de ratione comprehensionis est, ut tanta claritate, & perfectione repræsentet objectum, quantâ est cognoscibile; etiam hoc prædicatum convenit cognitioni, quâ DEUS se ipsum cognoscit. Hac enim DEUS ità clarè, & perfectè se ipsum cognoscit, ut non sit cognoscibilis cognitione perfectiore.

Proponuntur Objectiones.

46. Opponitur primò. Si DEUS cognosceret se ipsum, cognitio DEI esset purè reflexiva supra se ipsam. Cùm enim DEUS sit ipsa sua Intellectio, seu cognitio, DEUS cognoscendo se ipsum, purè se reflecteret supra suam Intellectionem. Sed implicat cognitio purè reflexiva supra se ipsam. Quia omnis cognitio reflexa essentialiter supponit directam. Ergo. Confirmatur. Si DEUS cognosceret reflexè suam cognitionem, cognosceret quoque hujus cognitionis reflexionem supra se ipsam, & rursus cognosceret reflexè reflexionem supra reflexionem, & sic deinceps. Per hoc verò ipsum daretur processus in reflexionibus. Sed talis processus tum alibi, tum vel maximè in DEO repugnat. Ergo.

47. Opponitur secundò. Si DEUS comprehenderet se ipsum sua cognitione, terminaret, & finiret se ipsum, imò deberet se ipsum excedere. Cùm omne comprehendens terminet, ac etiam excedat comprehensum. Quia includens debet esse majus incluso. Sed implicat, ut DEUS se terminet, finiat, ac etiam excedat. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

48. Ad primum Respondeo negando Sequelam, & dico: Cùm DEUS non sit præcisè sua Intellectio, sed dicat per identitatem realem tot alias perfectiones, & prædicata Divina, Intellectio, quâ DEUS se ipsum cognoscit, non est purè reflexiva, sed simul est directa respectu aliarum perfectionum, quas itidem repræsentat. Ad Confirmationem dico cum Distinctione: Si DEUS cognosceret reflexè suam cognitionem, cognosceret uno, eodémque indivisibili actu talis cognitionis reflexionem supra se ipsam, & iterum reflexionem supra reflexionem, & sic deinceps. Concedo Sequelam. Cognosceret reflexè suam cognitionem, &c. multis realiter à se distinctis actibus dicentibus inter se ordinem prioris, & posterioris. Nego Sequelam. Similiter distincta Minore, nego Consequentiam, ac dico: DEUM uno, eodémque indivisibili actu, eóque à se indistincto, cognoscere directè quæcunque sua prædicata absoluta primò, & secundò essentialia, & attributalia, reflexè verò cognoscere suam cognitionem, & cognitionis talis reflexionem supra se ipsam, & quascunque cogitabiles reflexiones unius ipsarum su-

pra aliam; nec hoc ex ullo capite implicare, licèt implicet, ut DEUS multiplici realiter actu cognoscat reflexiones supra suas cognitiones. Admissâque tali multiplicitate sequatur processus realis in infinitum in reflexionibus, in DEO ex speciali ratione repugnans. Processus in infinitum in reflexionibus, qui fit ex modo nonnisi nostro concipiendi in intellectu creato cognoscente reflexiones Divinas adinstar reflexionum creatarum syncathegorematicè infinitarum admitti potest. Nec ex tali processu admisso ulla in DEUM sequitur imperfectio.

49. Ad secundum Respondeo negando Sequelam Majoris, Probationem ejusdem distinguo. Includens, & comprehendens localiter, & positivè debet terminare, & excedere comprehensum. Concedo Probationem. Includens, & comprehendens intentionaliter, ac negativè, debet terminare, & excedere comprehensum. Nego Probationem. Sufficit enim, quòd sit tantum, seu quòd non sit minus, quàm comprehensum. Porrò DEUS est comprehendens se ipsum intentionaliter, & negativè, quatenus sua intelligibilitas non est major, quàm intellectivitas. Potest etiam sic distingui Probatio Sequelæ. Includens, & comprehendens debet terminare, & excedere comprehensum, si tam comprehendens, quàm comprehensum sumantur secundùm conceptus non depuratos ab imperfectionibus. Concedo, vel omitto Probationem. Si comprehendens, & comprehensum sumantur secundùm conceptus depuratos ab imperfectionibus. Nego Probationem. Porrò DEUS est comprehendens, & comprehensum secundùm conceptus depuratos ab imperfectionibus, quibus comprehendens, & comprehensum inficiuntur in creatis.

§. II.

An DEUS cognoscat se ipsum per se ipsum, & in se ipso?

50. Respondeo, & dico: Quòd DEUS cognoscat se ipsum per se ipsum, & in se ipso. Ratio primi est. Tum quia DEUS est ipsamet sua cognitio. Ergo se cognoscit per se ipsum. Tum quia DEUS est essentialiter determinatus ad se cognoscendum. Ergo sicut existit DEUS per se ipsum ex eo, quòd sit sua existentia, & quòd sit essentialiter determinatus ad existendum. Itâ propter similem rationem DEUS se cognoscit per se ipsum.

51. Ratio secundi est. Quia DEUS est motivum, & sufficientia in ratione objecti respectu suæ cognitionis. Estque sibi ratio ultimò, imò unicè essentialiter se ipsum determinans ad se cognoscendum. Ergo DEUS cognoscit se ipsum in se ipso. Consequentia patet. Objectum enim non cognoscitur in se ipso, sed in altero, quod cognoscitur in altero ùt motivo cognitionis, vel certè ùt medio, & ratione formali determinativa cognoscentis ad talem cognitionem. Si ergo DEUS non in aliquo à se distincto, sed cognoscit se in se ipso ùt motivo suæ cognitionis, & in ratione formali determinativa sui intellectûs ad hanc cognitionem, DEUS cognoscit se ipsum in se ipso. Adverto, quòd DEUS cognoscat se in se ipso non priùs cognito, sed cognoscit se in se ipso juxta modum propositum in Probatione.

§. III.

An DEUS cognoscat creaturas possibiles per se ipsum, in se ipso, & ex se ipso?

52. Respondeo, & dico: DEUM cognoscere creaturas possibiles per se ipsum, in se ipso, & ex se ipso, in aliquo vero sensu.

Ratio primi est. Quia DEUS per suam entitatem, & Essentiam est essentialiter determinatus ad cognitionem creaturarum possibilium, imò per suam entitatem est ipsa cognitio, & intellectio earundem creaturarum. Ergo illas cognoscit DEUS per se ipsum.

53. Ratio secundi est. Tum quia Deus est motivum, & sufficientia in ratione objecti, respectu suæ cognitionis creaturarum possibilium. Est enim talis sufficientia respectu cujuscunque suæ cognitionis. Tum quia DEUS est medium, & ratio formalis determinans se ipsum ad cognoscendum non solùm se, sed etiam ad cognoscendas indirectè creaturas possibiles. DEUS enim, ejúsque Omnipotentia est essentialiter connexa cum possibilitate creaturarum. Ergo non potest determinare Intellectum Divinum ad cognoscendam se ipsam, quin determinet eun-

eundem, ad cognoſcendum terminum, quem reſpicit, nimirum, quin determinet ad cognoſcendas creaturas poſſibiles. Adverto nihilominus DEUM cognoſcere Creaturas poſſibiles in ſe ipſo, ùt in motivo & medio, eadem cognitione, quâ ipſe DEUS ſe cognoſcit, cognito; non cognoſcere verò Creaturas poſſibiles in ſe ipſo priùs cognito. Cùm implicet Prioritas, quæ ſit nem. cogit. inter cognitiones Divinas.

54. Ratio tertii eſt. Quia cognoſcere unum ex alio, eſt cognito uno cognoſcere aliud, ſaltèm per diſcurſum virtualem; nec opus eſt, ut cognito uno cognoſcatur aliud per diſcurſum formalem, nisì quis velit de voce diſputare. Sed DEUS ità ſe cognoſcit, ut per diſcurſum virtualem cognoſcat etiam creaturas poſſibiles. Ità enim cognoſcit ſuam Omnipotentiam, ut per diſcurſum virtualem, ſciat connexionis eſſentialis, quam dicit Omnipotentia Divina ad creaturas poſſibiles, terminum eſſe has ipſas creaturas poſſibiles.

Proponitur Objectio.

55. Oppones. DEUS non cognoſcit creaturas poſſibiles in ſua Omnipotentia. Si enim eas in illa cognoſceret, Omnipotentia Divina deberet antecedere ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ. Non antecedit autem, ſed potiùs è contrà hæc ſcientia antecedit omnipotentiam Divinam. Cùm Omnipotentia non agat nisì per Intellectum, & dependenter à directione ſcientiæ, ſitque vera illa cauſalis: Ideo DEUS poteſt producere creaturas, quia eas cognoſcit.

Solvitur.

56. Reſpondeo Antecedens negando & Probationis ſequelam, ac dico: ut DEUS in ſua Omnipotentia cognoſcat creaturas poſſibiles, non requiri prioritatem, quæ ſit nemine cogitante inter ſcientiam & Omnipotentiam DEI; nec infert ullam talem prioritatem veritas illius Cauſalis, quæ in objectione adducitur, ùt facilè intelligi poteſt ex dictis Num. 28. Diſp. 2. Datur tamen ex modo noſtro concipiendi aliqua prioritas inter hæc prædicata Divina, ratione cujus omnipotentia Divina, ſumpta pro virtute productiva in actu primo remoto antecedit ſcientiàm Divinam, quam, ex modo noſtro concipiendi non dicit taliter ſumpta omnipotentia, ſed ſolùm ſcientiam Divinam dicit Omnipotentia ſumpta in actu primo proximo; nimirum dicit talem ſcientiam & Decretum DEI per modum complementi & applicationis ad agendum.

§. IV.

An DEUS cognoſcat Creaturas poſſibiles in ſe ipſis?

Negant Thomiſtæ, affirmant plures è noſtris.

57. Reſpondeo & Dico. quòd DEUS cognoſcat creaturas poſſibiles in ſe ipſis.

Probatur. Tum quia DEUS omni illo modo cognoſcit objecta, quô hæc ſunt cognoſcibilia abſque omni imperfectione cognoſcentis. Nisì enim ità cognoſceret non eſſet determinatus ex ſe ad cognoſcenda objecta cognitione non involvente ullam imperfectionem; adeóque careret aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici. Sed creaturæ poſſibiles ſunt cognoſcibiles in ſe ipſis abſque omni imperfectione cognoſcentis. Id enim, quod habet determinatam veritatem in ſe ipſo, eſt cognoſcibile in ſe ipſo, à perfectiſſimo cognoſcente, ſinè imperfectione ejuſdem ipſius cognoſcentis: cùm nulla imperfectio per talem modum cognoſcendi invehi poſſit in cognoſcentem, quæ enim? Porrò creaturæ poſſibiles habent in ſe ipſis determinatam veritatem, ratione cujus poſſunt verificare quaſdam propoſitiones. Et ſic Antichriſtus v. g. poſſibilis habet determinatam veritatem, ratione cujus poteſt verificare ſequentes propoſitiones: Quòd Antichriſtus ſit terminus Omnipotentiæ Divinæ. Quòd ſit ſubjectum aptum ad denominari ab Omnipotentia Divina, denominatione Antichriſti poſſibilis. Quòd prædicata illius ante exiſtentiam nihil ſint, veniant tamen pro materiali, in denominatione poſſibilis deſumptâ ab Omnipotentia Divina; non poſſint autem eſſe materiale in denominatione impoſſibilis. Quòd eadem prædicata, ſi exiſterent, non involverent contradictionem. Ergo. Tum quia, ùt infrà dicetur, DEUS, actus noſtros liberos, ſive abſolutè, ſive conditionatè futuros cognoſcit in ſe ipſis. Ergo idem

idem ipse etiam creaturas possibiles earúmque essentias cognoscit in se ipsis. Tum quia DEUS immediatè amat creaturas possibiles in se ipsis, Ergo & cognoscit easdem in se ipsis. Tum quia Omnipotentia Divina dicit Relationem Transcendentalem ad creaturas possibiles in se ipsis, illásque in se ipsis denominat. Ergo & Scientia simplicis Intelligentiæ easdem creaturas respicit in se ipsis.

Pro solvendis Objectionibus.

58. Noto *Primò*: Quòd quidam SS. Patres, dum videntur negare cognitionem, quâ DEUS cognoscat creaturas in se ipsis, negent DEUM cognoscere creaturas in se ipsis ùt in motivo & sufficientia respectu suæ cognitionis & Scientiæ Divinæ. Non negent autem cognitionem creaturarum in se ipsis tanquam in objecto immediato purè terminativo cognitionis Divinæ. Sed talem cognitionem asserit & admittit S. Thomas hìc Quæst. 14. art. 6. ad primum in fine, ubi dicit: *DEUS non solùm cognoscit res in se ipso, sed per id, quod continet res in se ipso, cognoscit eas in propria natura.* Noto *secundò*. Cognitionem, quâ DEUS cognoscit creaturas possibiles in se ipso, & cognitionem, quâ easdem creaturas cognoscit in illis ipsis, earúmque propria natura, esse unam eandémque realiter & nemine cogitante cognitionem, solúmque per rationem, & ex modo nostro concipiendi distingui. Noto *tertiò*. Ex his duabus ratione nostra distinctis cognitionibus, non esse ullam superfluam. Licèt enim utraque unum idémque objectum cognoscat, & repræsentet, non tamen eodem modo. Pertinet autem ad perfectionem DEI, dari cognitionem omni eo modo repræsentantem objectum, quô illud repræsentari potest sinè imperfectione cognoscentis. Noto *quartò*. Creaturas possibiles, etiamsi non possint esse motivum strictè tale, prout hoc dicit rationem sufficientiæ objectivæ respectu cognitionis & scientiæ DEI, posse tamen esse objectum immediatum terminativum cognitionis Divinæ, ídque non solùm ex eo, quia id, quod non habet esse actuale exercitum existentiale, illud non potest esse sufficientia alteri ad esse, in ratione ulla, adeóque nec in ratione objecti respectu ullius cognitionis; sed etiam ex eo, quia ratio motivi per modum sufficientiæ in ratione objecti respectu cognitionis Divinæ, invehit in DEUM imperfectionem, scilicet producibilitatem scientiæ Divinæ, ac ipsius DEI. Nullam autem imperfectionem invehit ratio objecti immediatè terminativi in se ipso cognoscibilis, neque hæc ratio requirit existentiam ejus, cui convenit. Noto *quintò*. Etiamsi Creaturis possibilibus ab æterno non conveniat ullum esse actuale absolutum in se ipsis, convenire tamen illis veritatem & cognoscibilitatem, non quidem motivam, ex vi cujus movere possint Intellectum aliquem per modum sufficientiæ objectivæ ad actum; sed convenire illis veritatem terminativam, ex vi cujus possint terminare immediatè cognitionem, & aliquas de se propositiones verificare. Hinc verò ulteriùs patet, qualis veritas sit de ratione Entis realis actualis exercitè existentis, & quæ possit convenire etiam his, quæ actu non existunt exercitè & absolutè. Noto *Sextò*. Cognitionem Divinam Creaturarum possibilium in se ipsis realiter spectatam esse perfectissimam & simpliciter infinitam. Quia hæc cognitio est realiter per realem identitatem cognitio, quâ DEUS cognoscit se ipsum, & in se ipso creaturas. Eadem tamen cognitio sumpta præcisivè & ex modo nostro concipiendi non est necessariò formaliter perfectissima; sed nec taliter sumpta debet esse formaliter perfectissima, cùm supponatur sumi præcisivè à multis perfectionibus. Noto *septimò*. DEUM cognoscere in se ipsis creaturas potentiâ, & syncathegorematicè infinitas. Cùm itidem taliter sumptas contineat in sua omnipotentia. Neque hinc sequitur tales creaturas, hoc ipso non fore infinitas potentiâ, sed fore infinitas actu, ex eo, quòd tales creaturæ simul à DEO sciantur. Cùm implicet, ità illas à DEO cognosci successivè, atque sunt dabiles successivè. Non sequitur inquam. Etiamsi enim illæ creaturæ sint infinitæ actu & simultaneè infinitudine actuali ipsius scientiæ Divinæ complectentis simultaneam omnium repræsentationem, tamen eædem creaturæ in se ipsis, & ex parte objecti repræsentati sunt infinitæ in potentia, & nonnisì successivè producibiles.

§. V.

§. V.

An DEUS cognoſcat ſe ipſum per creaturas, in creaturis, & ex creaturis?

59. Reſpondeo, & dico: DEUM non cognoſcere ſe per creaturas, cognoſcere tamen ſe in creaturis, & ex creaturis in aliquo vero ſenſu.

Ratio primi eſt. Quia in tantùm poſſet dici DEUS cognoſcere ſe per creaturas, in quantùm vel creaturæ eſſent Cognitio Divina, vel in quantùm Cognitio Divina haberetur per ſpecies intelligibiles acceptas à creaturis. Nullus enim alius modus cogitari poteſt, quô DEUS ſe cognoſcat per creaturas. Atqui DEUS non cognoſcit ſe per cognitionem, quæ ſit indiſtincta à creaturis, ſeu quæ ſit idem cum creaturis, ùt clarum eſt. Neque etiam Cognitio Divina, quâ ſe DEUS cognoſcit, habetur per ſpecies intelligibiles acceptas à creaturis. Tales enim ſpecies DEO repugnant. Ergo.

60. Ratio ſecundi eſt. Quia DEUS ità cognoſcit directè creaturas, ut cognoſcat ſe ipſum indirectè tanquam terminum connexionis, quam ad ſe dicunt creaturæ. Sed DEUM cognoſcere directè creaturas, & ſe ipſum indirectè tanquam terminum connexionis, quam ad ſe dicunt creaturæ, eſt DEUM cognoſcere ſe ipſum in creaturis. Sicut DEUM cognoſcere directè ſe ipſum, indirectè autem creaturas tanquam terminũ ſuæ connexionis eſt DEUM cognoſcere creaturas in ſe ipſo. Ergo. Major probatur. Tum quia DEUS cognoſcendo creaturas in ſe ipſis, cognoſcit eas directè. Eò autem ipſo, quòd cognoſcat illarum connexionem ſecum, ſe cognoſcit indirectè. Quia ſe cognoſcit tanquam terminum, cum quo creaturæ connectuntur. Tum quia DEUS eo modo cognoſcit objecta, quomodo hæc ſunt cognoſcibilia ſinè imperfectione cognoſcentis. Sed creaturæ poſſibiles ſunt objectum directè, & in ſe ipſo cognoſcibile. DEUS etiam eſt objectum cognoſcibile indirectè, & tanquam terminus connexionis, quam cum DEO dicunt creaturæ, idque abſque omni imperfectione cognoſcentis. Hic enim modus cognoſcendi DEUM nullam in DEUM cognoſcentem invehit imperfectionem; quam enim?

61. Ratio tertii eſt. Quia DEUS cognoſcendo creaturas poſſibiles, earùmque ſecum connexionem, per diſcurſum virtualem cognoſcit, quòd ipſe ſit neceſſariò, & exiſtat. Ergo.

Addidi: *in aliquo vero ſenſu.* DEUM ſe in creaturis, & ex creaturis cognoſcere. Certum enim eſt, DEUM non ſe cognoſcere in creaturis, ùt in motivo per modum ſufficientiæ objectivæ reſpectu ſuæ cognitionis; non itèm ſe cognoſcere ùt in medio priùs cognito, ſed ſolùm ſe cognoſcere in creaturis ùt in medio, ſimul & per eandem omnino cognitionem cognito. Certum etiam eſt, DEUM non ſe cognoſcere ex creaturis: per cognitionem ſui ex creaturis intelligendo diſcurſum formalem. Cùm hic ſecundùm dicta ſuperiùs in DEO repugnet.

Pro ſolvendis Objectionibus.

62. Noto primò. Cognitionem mediatam non repugnare DEO, ſi DEUS hac cognitione ſe cognoſcat in alio ùt medio, eadem cognitione cognito: ſi itèm cognitio mediata ſit ſimul immediata reſpectu unius, ejuſdémque objecti. Unde non repugnat DEO cognitio, quâ in ſe ipſo videat creaturas, etiamſi hæc cognitio ſit cognitio mediata creaturarum; ídque non repugnat talis cognitio mediata ex eo: quia eſſe cognitionem repræſentativam indirectè alicujus objecti, & per modum termini connexionis, ſeu Relationis directè cognitæ, nullam involvit imperfectionem. Solùm ergo cognitio purè mediata dicit imperfectionem. Quia dicit negationem alicujus puræ perfectionis, ſcilicet negationem cognitionis immediatæ. Hinc non repugnat in DEO cognitio, quâ ſe videat in creaturis, licèt hæc ſit cognitio mediata, & indirecta DEI. Ità enim eſt cognitio mediata, ut ſimul ſit cognitio immediata, & directa. Noto ſecundò. Cognitionem ænigmaticam eſſe propriè illam, quâ objectum cognoſcitur per ſimilitudinem alterius objecti itidem cogniti, aut per ſpecies alienas. Cùm ergo illa cognitio, quâ DEUS cognoſceret ſe ipſum in creaturis, non eſſet talis, quæ DEUM repræſentaret per ſimilitudinem alicujus objecti, aut per ſpecies alienas, ſicut cogni-

tio, quâ DEUS in se ipso videt creaturas, non est cognitio creaturarum per similitudinem alicujus alterius objecti simul cogniti, nec est per species alienas. Ideò cognitio, quâ se DEUS cognosceret in creaturis, non deberet esse ænigmatica. Noto tertiò. Si DEUS cognoscat se ipsum in actibus intellectûs creati falsis, vel probabilibus, vel præcisivis, non sequitur hinc, quòd DEUS habeat cognitionem falsam, vel probabilem, vel præcisivam. Quia DEUS clarissimè, certissimè, & comprehensivè cognoscit tam se ipsum, quàm illos actus creatos cum omni conformitate cognitionis suæ cum objecto, nec ullatenus imperfectiones illorum actuum creatorum derivat in suam cognitionem, & scientiam.

§. VI.

An DEUS unam creaturam cognoscat in alia, & ex alia creatura?

63. Respondeo, & dico: DEUM cognoscere unam creaturam in alia, & ex alia, in aliquo vero sensu.

Ratio est. Quia aliquæ creaturæ dicunt Relationem transcendentalem ad alias, & connexionem cum iisdem. Ergo in talibus creaturis directè cognitis DEUS cognoscit indirectè alias; adeóque quas cognoscit indirectè, cognoscit in aliis. Cognoscit etiam unam creaturam ex alia. Quia cognoscit per discursum virtualem; quòd suppositâ existentiâ unius creaturæ, debeat existere & altera creatura, cum qua prior illa connectitur.

§. VII.

An impossibilia, & non entia sint objectum Scientiæ simplicis intelligentiæ?

64. Respondeo affirmativè. Ratio est. Quia hæc objecta habent determinatam veritatem, & cognoscibilitatem. Possunt enim verificare multas propositiones; quales sunt: Quòd impossibile sit id, quod nec est, nec esse potest: Quòd negationes passivæ contingentes non identificentur ulli enti positivo, &c. Ergo.

Pro solvendis Objectionibus.

65. Noto primò. Negationes, & impossibilia cognosci non solùm indirectè, & in alio, sed etiam directè, & in se ipsis. Cognoscuntur non entia, & negationes indirectè, quatenus cognoscuntur in creaturis possibilibus connexis cum quibusdam negationibus. Impossibilia verò cognoscuntur indirectè, quatenus v. g. cognoscuntur in quibusdam prædicatis Divinis, prout excludentibus ea, quæ sunt impossibila, ùt Unicitas DEI excludit essentialiter alterum DEUM. Aliæ chimeræ excluduntur ab Omnipotentia DEI. Cognoscuntur etiam directè, & in se ipsis. Quia hoc modo cognoscibilia sunt, absque omni imperfectione cognoscentis. Noto secundò. Etiamsi non entia, & impossibilia non habeant esse physicum, & reale actuale, habent tamen terminabilitatem, imò & terminationem Cognitionis Divinæ. Ad talem enim terminabilitatem non requiritur, ut aliquid habeat esse positivum physicum, sed sufficit, quòd habeat esse objectivum, quale esse habent etiam non entia, & impossibilia. Noto tertiò. Ex hoc, quòd DEUS cognoscat impossibilia, non inferri, quòd faciat ens rationis per cognitionem fingentem, aut falsam, prædicata sibi repugnantia per affirmationem conjungentem, aut prædicata secum essentialiter connexa, vel identificata à se invicem per negationem, dividentem. Admitti tamen potest, quòd DEUS per cognitionem perfectissimam, & veram faciat Ens rationis, quatenus cognoscendo impossibile, facit, ut in Intellectu Divino habeat esse objectivè, ultra quod non habet aliud esse.

QUÆSTIO II.

De Scientia Visionis.

66. Notum est ex dictis superiùs, quòd Scientia visionis sit illa, quâ DEUS intuetur objectum existens. Cùm verò objectum existens aliud sit necessariò existens, quòd scilicet repugnat non existere. Seu, quòd si non existat, sequitur contradictio, quâ ratione solus DEUS est necessariò existens. Et aliud objectum sit contingenter existens; quod scilicet ità exi-

exiſtit, ut non repugnet illud non exiſtere. Seu quòd ità exiſtat, ut ſive exiſtat, ſive non exiſtat, nulla ſequitur contradictio. Qualia objecta contingenter exiſtentia, ſunt omnia exiſtentia creata. Hinc Scientia Viſionis dividitur in Scientiam objecti neceſſariò exiſtentis, & in Scientiam objecti contingenter exiſtentis; exiſtentis, inquam, in aliqua temporis differentia. Exiſtentia enim contingenter, non exiſtunt in omni temporis differentia, cùm non extiterint ab æterno. Et quia iterùm ex objectis contingenter exiſtentibus aliqua ſunt dependentia à libero arbitrio creato: alia independentia: Scientia Viſionis circa objecta contingenter exiſtentia, ſubdividitur in Scientiam Objectorum contingenter exiſtentium, independentium à libero arbitrio creato, & in Scientiam Objectorum contingentium à libero arbitrio creato dependentium. Hæc poſtrema Scientiæ Viſionis ſpecies, idq; ſub conceptu viſionis terminatæ ad contingentia libera abſolutè futura, hoc eſt, exſtitura in aliqua temporis differentia; hæc, inquam, Scientiæ Viſionis ſpecies venit potiſſimùm in conſiderationem Theologicam, De hac ſpecie Scientiæ Viſionis etiam à nobis præſens inſtituetur Quæſtio. In qua triplici Puncto hæc examinabuntur. Primò: An, & quomodo per Scientiam Viſionis præſciantur à DEO contingentia libera abſolutè futura, ſeu actus creati liberi abſolutè futuri? Secundò: In quo medio hæc ipſa cognoſcantur à DEO? Tertiò: An cognoſcantur in ſe ipſis?

PUNCTUM I.

An, & quomodo præſciantur à DEO actus noſtri liberi abſolutè futuri?

DUo ad ſpeciem, quoad rem verò plura inquiruntur præſenti Puncto. Inquiritur enim primò: An DEUS præſciat, & præſciverit ab æterno actus noſtros liberos abſolutè futuros? Secundò: An præſciverit illos determinatè futuros? Tertiò: An præſciverit præſcientiâ certâ, & infallibili? Quartò: An præſcientia hæc ſit præſcientia actuum liberorum quâ talium, ſeu, an DEUS præſciverit actus noſtros liberos ſalva, & illæſa libertate eorundem? Quintò: An præſcientia tali, quæ ſit cauſa proxima actuum liberorum?

§. I.

An DEUS præſciverit ab æterno actus noſtros liberos abſolutè futuros?

67. Dicendum eſt: DEUM præſciviſſe ab æterno actus noſtros liberos abſolutè futuros. Eſt concluſio de fide contra errorem Ariſtotelis oppoſitum ſententis. ſecundô Metaph. text. 1.

Probatur primò Authoritate tum Scripturæ. Pſal. enim 138. dicitur: *Intellexiſti cogitationes meas de longè.* Eccleſ. 39. *Non eſt quidquam abſconditum ab oculis ejus.* Et Sap. 8. *Si mulitudinem Scientiæ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat.* Tum Patrum. Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Præſcientia DEI tot habet teſtes, quot habet Prophetas.* Et Auguſtini lib. 5. de Civit. DEI cap. 9. *Confiteri DEUM, & negare præſcientiam, apertiſſima inſania eſt.*

68. Probatur ſecundò ratione. Si DEUS non præſciviſſet ab æterno actus noſtros liberos abſolutè futuros, eô ipſo non eſſet perfectiſſimus. Hoc implicat. Ergo. Sequela Majoris probatur. Tum quia DEUS non eſſet omniſcius. Quia non cognoſceret omne objectum cognoſcibile. Non cognoſceret enim futuritionem abſolutam actuum noſtrorum liberorum, quæ futuritio eſt objectum cognoſcibile, atque eſt cognoſcibilis præteritio talium actuum. Poſſibilitas itèm creaturarum, & impoſſibilitas chimærarum. Sed eô ipſo, ſi DEUS non eſſet omniſcius, non eſſet perfectiſſimus. Sicut non eſſet perfectiſſimus, ſi non eſſet Omnipotens; non minùs enim omniſcientia DEI eſt perfectio ejuſdem ſimpliciter ſimplex, quàm ſit Omnipotentia DEI. Siquidem æquè illa, atque hæc, nullam imperfectionem dicit in ſuo conceptu formali. Tum quia ſi DEUS non præſciviſſet ab æterno actus noſtros liberos,

DEUS eſſet mutabilis; acquireret enim in tempore prædicatum ſibi intrinſecum, quod non habuit ab æterno. Quia acquireret Scientiam talium actuum in tempore, dum hi actus exiſterent, quam non habuit ab æterno. Deberet enim ſaltèm tunc DEUS cognoſcere actus creatos liberos, quando hi actu exiſterent. Aliàs DEUS neſciret ſe operari actu, & ex ratione Cauſæ primæ concurrere ad dictos actus. Quod in DEUM cadere non poteſt.

§. II.

An DEUS præſciverit determinatè actus noſtros liberos abſolutè futuros?

69. Dicendum eſt: DEUM præſciviſſe determinatè actus noſtros liberos abſolutè futuros.

Probatur. DEUS per ſuam præſcientiam, ex vi cujus præſcit actus noſtros liberos, præſcivit ab æterno determinatè converſionem Petri potiùs abſolutè futuram, quàm omiſſionem ejuſdem. Ergo. Antecedens probatur. Tum quia præſcientia illa Divina non fuit indeterminata, & disjunctiva, affirmans ſub disjunctione converſionem Petri, aut futuram abſolutè, aut non futuram abſolutè. Talis enim præſcientia dicit imperfectionem dedecentem DEUM. Quia dicit ignorantiam, aut ambiguitatem, & ſuſpenſionem judicii, circa alterutrum determinatè enunciandum. Tum quia DEUS, eo modo non involvente imperfectionem, præſcit converſionem Petri, quomodo hæc eſt cognoſcibilis. Talis enim modus cognoſcendi cùm ſit pura perfectio, DEO convenire debet. Sed converſio Petri, quæ defacto eſt abſolutè futura, eſt determinatè cognoſcibilis. Ergo DEUS illam præſcit determinatè. Minor probatur. Converſio Petri abſolutè futura habet determinatam veritatem; talem enim habet veritatem, quomodo eſt futura. Siquidem non per aliquid aliud eſt terminativa, & verificativa propoſitionis de ſe aliquid enunciantis, niſi per ſuum eſſe, & per ſuam futuritionem. Cùm ergo converſio Petri eô ipſo, quòd ſit abſolutè futura, ſit determinatè futura, ſequitur, quòd dicta converſio habeat determinatam veritatem; adeóque determinatam cognoſcibilitatem. Hoc enim loco per determinatam veritatem intelligitur determinata cognoſcibilitas objecti, verificativa propoſitionis aliquid determinatè enunciantis de objecto.

§. III.

An DEUS ab æterno præſciverit certò, & infallibiliter actus noſtros liberos abſolutè futuros?

70. Dicendum eſt: Quòd DEUS præſciat certò, & infallibiliter actus noſtros liberos abſolutè futuros.

Ratio eſt. Quia DEUS præſcit actus noſtros liberos abſolutè futuros, tali ſcientia, quam falli eſſentialiter repugnat. Cuivis enim cognitioni, & Scientiæ Divinæ falſitas eſſentialiter repugnat. Ergo DEUS actus noſtros liberos abſolutè futuros præſcit certò, & infallibiliter. Certitudo enim, & infallibilitas cognitionis, eſt ipſa repugnantia falſitatis, eidem cognitioni. Confirmatur. Si Præſcientia Divina poſſet falli, in tantùm poſſet falli, in quantùm poſſet non eſſe futurus actus liber, quem Scientia illa enunciat, eſſe futurum. Sed implicat actum, quem Scientia Divina enunciat futurum, non eſſe futurum. Quia implicat aliquem actũ in ſuppoſitione, quòd ſit futurus, ſimul, ſemélque non eſſe futurum. Hoc autem fieret. Scientia enim Divina illum nonniſi actum enunciat futurum, qui ſupponitur eſſe futurus. Ergo ut falleretur talis Scientia, actus, qui ſupponitur, eſſe futurus, deberet ſimul, ſemélque non eſſe futurus.

Proponuntur Objectiones contra Concluſiones præcedentes.

71. Objicitur primò. Authoritas S. Hieronymi in cap. 1. Habacuc. dicentis: *Abſurdum eſt ad hoc DEI deducere Majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quótve moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo, &c.* Ergo pariter abſurdum erit ad hoc eandem deducere Majeſtatem, ut ſciat fœdiſſimos peccatorum actus.

72. Objicitur ſecundò. Si DEUS præſciret abſolutè futura, hoc ipſo eſſet mutabilis. Deberet enim illa Scientia, quam habet de peccato Petri futuro, poſt tranſactum peccatum, variari in DEO.

Si-

Siquidem DEUS post transactum peccatum Petri non potest illud videre ùt futurum; sed tunc nonnisi potest videre illud peccatum jam esse præteritum, nec ampliùs scientia, & cognitio illius peccati est præscientia. Ergo.

73. Objicitur tertiò. Actus futuri liberi neque habent determinatam veritatem in se ipsis, cùm sint liberi, possintque non esse, neque habent determinatam veritatem in suis causis. Quia respectu actuum liberorum non datur causa determinata ad unum. Ergo actus liberi absolutè futuri non possunt à DEO determinatè præsciri.

Solvuntur Objectiones.

74. Respondeo ad primum. Adducto textui S. Hieronymi posse plures contrarios ex sacra Scriptura opponi textus. Ut cùm dicitur Matth. 10. *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.* Et iterum: *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadit in terram sinè Patre meo.* Directè dico S. Hieronymum intelligendum esse eo sensu, ùt ex ipso textu patet: quòd DEUS non sciat, quot per singula momenta nascantur culices, tali scientia, quæ illi de novo obveniat, quæ itèm illi subserviat ad impendendam specialem, & peculiarem providentiam rebus abjectis, & quæ ipsum impediat in gubernatione Universi, & in cura rerum majoris momenti. Cum quo stat DEUM hæc ipsa scire scientiâ requisitâ ad exercendam providentiam generalem, ac etiam particularem, proportionatam singulis his, ac scientiâ nullam in DEUM imperfectionem invehente.

75. Ad secundum Respondeo negando Sequelam cum sua Probatione, & dico: DEUM unam, eandémque scientiam in se invariatam habere de peccato Petri post patratum hoc peccatum, quam habuit, antequam patratum fuisset. DEUS enim in tantùm præscivit futura, in quantùm unico suo cognitionis actu vidit omnia instantia æternitatis creatæ à parte post sibi invicem succedentia, ità ut simul videat quibusdam instantibus tam antecedentibus, quàm subsequentibus, peccatum Petri non coëxistere, instanti verò cuipiam medio inter illa instantia, idem peccatum coëxistere. Quæ scientia est in DEO invariabilis, & infallibilis semper, idem enim semper conformiter ad objectum repræsentat. Quòd verò hæc scientia dicatur ante peccatum præscientia, post peccatum non dicatur; non arguitur hinc variari intrinsecè Scientiam Divinam. Hæ enim denominationes non sunt DEO adæquatè intrinsecæ, sed complentur aliquo extrinseco, quòd si varietur, denominatio variatur. Potest etiam distingui Probatio ulterior. Post transactum peccatum Petri DEUS non potest illud videre ùt futurum respectivè ad instantia, quæ subsequitur. Nego. Respectivè ad instantia, quæ præcedit. Concedo.

76. Ad tertium Respondeo. Actus nostros liberos absolutè futuros habere determinatam veritatem in se ipsis. Nec obstat, quòd illi actus sint liberi. Non obstat, inquam, quia cum libertate actuum optimè componitur eorundem necessitas ex suppositione consequente, seu ex suppositione, quòd sint liberè ponendi. Porrò in sola necessitate actuum ex suppositione consequente, sufficienter subsistit eorundem actuum determinata veritas, ratione cujus hi actus à DEO determinatè sciantur.

§. IV.

An DEUS præsciat actus liberos absolutè futuros illæsa eorundem libertate?

77. Dicendum est: DEUM præscire actus nostros liberos absolutè futuros illæsa libertate eorundem. Est contra plures Hæreticos opinantes, per præscientiam DEI futurorum, à voluntate creata dependèntium, tolli libertatem eorundem.

Probatur primò Authoritate S. Augustini lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. *Sicut tu memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic DEUS præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt.* Et iterum cap. 3. *Per præscientiam DEI mihi libertas non adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, qui non fallitur, adfuturam mihi esse præscivit.*

78. Probatur secundò Ratione. In tantùm per præscientiam DEI tolleretur libertas actuum nostrorum absolutè futurorum, in quantùm infallibilitas Scientiæ Di-

Divinæ non posset stare cum libertate actuum nostrorum. Sed potest stare. Ergo. Minor probatur. Tum quia infallibilitas Scientiæ Divinæ, quâ DEUS cognoscit actus suos liberos, stat cum libertate eorundem actuum. Infallibilitas itèm, quâ certò cognosco homicidium v. g. ab aliquo perpetrari, stat cum libertate perpetrantis. Ergo etiam infallibilitas, quâ Deus præscit actus voluntatis nostræ determinatè futuros, stat cum libertate eorundem actuum. Tum quia Scientiæ Divinæ infallibilitas habetur partim ex determinatione, quâ DEUS per suam Essentiam est determinatus ad objectum, eô modô repræsentandum, quomodo est futurum; partim ex eo, quòd actus liber ex suppositione, quòd sit futurus, necessariò, & infallibiliter est futurus Atqui tam determinatio, ex vi cujus DEUS est determinatus ad repræsentandum objectum, eô modô futurum, quomodo in se est futurum, quàm etiam infallibilitas futuritionis actûs, proveniens ex suppositione consequente ejusdem futuritionis, stat cum libertate actûs. Hanc enim imprimis non tollit determinatio DEI ad cognoscenda objecta eó modô futura, quomodo defacto sunt futura. Non apparet enim ratio, & fundamentum, ex quo hæc determinatio deberet tollere dictam libertatem. Non tollit etiam eandem libertatem infallibilitas futuritionis actûs ex suppositione ejusdem futuritionis. Quia infallibilitas futuritionis actûs liberi, proveniens ex suppositione consequente, non tollit libertatem. Infallibilitas autem futuritionis actûs ex suppositione ejusdem, est infallibilitas ex suppositione consequente. Ergo.

79. Probatur tertiò. positâ Præscientiâ DEI de conversione Petri absolutè futura, conversio hæc ponenda est à causa in actu primo proximo indifferente ad eam ponendam, vel non ponendam. Ergo positâ Præscientiâ DEI, conversio Petri est futura libera; adeóque Præscientia DEI non tollit libertatem conversionis Petri. Antecedens probatur. Positâ præscientiâ Divinâ de futura absolutè conversione Petri, nullum est ponendum principium seu requisitum tenens se ex parte actûs primi, inimpedibile à Petro, & connexum essentialiter cum conversione Petri, eandémque essentialiter inferens. Ergo. Antecedens immediatum probatur. Si posita præscientiâ Divinâ de futura absolutè conversione Petri ponendum esset aliquod principium, seu requisitum tenens se ex parte actûs primi, inimpedibile à Petro, connexum essentialiter cum conversione Petri, tale principium seu requisitum, esset, vel ipsa Præscientia Divina futuræ conversionis, vel certè tale principium seu requisitum, esset aliquod medium, in quo Præscientia Divina videret infallibiliter ipsam conversionem. Neutrum autem ex his potest esse tale principium, aut requisitum Non potest imprimis dici, quòd medium in quo Præscientia Divina videt infallibiliter conversionem Petri, sit principium seu requisitum &c. infallibiliter connexum cum conversione Petri. Quia tale medium nullum datur, nec dari potest, respectu scientiæ, quâ DEUS videt dictam conversionem. Siquidem Præscientia Divina conversionem Petri nonnisi videt infallibiliter in se ipsa. Non potest deinde dici tale principium seu requisitum esse ipsam Præscientiam Divinam. Tum quia hæc non est ullum principium & causa respectu actuum nostrorum, ùt proximè dicetur §. sequente. Non est etiam requisitum tenens se ex parte actûs primi. Licèt enim Præscientia Divina duratione præcedat conversionem Petri, tamen eadem ipsa conversio objectivè per modum conditionis determinantis, præsupponitur ad ipsam scientiam Divinam. Tum quia Præscientia Divina futuræ conversionis Petri, est indirectè impedibilis à voluntate Petri. Cùm enim Petrus possit liberè omittere vel non omittere suam conversionem, potest per omissionem conversionis, impedire objectum Præscientiæ Divinæ de futura conversione Petri, adeóque potest indirectè impedire præscientiam, nè talis præscientia in DEO fuerit ab æterno. Tum quia Præscientia Divina in sententia, complente actus DEI liberos & contingentes per aliquid extrinsecum, non connectitur cum conversione Petri. Neque enim dicta præscientia sumpta secundùm id, quod dicit in recto, connectitur cum conversione Petri. Quia tale Rectum est ipse DEUS, ejúsque Essentia determinata ad cognoscendum omne quidquid futurum est. Porrò essentia hæc est in-

indifferens ad futuritionem converſionis, vel omiſſionem ejuſdem. Neque etiam præſcientia DEI ſecundùm id, quod dicit in obliquo, connectitur cum converſione Petri. Quia hæc præſcientia in obliquo dicit ipſam converſionem Petri, quæ non connectitur ſecum, neque poteſt ſe tenere ex parte actûs primi reſpectu ſui ipſius. In ſententia verò DEO adæquatè realiter identificante actus ipſius liberos, præſcientia converſionis Petri ità connectitur cum converſione Petri, ſicut ſcientia præteritorum connectitur cum ipſis præteritis. Sicut itèm cognitio mea infallibilis, quam habeo de quibuſdam actibus DEI liberis, v. g. quòd DEUS decreverit Incarnationem Verbi, productionem mundi, &c. connectitur cum iiſdem actibus DEI liberis. Sicut igitur ſcientia præteritorum in DEO, ſcientia itèm mea de actibus quibuſdam DEI liberis, per connexionem ſuam cum talibus actibus, non tollit libertatem eorundem, ità & præſcientia DEI actuum noſtrorum liberorum abſolutè futurorum, ratione ſuæ connexionis cum talibus actibus, non tollit libertatem eorundem. Et Ratio eſt. Quia hæ ſcientiæ ità connectuntur cum ſuis objectis, ut ea præſupponant objectivè, non cauſent, ipſiſque conformentur.

Proponuntur Objectiones.

80. Objicitur primò. Præſcientia Divina actuum noſtrorum liberorum eſt infallibilis, Ergo tollit libertatem talium actuum. Conſequentia probatur. Tum quia ſuppoſita infallibilitate Præſcientiæ Divinæ de peccato Petri futuro, peccatum hoc neceſſariò eſt futurum, ità enim eſt futurum, ut non poſſit non eſſe futurum. Aliàs ſi poſſet non eſſe futurum, poſſet falli Præſcientia Divina. Atqui, quod eſt neceſſariò futurum, non poteſt eſſe liberum. Ergo. Tum quia, ſi ſuppoſitâ Præſcientiâ Divinâ de peccato Petri futuro, peccatum non eſſet futurum, falleretur ſimpliciter Præſcientia DEI. Ergo ſi eâdem Præſcientiâ ſuppoſitâ, peccatum Petri poſſet non eſſe futurum, poſſet falli Præſcientia Divina. Adeóque eſſet fallibilis.

81. Objicitur ſecundò. Præſcientia Divina de peccato Petri eſt impedibilis, infertque inimpedibiliter peccatum Petri. Ergo tollit libertatem peccati Petri. Facit enim, ut peccatum Petri ſit inimpedibile. Siquidem, quod inimpedibiliter ſequitur, ex inimpedibili, debet & ipſum eſſe inimpedibile. Antecedens probatur. Imprimis Præſcientia Divina eſt inimpedibilis. Quia ad præteritum non datur potentia. Præſcientia autem Divina cùm fuerit ab æterno, poteſt certo ſenſu dici quid præteritum. Sequitur etiam inimpedibiliter peccatum Petri ex tali Præſcientia. Quia ſequitur ex vi connexionis eſſentialis, quam habet Præſcientia cum peccato. Quod autem ſequitur ex vi connexionis eſſentialis, ſequitur inimpedibiliter. Siquidem hæc connexio, ſicut & ipſa Præſcientia eſt inimpedibilis.

Solvuntur Objectiones.

82. Reſpondeo ad primum negando Conſequentiam. Primæ Probationis diſtinguo Majorem. Suppoſita infallibilitate Præſcientiæ Divinæ de peccato Petri futuro, peccatum illud eſt futurum neceſſariò ex ſuppoſitione conſequente. Concedo Majorem. Eſt neceſſariò futurum ex ſuppoſitione antecedente. Nego Majorem. Similiter diſtincta Minore nego Conſequentiam. Secundæ Probationis omiſſo Antecedente diſtinguo Conſequens. Ergo ſi eadem Præſcientia præſuppoſita peccatum Petri ex ſuppoſitione antecedente poſſet non eſſe futurum, poſſet falli præſcientia Divina. Nego Conſequentiam. Ergo ſi ſuppoſitâ Præſcientiâ Divinâ, peccatum Petri ex ſuppoſitione conſequente poſſet non eſſe futurum, poſſet falli Præſcientia Divina. Omitto Conſequentiam. Potiùs enim deberet tolli, & non eſſe Præſcientia peccati, quæ eſſe ſupponitur.

83. Ad ſecundum Reſpondeo negando Antecedens. Probationem primæ partis diſtinguo. Ad præteritum, quod neque completur per aliquid futurum, neque præſupponit objectivè ipſum futurum, tanquam conditionem objectivam determinantem, non datur potentia. Concedo Probationem. Ad præteritum, quod vel completur per aliquid futurum, vel præſupponit ipſum futurum, tanquam conditionem objectivam, & rationem determinantem, non datur potentia. Nego Probationem, & dico: Scientiam Divinam eſſe tale præteritum, quod vel com-

completur per ipſum futurum, vel illud præſupponit objectivè, tanquam rationem ſui determinantem. Secundæ etiam partis Antecedentis Probationem diſtinguo. Quod ſequitur ex vi connexionis eſſentialis cum peccato, tanquam ex ratione antecedenter determinante ad peccatum, illud ſequitur inimpedibiliter. Concedo Probationem. Quod ſequitur ex vi connexionis cum peccato, tanquam ex ratione conſequente ipſum eſſe peccati, illud ſequitur inimpedibiliter. Nego Probationem. Porrò peccatum Petri ſequitur ex vi connexionis eſſentialis, quam Præſcientia DEI habet cum peccato, ſequitur, inquam, ex vi connexionis conſequentis ipſum eſſe peccati, non ſequitur verò ex vi connexionis, quæ ſit ratio antecedenter determinans ad peccatum. Poteſt etiam eadem Probatio ſic diſtingui: Quod ſequitur ex vi connexionis eſſentialis, ſequitur inimpedibiliter inimpedibilitate ſemper, & omnino orta ex ſuppoſitione antecedente. Nego Probationem. Sequitur inimpedibiliter inimpedibilitate orta aliquando ex ſuppoſitione conſequente. Concedo Probationem. Et ex tali inimpedibilitate, quæ nimirum habetur ex ſuppoſitione conſequente, ſequitur inimpedibiliter peccatum, dum ſequitur ex Præſcientia Divina. Cæterùm hæc inimpedibilitas non tollit libertatem peccati, ſed ſupponit.

§. V.

An Præſcientia DEI actuum noſtrorum liberorum abſolutè futurorum ſit cauſa proxima eorundem?

84. Dicendum eſt: Præſcientiam Divinam actuum noſtrorum liberorum abſolutè futurorum non eſſe cauſam proximam, & immediatam eorundem, cum ipſis infallibiliter connexam. Eſt contra Thomiſtas.

Probatur primò Authoritate Patrum S. Auguſtini lib 5. de Civit DEI cap. 10. dicentis: *Neque enim ideò peccat homo, quia illum DEUS peccaturum prævidit.* Hieronymi in cap. 26. Joan. *Non enim ex eo, quod DEUS ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, DEUS novit.* Damaſcenus lib. contra Manichæos. *Ut ea, quæ facturi ſumus, præſciat DEUS, à nobis proficiſcitur. Eſt quidem Præſcientia DEI vera, & infallibilis, verùm ipſa nequaquam cauſa eſt, cur omnino fiat, quod futurum eſt, quin potiùs quia hoc, vel illud facturi ſumus, ideò prænoſcit.*

85. Probatur ſecundò Rationibus. Prima Ratio eſt. Quia talis præſcientia, quæ eſſet cauſa proxima actuum noſtrorum, infallibiliter connexa cum iiſdem, tolleret libertatem actuum noſtrorum. Principium enim tenens ſe ex parte actûs primi, inevitabile voluntati creatæ, connexum cum actu ſecundo, eundem infallibiliter inferens, tollit libertatem ejuſdem actûs ſecundi. Quia facit, ut hic actus non ſit à voluntate in actu primo proximo indifferente ùt tali, ſéque ipſam determinante ad eundem actum. Sed ſi Præſcientia Divina eſſet cauſa proxima, & immediata actuum noſtræ voluntatis, infallibiliter cum illis connexa, eò ipſo dicta Præſcientia eſſet principium tenens ſe ex parte actûs primi, inevitabile voluntati, & ſimul infallibiliter connexum cum actu ſecundo, eundémque inferens. Et quidem, quòd Præſcientia Divina in tali ſuppoſitione eſſet principium tenens ſe ex parte actûs primi, per ſe clarum eſt; quòd etiam eſſet principium connexum infallibiliter cum actu ſecundo, facilè admittitur ab Oppoſitis. Quòd verò eſſet inevitabile voluntati creatæ. Probatur. Illa Præſcientia in dicta ſuppoſitione neque directè, neque indirectè eſſet impedibilis à voluntate creata. Non eſſet directè impedibilis. Quia id ſolùm directè eſt impedibile à voluntate creata, quod dependet ab influxu immediato voluntatis creatæ, per hujus enim influxus ſubtractionem, & ab eo ceſſationem directè impeditur actus. A tali autem influxu voluntatis creatæ non dependet Præſcientia Divina. Non eſt etiam eadem Præſcientia impedibilis indirectè à voluntate creata. Quia hoc modo eſſet impedibilis ratione objecti Scientiæ DEI, ſcilicet ratione actûs ſecundi à voluntate eadem impedibilis. Actus autem ſecundus, qui eſt objectum Præſcientiæ in data ſuppoſitione, non eſt impedibilis à voluntate. Quia effectus cauſæ proximæ inimpedibilis directè, connexæ cum tali effectu, eſt & ipſe inimpedibilis. Aliàs ſi impediri poſſet, eò ipſo

ipſo talis effectus, ex vi ejuſmodi cauſæ, non eſſet infallibiliter futurus.

86. Secunda Ratio eſt. Quia ſi Præſcientia DEI eſſet cauſa proxima, & immediata actuum liberorum voluntatis creatæ, ſequeretur, quòd Judas non habuerit potentiam ſufficientem ad ſuam converſionem; non habuit enim potentiam totalem, & completam in ordine ad ponendam converſionem. Quia defuit illi aliquod conſtitutivum talis potentiæ, nimirum defuit Præſcientia Divina de futura ſua converſione, quæ præſcientia utpote cauſa proxima, & immediata converſionis, neceſſariò debet eſſe conſtitutivum potentiæ totalis, & completæ in ordine ad ponendam converſionem. Quodſi autem Judas non habuit potentiam totalem, & completam in ordine ad ponendam ſuam converſionem, eò ipſo non habuit potentiam ſufficientem ad talem converſionem. Cùm implicet poni actum ſinè potentia totali, & completa ùt tali. Sed hoc dici non poteſt, quòd Judas non habuerit potentiam ſufficientem ad converſionem. Quia hinc ulteriùs ſequitur, eum non liberè, ſed neceſſariò omiſiſſe converſionem; adeóque per ſuam impœnitentiam non peccâſſe. Ergo.

87. Ratio tertia eſt. Quia cauſa proxima, & immediata effectûs, debet eſſe virtus adæquata productiva effectûs, prout applicata ad agendum. Si enim ſolùm ſit virtus inadæquata, aut non applicata ad agendum, non poteſt eſſe cauſa proxima, & immediata effectûs. Cùm à cauſa inadæquata ùt tali, non poſſit haberi effectus. Sed Præſcientia Divina actûs liberi futuri non eſt virtus adæquata productiva effectûs prout applicata ad agendum. Quia Præſcientia Divina neque eſt id, quòd dicit in recto talis virtus, neque eſt id, quod dicit in obliquo. Non eſt imprimis id, quod virtus adæquata productiva effectûs, prout applicata ad agendum, dicit in recto. Id enim, quod hæc denominatio dicit in recto, eſt virtus productiva effectûs; Præſcientia verò Divina non eſt virtus productiva. Eſſe enim virtutem productivam effectûs, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & prædicatum DEI neceſſarium; Præſcientia autem Divina non eſt talis perfectio, nec eſt prædicatum DEI neceſſarium. Cùm Præſcientia hujus determinatè effectûs ſit in DEO contingens, potueritque in Deo non eſſe. Deinde virtus adæquata productiva actuum noſtrorum liberorum dicit non ſolùm perfectionem DEI neceſſariam; qualis perfectio eſt Omnipotentia DEI, & Scientia ſimplicis intelligentiæ, ſed etiam dicit voluntatem creatam, aliáque ſimilia comprincipia. Ergo. Non eſt ulteriùs Præſcientia Divina id, quod virtus productiva actûs, prout applicata ad agendum, dicit in obliquo. Quia hoc obliquum eſt applicatio virtutis ad agendum. Ipſa verò applicatio eſt Decretum Divinum de præſtando influxu in actum producendum. Nec eſt ulla neceſſitas alterius applicationis, quæ fiat per Præſcientiam actûs futuri, quæ applicatio (ùt volunt Thomiſtæ) habeat ſe per modum Imperii tenentis ſe ex parte intellectûs. Quia tale imperium eſt confictum, & ſuperfluum. Cùm ſinè illo virtus adæquata productiva effectûs ſit ſufficienter applicata vi ſolius Decreti Divini, formati ex directione tum Scientiæ ſimplicis intelligentiæ, tum Scientiæ mediæ. Ergo.

88. Ratio quarta eſt. In tantùm Præſcientia Divina eſſet cauſa proxima, & immediata actuum noſtrorum liberorum, cum iiſdem infallibiliter connexa, in quantùm eadem Præſcientia, in ratione talis Præſcientiæ, compleretur per cauſam aliquam actûs liberi, hunc actum infallibiliter inferentem, v. g. per Prædeterminationem Phyſicam, vel certè in quantùm eadem Præſcientia, licèt identificaretur DEO adæquatè, videret tamen actum creatum futurum in decreto prædeterminativo, vel in ſimili alia cauſa, connexa cum eodem actu. Sed neutrum dici poteſt. Præſcientia enim Divina neque completur per ullam cauſam actûs liberi, cum eodem infallibiliter connexam. Quia talis cauſa eſt ſublativa libertatis actûs. Neque in ſententia identificante adæquatè DEO actus ejus liberos, & contingentes, videt DEUS per Scientiam viſionis actus noſtros in aliquo principio infallibiliter connexo cum iiſdem. Quia hoc ipſo non videret illos ùt liberos. Licèt verò præſcientia DEI actus noſtros videret in tali principio infallibiliter connexo cum iiſdem, necdum tamen per hoc deberet eſſe cauſa proxima actuum noſtrorum; non enim eò ipſo, quòd aliquid ſit viſio, & intuitio cauſæ

 cum

cum effectu, debet & illud ipsum esse causa talis effectûs, aliàs qui videret homicidam patrantem homicidium, deberet & ipse esse causa homicidii.

89. Adverto: quòd Præscientia Divina actûs nostri liberi, in sententia complente actus DEI liberos per aliquid extrinsecum, licèt non sit causa in actu primo, proxima & immediata respectu actûs nostri liberi infallibiliter connexa cum eodem actu, eúmque inferens, est tamen causa in actu secundo operans, seu causa operatura, actu ipso futuro constituta. Tali enim Præscientia dicit in recto Essentiam Divinam ex se essentialiter determinatam ad cognoscendum omne, quidquid est cognoscibile. Quæ essentia est virtus & causa prima productiva actuum nostrorum. In obliquo autem & pro complemento dicit ipsam operationem nostram liberam, seu actum liberum existentem vel futurum. Porrò virtus productiva effectûs completa & constituta per productionem ejusdem effectûs, est causa in actu secundo operans vel operatura.

Proponuntur Objectiones.

90. Objiciuntur primò authoritates Patrum S. Augustini lib. 15. de Trinitate cap. 13. dicentis: *Universas creaturas non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit.* Et iterum inferiùs. *Non enim nescivit, quæ fuerat creaturus; quia ergo scivit creavit, non quia creavit scivit.* S. Gregorii 20 Moral. cap. 24. *Quæcunque sunt non ideo ab æternitate videntur quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur.*

91. Objicitur secundò. Aliqua scientia DEI est causa effectuum creatorum. Sed talis causa non potest esse scientia simplicis Intelligentiæ. Tum quia causa effectuum creatorum, debet esse libera; scientia autem simplicis intelligentiæ non est libera sed necessaria Tum quia scientia illa, quæ est causa effectuum creatorum, debet terminari ad effectum, ùt aliquando exercitè existentem. Scientia autem simplicis Intelligentiæ non potest terminari ad effectum ùt exercitè existentem, sed debet terminari ad effectum ùt possibilem. Ergo.

92. Objicitur tertiò. Decretum Divinum de existentia actûs creati liberi, est causa proxima ejusdem actus liberi, vel est aliquid tenens se ex parte causæ. Sed Præscientia Divina actûs liberi absolutè futuri est ipsummet hoc Decretum, éstque ab ipso indistincta. Unde etiam in eodem signo virtuali intelliguntur esse tam Præscientia Divina actuum liberorum, quàm Decretum de futuritione eorundem. Qui enim actus intentionales Divinos explicant per signa virtualia, tria hujusmodi signa assignant. In primo signo dicunt esse scientiam simplicis Intelligentiæ. In secundo signo scientiam conditionatam futurorum conditionatorum liberorum. In tertio signo ponunt Decretum de futuritione actûs liberi, & scientiam Visionis terminatam ad talem actum.

Solvuntur Objectiones.

93. Respondeo ad primum. Adductos SS. Patrum textus intelligendos esse de scientia simplicis Intelligentiæ, non verò de scientia Visionis. Ratio est. Quia sancti Patres non loquuntur pugnantia & contradictoria. Loquerentur verò si dicti textus deberent intelligi de scientia Visionis. Ideo enim DEUM scire aliquid per scientiam Visionis, quia existit in certa temporis differentia, & non ideo DEUM scire aliquid per scientiam Visionis quia existit in certa temporis differentia, sunt pugnantia & contradictoria. Hæc autem docerent SS. Patres. Primum enim docerent textibus in Probationem Conclusionis adductis. Secundum docerent textibus in Objectione propositis. Ut ergo tollatur contradictio, textus in objectione adducti intelligendi sunt de scientia simplicis Intelligentiæ: textus verò in Probatione Conclusionis propositi, intelligendi sunt de scientia Visionis, quæ sola contemplatur objecta posita extra causas, & prout existentia in certa temporis differentia, & de qua sola potest verificari: Quòd sit illa Visio, quâ DEUS juxta Scripturam *videt cuncta, quæ fecerat.* Nec obstat quod à S. Gregorio scientia illa, quæ est causa rerum, appelletur visio, dicantúrque *creaturæ ideo esse, quia videntur à DEO.* Non obstat inquam. Nomen enim Visionis à S. Doctore sumitur in ampla significatione, prout convenit etiam scientiæ simplicis Intelligentiæ. Quomodo hoc nomen ali-

aliquando ſumi docet S. Thomas Quæſt. de Veritate. art. 9. ad tertium. Nam dicit *nihil prohibere aliquando omnem ſcientiam Divinam, Viſionem dici, aliquando verò illam, quæ eſt præſentium, præteritorum, & futurorum.*

94. Ad ſecundum Reſpondeo negando Minorem. Primam Probationem Diſtinguo. Cauſa effectuum creatorum debet eſſe libera in eſſendo. Nego. Debet eſſe libera in cauſando. Concedo Majorem, & diſtinguo ſimiliter Minorem. Sed ſcientia ſimplicis Intelligentiæ non eſt libera in eſſendo. Concedo Minorem. Non eſt libera in cauſando. Nego Minorem & Conſequentiam. Porrò ſcientia ſimplicis Intelligentiæ quòd ſit libera in cauſando, habet hoc ex Decreto DEI libero, per quod dicta ſcientia, ex ſe aliàs indifferens, determinatur & applicatur ad operandum. Secundam Probationem Diſtinguo: Scientia, quæ eſt cauſa effectuum creatorum, quatenus eſt cauſa, debet terminari ad effectum exiſtentem. Concedo, quatenus eſt repræſentatio & contemplatio objecti debet terminari ad effectum exiſtentem. Nego Majorem, & diſtincta Minore nego conſequentiam. Poteſt etiam eadem Probatio aliter ſic diſtingui: Scientia, quæ eſt cauſa effectuum creatorum, quatenus completur per Decretum Divinum applicativum talis ſcientiæ ad agendum, debet terminari ad effectum ùt exiſtentem. Concedo Majorem. Scientia quæ eſt cauſa effectuum ſecundùm ſe ſumpta, & prout eſt tendentia intentionalis in objectum, debet terminari ad effectum ùt exiſtentem. Nego Majorem, & diſtincta Minore nego Conſequentiam.

95. Ad tertium Reſpondeo cum hac Diſtinctione: Decretum DEI de exiſtentia actûs noſtri liberi, eſt cauſa proxima ejuſdem actûs eundem ex ſuppoſitione antecedente infallibiliter inferens & cum ipſo connexa. Nego Majorem. Decretum DEI eſt cauſa proxima actûs liberi creati, non inferens tamen infallibiliter eundem ex ſuppoſitione antecedente, nec cum illo connexa. Concedo Majorem, & omiſſa Minore diſtinguo ſimiliter Conſequens. Circa omiſſam Minorem Adverto ſignorum virtualium diſtinctionem, nec ab omnibus Theologis, nec eo modo fieri, ùt in Probatione Minoris exprimitur. Licèt verò taliter fiat ab aliquibus; ab his tamen ipſis dicetur ſcientiam Viſionis, non ex formali ratione ſcientiæ talis, nec ex ejus prædicatis propriis eſſe cauſam proximam actuum noſtrorum, ſi verò ratione identitatis virtualis cum Decreto Divino eſt talis cauſa (applicatio potiùs cauſæ ad agendum dici deberet) tamen non eſt cauſa proxima inferens infallibiliter ex ſuppoſitione antecedente actum, ſed ad ſummum eſt cauſa, totam infallibilitatem inferendi actum, habens ex ſuppoſitione conſequente.

PUNCTUM II.

In quo medio præſciantur à DEO actus noſtri liberi abſolutè futuri?

96. Præmitto primò. Quòd per medium, in quo cognoſcuntur actus noſtri liberi abſolutè futuri, non intelligatur hoc loco motivum per modum ſufficientiæ objectivæ, reſpectu cognitionis ſeu ſcientiæ Divinæ. De tali enim medio nulla eſt difficultas in præſenti. Cùm conſtet ex dictis ſuperiùs, Eſſentiam Divinam Theologicè ſumptam eſſe motivum per modum ſufficientiæ, reſpectu cognitionis quorumcunque objectorum, ſive poſſibilium, ſive abſolutè futurorum, ſive futurorum conditionatè. Potiùs ergo per medium, in quo poſſent, vel deberent cognoſci actus noſtri liberi abſolutè futuri, intelligitur objectum aliquod connexum cum actibus noſtris liberis, abſolutè futuris, ad eóſque tranſcendentaliter relatum, determinans DEUM ad cognoſcendum una eadémque cognitione tam hoc ipſum objectum, quàm actus noſtros liberos abſolutè futuros. Unde dum quæritur: In quo medio DEUS cognoſcat actus noſtros liberos abſolutè futuros? ſenſus quæſiti eſt: an detur, aliquod objectum connexum cum futuritione abſoluta actus noſtri liberi, determinans DEUM ad ſe cognoſcendum, ſeu ad præſciendum infallibiliter, quòd hic vel ille actus liber creatus ſit abſolutè futurus?

97. Præmitto ſecundò. Medium hoc reſpectu cognoſcendorum actuum liberorum abſolutè futurorum, poſſe cogitari

aliud connexum à priori cum futuritione talium actuum, seu quòd sit causa vel requisitum tenens se ex parte causæ, connexum cum actibus liberis, eósque inferens, inevitabile voluntati creatæ, aliud connexum à posteriori cum iisdem actibus, quòd scilicet ità sit connexum cum actibus creatis liberis, ut eosdem præsupponat, saltèm per modum conditionis objectivæ, determinantis DEUM ad habendam præscientiam actûs liberi futuri, quod proinde medium sit evitabile voluntati creatæ. Potest itèm cogitari medium aliud metaphysicè connexum cum actibus liberis creatis, aliud medium connexum nonnisi moraliter cum iisdem; vel ùt aliqui videntur velle, medium indifferens. Postremò potest adhuc cogitari medium aliud Increatum, quòd sit aliquod prædicatum Divinum sive necessarium, sive liberum, & aliud medium creatum.

§. I.

An DEUS cognoscat actus nostros liberos absolutè futuros in medio à priori Metaphysicè connexo cum iisdem actibus?

98. Plures ex Theologis docent præsciri à DEO actus nostros liberos absolutè futuros, in medio à priori metaphysicè connexo cum futuritione eorundem actuum. Et sic imprimìs Thomistæ docent actus nostros liberos, absolutè futuros, præsciri à DEO in Decreto prædeterminativo, habente se pro priore ad actus nostros liberos, eosdem infallibiliter metaphysicè inferente & inevitabili voluntati creatæ. Secundò Scotistæ docent actûs nostros liberos absolutè futuros, præsciri à DEO in Decreto prædefinitivo actûs creati, formato independenter à scientia media, infallibiliter inferente futuritionem actûs inevitabili voluntati creatæ. Quod Decretum licèt quidam Scotistæ recentiores, vocent Decretum concomitans operationem nostram liberam, re ipsa tamen, ùt ex doctrina ipsorum deduci solet, est antecedens. Cùm se teneat ex parte actûs primi, & præcedat aliquomodo operationem creatam liberam. Tertiò noster P. Mlodzianowski in prælectionibus suis Theologicis de DEO Tract. 2. Disp. 5. Difficul. 1. docet DEUM cognoscere actus nostros liberos in causa infalliibiliter operatura. Porrò causam ùt infallibiliter operaturam, secundùm hanc denominationem totaliter sumptam, docet habere se pro priori ad operationem liberam creatam. Idem Author docet possibile esse auxilium efficax, quo habito voluntas libera potest operari vel non operari; nihilominus tamen est infallibiliter operatura, infallibilitate metaphysica, eâque orta ex natura ipsius auxilii antecedentis operationem liberam. Quòd proinde auxilium potest esse medium à priori, infallibiliter metaphysicè connexum cum futuritione absoluta actuum nostrorum liberorum, in quo DEUS infallibiliter cognoscat eosdem actus.

99. Dicendum est actus nostros liberos absolutè futuros non cognosci in medio à priori (hoc est tali, quod se habeat per modum causæ vel per modum requisiti constituentis actum primum proximum causæ) infallibiliter metaphysicè connexo cum futuritione seu existentia in tempore actûs liberi, eóque inevitabili voluntati creatæ.

Probatur primò pluribus Rationibus ex doctrina S. Thomæ desumptis. Prima est. DEUS effectum contingentem non scit esse determinatum in sua causa. Sed eo ipso, quòd DEUS actus nostros liberos cognosceret in medio à priori infallibiliter metaphysicè connexo cum talibus actibus, DEUS sciret effectum contingentem esse determinatum in sua causa. Ergo DEUS non cognoscit actus nostros liberos in medio à priori metaphysicè connexo cum iisdem. Major est S. Thomæ, in primum, Distin. 18. Quæst. 1. art. 5. ad 5. ubi dicit: *Scitum à DEO contingens, potest sumi vel secundùm conditionem, quâ subjacet Divinæ scientiæ, & hoc est, quod habet esse determinatum in actu, & sic necessitatem habet, vel potest sumi ùt est in causis suis, antequam sit in actu, & ibi non habet neceßitatem, nec ibi est scitum à DEO futurum esse, non enim scit DEUS effectum contingentem & determinatum in sua causa, quia esset falsa scientia, cùm in causa sua determinatus non sit.* Minor est Adversariorum, qui eo fine dicunt DEUM cognoscere

ſcere actus liberos creatos, in medio à priori metaphyſicè connexo cum iiſdem, ut dictos actus DEUS infallibiliter ſciat determinatos in ſua cauſa.

100. Secunda Ratio eſt. Si futura libera cognoſcerentur à DEO in medio à priori metaphyſicè connexo cum talibus liberis, eo ipſo non cognoſcerentur ùt libera, ſed cognoſcerentur ùt neceſſaria. Atqui hoc repugnat. Ergo futura libera non cognoſcuntur à DEO in medio à priori connexo metaphyſicè cum iiſdem. Minorem tenentur concedere Adverſarii. Major facilè deducitur, ex S. Thoma, qui prima parte. Quæſt. 14. art. 13. ad tertium dicit: *Ea, quæ ſunt ſcita à DEO oportet eſſe neceſſaria ſecundùm modum, quo ſubſunt Divinæ Scientiæ.* Ergo quæ ſciuntur à DEO ſecundùm eſſe, quod habent in ſuis cauſis, ſeu in medio à priori connexo metaphyſicè cum iiſdem, ſecundùm talem modum, & ſecundùm hoc eſſe, debent eſſe neceſſaria, ſiquidem ſecundùm hoc eſſe dicuntur ſubeſſe ſcientiæ Divinæ, adeóque cognita ſecundùm hoc eſſe, debent cognoſci ùt neceſſaria.

101. Ratio tertia eſt. Actus qui habet eſſe determinatum tum in ſe ipſo & in ſua præſentialitate, quàm in ſuis cauſis, non eſt ſimpliciter liber. Sed admiſſo medio à priori metaphyſicè connexo cum futuritione actûs liberi, actus liber habet eſſe determinatum tam in ſe ipſo ſuáque præſentialitate, quàm in ſuis cauſis. Ergo talis actus non eſt liber. Ergo ſi DEUS illum videt, in medio à priori metaphyſicè connexo, non videt talem actum ùt liberum. Major imprimìs probatur. Quia actus, qui neque in ſe, neque in ſuis cauſis eſt contingens, non eſt ſimpliciter liber. Cùm de ratione actûs liberi ſit contingentia ejuſdem. Actus verò qui habet eſſe determinatum tam in ſe & ſua præſentialitate, quàm in ſuis cauſis, neque in ſe, neque in ſuis cauſis eſt contingens. Non eſt contingens in ſe. Quia S. Thomas Quæſtione & articulo proximè citatus in ☉. deducit: *Id, quod eſt in actu & ſua præſentialitate, non eſſe contingens, ex eo quòd ſit in ſe determinatum.* Non eſt etiam idem actus contingens prout comparatus ad ſuas cauſas. Quia in his quoque habet eſſe determinatum. Eſſe verò actûs determinatum in ſuis cauſis, opponitur eſſe ejuſdem actûs contingenti in ſuis cauſis. Sicut eſſe determinatum actûs, ſeu effectûs in ſe ipſo, opponitur eſſe contingenti in ſe ipſo. Minor deinde quoad primam partem eſt pariter S. Thomæ, Quæſtione & art. citatis in ☉. ubi S. Doctor dicit: *Contingens ſecundùm quod eſt in actu, non conſideratur ùt contingens, ſed ùt determinatum ad unum.* Secunda pars Minoris eſt doctrina Adverſariorum. Conſequentia legitima.

102. Quarta Ratio. *Contingens ſecundùm quod eſt in cauſa, ſeu comparatum ſuis cauſis proximis, eſt propriè contingens, nec habet infallibilitatem, vi cujus per certitudinem ſubdatur alicui cognitioni.* Sed admiſſo medio à priori, connexo metaphyſicè cum futuritione actûs liberi, Contingens, nimirum actus liber creatus comparatus ad ſuas cauſas proximas, non eſt propriè contingens, cùm non poſſit eſſe vel non eſſe, ſed potiùs comparatus ad ſuas cauſas proximas, eſt infallibiliter futurus, inſuper idem actus comparatus ad tales cauſas, habet infallibilitatem, vi cujus per certitudinem ſubdatur alicui cognitioni. Ergo tale medium à priori reſpectu actuum liberorum non datur. Major eſt S. Thomæ. 1. par. Quæſt. 14. art. 13. in ☉. Minor eſt doctrina Adverſariorum, Conſequentia legitima.

103. Quinta Ratio. Medium à priori reſpectu actuum liberorum tale nonniſi datur, ex quo contingenter eveniant actus liberi. Sed ex medio à priori metaphyſicè connexo cum actibus liberis, eóſque inferente, actus liberi non contingenter eveniunt. Ergo medium à priori metaphyſicè connexum non datur. Major eſt S. Thomæ, prima parte. Quæſt. 19. art. 8. in ☉. ubi dicit: *Cùm igitur voluntas Divina ſit efficaciſſima, non ſolùm datur quòd fiant ea, quæ DEUS vult fieri; ſed quòd eo modo fiant, quo DEUS ea fieri vult. Vult autem quædam fieri contingenter, & ideò quibuſdam aptavit cauſas contingentes, ex quibus effectus contingenter eveniant.* Idque loquitur S. Doctor de cauſis proximis. Dicit enim in fine: *Quia voluit effectus contingentes contingenter evenire, contingentes cauſas proximas ad eos præparavit.* Minor eſt doctrina adverſariorum, quatenus docent actus liberos creatos ex medio à priori connexo metaphyſicè cum iiſdem evenire infallibiliter.

Quomodo illos evenire, est evenire non contingenter.

104. Sexta Ratio. Quòd voluntas creata ex se indifferens ad plura exeat in hunc, vel illum actum, non est ab alio determinante. Sed admisso medio metaphysicè connexo cum actu libero, quòd voluntas indifferens ad plura exeat in hunc, vel illum actum, habetur ab alio determinante, & non à voluntate. Quia habetur ratione medii connexi, v. g. ratione decreti prædeterminativi, determinantis voluntatem indifferentem, ut hunc potiùs, quàm illum actum eliciat. Ergo tale medium non est admittendum. Minor patet. Major est S. Thomæ in secundum Dist. 39. Quæst. 1. Art. 4. in ⊙. ubi dicit: *Sciendum est, quòd aliquis actus est ab aliquo dupliciter: uno modo tam secundùm substantiam actûs, quàm secundùm determinationem agentis ad actum. Et hoc propriè in potestate agentis esse dicitur, ùt est in voluntate. Ipsa enim voluntas, quantùm est in se, est indifferens ad plura. Sed quòd determinatè exeat in hunc, vel illum actum, non est ab alio determinante.*

105. Septima Ratio. Medium à priori metaphysicè connexum cum actu libero salutari, est ejusmodi, ut habenti se imponat necessitatem, ratione cujus non possit eò non uti, & peccare. Sed respectu actûs salutaris non potest dari tale medium, quod habenti illud imponat necessitatem, ratione cujus non possit illo non uti, & peccare. Ergo. Major quoad rem, est Adversariorum, nisi quòd hi abstineant à nomine necessitatis in Jansenio damnatæ, sed dicunt, per illud suum medium, imponi voluntati creatæ determinationem, & infallibilitatem operandi, ut non possit voluntas eo medio non uti, & peccare. Hæc tamen infallibilitas, & determinatio non videtur à necessitate differre, habentúrque hæc pro eodem à S. Thoma. Minor est ejusdem S. Doctoris, qui prima parte Quæst. 62. Art. 3. ad secundum sic habet: *Inclinatio gratiæ non imponit necessitatem. sed habens gratiam, potest ea non uti, & peccare.*

106. Octava Ratio est. *Inclinatio gratiæ ad bonum, quantacunque fuit in supremo Angelo, non inducebat necessitatem, sed per liberum arbitrium poterat eam non sequi.* ùt in his terminis docet S. Thomas prima parte Quæst. 63. Art. 7. ad tertium. Sed admisso medio à priori metaphysicè connexo cum actu salutari, in supremo Angelo admittenda est tanta inclinatio ad bonum, quæ inducebat necessitatem, ut per liberum arbitrium Angelus non potuerit eam non sequi. Ergo.

107. Nona tandem Ratio est. *Natura rationalis habet in sua potestate motum appetitivum, potèstque illum applicare, vel non applicare ad hoc, vel ad illud.* ùt dicit S. Thomas prima secundæ Quæst. 15. Art. 2. in ⊙. Sed admisso medio à priori metaphysicè connexo cum actu libero, natura rationalis non habet in potestate motum appetitivum, nec potest illum applicare, vel non applicare ad hoc, vel ad illud. Quia est determinatus ad hoc, ut se omnino applicet, & ad hoc nonnisi appetendum, ad quod est decretum prædeterminativum, nec, supposito tali decreto, potest se applicare ad aliud. Ergo.

108. Probatur secundò Ratione ex natura libertatis creatæ desumptâ: Actus nostri liberi absolutè futuri non cognoscuntur à DEO in medio repugnante libertati eorundem actuum, ipsiúsque destructivo. Sed medium à priori metaphysicè connexum cum actibus nostræ voluntatis, est medium repugnans libertati, actuum nostrorum, ejusdémque libertatis destructivum. Ergo. Major imprimis probatur. Quia actus nostri liberi non aliter à DEO cognoscuntur, nisi ùt liberi. Quia cognoscuntur ùt tales, quales esse debent. Non possunt verò dicti actus cognosci in medio repugnante eorum libertati, ipsiúsque destructivo. Cùm potiùs in tali medio debeant cognosci ùt non liberi. Quia tales debent cognosci, quales inferuntur à tali medio, inferuntur autem ab illo ùt non liberi. Minor deinde probatur. Quodvis principium vel requisitum tenens se ex parte actûs primi, respectu actuum nostræ voluntatis, connexum metaphysicè cum iisdem actibus, inevitabile nostræ voluntati, repugnat libertati eorundem actuum, eámque tollit, ac destruit. Principium enim vel requisitum repugnans libertati actûs primi: eámque destruens, ac tollens, repugnat quoque libertati actûs secundi, ipsámque pariter tollit, ac destruit. Adeóque tollit libertatem actuum nostræ voluntatis, cùm de ratione actûs liberi quâ talis, sit procedere à voluntate ùt libera in actu

actu primo, seu prout indifferente in actu primo proximo ad agere, vel non agere, vel oppositum agere. Sed medium a priori metaphysicè connexum cum actibus nostræ voluntatis, inevitabile eidem, repugnat libertati actûs primi, eámque tollit, ac destruit. Quia tollit indifferentiam voluntatis, prout constitutæ in actu primo proximo; siquidem tali medio posito voluntas in actu primo est determinata ad unum. Estque tale medium principium aut requisitum tenens se ex parte actûs primi. Quia est medium à priori, simúlque est inevitabile voluntati. Ergo.

109. Hinc infero: Actus nostros liberos neque cognosci à DEO in Decreto prædeterminativo eorundem, neque in Decreto prædefinitivo Scotistico, neque in causa ùt infallibiliter operatura, infallibilitate antecedente ipsam operationem liberam, eandémque metaphysicè inferente. Ratio est. Quia omnia hæc, & singula sunt media à priori metaphysicè connexa cum futuritione actuum nostrorum liberorum, inevitabilia voluntati creatæ. Et quidem de Decreto prædeterminativo Thomistico, quòd sit tale medium, non videtur esse ullum dubium. Quòd verò etiam Decretum Scotisticum debeat esse medium à priori, & antecedens operationem voluntatis nostræ cum eadem metaphysicè connexum; hinc est: Quia hoc Decretum est applicativum voluntatis creatæ ad hunc determinatè actum, ac etiam est applicativum Omnipotentiæ Divinæ ad concurrendum cum voluntate, in ordine ad ponendum hunc, & non alium actum. Decretum verò applicativum causæ ad agendum debet esse antecedens, debétque se tenere pro priori, & ex parte actûs primi. Licèt verò hoc Decretũ non esset antecedens; sed ùt plerique Scotistæ volunt, esset concomitans, adhuc in illo non possent videri actus nostri liberi quâ tales. Sicut non possunt videri actus liberi ùt tales in Decreto necessitante Jansenistico, vel coactivo Calvinistico, etiamsi hæc Decreta dicerentur esse Decreta concomitantia. Quod ipsum ex eo ulteriùs est. Quia actus infallibiliter metaphysicè futurus, infallibilitate aliunde proveniente, & non ex suppositione consequente, non potest esse liber. Cùm sola infallibilitas ex suppositione consequente possit stare cum libertate. Quia sola infallibilitas actûs ex suppositione exercitæ libertatis per talem actum stat, potéstque stare cum libertate. Ergo actus infallibiliter futurus, infallibilitate aliunde orta, & non infallibilitate suppositionis consequentis, non potest videri ùt liber in tali medio. Atqui admisso Decreto Scotistico, quivis actus nostræ voluntatis, est infallibiliter futurus, infallibilitate aliunde orta, & non ex suppositione consequente. Quia est infallibiliter futurus ratione Decreti talis Divini, quod Decretum non dicit suppositionem consequentem exercitæ libertatis creatæ. Quia est Decretum concomitans, non verò consequens, est Decretum independens à Scientia media, nullámque cum hac dicit connexionem. Unde ex nulla ratione potest involvere suppositionem consequentem.

110. Circa Sententiam P. Mlodzianowsky assignantis pro medio, in quo DEUS vidit operationem voluntatis nostræ liberam, idque pro medio antecedente, & à priori, assignantis, inquam, causam, prout infallibiliter operaturam, Adverto, per hanc Sententiam duo asseri: Unum, quòd DEUS videat operationem creatam liberam, in causa infallibiliter operatura. Alterum, quòd causa infallibiliter operatura sit antecedens operationem liberam creatam, sítque medium à priori, in quo operatio videtur. Circa primum quærendum ulteriùs est, & ab Authore Sententiæ explicandum: Unde, & à qua forma id habeat, vel habere possit causa actûs liberi, quòd sit infallibiliter operatura? An à Decreto Divino antecedente connexo metaphysicè cum operatione? an ab ipsa futuritione operantis, ex suppositione consequente infallibili? Quòd si dixerit denominationem causæ infallibiliter operaturæ haberi à Divino Decreto antecedente, coincidet quoad rem hæc Sententia cum Sententia Thomistica, vel Scotistica; adeóque quibus Rationibus illæ Sententiæ sunt impugnatæ, iisdem etiam hæc impugnanda erit. Si verò dixerit denominationem causæ infallibiliter operaturæ, haberi ab ipsa operatione futura, eáque futura infallibiliter ex suppositione consequente; nihil novi asseretur. Cùm enim ex Sententia communi Societatis futura libera DEUS videat in se ipsis, idque videat ea in-

infallibiliter futura; cùm itèm DEUS videat causam liberam in actu primo proximo indifferentem, facilè concedetur, quòd DEUS videat causam liberam ex suppositione consequente infallibiliter operaturam. Illa enim duo videre, est videre causam infallibiliter operaturam. Adeóque etiam hoc concedetur, quòd Deus in causa infallibiliter operatura, videat operationem voluntatis nostræ liberam. Secundum Doctrinæ hujus Punctum, quòd causa infallibiliter operatura sit antecedens operationem liberam, sítque medium à priori respectu ejusdem operationis cognoscendæ. Sub distinctione intelligendum erit, hoc modo: Causa infallibiliter operatura antecedit prioritate vera physica, & reali propria causæ physicæ, antecedit, inquam, operationem liberam. Nego. Antecedit prioritate Logica, & objectiva. Concedo. Dicendumque est: quòd causa infallibiliter operatura, cùm pro forma hujus suæ denominationis non dicat ullum Decretum Divinum antecedens, nec principium aliquod, aut requisitum tenens se ex parte causæ, naturâ priùs ipso effectu, hoc est, operatione libera; sed potiùs cùm dicat pro forma ipsam futuritionem operationis liberæ, ex suppositione consequente infallibilem. Hæc, inquam, causa infallibiliter operatura, non est, nec potest esse medium priùs, prioritate vera, & physica, ac propria actûs primi physici. Futuritio enim operationis secundùm se, & ex suppositione consequente infallibilis, non est prior prioritate physica reali, & propria actûs primi physici, quàm ipsa operatio libera in tempore existens. Quia unum, idémque non potest se ipso esse physicè, & realiter priùs. Jam verò futuritio operationis ex suppositione consequente infallibilis, & operatio ipsa libera in tempore existens, sunt unum, idémque realiter, ità ut futuritio non superaddat supra operationem liberam in tempore existentem, nisi non existentiam dictæ operationis in instantibus antecedentibus. Eadem causa infallibiliter operatura, potest dici prior prioritate objectiva, ac Logica, quàm operatio libera, sed tali prioritate etiam operatio ùt producenda, est prior se ipsa ùt producta. Tum quia operatio creata libera, antequam existeret actu exercitè, fuit ab æterno futura absolutè, objiciebatúrque Cognitioni Divinæ, ipsam ab æterno repræsentanti. Tum quia ab operatione existente actu, valet consequentia ad futuritionem ejusdem operationis, valétque hæc Consequentia: Operatio libera existit actu. Ergo ab æterno fuit futura; non è contra. In qua non mutua subsistendi consequentia, consistit Logica prioritas ejus, quod infertur. Tum quia operatio ùt futura, quatenus denominat causam infallibiliter operaturam, tenet se aliquomodo ex parte causæ, quem respectum causæ non dicit, saltèm ità explicitè, & clarè, operatio libera secundùm se.

Proponuntur Objectiones.

111. Objicitur primò Authoritas S. Thomæ 1. parte Quæst. 14. Art. 13. in ☉. dicentis: *DEUS cognoscit omnia contingentia, non solùm prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso.* Atqui si DEUS non cognosceret futura libera in medio à priori metaphysicè connexo cum iisdem, non cognosceret aliqua contingentia in suis causis. Ergo.

112. Objicitur secundò. Si DEUS non cognosceret actus nostros liberos absolutè futuros, in Decreto determinativo v. g., fieret id ex eo, quòd tale Decretum in DEO non daretur. Sed datur in DEO Decretum prædeterminativum. Tum quia illo negato sequitur DEUM non esse primum determinativum actûs liberi creati, sed potiùs tale determinativum esse voluntatem creatam. Siquidem determinatio proveniens à voluntate creata deberet esse prima, non supponens aliam determinationem se priorem, provenientem à DEO. Si enim supponeret, hæc ipsa haberetur per Decretum prædeterminativum. Sed dici non potest, quòd DEUS non sit primum determinativum actûs creati. Hinc enim sequitur ulteriùs, voluntatem creatam esse causam primam determinantem; adeóque sequitur DEUM non esse causam primam. Tum quia negato Decreto prædeterminativo, nulli actus voluntatis creatæ sunt liberi. Negata enim radice, & primo principio libertatis in actibus voluntatis creatæ, actus hi non possunt esse liberi. Sed decretum prædeterminativum est radix, & primum principium libertatis. Hoc enim

nim Principium non poteſt eſſe Decretum indifferens, cùm tale Decretum potiùs expectet determinationem voluntatis, & non cauſet.

113. Objicitur tertiò. Futuritio actuum noſtrorum liberorum eſt poſt Decretum Divinum, ſeu eſt dependenter à Decreto Divino. Ergo & ipſa ſcientia Viſionis, quâ videntur actûs liberi futuri, debet eſſe poſt Decretum, & dependenter à Decreto Divino. Antecedens probatur. Tum quia futura libera ante Decretum Divinum, non habent eſſe ex natura ſua & à ſe, cùm ſint quid creatum; non habent etiam eſſe ex DEI cauſalitate, Quia cauſalitas DEI eſſentialiter ſupponit Decretum Divinum. Ergo. Tum quia futurum illud eſt, quod eſt determinatum à cauſa, ſed independenter à Decreto Divino, nihil eſt determinatum in ſua cauſa. Ergo.

114. Objicitur quartò. Actus liberi abſolutè futuri independenter à Decreto Divino, non habent ab æterno determinatam veritatem. Ergo non poſſunt videri à DEO, independenter à Decreto DEI. Antecedens probatur. Quia omnis veritas fundatur in aliquo eſſe, actus verò noſtri liberi independenter à Decreto DEI, non habent ullum eſſe ab æterno. Neque enim habent eſſe in ſe ipſis. Cùm ab æterno nihil fuerint; neque habent eſſe in ſua cauſa, quia quævis cauſa actûs liberi, ſecluſo Decreto prædeterminativo, eſt indifferens, & impedibilis. Ergo in illa actûs liber non magìs habet eſſe, quàm non eſſe.

Solvuntur Objectiones.

115. Ad primum Reſpondeo: Conceſſa authoritate S. Thomæ nego Minorem, & dico: futura libera, negato medio à priori metaphyſicè connexo cum ipſis, cognoſci in cauſis indifferentibus in actu primo proximo; Cognoſci inquam, non ùt futura determinatè, nec ùt exiſtentia in aliqua temporis differentia, ſed prout poſſibilia, & potentia indifferenter exiſtere vitalium cauſarum. Unde patet, quo ſenſu intelligi debeat S. Doctor. Certè ſi DEUS cognoſceret futura libera in ſuis cauſis ùt determinatè futura, cognoſceret illa conjecturaliter. Dicit enim S. Thomas loco citato: *Quicunque cognoſcit effectum contingentem in ſua cauſa tantùm, non habet de illo niſi cognitionem conjecturalem.* Cùm ergo repugnet DEO cognitio conjecturalis, utpote inferens imperfectionem incertitudinis, DEUS non cognoſcit actus liberos in ſuis cauſis ùt determinatè futuros. Poteſt præterea dici: Futura libera cognoſci à DEO in cauſis proximis prout exiſtentibus ſub Decreto prædefinitivo actûs, formato ex directione ſcientiæ Mediæ.

116. Ad ſecundum Reſpondeo negando Minorem. Primæ Probationis ſequelam facilè Concedo, ac dico: Voluntatem creatam eſſe determinativum non ſupponens ante ſe aliud determinativum actuum ſuorum liberorum. Patet hoc evidenter in actibus peccaminoſis, quorum determinativum ità eſt voluntas creata, ut DEUS nullatenus poſſit eſſe determinativum eorundem. Licèt verò Thomiſtæ Recentiores doceant etiam actus peccaminoſos determinari à DEO, non quidem quoad eſſe formale peccati, ſed quoad eſſe materiale ejuſdem; hoc tamen non poſſe ſubſiſtere docui in Philoſophia, ubi de Prædeterminatione Phyſica. Quòd verò omnium in univerſum actuum ſuorum liberorum, ſola voluntas ſit determinativa, eſt expreſſa doctrina S. Thomæ in ſecundum Diſtinct. 39. Quæſt. 1. in ☉. dicentis: *Ipſa voluntas, quantùm in ſe eſt, indifferens eſt ad plura, ſed quod determinatè exeat in hunc vel illum actum, non eſt ab alio determinante.* In idem recidit, quod habet S. Doctor primâ ſecundæ Quæſt. 9. Art. 6. ad tertium. *DEUS movet voluntatem hominis, ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod eſt verè bonum vel apparens bonum.* Conceſsâ igitur ſequelâ, Nego Minorem Primæ Probationis. Nego itèm ulteriorem ſequelam, & dico: Licèt voluntas ſit primum, imò unicum Determinativum ſuorum actuum, non eſt tamen cauſa prima ſuæ determinationis, ſicut eadem voluntas licèt ſit primum & unicum vivens in actu ſecundo, per actus à ſe elicitos; DEUS enim per tales actus non vivit formaliter in actu ſecundo; tamen hæc ipſa voluntas non eſt cauſa prima reſpectu ſuæ vitæ in actu ſecundo, ídque ex eo: Quia cauſa prima reſpectu alicujus effectûs, eſt illa, quæ concurrit concurſu generali ad effectum,

ctum, seu concursu simultaneo cum causa secunda, imò sic concurrit cum omnibus causis secundis & creatis, ad earum effectus. Voluntas autem creata non est talis causa respectu suæ determinationis & vitæ in actu secundo. Postrema etiam sequela est falsa. Voluntas enim creata, etiamsi sit causa prima determinans respectu sui actus liberi in aliquo sensu: Hinc tamen non sequitur illam esse causam primam. Cùm à termino secundum quid & restricto per additum diminuens, non liceat arguere ad terminum simpliciter juxta doctrinam Dialecticam. Et sic non valet illatio: Est homo pictus. Ergo est homo. Talis autem est illatio: Est causa prima determinans. Ergo est causa prima. Addo. Voluntatem creatam esse causam primam determinantem suorum actuum, eo sensu & taliter, ut ly *Prima* teneat se penes ly *determinans*, non penes ly *causa*, & ut excludat aliud determinans, quòd sit prius voluntate creata. Non est autem eadem voluntas causa prima determinans, eo sensu ut ly *Prima* teneat se penes causam, & significet, quòd voluntas creata sit causa universalissima, quorumcunque actuum & effectuum, concursu generali ad omnes & singulos illorum concurrens, quo sensu si esset causa prima determinans, valeret illatio: Ergo est causa prima. Non valet autem hæc illatio: si voluntas sit causa prima determinans in priore sensu & acceptione. Secundæ Probationis nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: Decretum DEI indifferens esse veram causam actûs liberi. Tale enim Decretum est applicativum causæ primæ ad simultaneum cum voluntate creata concursum, unico indivisibili influxu, extendente se ad omnem perfectionem actûs liberi, & ad ipsam determinationem voluntatis creatæ. Illud, quod additur: Decretum indifferens potiùs expectat aut supponit determinationem voluntatis, & non illam causat, hoc inquam additum, est simpliciter falsum, nullâque ratione probatur, aut probari potest. Sicut enim habitus voluntatis, etiamsi sit ex se indifferens ad operandum vel non operandum, sítque determinabilis à voluntate, tamen non expectat determinationem voluntatis, sed hanc ipsam simul causat cum voluntate. Ità & Decretum indifferens simul cum voluntate creata agit determinationem voluntatis, indistinctam ab actu ejusdem, non verò expectat aut supponit eandem. Licèt verò dictum decretum causet determinationem voluntatis, hinc tamen non sequitur, quòd determinet voluntatem, sicut ex eo, quòd Decretum Divinum causet vitam in actu secundo voluntatis creatæ, non sequitur, quòd idem Decretum vivat formaliter per vitam in actu secundo, voluntatis creatæ.

117. Ad tertium Respondeo: Transito Antecedente & prima Consequentia, Nego ulterius illatum. Sicut enim ex eo, quòd lux solis sit post solem, & dependenter à sole, tanquam sua causa; adeóque quod respectu mei, qui solis lucem video, sit post solis existentiam, & dependenter à sole; sicut inquam hinc non sequitur, quòd dum video lucem solis, quòd eam videam in sole tanquam in medio videndi lucem. Ità ex eo, quòd futuritio absoluta actûs liberi creati, supponat Decretum Divinum, sítque post tale Decretum, ac dependenter ab ipso; adeóque quòd scientia Visionis, quâ DEUS videt futura absoluta, sit post Decretum Divinum, non sequitur, quòd DEUS videat futura absoluta libera in Decreto tanquam in medio, sed sicut lucem solis video in se ipsa, licèt existente dependenter à sole: ità DEUS videt futura libera absoluta in se ipsis, licèt non aliter existentia in sua temporis differentia, nisi dependenter à suo decreto. Potest etiam Distingui Antecedens: Futuritio actuum liberorum est post Decretum Divinum prædeterminativum, nego Antecedens. Et post Decretum indifferens in actu primo oblativum concursus. Concedo Antecedens. Simili modo Distinguo primum Consequens. Ulteriorem verò Consequentiam simpliciter nego, tum propter datam rationem. Tum quia Decretum indifferens non est aptum medium, ùt in eo possint videri futura libera. Quia non est connexum metaphysicè cum ullo determinatè futuro. Ad Probationem primam Antecedentis dico: Futura absoluta libera ante Decretum prædeterminativum, non tamen ante Decretum indifferens, habere suum esse acceptum, tum à voluntate creata, tum à DEO ex vi Decreti indifferentis. Dicunt alii,

alii, futura libera abſoluta habere ſuum eſſe, dependenter à Decreto prædefinitivo actûs, illo tamen dependente à ſcientia media, adeóque evitabili voluntati creatæ. Secundam Probationem Diſtinguo: Futurum futuritione extrinſeca eſt illud, quod eſt determinatum, in cauſa. Omitto Majorem. Futurum futuritione intrinſeca eſt illud, quod eſt determinatum in cauſa. Nego Majorem. Et dico: Sicut Poſſibilitas rei duplex eſt, alia extrinſeca, alia intrinſeca, ità & futuritio. Dato ergo non conceſſo, quòd futuritio extrinſeca rei conſiſtat in determinatione cauſæ ad hoc, ut res ſit, tamen futuritio intrinſeca non eſt determinatio cauſæ, nec determinatio effectûs in cauſa; ſed potiùs eſt determinatio actûs & effectûs in ſe ipſo, ex vi cujus hic potiùs eſt quàm non eſt, ídque eſt infallibiliter ex ſuppoſitione conſequente quòd ſit. Futura porrò libera aut non habent ullam futuritionem extrinſecam & determinationem in cauſa, utpote repugnantem eorum libertati, aut certè habent talem futuritionem dependenter à Decreto indifferente, & in cauſis indifferentibus, abſque omni earum determinatione antecedente ad unum. Eadem Probatio ſic etiam Diſtingui poteſt: Futurum liberum eſt illud, quod eſt determinatum in cauſa. Nego. Futurum non liberum eſt illud quod eſt determinatum in cauſa. Concedo.

118. Ad quartum Reſpondeo, totum tranſeundo. Non Nego enim actus liberos abſolutè futuros, nec veritatem habere, nec per ſcientiam viſionis videri independenter à Decreto Divino, ſed ſolùm nego actus liberos futuros habere determinatam veritatem in Decreto metaphyſicè connexo cum iiſdem futuris, & in tali Decreto videri. Ut detur aliquid argumento, poteſt Antecedens ſic diſtingui: Futura libera non habent determinatam veritatem independenter à Decreto prædeterminativo. Nego Antecedens. Non habent determinatam veritatem independenter à Decreto indifferente. Concedo Antecedens. Hinc tamen non ſequitur adhuc talia futura videri ſaltèm in Decreto indifferente, ſed videntur in ſe ipſis, licèt non aliter exiſtentibus in certa temporis indifferentia, niſì dependenter à tali Decreto. Antecedentis Probationem Diſtinguo: Omnis veritas fundatur in aliquo eſſe, eo modo, & pro illa temporis differentia exiſtente, quomodo & pro qua temporis differentia exiſtere enunciatur per ſcientiam. Concedo. Fundatur in eſſe ſemper phyſicè & exercitè exiſtente. Nego. Porrò futura libera etiamſi non habeant ab æterno eſſe phyſicè & exercitè exiſtens, habent tamen eſſe phyſicè eo modo, ac pro illa temporis differentia exiſtens, quomodo, & pro qua temporis differentia exſtitura phyſicè prævidentur per Scientiam DEI.

§. II.

An DEUS actus noſtros liberos abſolutè futuros prævideat in medio à priori indifferente, vel in medio moraliter ſolùm connexo cum actibus iiſdem liberis?

119. In medio à priori indifferente actus noſtros liberos videri, docuiſſe videntur *primò*. S. Bonaventura, & Alenſis, aſſerendo futura creata libera cognoſci à DEO in ideis talium futurorum. His accedit Rozmer exiſtimans hæc ipſa videri in Eſſentia Divina & ſpecie intelligibili identificata DEO. *Secundò*. Noſter Molina, qui vult actus noſtros liberos videri à DEO in cauſis eorundem ſuper comprehenſis. In medio à priori moraliter connexo cum actibus noſtris liberis videri eoſdem actus docuit P. Laurentius Pikarski noſtræ Provinciæ Doctor Theologus, aſſerens actus noſtros liberos videri à DEO, in quodam exceſſu ſuavitatis & delectationis in bono ſupra oppoſitam tentationem, quem exceſſum volebat ſolùm eſſe infallibiliter moraliter connexum cum operatione libera.

120. Dicendum eſt actus noſtros liberos abſolutè futuros non cognoſci à DEO in medio à priore indifferente ad actum, nec in medio à priore ſolùm moraliter connexò cum futuritione actûs.

Ratio primi eſt. Quia DEUS per ſcientiam Viſionis cognoſcit determinatè converſionem Petri potiùs eſſe futuram quàm non futuram, aut ejus oppoſitum futurum. Atqui in medio indifferente ad poſitionem Converſionis, quòd ſit à priori,

ri, DEUS non potest cognoscere determinatè conversionem Petri potiùs esse futuram, quàm ejus oppositum. Ergo. Major constat ex dictis. Minor probatur: In illo medio DEUS non potest cognoscere determinatè conversionem esse futuram, quod objectivè non potest determinare DEUM ad cognoscendam potiùs conversionem Petri ùt futuram quàm ipsius omissionem. Sed medium à priori indifferens ad positionem vel omissionem conversionis, non potest objectivè determinare DEUM ad cognoscendam conversionem Petri ùt determinatè futuram. Cùm ipsum hoc medium non sit determinatum, ut vi illius, potiùs sit conversio, quàm conversionis omissio. Ergo.

121. Ratio secundi est. Quia DEUS per suam scientiam infallibiliter metaphysicè videt conversionem Petri esse futuram. Sed in medio solùm infallibiliter moraliter connexo cum futuritione conversionis non potest DEUS videre infallibiliter metaphysicè conversionem Petri. Ergo. Major patet. Quia scientia Divina est summè, adeóque metaphysicè infallibilis. Minor probatur. Medium, solùm infallibiliter moraliter connexum cum conversione Petri, non potest objectivè determinare DEUM ad videndam infallibiliter metaphysicè conversionem Petri prout futuram, ut enim aliquod medium ad ejusmodi cognitionem DEUM determinet, necesse est, ut ex vi talis medii conversio sit infallibiliter metaphysicè futura. Siquidem infallibilitas scientiæ, desumitur aliquomodo ab infallibilitate objecti, illique conformatur, sed ex vi medii à priori solùm infallibiliter moraliter connexi, cum futuritione conversionis Petri, conversio Petri, non est infallibiliter metaphysicè futura. Ergo.

122. Infero hinc actus nostros liberos, neque in Essentia Divina & specie intelligibili DEO identificata, neque in ideis, quæ sint rationes practicæ, in mente Supremi artificis repræsentantes rem factibilem, neque in Decreto seu concursu DEI in actu primo indifferente, neque in causa super comprehensa videri à DEO ùt determinatè futuros. Ratio est. Quia hæc omnia sunt media à priori indifferentia ad actum. Infero præterea actus nostros liberos non cognosci à DEO in excessu suavitatis & delectationis in bono supra oppositam tentationem, nec in excessu tentationis supra oppositam inclinationem ad bonum honestum. Ratio est. Quia talis excessus etiamsi sit mediũ à priori non destructivũ libertatis creatæ, non est, tamen medium infallibiliter metaphysicè connexum cum actu libero. Aliàs hoc ipso esset destructivum libertatis. Porrò medium, in quo DEUS debet cognoscere actus liberos determinatè futuros, debet esse tale, quòd sit infallibiliter metaphysicè connexum cum actu, simúlque non destructivum libertatis creatæ. Deinde excessus hic suavitatis non est nec potest esse medium universale videndi quoscunque actus liberos absolutè futuros, etiamsi enim aliqui actus liberi ponantur à prævio inclinationis excessu ad unam oppositionis partem, tamen fieri potest, ut quis per Divinam gratiam æqualiter inclinatus ad virtutem, atque per tentationem inclinatur ad oppositum vitium, eliciat actum virtutis, ut itèm quis fortiùs inclinatus ad vitium, quàm ad virtutem resistat tentationi, & ponat actum virtuosum. In his ergo casibus, actus liberi creati non poterunt videri in excessu inclinationis supra oppositam inclinationem, nec talis excessus poterit esse medium, in quo DEUS cognoscat actus futuros liberos.

§. III.

An DEUS prævideat actus nostros liberos absolutè futuros in medio à posteriori Metaphysicè connexo cum iisdem ipsis actibus liberis?

123. Aliqui Societatis Theologi docent DEUM cognoscere actus nostros liberos in Decreto prædefinitivo actuum bonorum, & permissivo malorum, dependente à scientia media tanquam in medio à posteriori. Alii dicunt tale medium esse ipsam scientiam Visionis, quatenus docent, quòd DEUS cognoscendo reflexè scientiam suam visionis, videat in illa tanquam in medio à posteriori actus liberos absolutè futuros, utpote terminum connexionis essentialis, quam dicit scientia Visionis ad tales actus.

124. Di-

124. Dicendum est: Si possibile est medium aliquod à posteriori metaphysicè connexum cum actibus futuris liberis, posse DEUM in tali medio, ac etiam de facto cognoscere actus illos.

Ratio est. Quia ex nullo capite repugnat DEO visio actuum liberorum absolutè futurorum; visio, inquam, in tali medio. Non enim repugnat talis visio ex defectu infallibilitatis metaphysicæ. Quia hanc infallibilitatem dicta visio haberet, cùm & ipsum medium esset metaphysicè infallibiliter connexum cum futuritione actûs. Non etiam repugnat ex eo. Quia illa visio non repræsentaret actus illos ùt liberos. Defacto enim repræsentaret ùt tales. Quia medium à posteriori metaphysicè connexum cum futuritione actûs, non destruit libertatem ejusdem actûs, sed potiùs illam supponit. Cùm tale medium suam infallibilitatem habeat ex suppositione consequente, sitque impedibile à voluntate creatâ, supponitur enim esse medium à posteriori; adeóque dependens ab ipsis actibus liberis, earúmque causâ, nimirum voluntate creata, prout habente tales actus in sua potestate.

125. Hinc infero in Sententia. Actus DEI liberos DEO realiter adæquatè identificante, posse DEUM videre actus creatos liberos in prædefinitione talium actuum formata ex directione Scientiæ mediæ. Posse itèm DEUM videre reflexè in ipsa Scientia visionis, quâ DDUS directè videret hos actus in se ipsis. Ratio est. Quia talia media sunt metaphysicè connexa cum futuritione actûs. Actus enim creatus prædefinitus à DEO dependenter à Scientia media, & ex directione ejusdem; actus itèm præscitus per Scientiam visionis est metaphysicè infallibiliter futurus. Simúlque hæc media non sunt destructiva libertatis actuum nostrorum. Siquidem nec Scientia visionis lædit libertatem actûs, ùt constat ex dictis num. 77. nec eam lædit prædefinitio formata ex directione Scientiæ mediæ, ùt inferiùs dicetur Disp. 5. num. 126. Ex his potissimùm prædicatis, quòd talis prædefinitio sit simpliciter evitabilis creaturæ, & sit aliquomodo consequens ipsum actum liberum talem, si præsertim hæc negetur esse se ipsa intrinsecè efficax, & antecedens.

126. Duo hic adverto: Unum, non posse actus liberos per Scientiam visionis prævideri à DEO in tali prædefinitione actûs, quæ licèt supponeret Scientiam mediam, non tamen prædefiniret actum ùt futurum, sub illis auxiliis indifferentibus, sub quibus prævisus est per Scientiam mediam, pro statu conditionato futurus, sed prævideret illum ùt futurum, sub aliis auxiliis ex se determinatis ad actum. Ratio est. Quia in tali prædefinitione non possunt videri actus ùt liberi. Cùm talis prædefinitio lædat libertatem actûs; siquidem vi illius pro statu absoluto proveniret actus à causa in actu primo determinata ad unum. Secundum adverto: Supposita Sententia actus DEI intentionales contingentes complente per aliquid extrinsecum, actus liberos creatos absolutè futuros, non posse videri in Scientia visionis, nec in prædefinitione actûs formata ex directione Scientiæ mediæ, tanquam in mediis à posteriori connexis cum talibus actibus. Ratio est. Quia in hac Sententia Scientia visionis, & prædefinitio actûs non sunt media propriè connexa cum futuritione actûs creati liberi, sed hæc sunt completa, & constituta per futuritionem talis actûs. Unde si in his videretur actus creatus liber, non tam videretur in medio, quàm potiùs videretur in se ipso.

PUNCTUM III.

An Actus liberi absolutè futuri per Scientiam Visionis cognoscantur à DEO in se ipsis.

IN hoc Puncto duo examinanda veniunt. Primum: An futura libera cognoscantur à DEO in se ipsis. Alterum: An, & quomodo cognoscantur in sua præsentialitate æternitati Divinæ?

§. I.

An DEUS actus nostros liberos absolutè futuros cognoscat in se ipsis?

127. Dicendum est: Actus nostros liberos absolutè futuros cognosci à DEO in se ipsis.

Conclusio probari potest pluribus D. Thomæ Authoritatibus, quas referre non vacat, videri possunt apud S. Doctorem prima parte Quæst. 14. Art. 6. in ⊙. & iterum Art. 13. in ⊙. Itèm in primum Dist. 38. Quæst. 1. Art. 5. ad 5. Et iterũ Dist. 39. Quæst. 1. Art. 2. in ⊙. & in aliis pluribus locis.

Probatur Ratione. Tali modo cognoscuntur à DEO libera absolutè futura, qui modus cognoscendi salvat libertatem talium futurorum, nec infert ullam imperfectionem in cognoscentem, imò arguit perfectionem ejusdem. Sed modus cognoscendi futura libera in se ipsis, salvat libertatem futurorum liberorum, nec infert ullam imperfectionem in DEUM cognoscentem, imò arguit perfectionem ejusdem. Ergo. Major patet. Quia Deus non aliter cognoscit objecta, nisi taliter, quomodo cognosci possunt salva, & illæsa essentia ipsorum objectorum, & absque omni sua imperfectione. Minor probatur per partes. Imprimis modus cognoscendi futura libera in se ipsis, salvat eorundem libertatem. Quia si eo modo DEUS cognoscat talia futura, non est necesse aliquid poni ex parte actûs primi, connexum metaphysicè cum futuritione actûs, hanc infallibiliter inferens, & inevitabile voluntati creatæ, per quod unicè tolleretur actuum nostrorum libertas. Insuper ùt futura cognoscantur à DEO in se ipsis, solùm requiritur, ut habeant infallibilitatem ex suppositione consequente, seu talem infallibilitatem, ex vi cujus, ùt loquitur S. Thomas hic Quæst. 14. Art. 13. ad 2. idque loquitur ex Aristotele 1. Perihern. Futura libera necesse est esse, cùm sunt. *Quia omne, quod est, cùm est, necesse est esse.* Seu ex suppositione, quòd sit. Atqui talis infallibilitas non tollit libertatem actûs. Cùm etiam in ipsis Decretis Divinis summè liberis talis reperiatur infallibilitas. Quia etiam hæc necesse est esse, cùm sunt, seu ex suppositione, quòd sint. Deinde modus cognoscendi futura libera in se ipsis, non infert in DEUM ullam imperfectionem; quam enim? Certè si aliquam inferret, inferret fallibilitatem Scientiæ Divinæ. Sed hanc non infert. Si enim Scientia Divina futurorum liberorum in se ipsis esset ex aliqua ratione fallibilis, esset ex hac fallibilis: quia terminaretur ad objectum fallibile, non terminatur autem ad tale objectum. Siquidem actus liberi habent infallibilitatem, secundùm quam, subjiciuntur Scientiæ Divinæ non repugnantem suæ libertati, nimirum habent infallibilitatem suppositionis consequentis. Ergo. Tandem hic modus cognoscendi objecta in se ipsis arguit perfectionem Dei. Tum quia magna est perfectio Intellectûs Divini cognoscere, & scire objecta omni eo modo, quo sciri possunt, sinè imperfectione cognoscentis: cùm è contra magna imperfectio sit non cognoscere objecta aliquo modo, quo cognosci possunt sinè imperfectione cognoscentis. Siquidem tale non cognoscere est quædam inscitia, & ignorantia, atque carentia puræ perfectionis. Tum quia cognoscere omnem determinatam veritatem, est magna perfectio; cognoscere autem objecta in se ipsis, est cognoscere aliquam determinatam veritatem. Actus enim absolutè futuri in se ipsis habent determinatam veritatem. Quia res, quæ in se ipsa est, pro aliqua temporis differentia habet in se ipsa determinatam veritatem. Cùm possit verificare cognitionem affirmantem, quòd talis res pro ea temporis differentia determinatè existat in se ipsa. Sed actus nostri liberi absolutè futuri sunt res, quæ est determinata in se ipsa pro aliqua temporis differentia; cùm enim de actibus nostris liberis absolutè futuris falsum sit dicere, quòd non sint determinatè in se ipsis pro ulla temporis differentia; verum est dicere, quòd sint determinatè in se ipsis pro aliqua temporis differentia. Quia alterutrum ex contradictoriis debet de ipsis verificari, juxta illud principium; Omne aut est, aut non est. Ergo.

Proponitur Objectio.

128. Objicitur. Si actus nostri liberi absolutè futuri viderentur in se ipsis, viderentur non ùt liberi, sed ùt necessarii. Atqui hoc implicat. Ergo. Sequela Majoris probatur. Dicti actus videntur à DEO ùt necessarii necessitate absoluta antecedente; videntur enim ùt futuri necessariò ex vi, & natura oppositionis contradictoriæ, seu oppositionis propositionum contradictoriarum, ratione cujus una ex propositionibus contradictoriis debet esse determinatè vera. Atqui actus necessariò futuri ex natura oppositionis pro-

propositionum contradictoriarum sunt futuri necessariò necessitate absoluta, & antecedente. Ergo.

Solvitur Objectio.

129. Respondeo negando Sequelam Majoris cum sua Probatione tam immediata, quàm ulteriore, & dico: Licèt ex natura oppositionis propositionum contradictoriarum, v. g. sequentium: *Petrus convertetur*; *Petrus non convertetur*, Alterutra indeterminatè debeat necessariò esse determinatè vera, tamen ex natura talis oppositionis neutra terminatè debet esse vera, hoc est, non debet potiùs affirmativa esse determinatè vera, quàm negativa. Sed quòd determinatè affirmativa potiùs sit vera, habetur id ex libera determinatione Petri, & ex suppositione consequente. Quare, quòd propositio affirmativa potiùs determinatè sit vera, non est id necessarium necessitate absoluta antecedente. Adverto, aliam Scientiam Divinam terminari ad hoc objectum: quòd ex duabus propositionibus contradictoriis his v. g. *Petrus convertetur*; *Petrus non convertetur*. Alterutra, hoc est vel affirmativa, vel negativa debeat esse vera, nec possit utraque simul esse vera, aut utraque simul falsa. Et alia Scientia DEI terminatur ad hoc objectum, quòd ex duabus dictis propositionibus hæc determinatè: *Petrus convertetur*, sit vera. Ad prius objectum utpote necessarium, ex natura oppositionis propositionum contradictoriarum; adeóque necessarium ex suppositione antecedente terminatur Scientia simplicis Intelligentiæ. Ad alterum objectum: quòd hæc determinatè propositio: *Petrus convertetur*, sit vera, & non ipsius opposita: quòd objectum est contingens, & liberum voluntati Petri, solúmque est necessarium, & infallibiliter futurum ex suppositione consequente; ad hoc, inquam, objectum terminatur Scientia visionis futurorum liberorum.

§. II.

An, & quomodo actus liberi absolutè futuri cognoscantur in præsentialitate eorundem æternitati Divinæ?

Disputatio IV.

130. Cajetanus, & aliqui recentiores Thomistæ docent, DEUM actus nostros liberos absolutè futuros cognoscere in eorum præsentialitate physica, & reali æternitati Divinæ ab æterno, seu in coëxistentia ab æterno physica eidem æternitati. Quâ sua doctrina supponit actus nostros liberos absolutè futuros esse realiter, & physicè DEO præsentes ab æterno, eidémque coëxistere ab æterno. Alii docent communiter, DEUM actus nostros liberos absolutè futuros videre in eorundem æternitati Divinæ præsentialitate, pro certa nonnisi temporis differentia, vi cujus præsentes sunt, & coëxistunt Deo, ejúsque æternitati in certa temporis differentia.

131. Dicendum est: Actus nostros liberos absolutè futuros non videri à Deo in præsentialitate, & coëxistentia eorundem reali, & physica ab æterno æternitati Divinæ; sed videri eos in se ipsis prout existentibus in certa temporis differentia, pro eâque nonnisi præsentibus, & physicè coëxistentibus, æternitati Divinæ.

Prima pars probatur. In tantùm actus liberi viderentur à DEO in præsentialitate eorum, ac coëxistentia physica, & reali ab æterno æternitati Divinæ, in quantùm iidem actus, talem præsentialitatem, & coëxistentiam haberent ab æterno, sed non habent talem præsentialitatem ab æterno. Tum quia ad hoc, ut actus liberi absolutè futuri censeantur habere, vel habuisse ab æterno præsentialitatem, & coëxistentiam realem æternitati Divinæ, requiritur, ut dicti actus exstiterint physicè, seu realiter ab æterno. Præsentialitas enim, & coëxistentia physica actuum creatorum liberorum ab æterno æternitati Divinæ, dicit ex suo conceptu existentiam physicam ab æterno simultaneam tam ipsorum actuum liberorum creatorum, quàm etiam æternitatis Divinæ, sicut præsentialitas duorum pro aliqua temporis differentia, est simultanea physica existentia talium duorum in illa temporis differentia, sed actus liberi absolutè futuri non exstiterunt physicè ab æterno. Quia ab æterno nihil exstitit præter DEUM. Tum quia actus liber elicitus à Petro Cracoviæ, non habet ubique præsentialitatem, & coëxistentiam physicam Immensitati Divinæ, vi cujus ubique, & in omni loco coëxistat physicè eidem Immen-

mensitati, aliàs talis coëxistentia consequenter ubiquitas, deberet concedi omnibus entibus, adeóque & Humanitati Christi, quam tamen negat sancta fides Catholica. Ergo etiam idem actus elicitus nunc, & in præsenti temporis differentia à Petro, non habet ab æterno præsentialitatem & realem coëxistentiam æternitati Divinæ.

132. Dices actus liberos creatos videri à DEO in reali eorum præsentialitate ab æterno, non quidem intrinseca & propria, sed in præsentialitate extrinseca & aliena, nimirum in præsentialitate æternitatis Divinæ. Sed contra est *Primò*. Æternitatem Divinam esse præsentialitatem extrinsecam & alienam respectu actuum liberorum creatorum, ratione cujus hi, DEO sint præsentes ab æterno, falsum omnino est. Hinc enim sequeretur eandem æternitatem esse præsentialitatem Antichristi, ratione cujus hic præsens DEO fuerit, & physicè exstiterit ab æterno, ac etiam nunc physicè & realiter existat. Hinc autem sequeretur ulterius Antichristum ex vi suæ, suorúmque actuum præsentialitatis æternæ, peccâsse physicè ab æterno, esse damnatum physicè ab æterno, pœnásque inferni luere ab æterno, sequitur præterea Immensitatem Divinam esse pariter præsentialitatem extrinsecam & alienam quoad locum respectu actuum nostrorum, imò respectu omnium effectuum creatorum, seu creaturarum, ratione cujus actus nostri & singulæ creaturæ existant ubique & in omni loco. Contra est *secundò*. Quia gratìs admisso, quòd æternitas Divina sit præsentialitas extrinseca actuum nostrorum ab æterno, tamen in hac nullatenus dicti actus videri à DEO possunt, cùm talis præsentialitas sit medium indifferens ad hos vel illos actus; Invariata enim in se æternitate Divina potuerunt non fuisse hi determinatè actus liberi creati, sed alii.

133. Probatur deinde secunda pars Conclusionis. Actus nostri liberi absolutè futuri, nonnisi in certa aliqua temporis differentia existunt physicè, & in hac differentia coëxistunt æternitati Divinæ. Ergo nonnisi ùt taliter coëxistentes æternitati cognoscuntur à DEO, consequenter cognoscuntur in se ipsis prout existentibus physicè in certa temporis differentia, in eáque coëxistentibus æternitati Divinæ. Consequentia utraque patet. Quia scientia Divina utpote summè vera & infallibilis repræsentat objecta, ùt sunt in se. Antecedens probatur. Tum quia actus nostri liberi in illa nonnisi temporis differentia existunt, in qua producuntur & eliciuntur à voluntate creata, non producuntur autem, nec eliciuntur physicè ab æterno. Itèm actus iidem tunc existunt, quando unus alteri coëxistit, vel quando actus liber creatus coëxistit suis principiis creatis, Atqui actus liberi creati sibi invicem, suísque principiis creatis non coëxistunt ab æterno, sed illis coëxistunt in certa nonnisi temporis differentia, aliàs omnia entia creata hoc modo sibi coëxisterent, nec ullum ens creatum esset præteritum aut futurum respectu alterius; quod est contra S. Thomam in 1. Distinct. 38. art. 5. in ☉. Ergo. Tum quia actus nostri liberi non existunt physicè ab æterno, ùt constat ex probatione primæ partis. Ergo cùm debeant existere aliquando, debeántque coëxistere æternitati Divinæ, coëxistunt ipsi & existunt nonnisi in certa temporis differentia.

Proponuntur Objectiones.

134. Objicitur primò. Authoritas SS. Patrum: Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, asserentium: respectu DEI nihil esse futurum, sed omnia esse præsentia. Unde etiam iidem SS. Patres putant in DEO non tam dari præscientiam futurorum, quàm potiùs scientiam. Ergo omnia creata absolutè futura coëxistunt realiter DEO ab æterno. Tum quia secundùm eosdem SS. Patres, Futura libera aliter se habent comparata ad DEUM, & aliter prout comparata ad se invicem, nimirùm, hæc respectu DEI non sunt futura, sicut nec sunt præterita, sed sunt præsentia. Unum verò ipsorum respectu alterius potest esse futurum vel præteritum. Tum authoritas S. Thomæ, qui prima parte Quæst. 14. art. 13. in ☉. sic habet: *Omnia quæ sunt in tempore sunt DEO ab æterno præsentia. Quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Ergo.

135. Objicitur secundò. Æternitas DEI, DEO adæquatè identificata postulat omnia creata sibi coëxistere ab æterno. Ergo

Ergo omnia hæc coëxiſtunt æternitati Divinæ ab æterno. Ergo in hac coëxiſtentia videntur à DEO. Antecedens probatur. Tum quia æternitas Divina poſtulat coëxiſtere omnibus quæ aliquando exiſtunt. Ergo etiam poſtulat omnia hæc ſibi coëxiſtere. Tum quia æternitas Divina poſtulat, ut quod ſibi coëxiſtit, coëxiſtat ſibi toti ſimul. Hæc enim eſt indiviſibilis. Adeóque non poteſt illi quidquam coëxiſtere, nisi prout indiviſibili, ſeu ùt toti ſimul: hoc eſt, prout ſumptæ quoad omnes formalitates, in quas eſt virtualiter diviſibilis, ità ut nihil ſit in æternitate Divina, cui non coëxiſtat. Sed quod coëxiſtit æternitati toti ſimul, coëxiſtit eidem ab æterno, quia coëxiſtit illi ut reſpicienti omne tempus & extendenti ſe ad omne tempus, non ſolùm à parte poſt, ſed etiam à parte ante. Seu coëxiſtit æternitati prout ab æternæ. Porrò coëxiſtere æternitati ab æternæ, & coëxiſtere æternitati Divinæ ab æterno, nihilo differre videntur. Tum quia æternitas DEI ambit omnia tempora. Ergo ambit etiam omnia exiſtentia in tempore, adeóque hæc omnia coëxiſtunt ab æterno æternitati Divinæ. Tum quia quod eſt intra totam æternitatem DEI, eſt DEO præſens ab æterno. Sed æternitas DEI poſtulat, ùt creaturæ aliquando exiſtentes, ſint intra totam eandem æternitatem. Ergo. Tum quia æternitas DEI eſt tota ſimul & perfecta poſſeſſio, ſed non eſt poſſeſſio ſui, ſuarúmque perfectionum ſibi realiter identificatarum, Poſſeſſio enim ſemper eſt poſſeſſio alterius à ſe. Ergo eſt poſſeſſio tota ſimul rerum creatarum. Adeóque hæ omnes ſunt ſimul præſentes DEO ab æterno. Tum quia æternitas DEI eſt menſura cujuſvis durationis creatæ, commenſuratúrque omni tempori, Ergo quidquid exiſtit in tempore per coëxiſtentiam commenſuratur æternitati Divinæ, adeóque coëxiſtit eidem æternitati.

136. Objicitur tertiò. In tantùm DEUS non videret futura abſoluta in præſentialitate eorum, æternitati Divinæ ab æterno, in quantùm præſentialitas hæc futurorum æternitati Divinæ, non daretur ab æterno. Sed datur. Ergo. Minor probatur, In tantùm æternitas Divina non eſſet præſentialitas creaturarum ab æterno, in quantùm præſentialitas hæc eſſet coëxiſtentia, ſeu ſimultanea exiſtentia ab æterno tam ipſius æternitatis Divinæ, quàm rerum creatarum. Sed ex hoc capite non ſequitur æternitatem Divinam non eſſe præſentialitatem creaturarum ab æterno. Ergo. Minor immediata probatur; Tum quia etiamſi præſentialitas intrinſeca creaturarum &c. ſit vel debeat eſſe ſimultanea exiſtentia, tam æternitatis Divinæ, quàm ipſarum creaturarum ab æterno, tamen præſentialitas extrinſeca creaturarum æternitati Divinæ, non eſt dicta coëxiſtentia, ſeu ſimultanea exiſtentia æternitatis Divinæ & creaturarum, ſed potiùs eſt unicè ipſa æternitas DEI, quæ eſt ab æterno. Nihil enim ipſi deeſt ut ſit talis præſentialitas. Licèt ergo creaturæ non fuerint præſentes DEO præſentialitate ſibi intrinſeca, fuerunt tamen præſentes præſentialitate extrinſeca. Tum quia DEUS eſt rebus omnibus præſens ab æterno. Cùm nec ſit præteritus, nec futurus reſpectu rerum, quæ aliquando exiſtunt. Et tamen hæc DEI præſentialitas ab æterno rebus creatis, aut non eſt coëxiſtentia & ſimultanea exiſtentia DEI & creaturarum, aut ſi eſt, ad rationem talis coëxiſtentiæ non requiritur exiſtentia creaturarum ab æterno. Ergo pariter & creaturæ in tempore exiſtentes, ità ſunt præſentes DEO, ut earum præſentialitas aut non ſit coëxiſtentia & ſimultanea exiſtentia ab æterno, tam ipſius creaturæ, quàm etiam æternitatis Divinæ; aut ſi eſt coëxiſtentia, hæc tamen non dicat exiſtentiam creaturarum ab æterno. Tum quia præſentialitas intentionalis, vi cujus creaturæ intentionaliter ſunt præſentes DEO ab æterno, non eſt coëxiſtentia ſeu ſimultanea exiſtentia cognitionis Divinæ & ipſarum creaturarum ab æterno. Ergo neque phyſica creaturarum præſentialitas æternitati Divinæ eſt coëxiſtentia ſeu ſimultanea exiſtentia tam æternitatis Divinæ, quàm ipſarum creaturarum. Sed ſicut præſentialitas intentionalis rerum creatarum ab æterno, eſt unicè ſola cognitio; ità præſentialitas phyſica creaturarum æternitati Divinæ erit unicè ſola æternitas DEI, adeóque futuritio creaturarum ab æterno, non dicit illud eſſe ab æterno, ſecundùm quod creaturæ ſunt futuræ. Itèm diſtantia localis unius rei ab alia v. g. Cracoviæ, Poſnaniâ, non

non dicit coëxistentes sibi quoad locum ubicationes tam Cracoviæ quàm Posnaniæ. Ergo pariter præsentialitas physica creaturarum æternitati Divinæ ab æterno, non dicit coëxistentiam æternitatis Divinæ & creaturarum ab æterno, sed sufficit, quod dicit existentiam unius scilicet æternitatis Divinæ ab æterno. Tum quia coëxistentia aliquorum ab æterno, adeóque & præsentialitas, videtur esse denominatio connotativa, ad quam sufficit, quòd ab æterno fuerit æternitas Divina, quamvis existentia creaturarum in se ipsis, non sit ab æterno, sed in tempore. Sicut denominatio Senis annorum 60. ità dicit existentiam Senis in hoc & pro hoc tempore, ut non dicat pro hoc tempore existentiam annorum 60. quos Senex complevisse dicitur. Confirmatur. Etiamsi præsentialitas rerum creatarum æternitati Divinæ ab æterno, debeat dicere coëxistentiam, seu existentiam tam æternitatis Divinæ, quàm rerum creatarum; sufficit tamen si dicta præsentialitas dicat existentiam æternitatis Divinæ pro semper, adeóque ab æterno, Jam verò existentiam rerum creatarum, dicat pro sua temporis differentia. Ergo. Tum quia Præsentialitas rerum creatarum æternitati Divinæ ab æterno, consistit in indistantia & negatione successionis quoad existere, mediantis inter æternitatem Divinam, & inter existentiàm rei creatæ, & insuper in unius istorum existentia, pro semper & ab æterno. Eo enim ipso, quòd æternitas DEI & creaturæ, ità sint à se indistantes, ùt nihil inter illas mediet, & insuper eo ipso, quòd æternitas DEI semper & pro semper duret indivisibiliter & permanenter ab æterno: jam verò res creata existat & duret in certa temporis differentia, æternitas DEI & creaturæ censentur sibi esse præsentes, præsentialitate indistantiæ, & negationis succesionis. Cùm ergo hæc indistantia & negatio successionis mediantis detur, datur quoque præsentialitas rerum creatarum æternitati Divinæ ab æterno. Tum quia præsentialitas creaturarum æternitati Divinæ ab æterno, non consistit in simultanea existentia ab æterno tam æternitatis Divinæ quàm rerum creatarum, sed potiùs consistit in simultanea duratione ab æterno tam æternitatis Divinæ quàm rei creatæ, sicut præsentialitas duorum quoad locum consistit in simultanea ubicatione affigente illa duo uni, eidémque loco. Sed datur ab æterno duratio tam æternitatis Divinæ, quàm etiam rei creatæ. Quia datur ab æterno duratio æternitatis Divinæ, éstque hæc indistincta ab ipso DEO, ejúsque æternitate. Datur etiam ab æterno duratio rei creatæ, quia in æternitate DEI datur ab æterno formalitas, seu ratio respiciens illud, illámque temporis differentiam, in qua existit creatura. Quæ ratio non solùm est duratio DEI in hoc instanti, sed etiam & duratio ipsius creaturæ in eodem instanti; si enim hoc instans detur; si itèm detur extra causas res creata, res dicta est essentialiter determinata ad coëxistendum rationi illi Divinæ respicienti hoc instans; est, inquam, determinata ad coëxistendum pro hoc instanti per eandem ipsam rationem; nihílque præterea dictæ rationi virtuali deest ad hoc, ut sit duratio rei creatæ in hoc instanti. Ergo. Confirmatur. Duratio creaturæ, prout docetur à pluribus Recentioribus Philosophis, consistit in actione productiva talis creaturæ. Sed datur ab æterno actio productiva creaturæ DEO adæquatè identificata, ùt volunt Joan. à S. Thoma, & noster Quiros. Qui tamen censent hanc actionem compleri, & in executionem prodire, in sua temporis differentia, Ergo datur duratio creaturæ ab æterno; adeóque datur ab æterno præsentialitas creaturæ æternitati Divinæ.

137. Objicitur quartò. Scientia DEI, quâ DEUS cognoscit ab æterno omnia futura, est Scientia visionis, fuítque hæc Scientia ab æterno. Sed nisi objecta futura fuissent ab æterno per præsentialitatem suam æternitati Divinæ, talium objectorum Scientia ab æterno non fuisset Scientia visionis, non terminaretur enim ad objectum præsens, ad quale objectum debet terminari Scientia visionis, quemadmodum & visio corporalis debet terminari ad objectum præsens, seu existens. Ergo.

Respondetur ad Objectiones.

138. Respondeo ad primum. A Scriptura asseri aliqua respectu DEI esse futura, dum asseritur: DEUM entia creata duratione præcessisse. Dicit enim

de

de ſe Sapientia Increata: *Antequam quidquam facerem, ab æterno ordinata ſum.* Intereà admitto Authoritatem SS. Patrum, & dico: Ex eo, reſpectu DEI nihil eſſe præteritum, nihil futurum, quòd æternitas DEI, DEO adæquatè intrinſeca, ſit indiviſibilis, habeátque, & habuerit DEUS ab æterno ex parte ſua præſentialitatem, vi cujus eſt determinatus ad hoc, ut ſit præſens cuivis temporis differentiæ, & cuivis rei pro tali differentia temporis exiſtenti. Admitto ulteriùs, res creatas comparatas ad DEUM aliter ſe habere, & aliter ſi comparentur una res creata ad alteram. Nimirum res creatæ ad DEUM comparatæ ità ſe habent, ut in aliqua temporis differentia coëxiſtant ipſi DEO, ejúſque æternitati, nec poſſint exiſtere, niſi ſic coëxiſtant. Eædem verò res creatæ ad ſe invicem comparatæ ità ſe habent, ut quædam illarum nunquam ſibi coëxiſtant, ſed præcedant alias, vel ſequantur. Hæc differentia habitudinis rerum creatarum ad DEUM, & ad ſe invicem, facit, ut res creatæ comparatæ ad DEUM, non dicantur reſpectu DEI eſſe futuræ, comparatæ ad ſe dicantur futuræ, vel præteritæ. Exiſtimant enim SS. Patres de ratione futuri eſſe, ut non coëxiſtat in ulla temporis differentia, non coëxiſtat, inquam, neceſſariò, & eſſentialiter illi, reſpectu cujus eſt futurum. Licèt verò reſpectu DEI, ejúſque æternitatis, ſecundùm quod hæc eſt adæquatè identificata DEO, nihil ſit futurum, nihil præteritum, dici tamen poteſt reſpectu DEI, ejúſque æternitatis, prout connotantis tempus aliquod, ſeu prout acceptæ ſecundùm aliquas temporis differentias, quas reſpicit, & ad quas ſe extendit, rem creatam quampiam eſſe quid futurum. Et ſic reſpectu æternitatis DEI, prout connotantis tempus, quô exſtitit Chriſtus, poteſt dici exiſtentia Antichriſti eſſe quid futurum. Admiſſis Authoritatibus SS. Patrum in ſenſu explicato nego Conſequentiam, quæ infertur, nimirum nego, quòd res creatæ ità æternitati Divinæ ſint præſentes, eidem in certa aliqua temporis differentia coëxiſtendo, ut ſint eidem æternitati præſentes ab æterno, ut enim eſſent præſentes ab æterno æternitati Divinæ, deberent exiſtere, & durare ab æterno, ſicut, ut ſint præſentes in hac temporis differentia, debent exiſtere, & durare in eadem temporis differentia. Atqui nullæ res creatæ exſtiterunt ab æterno, ùt fides docet. Ergo. Ad Authoritatem S. Thomæ dico: S. Doctorem clarè loqui de præſentialitate intentionali ab æterno, omnium, quæ ſunt in tempore, non verò de præſentialitate phyſica, & reali ab æterno. Loquitur enim S. Doctor, ùt patet ex adducto textu de illa præſentialitate, quam res creatæ habent, ex eo, quòd à DEO cognoſcantur ab æterno. Seu, quòd intuitus DEI in illa feratur ab æterno, qualis præſentialitas eſt intentionalis. Fateor in eodem textu S. Doctorem loqui etiam de præſentialitate reali, dum dicit: *Quia intuitus ejus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.* Sed non aſſerit hanc præſentialitatem futuris abſolutis competere ab æterno; nec poteſt à Thomiſtis conformiter ad eorum principia, hæc præſentialitas eſſe ab æterno. Quia ſecundùm illos ſaltèm plerofque, ſola futurorum præſentialitas aliena, & extrinſeca eſt ab æterno, non autem præſentialitas ſua, & propria, de qua loquitur S. Thomas. Loquitur ergo S. Thomas in adducto textu integrè ſumpto, de duplici præſentialitate rerum, quæ ſunt in tempore. In prima parte textûs loquitur de præſentialitate intentionali, & hanc dicit futuris abſolutis competere ab æterno, dum ait: *Omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt DEO præſentia ab æterno. Quia ejus intuitus fertur.* In altera parte textûs loquitur de præſentialitate reali, & phyſica, quam in ſe habent omnia, quæ ſunt in tempore, ubi dicit: *Intuitus ejus fertur ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate*; ut adducti textûs ſit ſenſus: Omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt DEO præſentia ab æterno præſentialitate intentionali cognitionis, & intuitûs Divini, qui ab æterno fertur ſuper omnia, prout hæc ſunt in ſua reali, & phyſica præſentialitate, quam habent in aliqua temporis differentia.

139. Ad ſecundum Reſpondeo negando Antecedens. Primam illius Probationem diſtinguo. Æternitas DEI exigit, omnibus rebus creatis coëxiſtere pro illis temporis differentiis, pro quibus dictæ res in ſe ipſis ſunt phyſicè exſtituræ. Concedo. Pro omni poſſibili tempore, & ab æterno. Nego Probationem, & Conſe-

quentiam, & adverto: Diversa hæc esse: Æternitas DEI ab æterno exigit coëxistere omnibus rebus creatis, & : Æternitas DEI exigit coëxistere rebus creatis ab æterno sibi præsentibus; primum est verum, alterum falsum. Secundæ Probationis omissa Majore propter distinctionem, quâ distingui potest. Nego Minorem cum suis Probationibus ulterioribus. Ad postremum dico: Diversa iterum hæc esse: Rem aliquam creatam coëxistere æternitati Divinæ abæternæ. Et: eandem rem coëxistere æternitati Divinæ ab æterno. Prima propositio est vera, secunda falsa. Per primam minùs asseritur, plùs per secundam. Secunda namque hæc propositio: *Res creata coëxistit æternitati Divinæ ab æterno*, enunciat implicitè, non solùm dari ab æterno existentiam æternitatis Divinæ, sed etiam dari ab æterno existentiam rei creatæ, quæ defacto non datur ab æterno. Prior verò illa propositio: *Res creata coëxistit æternitati Divinæ abæternæ*, licèt enunciet existentiam æternitatis Divinæ ab æterno, non tamen enunciat existentiam rei creatæ ab æterno. Siquidem res nonnisi in certa temporis differentia existens verè dicitur coëxistere æternitati Divinæ abæternæ. Quævis enim res tali æternitati Divinæ coëxistit in tempore, qualis ipsa æternitas est in se. Cùm ergo æternitas DEI in se sit abæterna, hoc est, determinata ad existendum ab æterno, res creata in sua temporis differentia coëxistit æternitati Divinæ abæternæ. Deinde ejusdem Probationis Majorem sic distinguo: Æternitas Divina postulat, ut quod sibi coëxistit, coëxistat toti sibi, per tantam propriè durationis extensionem, quantam extensionem dicit æternitas Divina. Nego Majorem. Æternitas Divina postulat, ut quod sibi coëxistit, coëxistat toti sibi, licèt per durationem ad certum nonnisi tempus extensam, & determinatam. Concedo Majorem, & distinguo Minorem. Sed quod coëxistit toti æternitati tanta suæ durationis extensione, quanta est extensio æternitatis Divinæ, illud coëxistit eidem æternitati ab æterno. Concedo Minorem. Sed quod toti æternitati coëxistit absque tanta suæ durationis extensione, quanta est extensio æternitatis Divinæ, illud coëxistit æternitati Divinæ ab æterno. Nego Minorem, & Consequentiam. In idem ferè recidit illa distinctio: Æternitas Divina postulat, ut quod sibi coëxistit, coëxistat toti sibi tam intrinsecè, quàm extrinsecè spectatæ. Nego Majorem. Postulat, ut coëxistat toti sibi intrinsecè, non tamen toti extrinsecè spectatæ. Concedo Majorem, & distinguo Minorem. Sed quod coëxistit toti æternitati DEI tam intrinsecè, quàm extrinsecè spectatæ, coëxistit illi ab æterno. Concedo Minorem. Sed quod coëxistit toti æternitati Divinæ intrinsecè, non verò etiam extrinsecè spectatæ, id coëxistit eidem æternitati ab æterno. Nego Minorem, & Consequentiam, ac dico: Æternitatem Divinam posse sumi totam, vel totam nonnisi intrinsecè, & secundùm se ipsam, vel totam tam intrinsecè, quàm extrinsecè. Æternitas DEI tota intrinsecè est æternitas Divina sumpta quoad prædicata sibi, & DEO realiter identificata. Æternitas DEI tota tam intrinsecè, quàm extrinsecè spectata, est æternitas DEI sumpta non solùm quoad prædicata sua intrinseca, sed etiam quoad extrinsecas temporum differentias, quas æternitas Divina respicit. Licèt ergo, quidquid æternitati Divinæ toti tam intrinsecè, quàm extrinsecè sumptæ coëxistit, coëxistat illi ab æterno. Tale enim ens coëxistit ipsis etiam quibusvis temporum differentiis à parte ante; adeóque existit ab æterno, & per hoc coëxistit æternitati Divinæ ab æterno, tamen quod coëxistit æternitati Divinæ toti nonnisi intrinsecè, & secundùm se spectatæ non coëxistit eidem ab æterno. Porrò res creatæ coëxistunt æternitati Divinæ toti nonnisi intrinsecè, non verò toti etiam extrinsecè. Quia non coëxistunt pro omni temporis differentia, quam omnem respicit æternitas Divina, sed nonnisi pro certa temporis differentia. Unde eædem res creatæ, licèt coëxistant toti æternitati DEI, non coëxistunt tamen illi ab æterno. Tertiæ Probationis nego alteram Consequentiam. Sicut enim ex eo, quòd Immensitas Divina ambiat omnem locum, & omnia existentia in loco, non sequitur res creatas coëxistere ubique immensitati Divinæ; ità ex eo, quòd æternitas Divina ambiat omne tempus, & omnia existentia in tempore, non sequitur, æternitati Divinæ coëxistere omnia ab æterno. Ejusdem Probationis Antecedens potest sic distingui:

gui: Æternitas DEI ambit omnia tempora, ita, ut excedat ea, quæ ambit. Concedo Antecedens. Ambit omnia tempora &c ità ut adæquet ea, quæ ambit. Nego Antecedens, & nego ulteriorem Consequentiam. Quartam Probationem Distinguo: Quod est intrà totam æternitatem Divinam per commensurationem adæquatam eidem, illud est præsens æternitati Divinæ ab æterno. Concedo Majorem. Quod est intrà totam æternitatem Divinam, ità, ut ab hac excedatur, illud est præsens æternitati Divinæ ab æterno. Nego Majorem, & distincta similiter Minore nego Consequentiam. Vel certè sic Majorem Distinguo: Quod est intrà totam æternitatem Divinam, & existit in omni temporis differentia, quam respicit hæc æternitas, illud est præsens dictæ æternitati ab æterno. Concedo Majorem. Quod est intrà totam æternitatem DEI, & existit in certa nonnisì temporis differentia, illud est præsens ab æterno æternitati DEI. Nego Majorem. Quintæ Probationis nego Minorem, & dico: In definitione æternitatis à Boëtio tradita expressè poni. Quòd æternitas sit interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Porrò interminabilis vita est ipse DEUS, & perfectiones DEO identificatæ. Unde æternitas DEI, est ipsius DEI ac etiam perfectionum intrinsecarum perfecta possessio. Probationis ulterioris nego Antecedens. Si res sit de possessione etiam per identitatem realem, & si per possessionem intelligatur habentia interminabilis vitæ, perfecta & tota simul, quæ certè ùt talis non est habentia alicujus esse distincti, sed per hanc intelligitur identitas realis perfecta & adæquata. Ultimam Probationem Distinguo: Æternitas Divina est mensura cujusvis durationis creatæ, eandem excedens. Concedo Probationem. Est mensura cujusvis durationis illam absque excessu adæquans. Nego Antecedens, & Distinguo similiter consequens, ac nego ulterius illatum. Et dico: æternitatem Divinam esse mensuram cujusvis durationis, sed non adæquabilem ab ipsa. Unde quod tali mensura mensuratur, non debet esse ab æterno, nec debet coëxistere æternitati Divinæ ab æterno, si enim propter hanc mensurationem æternitate Divina, aliqua deberent coëxistere æternitati Divinæ, deberent sibi invicem coëxistere ab æterno, adeóque sicut respectu æternitatis DEI, nihil est futurum, ità & una res creata non deberet esse futura respectu alterius propter coëxistentiam ab æterno unius rei creatæ alteri.

140. Ad tertium Respondeo primi & secundi argumenti negando Minorem. Primæ Probationis nego suppositum, quòd ultra præsentialitatem rei creatæ intrinsecam detur præsentialitas ejusdem extrinseca, eáque talis, ratione cujus res creata sit præsens æternitati Divinæ ab æterno. Sicut non datur duplex præsentialitas rei in loco, una intrinseca, altera extrinseca, eáque talis, ex vi cujus res creata Immensitati Divinæ sit præsens ubique. Etiamsi enim detur duplex rei possibilitas, una intrinseca, altera activa & extrinseca. Futuritio itèm rei duplex, una intrinseca, altera extrinseca, tamen præsentialitas duplex in loco vel tempore, non datur: Sed sicut plura alia prædicata Divina non denominant extrinsecè res creatas, nimirùm vita Divina non denominat extrinsecè res creatas viventes; Immortalitas non denominat extrinsecè res creatas immortales, sapientia sapientes extrinsecè; Ità nec æternitas DEI, nec Immensitas denominat res creatas æternas, seu præsentes ab æterno, Immensitas res immensas, seu præsentes ubique. Idque ideo: Quia vel formæ ipsæ non sunt aptæ ad tribuendas hujusmodi denominationes, vel res creatæ, non sunt subjecta talium denominationum capacia, prout defacto res creatæ impotentes secundùm suum esse existere ab æterno, non sunt capaces ut ab æternitate Divina denominentur res DEO præsentes ab æterno. Addidi in Responsione Æternitatem Divinam non esse præsentialitatem extrinsecam rei creatæ, maximè talem, quæ rem creatam reddat formaliter præsentem æternitati Divinæ ab æterno. Etiamsi enim admitti possit duplex præsentialitas rei creatæ ab æterno, una intrinseca, altera extrinseca, posśetque tolerari æternitatem Divinam esse præsentialitatem extrinsecam rei creatæ, tamen hæc nulla ratione potest esse talis præsentialitas, quæ rem creatam faciat sibi præsentem ab æterno, sed ad summum est præsentialitas extrinseca faciens rem creatam extrinsecè præsentem sibi

pro illa temporis differentia, pro qua est præsens eidem intrinsecè, per suam existentiam & creatam durationem.

Ad Probationem secundam dico: Etiam præsentialitatem Divinam, quâ DEUS est præsens rebus creatis, sumptam pro coëxistentia his ipsis rebus creatis in tempore, esse existentiam ipsius DEI, & existentiam rerum creatarum. Præsentialitas tamen DEI creaturis, sumpta pro essentiali determinatione DEI ad coëxistendum unicuique rei creatæ, in ea temporis differentia, in qua hæc existet, est adæquatè identificata DEO; adeóque solam dicit existentiam DEI. Pariter itaque præsentialitas creaturæ ipsi DEO ab æterno, sumpta pro coëxistentia ejusdem creaturæ ipsi DEO, debet dicere constitutivè & existentiam creaturæ ab æterno, & existentiam DEI. Ut autem præsentialitas ab æterno aliqua conveniat creaturæ, sumptæ secundùm suam nonnisi existentiam, deberet illi convenire essentialis determinatio ad coëxistendum æternitati Divinæ, in quavis in ante, temporis differentia. Quæ determinatio cùm non conveniat, imò repugnet creaturæ, eidem non convenit præsentialitas consistens in sua propria existentia. Multò minùs convenit præsentialitas consistens in existentia æternitatis Divinæ, cùm id nec adducta paritas, si debitè instituatur, nec ulla evincat ratio.

Tertiæ Probationis prima paritas est confirmatio nostræ assertionis. Sicut enim præsentialitas intentionalis rei creatæ Intellectui Divino ab æterno est duplex existentia, una physica & realis ipsius Intellectûs Divini, altera existentia intentionalis rei creatæ per cognitionem Divinam, quæ repræsentando prædicata & existentiam rei creatæ, statuit illam quodammodo ante Intellectum Divinum, illíque rem creatam facit præsentem; ità præsentialitas realis & physica rei creatæ æternitati Divinæ ab æterno, debet esse duplex existentia physica ab æterno, una æternitatis Divinæ, altera rei creatæ, cum hac differentia: quòd existentia rei creatæ debeat esse realis & physica, ut habeatur ab æterno præsentialitas ejusdē physica æternitati Divinæ. Ad secundam paritatē dico: Futuritionem rei ab æterno, cùm essentialiter opponatur præsentialitati rei ab æterno, sitque per suum conceptum essentialem exclusiva ejusdem, ex hoc suo conceptu, non debet dicere existentiam rei creatæ ab æterno, sed potiùs debet dicere non esse rei ab æterno, esse autem post, ejusdem rei in aliqua temporis differentia. Distantia pariter localis unius rei ab alia, utpote opposita præsentialitati locali, non debet dicere coëxistentiam in eodem loco, eorum, quæ à se distare localiter dicuntur. E contra sicut indistantia localis, quæ est quædam aliquorum præsentialitas, quoad locum, debet dicere coëxistentiam in eodem loco eorum, quæ sunt indistantia; ità & præsentialitas rei creatæ æternitati Divinæ ab æterno debet dicere coëxistentiam rei creatæ æternitati Divinæ ab æterno, adeóque existentiam ab æterno tam rei creatæ, quàm æternitatis Divinæ.

Ad quartam Probationem dico: Admisso in sano sensu, quòd præsentialitas & coëxistentia duorum sit denominatio connotativa, tamen ut res creata denominetur præsens & coëxistens æternitati Divinæ ab æterno, non sufficit, quòd æternitas Divina sit ab æterno, res verò creata in tempore. Licèt enim aliquæ denominationes connotativæ sint tales, quæ non requirunt simultaneam existentiam rei connotantis & rei connotatæ, qualis denominatio connotativa est denominatio *Senis*, tamen sunt aliquæ denominationes connotativæ, quæ ex suo conceptu requirunt, & rei connotantis & rei connotatæ simultaneam existentiam. Et talis denominatio est præsentialitas unius rei alteri in eadem temporis differentia. Petrus enim v. g. non censetur esse hodie præsens Paulo, si aut Petrus, aut Paulus non existat hodie. Tales itèm denominationes sunt quæcunque denominationes præsentialitatis unius rei alteri, adeóque talis denominatio debet esse denominatio præsentialitatis rei creatæ ab æterno, æternitati Divinæ. Confirmationem hujus probationis vel nego simpliciter, vel Distinguo: Præsentialitas rei creatæ æternitati Divinæ ab æterno, si ly *ab æterno* afficiat præcisè æternitatem Divinam, ut per hanc intelligatur præsentialitas æternitati Divinæ ab æterno existenti, solius æternitatis Divinæ requirit existentiam ab æterno. Concedo in hoc sensu Confirmationem. Præsentialitas rei creatæ æternitati Divinæ ab æterno, si

ly

ly *ab æterno* afficiat etiam rem creatam, ejúſque præſentialitatem, ut intelligatur præſentialitas, vi cujus res creata ſit ab æterno præſens æternitati Divinæ, requirit ſolius æternitatis Divinæ exiſtentiam ab æterno, & non etiam exiſtentiam ipſius rei creatæ. Nego Confirmationem, & dico: Ad præſentialitatem, vi cujus res creata ſit præſens ab æterno æternitati Divinæ, requiri exiſtentiam rei creatæ ab æterno, ídque hanc quodammodo principaliùs. Hanc enim directè, & ex vi ſui conceptûs, dicit præſentialitas ab æterno rei creatæ, æternitati Divinæ.

Ad quintam Rationem dico: Licèt præſentialitas rei creatæ æternitati Divinæ, pro certa temporis differentia, bene explicetur per indiſtantiam, & negationem ſucceſſionis mediantis inter æternitatem Divinam, & rei creatæ exiſtentiam, ac etiam per exiſtentiam æternitatis Divinæ ab æterno, tamen præſentialitas rei creatæ ab æterno æternitati Divinæ, per talem indiſtantiam, & per ſolam exiſtentiam æternitatis Divinæ ab æterno non bene explicatur. Certè hæc præſentialitas aliter explicari debet, quàm illa. Si ergo præſentialitas rei creatæ pro certa temporis differentia explicatur per indiſtantiam explicatam, & per ſolius æternitatis Divinæ exiſtentiam ab æterno; per diverſum aliquid præſentialitas rei creatæ, quæ ſit ab æterno, explicari debet, nimirum debet explicari per indiſtantiam durationis rei creatæ ab æternitate Divina, & per utriuſque exiſtentiam ab æterno.

Ad ultimam Probationem dico: Præſentialitatem creaturarum ab æterno æternitati Divinæ conſiſtere in ſimultanea exiſtentia ab æterno tam rei creatæ, quàm æternitatis Divinæ. Adeóque conſiſtere tam in duratione ab æterno æternitatis Divinæ, indiſtincta ab eadem æternitate, ejúſque exiſtentia, quàm etiam in duratione ab æterno ipſius rei creatæ, vel indiſtincta ab ipſa re creata, ejúſque exiſtentia, vel inferente eſſentialiter exiſtentiam ejuſdem rei creatæ pro ab æterno. Omiſſa itaque Majore hujus Probationis, nego Minorem quoad ſecundam partem. Nimirum nego, quòd detur ab æterno duratio rei creatæ. Nego itèm ulteriùs, quòd æternitas Divina, & ratio illa virtualis, quâ DEUS reſpicit inſtans, & differentiam temporis, in qua exiſtit res creata, ſit duratio ejuſdem rei. Neque enim eſt illa duratio, vi cujus res creata exiſtit in certa temporis differentia, cùm res creata per creatam durationem id habeat, quòd ſit in hac potiùs, quàm alia temporis differentia. Neque etiam dicta ratio virtualis æternitatis Divinæ, quâ reſpicit certum inſtans, & res in eo exiſtentes, eſt duratio rei creatæ ab æterno. Tum quia res creata eſt incapax ſuæ durationis ab æterno. Tum quia ratio reſpiciens determinatam temporis differentiam, & rem in tali differentia exiſtentem, potiùs deberet eſſe duratio rei creatæ in tali inſtanti, & non duratio ejuſdem ab æterno. Confirmationis tranſita Majore, nego Minorem. Nimirum nego dari ab æterno actionem productivam rei creatæ. Tú quia talis actio repugnat Scripturæ, in qua dicitur: *Antequam quidquam faceret à principio.* Tum quia eſſet eſſentialiter fruſtrà. Eſſet enim actio productiva effectûs ab æterno, & tamen non poneret effectum extra cauſas, nec quidquam produceret ab æterno. Poteſt etiam ejuſdem Confirmationis diſtingui Major: Duratio creaturæ conſiſtit in productiva actione temporanea, & executiva. Concedo Majorem. Conſiſtit in actione productiva rei æterna, & ab ipſo DEO indiſtincta. Nego Majorem, & diſtincta ſimiliter Minore, nego Conſequentiam.

141. Ad quartum Reſpondeo negando Minorem. Probationem diſtinguo: Si actus liberi abſolutè futuri non eſſent phyſicè præſentes ab æterno, tunc Scientia viſionis non terminaretur ad objectum ſibi præſens ab æterno. Concedo Sequelam. Tunc Scientia viſionis non terminaretur ad objectum ſibi, & DEO præſens in ulla temporis differentia. Nego Sequelam. Porrò ut Scientia rerum exiſtentium ſit Scientia viſionis, ſufficit, quòd terminetur ad objectum exiſtens, & tali Scientiæ, Deóque ipſi præſens pro aliqua temporis differentia, & quòd talis Scientia ſit in ſe ipſa æterna, & invariabilis. Nec obſtat, quòd viſio corporalis terminetur ad objectum tunc ſibi præſens, dum ipſa eſt, & exiſtit viſio. Non obſtat, inquam, viſio enim corporalis, cùm non ſit, nec poſſit eſſe æterna, cùm præterea ſit variabilis, ex nullo ſuo prædicato poſtulat, ut talis viſio exiſtat, antequam ſit

ſuum objectum. Imò, cùm viſio hæc in ratione objecti cauſetur ab objecto viſo, poſtulat, ut ſit, objecto, utpote ſuâ causâ, exiſtente. E contra Scientia DEI viſionis eſt æterna, invariabilis, & incauſata ab objecto viſo. Ex quibus prædicatis non poſtulat, ut tunc ſolùm ſit, dum objectum eſt ſibi præſens, imò poſtulat, ut ſit, antequam exiſtat tale objectum. Deinde viſio corporalis, cùm ſit materialis, & creata, eſt limitata, & imperfecta; adeóque non datur niſi tunc, quando eſt præſens ſuum objectum. Jam verò Scientia DEI viſionis eſt illimitata, & perfectiſſima, proindéque non neceſſariò conjuncta quoad ſuam exiſtentiam exiſtentiæ ſui objecti, quod per talem videtur Scientiam.

QUÆSTIO III.

De Scientia Media.

142. Per Scientiam Mediam ab ipſius Propugnatoribus intelligitur illa Divina Scientia, quâ DEUS videt infallibiliter objecta libera, conditionatè futura, ſeu omne id, quidquid liberè eveniret ſub quavis conditione, ſecundùm ſe indifferente; aut ùt quidam volunt, conducente ad exiſtentiam talis conditionati, non tamen ſub conditione metaphyſicè connexa cum poſitione conditionati, videt, inquam, independenter à Decreto, actu abſolutè in DEO exiſtente. Circa hanc Scientiam Puncto primo decidetur: An DEUS per ſuam Scientiam videat infallibiliter futura libera creata conditionata, & an illa videat independenter à Decreto ſuo abſoluto ex parte ſubjecti, hoc eſt, actu abſolutè exiſtente in DEO Adeóque decidetur: An detur Scientia Media. Secundo Puncto aliæ difficultates circa hanc ipſam Scientiam reſolventur.

PUNCTUM I.

An DEUS per ſuam Scientiam videat infallibiliter futura libera creata conditionata, & an illa videat independenter à Decreto actu abſolutè exiſtente.

143. Præmitto primò. Futurum aliud eſſe futurum abſolutè, aliud futurum conditionatè. Futurum abſolutè eſt, quod independenter ab omni conditione erit. Seu futurum abſolutum eſt verificativum propoſitionis abſolutè affirmantis de re aliqua, quod erit. Futurum conditionatum eſt, quod dependenter ab aliqua conditione erit, aut potiùs foret, vel eſſet ſi. Seu futurum conditionatum eſt verificativum propoſitionis affirmantis conditionatè, & ſub quapiam conditione, quòd res quæpiam erit, vel eſſet; v. g. Futurum abſolutum eſt verificativum hujus propoſitionis: *Petrus peccabit, & negabit Chriſtum.* Futurum conditionatum eſt verificativum hujus propoſitionis: *Si Petrus loquetur cum Oſtiaria, negabit Chriſtum.* Circa explicationem utriuſque hujus futuri, duo adverte. Primum: Nómine futuri ſimpliciter prolati ſignificari futurum abſolutè. Et ſic dum dicitur: *Antichriſtus eſt futurus*, intelligitur: *Antichriſtus abſolutè futurus.* Secundum adverte: Futurum conditionatum latiùs patere, quàm futurum abſolutum. Futura enim abſoluta habent, vel habebunt rationem futurorum conditionatorum. Futura è contra conditionata pleraque non habent rationem futuri abſoluti. Quia non ſunt futura abſolutè. Et ſic peccatum Petri abſolutè futurum habet etiam rationem futuri conditionati. Jam verò converſio Tyriorum, & Sydoniorum, quæ eſt futura conditionatè, non habet rationem futuri abſoluti.

144. Præmitto ſecundò. In propoſitionibus conditionatis objectivè ſumptis; adeóque in objectis conditionatis tria intervenire: Conditionem, ſeu Hypotheſim, Conditionatum, & habitudinem conditionis ad conditionatum. Conditio objectiva eſt illud, ex ſuppoſitione cujus aliud erit, vel non erit. Conditionatum eſt id, quod ex ſuppoſitione conditionis eſt futurum. Habitudo conditionis ad conditionatum eſt modus, ſecundùm quem conditionatum ſequitur, vel ſequetur ad poſitionem conditionis, v. g. in hac propoſitione conditionata objectivè ſumpta: *Si Petrus loquetur cum Oſtiaria, negabit Chriſtum:* tria interveniunt. Primò: Locutio Petri cum Oſtiaria, quæ in hac propoſitione eſt conditio, ſeu hypotheſis. Secundò: Negatio Chriſti à Petro, quæ hic eſt conditionatum, Tertiò: Mo-

Modus, ſecundùm quem ad poſitionem locutionis Petri cum Oſtiaria, ſequitur, & infertur negatio Chriſti à Petro: qui modus eſt, & dicitur habitudo conditionis ad conditionatum.

145. Præmitto tertiò. Habitudinem conditionis ad conditionatum multiplicem eſſe: Alia enim eſt neceſſaria, ſeu illativa neceſſariò conditionati, quæ tunc eſt, quando ad poſitionem conditionis neceſſariò ſequitur conditionatum. Talis habitudo eſt in objecto hujus propoſitionis: *Si Petrus exiſtit, eſt animal rationale.* Alia eſt habitudo impoſſibilis, quæ tunc eſt, dum conditionatum repugnat conditioni, ùt cùm dicitur: *Si Petrus exiſtit, eſt irrationalis.* Alia eſt habitudo contingens, quæ tunc eſt, dum conditionatum contingenter ſequitur ad poſitionem conditionis, ſeu ità ſequitur, ut potuerit non ſequi. Hæc Habitudo ſubdividitur in habitudinem conditionis, habentis ſe diſparatè ad conditionatum, nihilque conferens ad ipſius poſitionem, cum hac tamen conjungibilis, ùt cùm dicitur: *Si Turca ſaltat, Petrus orat.* Et in habitudinem conditionis aliquomodo pertinentis, & conducentis ad poſitionem conditionati, licèt hanc non inferentis infallibiliter. Talis habitudo conditionis eſt, dum dicitur: *Si Petrus audierit concionem, convertetur.* Habitudo contingens conditionis conducentis ad poſitionem conditionati. Subdividitur ulteriùs in Habitudinem conditionis, ad cujus poſitionem ponitur conditionatum dependens à libertate creata. Qualis habitudo eſt illius propoſitionis de converſione conditionata Petri, ſub conditione auditæ concionis. Et in habitudinem conditionis, ad cujus poſitionem ponitur conditionatum dependens à ſola libertate Increata DEI. Talis habitudo eſt in illa propoſitione: *Si Adam non peccâſſet, Chriſtus non veniſſet.* His præmiſſis.

146. Explico ſtatum Puncti præſentis Quæſtionis. Tria in hoc Puncto quæruntur. Primum: An DEUS habeat Scientiam, quâ infallibiliter cognoſcat futura conditionata, dependentia à libertate creata; futura, inquam, potiſſimùm illa, quæ habeant dependentiam à conditione habente contingentem habitudinem, aliquomodo tamen conducentem ad futuritionem eorundem conditionatorum. Dicitur imprimìs: An DEUS infallibiliter cognoſcat futura conditionata dependentia à libertate creata. Quia de talibus futuris principaliter, & communiter controverti, ac etiam tractari ſolet. Solet quidem ab aliquibus Theologis inquiri etiam de futuris conditionatis dependentibus à ſola libertate Divina: an hæc infallibiliter cognoſcantur à DEO. Hæc tamen difficultas ſequenti Puncto à nobis examinabitur. Dicitur deinde: An DEUS cognoſcat futura ſub conditione dicente contingentem habitudinem ad conditionatum. Certum enim eſt, quòd Deus cognoſcat futura ſub conditione dicente habitudinem, & connexionem neceſſariam cum conditionato. Futura itèm (ſi hæc futura dici poſſunt) ſub conditione dicente habitudinem repugnantem ipſi conditionato. Quia DEUS per Scientiam ſimplicis Intelligentiæ cognoſcit poſſibilia, ac impoſſibilia, quæ per talia conditionata explicantur. Dicitur poſtremò: An DEUS cognoſcat futura ſub conditione aliquomodo conducente ad eorum poſitionem. Quia de futuris ſub conditione diſparata non ſunt multùm ſolliciti Theologi, idque ex eo, quòd talia futura non ſint propriè futura conditionata. Quia conditiones talium conditionatorum non dicunt habitudinem propriè talem ad ipſa conditionata, cùm non dicant ullam proportionem, & idoneitatem ad inferenda conditionata. Interim cùm de his quoque futuris dubium moveatur à quibuſdam, etiam hæc non prætermittentur ſilentiô. Secundum, quod quæritur, eſt: An DEUS futura conditionata dependentia à libertate creata videat in Decreto ſuo abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti, prædeterminativo, vel prædefinitivo talium futurorum. Dicitur: An videat in Decreto abſoluto ex parte ſubjecti; hoc eſt, in Decreto actu abſolutè exiſtente in DEO circa talia futura. Dicitur deinde in Decreto conditionato ex parte objecti, quòd nimirum, licèt abſolutè in Deo exiſtat, non tendat tamen in objectum, niſi ſub conditione, hoc v. g. modo: *Volo ut Tyrii, ſi apud illos prædicetur Euangelium, & miracula à Chriſto fiant, credant in Chriſtum, & convertantur.* Dicitur adhuc: An DEUS videat dicta futura in Decreto prædeterminativo, vel prædefini-

 ni-

nitivo, tanquam in medio eadem cognoscendi. Censent enim aliqui Theologi Futura conditionata ut videantur infallibiliter, debere videri in tali medio utpote connexo infallibiliter cum futuritione eorundem conditionatorum. Tertium, quod quæritur est: An DEUS futura conditionata dependentia à libertate creata videat in se ipsis, licèt non independenter à Decreto conditionato ex parte subjecti eóque indifferente, eventuris. Porrò per Decretum conditionatum ex parte subjecti, intelligitur Decretum quod non est in DEO absolutè, sed esset, si: seu quod debet intelligi, & supponi ex parte conditionis, ut aliquid sit conditionatè futurum. Hoc verò Decretum indifferens esse debet, seu non prædeterminativum nec prædefinitivum: Sed indifferentur præparativum & oblativum concursûs ad hoc, ut futurum sit, vel ejus oppositum. Hujusmodi Decretum explicari solet per objectum verificativum hujus v. g. propositionis: *Si Petrus audierit concionem, & si DEUS decreverit, illi dare auxilia indifferentia, eáque dederit, convertetur.*

§. I.

An DEUS per suam Scientiam videat infallibiliter Futura creata conditionata libera?

147. Circa hoc Quæsitum, etiamsi non defuerint aliqui è Thomistis, qui docerent DEUM infallibiliter cognoscere inclinationem voluntatis creatæ, ad actus liberos conditionatè futuros; Ipsos tamen actus non cognoscere nisi probabiliter & conjecturaliter. Ità enim docuit Ledesma Tomo de Auxiliis in fine. Disp. 2. Et Fr. Joannes de Albeida in primam par. Quæst. 14. art. 18. Disp. 44. Sect. 2. num. 8. quam etiam sententiam Carmelitæ Salmanticenses putant habere suam probabilitatem. Nihilominus ab omnibus jam docetur DEUM infallibiliter cognoscere actus liberos creaturarum, conditionatè futuros. Licèt non sinè aliqua etiam hìc differentia, inter Theologos Societatis, & inter Theologos, qui Thomistæ dici volunt. Nostri enim Theologi hujusmodi scientiam admittunt in DEO, respectu omnium cujusvis creaturæ liberæ actuum liberorum, conditionatè futurorum, hoc est, non solùm eorum, qui actus conditionatè futuri sunt revelati in Scripturis, sed etiam actuum non revelatorum. Non solùm itèm actuum dependentium à libertate Creaturarum rationalium, ex vi præsentis Providentiæ in aliqua temporis differentia existentium, sed etiam actuum dependentium à libertate quarumcunque creaturarum rationalium, etiam purè possibilium, quæ nec exstiterunt, nec unquam existent absolutè. E Thomistis verò aliqui ùt Alvarez Respons. lib. 1. cap. 1. num. 38. & 46. Itèm cap. 4. num. 10. docet scientiam illorum nonnisì actuum conditionatorum dari in DEO, qui sunt revelati in Scripturis. Alii, ùt Joan. à S. Thoma. Quæst. 14. Disp. 20. art. 2. Gonetus Tom. 1 Disp. 3. de Voluntate, art. 4. §. 1. docent: DEUM illorum nonnisì conditionatorum habere scientiam, quæ aliquomodo pertinent vel cognationem habent aliquam cum rebus ad hoc universum, secundùm præsentem DEI providentiam spectantibus, non verò scientiam aliorum conditionatorum.

148. Dicendum est. DEUM per suam scientiam certò & infallibiliter cognoscere quævis futura conditionata, dependentia à libertate creata. Hæc Conclusio ab Amico censetur esse de fide. Saltèm quoad eam partem, quatenus implicitè asserit futura quædam libera in Scripturis revelata, certò & infallibiliter à DEO cognosci.

Probatur primò ex Scripturis. In sacris Scripturis habentur plures veritates revelatæ circa futura conditionata dependentia à libertate creata. Ergo hæ veritates per Scientiam DEI sunt infallibiliter cognitæ ab æterno. Nisì enim per talem Scientiam fuissent cognitæ, non fuissent revelatæ, cùm repugnet DEUM revelare id, quod ipse certò non cognoscit. Repugnat enim, ut DEUS sua revelatione doceat certò aliquid sub conditione eventurum, quod ipse ignorat, vel de quo dubitat an de facto sub tali conditione sit eventurum. Repugnat itèm ut DEUS suam revelationem exponat frustrabilitati, cui illam exponeret, si ipse non haberet scientiam infallibilem de eo, quod revelaret. Probatur jam Antecedens, Primi

Reg.

Reg. cap. 23. dicitur, quòd David in oratione DEUM hoc modo consuluerit: *Domine DEUS audivit famam servus tuus, quòd disponat Saul venire in Ceilam, ut eam evertat propter me. Si tradent me Viri Ceilitæ in manus ejus, & si descendet Saul, sicut audivit servus tuus, Domine DEUS Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet. Dixitque David: si tradent me Viri Ceilitæ & viros, qui mecum sunt, in manus Saul; & dixit Dominus: tradent.* Et tertii Reg. 11. dicitur: *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, super quibus dixit Dominus Filiis Israel: non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissimè enim* (preme ly certissimè) *avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Et Matth. 12. *Væ tibi Corrozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent hæ virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio egissent pœnitentiam.* In quem locum S. Augustinus lib. de dono Perseverantiæ cap. 9. & 10. sic habet: *Nunquid possumus dicere Tyrios & Sidonios, si tales virtutes apud illos fierent, non fuisse credituros, cùm ipse DEUS attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam.* Et S. Prosper. in eundem locum: *Nos etiam si facti rationem & profunditatem judicii ejus penetrare non possumus, manifestè tamen scimus, & verum esse, quod dixit, & justum esse, quod fecit.* Atqui in omnibus his Scripturæ testimoniis, agitur de futuris conditionatis, idque in primo & tertio textu agitur de purè conditionatis. Quia de talibus, quæ nunquam futura erant absolutè. Agitur præterea de futuris conditionatis dependentibus à libertate creata, ùt clarum est. Ergo.

149. Probatur secundò. Authoritate Patrum. Et imprimis SS. Augustini & Prosperi mens clarè colligitur ex textibus immediatè adductis. Hanc ipsam suam mentem in locis diversis declarat sæpius S. Augustinus, dum plures tractans Quæstiones, ubique supponit dari scientiam futurorum conditionatorum. Et imprimis lib. 1. de dono Perseverantiæ, tractans illam Quæstionem: Quare DEUS quosdam, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, nè malitia mutaret intellectum; supponit expresè dari in DEO scientiam lapsûs conditionatè futuri, dum dicit: *Poterat illos, præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Imò de hac ipsa Quæstione agens de correptione & gratia cap. 8. putat scientiam futurorum conditionatorum, non posse nisi insanissimè & perversissimè negari. Dicit enim: *Utrùm hoc in potestate non habuit* (intellige, ut aliquos, dum benè viverent, de hac vita raperet) *an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum, nisi insanissimè & perversissimè dicitur.* Tractat deinde S. Doctor lib. 1. ad Simplicianum Quæst. 2 hanc Quæstionem: Quare Esau nondum natus, fuerit reprobatus, Jacob verò fuerit approbatus: sed & in hujus resolutione supponit dari in DEO scientiam futurorum conditionatorum, dum sic arguit: *Si concesseris potuisse quenquam improbari ex eo, quod nondum in illo erat, sed quia DEUS futurum esse sciebat, conficitur, eum potuisse etiam ex operibus approbari, quæ in illo DEUS futura esse præsciebat.* Ulteriùs idem S. Doctor cap. 2. de Genesi contra Manichæos eandem scientiam supponit, dum illas Quæstiones instituit: Quare DEUS fecit hominem, quem peccaturum sciebat? Quare itèm fecit Diabolum, si eum peccaturum esse sciebat? S. Chrysostomus etiam eandem scientiam clarè supponit Homil. 65. super cap. 19. Matth. dum tractat illas Quæstiones: Primò. Quare non omnes operarios ab initio statim in vineam suam conduxerit. Secundò. Quare Paulum non statim converterit. Tertiò. Quare bonum latronem, in cruce primùm vocaverit? Ità enim has Quæstiones resolvit: *Sed curnam, inquies, non statim omnes conduxit? omnes quidem ille ab initio conduxisse voluisset, si verò non omnes eodem tempore paruerunt, à voluntate vocatorum hæc differentia resultavit; idcirco alii mane, alii tertiâ, alii sextâ, alii nonâ, alii undecimâ horâ vocantur, quia tunc obtemperaturi erant. Quod & Paulus apertè significavit, dicens: Quando autem visum est DEO, segregavit me ex utero Matris. Quando autem est ei visum? quando certè obtemperaturus erat. Nam ipse à primis etiam incunabulis voluisset, sed quia illum renixurum sciebat, tunc voluit, cùm animum ipsius penetraturam vocationem non ignorabat. Sic & Latronem, cùm postea vocavit, potuisset ante ipsum vocâsse, sed vocatus ille non paruißet.* Eandem scientiam

entiam admittit & supponit S. Thomas 3.par. Quæst. 1. art. 5. ad secundum, illam Quæstionem: Cur Christus non venerit à principio generis humani? tractans ex mente S. Augustini, dum post multa dicit: *Proinde prout Apostolus ait non est currentis & volentis, sed miserentis DEI, qui in iis, quos prævidit, si apud eos facta essent suis miraculis credituros, quibus voluit, subvenit; aliis autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed aliud justè judicavit. Ità misericordiam ejus, in iis, qui liberantur, & veritatem in iis, qui puniuntur, sinè dubitatione credamus.*

150. Probatur tertiò Ratione. Si DEUS per suam scientiam non cognosceret certò & infallibiliter actus creatos liberos conditionatè futuros, tunc DEUS aut simpliciter nesciret, aut imperfectè sciret aliqua objecta scibilia & cognoscibilia. Sed hoc implicat. Eô enim ipso DEUS non esset perfectissimus. Siquidem diceret aliquam imperfectionem. Quia diceret vel ignorantiam, vel imperfectam notitiam aliquorum objectorum cognoscibilium. Ergo. Sequela Majoris probatur. Si DEUS simpliciter non cognosceret actus liberos creatos conditionatè futuros, nec haberet de illis ullam notitiam & scientiam, tunc DEUS simpliciter aliqua objecta cognoscibilia nesciret. Si verò tales actus solùm cognosceret conjecturaliter, tunc imperfectè sciret aliqua objecta cognoscibilia. Quia cognitio conjecturalis utpote fallibilis, nec firmiter adhærens objecto, est cognitio imperfecta, idque in hac suppositione DEUS nesciret, vel imperfectè cognosceret objecta scibilia & cognoscibilia. Tum quia hæc ipsa objecta sunt aliquomodo cognoscibilia à nobis, cùm saltèm de illis dubitare possimus. Ergo hæc ipsa objecta sunt perfectè cognoscibilia & scibilia à perfectissimo Intellectivo, ex se determinato ad cognoscendum modo perfectissimo omne objectum, quod aliquomodo saltèm imperfectè est cognoscibile Intellectivis creatis. Nisì enim hæc objecta cognoscerentur perfectissimè & infallibiliter à perfectissimo Intellectivo, sequeretur, quòd DEUS de aliquibus objectis conditionatè futuris consultus, an certò & infallibiliter sub conditione evenient? deberet respondere: Nescio, aut certè deberet dicere: sperare se quòd evenient, cum formidine tamen in oppositum; adeóque hac in parte DEUS non superaret Creaturas Intellectivas, nec esset perfectissimè intellectivus. Tum quia si actus creati liberi conditionatè futuri non essent objectum certò & infallibiliter cognoscibile ab Intellectu perfectissimo Divino, tunc DEUS non cognosceret certò & infallibiliter aliquam determinatam veritatem; quia non cognosceret determinatam veritatem unius ex propositionibus contradictoriè oppositis formalibus, v. g. de conversione Tyriorum conditionatè futura. Qualem tamen veritatem habet necessariò una ex propositionibus taliter oppositis. Quia una ex ipsis est determinatè conformis suo objecto, altera est determinatè difformis eidem. Siquidem ipsum objectum debet se habere determinatè, prout una ex propositionibus contradictoriis enunciat. Nisì enim ità se haberet, posset neutrum ex contradictoriis, alicui convenire, possétque falsificari illud primum principium: *Quodlibet aut est aut non est.* Siquidem objectum propositionis conditionatæ, nec determinatè esset, sicut enunciatur, nec determinatè non esset. Sed DEUS certò & infallibiliter cognoscit omnem determinatam veritatem. Ergo.

151. Ex Rationibus his Colligitur. DEUM habere Scientiam infallibilem de futuris conditionatis dependentibus à libertate creata, non solùm revelatis in Scriptura, non solùm itèm de pertinentibus secundùm præsentem DEI providentiam ad hoc Universum, sed etiam de quibuscunque aliis. Ratio est tum ex SS. Patribus, qui de multis futuris conditionatis, quorum nulla est mentio in scripturis, loquentes, asserunt dari in DEO illorum scientiam, censéntque talem scientiam non posse nisì insanissimè & perversissimè in DEO negari, videtúrque ab iis, de quibus dicti Patres loquuntur, par esse ratio discurrendi de aliis quibuscunque, quæ prætereunt. Tum quia, si DEUS non cognosceret quæcunque futura libera conditionata, non esset hoc ipso omniscius & perfectissimus. Certè si ad perfectionem omniscientiæ Divinæ pertinet cognoscere aliqua conditionatè futura v. g. illa, quæ sunt in scripturis revelata, aut quæ pertinent

nent aliquomodo ad hoc Universum, æquali jure & ratione ad eandem perfectionem pertinet cognoscere alia quæcunque conditionatè futura dependentia à libertate cujusvis creaturæ rationalis possibilis. Tum quia Ratio, ex qua Alvarez, Joannes à S. Thoma, & Gonetus, negant in DEO scientiam quorumvis conditionatorum,& solùm aliquorum admittunt, non subsistit. Hi enim ex eo negant talem scientiam in DEO, nè teneantur admittere infinita Decreta Divina prædeterminativa absoluta ex parte subjecti, conditionata ex parte objecti. Cùm secundùm ipsos in his Decretis, tanquam in medio debeant videri quævis libera conditionatè futura. Sed hæc ratio non subsistit. Imprimis enim negatur (ùt proximè videbimus) & negari debet, futura libera conditionatè videri à DEO dependenter à tali Decreto. Deinde si dicti authores admittunt talia Decreta in DEO circa aliqua libera conditionatè futura, videtur par esse ratio pro admittendis Decretis circa alia quæcunque futura libera conditionata, nè scilicet detur in DEO ignorantia ullius futuri conditionati.

Proponuntur Objectiones.

152. Objicitur & probatur primò. Nonnisi cognitionem conjecturalem futurorum conditionatorum dari in DEO. Tum quia talem nonnisi cognitionem circa futura conditionata dari in DEO colligitur ex Sacris Scripturis. In quibus dum quædam futura conditionata revelantur, addi solet particula *fortè*. ùt Matth. 11. *Et tu Capharnaum nunquid in cælum exaltaberis? usque ad infernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent in hunc diem.* Tum quia cognitio conjecturalis futurorum conditionatorum, nullam in DEUM invehit imperfectionem. Quia non est imperfectio ulla in cognitione, quæ sit certissima ex parte subjecti, conjecturalis ex parte objecti. Jam verò cognitio futurorum conditionatorum, quæ esset conjecturalis, esset solùm conjecturalis ex parte objecti, simul autem esset certissima ex parte subjecti. DEUS enim per talem cognitionem cognosceret certissimè, quod conjecturaliter nonnisi futurum esset. Tum quia cognitio repræsentans futura conditionata, nonnisi prout futura ex vi dispositionis causarum, non potest esse nisi conjecturalis. Quia ex vi dispositionis causæ creatæ in actu primo proximo liberæ ùt talis, non potest nisi probabiliter sequi effectus. Sed cognitio, quâ DEUS cognoscit futura libera conditionata est repræsentativa eorundem, prout hæc sunt futura ex vi dispositionis causæ in actu primo proximo liberæ. Ergo.

153. Objicitur secundò, & probatur non dari simpliciter in DEO ullam scientiam & cognitionem liberorum conditionatè futurorum. Tum quia in tantum hæc deberet dari, in quantùm ex his propositionibus: *Si Petrus loquetur cum ostiaria peccabit. Si Petrus loquetur cum ostiaria non peccabit.* Una deberet esse determinatè vera, altera determinatè falsa. Atqui non debet esse una determinatè vera, altera determinatè falsa. Cùm hæ propositiones non sint propriè propositiones. Propositiones enim Hypotheticæ, si sumantur ex vi illationis non sunt assertivæ, ideóque ex ipsis non debet esse una determinatè vera. Deinde in tantum ex dictis propositionibus una deberet esse determinatè vera, altera determinatè falsa, in quantùm opponerentur sibi contradictoriè. Sed sic non opponuntur. Hujus enim propositionis: *Si Petrus loquetur cum ostiaria peccabit.* Hæc potiùs secundùm Dialecticam debet esse contradictoria: *Non si Petrus loquetur cum ostiaria, peccabit.* Tum quia cognitio & scientia futurorum conditionatorum dicit plures imperfectiones DEO repugnantes, nimirum dicit compositionem conditionis cum conditionato, dicit itèm rationem discursûs. In propositionibus enim conditionalibus, conditio habet se per modum Antecedentis, conditionatum per modum consequentis. Ulteriùs cognitio conditionata dicit abstractionem & præcisionem. Talis enim cognitio abstrahit ab existentia tam conditionis quàm conditionati. Ergo. Tum quia si daretur in DEO scientia futurorum conditionatorum, deberet hæc esse infallibilis, consequenter deberet esse necessariò vera. Non potest autem esse necessariò vera. Deberet enim verificari per necessariam connexionem conditionis cum conditionato. Veritas enim propositio-

sitionum conditionaliũ infundatur connexioni, & vi illativæ convenienti conditioni, in ordine ad inferendum conditionatum. Atqui propositiones de futuris liberis conditionatis non possunt verificari per connexionem necessariam conditionis cum conditionato. Quia talis connexio repugnat libertati futurorum creatorum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

154. Respondeo ad primum negando Assumptum. Probationem primam nego. Ad ulteriorem Probationem dico: Per particulam *fortè* in adducto Scripturæ testimonio, & in aliis similibus usurpatam non significari ullam dubitationem ex parte objecti, seu circa objectum, nec certitudinem solùm moralem ratione objecti convenientem actui conditionatè futuro, ùt docent SS. Patres; idque ex eo, ùt iidem volunt: quia talis dubitatio, & ambiguitas DEO repugnat. Potiùs ergo per dictam particulam *fortè*, aut significatur libertas arbitrii humani, ùt vult S. Hieronymus, dum dicit: *Verbum ambiguum forsitan Majestati Divinæ non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servet arbitrium.* Aut certè per hanc particulam DEUS increpat, ùt censet S. Augustinus, dum dicit: *Qui omnia scit, dum dicit fortè, non dubitat, sed increpat. Dubitationis verbum est, dum dicitur ab homine ideò dubitante, quia nesciente. Quando verò dicitur à DEO, cùm DEUM nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Deitas* Aut denique eadem particula idem significat, quod particula *olim*, vel *utique*. Siquidem in diversis Scripturæ versionibus ex his particulis una sumitur pro alia. Ità enim illa Psalmi verba: *Quoniam si voluisses, Sacrificium dedissem utique*; in Græca versione leguntur: *dedissem fortè.*

Secundam Probationem nego. Nego ulteriùs, quòd non sit ulla imperfectio in cognitione certissima ex parte subjecti, conjecturali ex parte objecti. Tum quia si talis cognitio non diceret ullam imperfectionem, tunc posset DEUS habere similem cognitionem etiam de futuris absolutis, & de possibilibus. Qualis tamen cognitio de futuris absolutis, & de possibilibus non admittitur ab Adversariis. Tum quia cognitio repræsentativa futurorum conditionatorum esset cognitio conjecturalis, vel ex eo: quia futura conditionata non haberent determinatam veritatem, & cognoscibilitatem. Et ex hac ratione nulla cognitio potest esse conjecturalis. Quia implicat tale objectum, quod non habeat determinatam veritatem. Implicat enim tale objectum, quod non verificet aliquam ex propositionibus contradictoriis, quæ darentur circa tale objectum. Vel certè illa cognitio ex eo esset conjecturalis; quia non repræsentaret certò, & infallibiliter determinatam veritatem convenientem objecto. Et hoc ipso talis cognitio non esset certissima ex parte subjecti. Quia non esset cognitio intellectivi determinati essentialiter ad cognoscendum certò, & infallibiliter omnem determinatam veritatem.

Tertiæ Probationis nego Minorem, & dico: Cognitionem, quâ DEUS repræsentat futura conditionata, repræsentare illa ùt futura in se ipsis, idque ùt futura infallibiliter ex suppositione consequente, & ex vi determinationis sui à causa libera, quam posita conditione haberent potiùs ad esse, quàm ad non esse. Eadem verò cognitio Divina non repræsentat conjecturaliter futura libera ùt futura, ex vi dispositionis causarum in actu primo, sed repræsentat illa ùt indifferenter possibilia ex vi talis dispositionis, quamvis possit aliquando repræsentare causarum majorem inclinationem ad unum, seu repræsentat futura ùt indifferentia ad esse, vel non esse; nec ex vi talis dispositionis determinata in actu primo ad esse; adeóque non repræsentat ùt futura. Idque hoc ipsum repræsentat certò, & infallibiliter, non verò conjecturaliter.

155. Ad secundum Respondeo, primæ Rationis negando Minorem. Propositiones enim Hypotheticæ affirmant, vel negant conjunctionem conditionati cum conditione, quod sufficit, ut sint assertivæ; adeòque ut sint propositiones propriè tales, & ut aliquæ illarum habeant determinatam veritatem. Ad Confirmationem dico: Eô ipso, quòd illæ propositiones: *Si Petrus loquetur cum Ostiaria, peccabit. Non si Petrus loquetur cum Ostiaria, peccabit.* sint contradictoriæ, una ex illis debet esse determinatè vera, altera determinatè falsa. Consequenter Deus debet adhuc scire unius ex his propositio-

tionibus determinatam veritatem; adeóque debet habere ſcientiam futurorum conditionatorum. Addo, etiam illas propoſitiones: *Si Petrus loquetur cum Oſtiaria, peccabit. Si Petrus loquetur cum Oſtiaria, non peccabit*; eſſe ſaltèm de lege contradictorias. Quia una illarum affirmat conjunctionem conditionati cum conditione, altera hanc ipſam negat. Nec poſſunt ſimul ambæ eſſe veræ, aut ambæ ſimul falſæ. Aliàs cum locutione Petri ad Oſtiariam poſſet ſimul conjungi peccatum Petri, & non conjungi, quod implicat. Ergo adhuc ex his ipſis propoſitionibus una habet determinatam veritatem, atque hæc veritas certò, & infallibiliter cognoſcitur à DEO. Secundæ Rationis nego Antecedens. Ad Probationem dico: Licèt in creatis propoſitiones conditionales dicant imperfectiones, etiam illas, quas objectio enumerat; ſi tamen hæ ipſæ ſunt veræ imperfectiones: nihilominus ſcientia futurorum conditionatorum, quæ in DEO datur, non dicit ullas imperfectiones, idque ex eo: quia DEUS non habet ſcientiam omnimodè ſimilem ſcientiæ creatæ; ſed ſolùm habet ſcientiam talium objectorum ſecundùm rationem, quæ nullam involvit imperfectionem. Tertiæ Rationis nego Minorem, & Probationis Majorem, ac dico: Etiamſi veritas propoſitionum conditionalium, in quibus conditio dicit neceſſariam habitudinem ad conditionatum, ſeu neceſſariam connexionem cum conditionato, infundetur vi illativæ, & connexioni neceſſariæ conditionis cum conditionato; tamen propoſitionum conditionalium, in quibus conditio dicit habitudinem contingentem ad conditionatum dependentem à libertate creata, talium, inquam, propoſitionum veritas non debet infundari vi illativæ, & connexioni conditionis cum conditionato, ſed potiùs infundatur futuritioni ex ſuppoſitione conſequente infallibili, & neceſſariæ; futuritioni, inquam, conditionati ad poſitionem conditionis.

§. II.

An actus creati liberi conditionatè futuri cognoſcantur à DEO dependenter à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti?

156. Actus liberos creatos conditionatè futuros cognoſci à DEO dependenter à Decreto prædeterminativo abſoluto ex parte ſubjecti, ſeu abſolutè in DEO exiſtente, & conditionato ex parte objecti, hoc eſt, tendente in objectum ſub aliqua conditione, docent communiter Recentiores Thomiſtæ ſecuti Magiſtros, Bannes, & Alvarez. Eoſdem cognoſci dependenter à Decreto prædefinitivo, itidem abſolutè in DEO exiſtente, docent aliqui Scotiſtæ. Utrumque hoc Decretum abſolutum ex parte ſubjecti reſpectu futurorum conditionatorum negant Theologi Societatis, & omnes illi, qui Scientiam Mediam in DEO propugnant. Per hanc enim non intelligitur alia Scientia, niſi Scientia futurorum liberorum conditionatorum independens à Decreto DEI abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti.

157. Dicendum eſt: Actus liberos creatos conditionatè futuros cognoſci à DEO independenter ab omni Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti.

Probatur. DEUS actus liberos creatos conditionatè futuros neque cognoſcit dependenter à ſuo Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, tanquam dependenter à medio cognoſcendi tales actus, neque illos cognoſcit dependenter à dicto Decreto, tanquam à cauſa eorundem. Ergo DEUS non cognoſcit actus liberos creatos dependenter à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti. Conſequentia patet. Non aliter enim Scientia objectorum conditionatorum poteſt eſſe dependens à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti, niſi vel eatenus, quòd per Scientiam talium objectorum, hæc ipſa cognoſcantur in Decreto DEI abſoluto, tanquam in medio, vel quòd per Scientiam eandem cognoſcantur neceſſariò dicta futura dependere à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, tanquam à ſuâ cauſa.

158. Antecedens quoad primam partem probatur. Si DEUS cognoſceret actus creatos liberos dependenter à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, tanquam à me-

medio tunc cognoſceret tales actus vel dependenter à Decreto prædeterminativo, vel dependenter à Decreto prædefinitivo, vel dependenter à Decreto indifferenter offerente concurſum, Atqui dependenter à nullo ex his Decretis, tanquam à medio DEUS cognoſcit actus liberos conditionatè futuros. Nam imprimìs non cognoſcit hos conditionatos actus dependenter à Decreto prædeterminativo abſoluto, tanquam à medio cognoſcendi eoſdem. Quia eô ipſo hos actus non cognoſceret DEUS ùt liberos. Ex qua enim ratione in Decreto prædeterminativo abſoluto tam ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti, tanquam in medio, non videt DEUS actus noſtros abſolutè futuros ùt liberos; ex eadem ratione in Decreto prædeterminativo abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti, tanquam in medio, non debet, nec poteſt DEUS videre, ſeu cognoſcere actus noſtros conditionatè futuros ùt liberos. Quia nimirum Decretum prædeterminativum quorumcunque actuum voluntatis creatæ tollit libertatem eorundem. Non poteſt deinde DEUS cognoſcere actus creatos liberos conditionatè futuros dependenter à Decreto prædefinitivo abſoluto ex parte ſubjecti, tanquam in medio. Quia etiam hoc Decretum, cùm non poſſit dirigi Scientiâ Mediâ, quæ futura libera conditionata cognoſcat in ſe ipſis independenter ab ullo Decreto efficaci de ſe, abſoluto ex parte ſubjecti, eſt medium cognoſcendi actus conditionatè futuros, ùt futuros neceſſariò ex ſuppoſitione antecedente, & inevitabili; adeóque eſt medium cognoſcendi tales actus ùt non liberos. Non poteſt tandem DEUS videre actus noſtros liberos conditionatè futuros in Decreto indifferente, abſoluto ex parte ſubjecti, tanquam in medio. Quia tale Decretum, cùm non dicat ullam connexionem potiùs cum futuritione conditionata actûs, quàm cum non futuritione, nòn poteſt eſſe medium cognoſcendi infallibiliter actus creatos liberos conditionatè futuros. Licèt verò aliquod ex his Decretis poſſet eſſe tale medium cognoſcendi actus creatos liberos conditionatè futuros; cognoſcendi inquam eos, & infallibiliter, & ùt liberos, tamen cùm hi ipſi actus poſſint in ſe ipſis videri infallibiliter, & ùt liberi, ùt proximè probabitur, ſinè ulla neceſſitate, & fundamento confinguntur quæcunque Decreta abſoluta ex parte ſubjecti, & multiplicantur in infinitum. Præterea aliqua illorum, ùt decretum prædeterminativum, & Decretum prædefinitivum, abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata ex parte objecti, evertunt libertatem ipſius etiam DEI pro ſtatu abſoluto. DEUS enim habito pro ſtatu conditionato tali Decreto: *Volo prædeterminare Petrum ad converſionem, ſi illum Chriſtus reſpexerit*, non poteſt pro ſtatu abſoluto non prædeterminare Petrum ad converſionem. Sed tenetur pro hoc ſtatu depurata conditione prædeterminare Petrum. Quia non poteſt falſificare, ſeu fruſtrare prius ſuum Decretum abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti. Adeóque DEUS pro ſtatu abſoluto non eſt liber in volenda converſione Petri.

159. Idem primum Antecedens quoad ſecundam partem probatur. In tantùm DEUS cognoſceret actus noſtros liberos conditionatè futuros, dependenter à ſuo Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, tanquam à cauſa, in quantùm vel ipſi actus liberi conditionatè futuri, pro ſtatu conditionato requirerent talem cauſam, vel certè perfectio aliqua, & prædicatum Divinum exigeret reſpectu dictorum actuum conditionatè futurorum dari tale Decretum in DEO, tanquam cauſam eorundem. Sed ex neutro hoc capite DEUS debet cognoſcere actus liberos conditionatè futuros dependenter à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, tanquam à cauſa. Ergo. Non ex primo capite. Tum quia actus liberi conditionatè futuri non habent ſimpliciter eſſe; imò ſi ſunt purè conditionatè futuri, non habebunt unquam tale eſſe, ſed ſolùm haberent *ſi. conditio* enim *nihil ponit in re*, ùt fert commune axioma. Ergo hi actus non debent habere cauſam actu exiſtentem, ſed ſolùm talem, quæ eſſet; adeóque non requirunt decretum abſolutum ex parte ſubjecti, tanquam ſuam cauſam. Tum quia actus noſtri prout poſſibiles, non requirunt Decretum DEI abſolutum ex parte ſubjecti, ſeu abſolutè in DEO exiſtens, tanquam ſui cauſam, nec debent pro ſtatu poſſibilitatis dependere à Decreto Dei abſoluto ex parte ſubjecti, tanquam à cauſa, ſed ſufficit, quòd ſupponant Decretum poſſi-

poſſibile. Ergo etiam actus creati liberi prout conditionatè futuri, non requirunt Decretum abſolutum ex parte ſubjecti, ſeu actu abſolutè in DEO exiſtens, tanquam ſui cauſam, nec pro ſtatu conditionato debent dicere tale Decretum, ſed ſufficit, quòd dicant Decretum conditionatum ex parte ſubjecti, ſeu quòd eſſet. Non exigit etiam ulla perfectio Divina, ut DEUS cognoſcat actus creatos liberos conditionatè futuros dependenter à Decreto DEI abſoluto, tanquam à cauſa. Tum quia nulla eſt talis perfectio Divina, quæ id exigat. Sicut nulla datur perfectio Divina, quæ exigat Decretum abſolutum ex parte ſubjecti, tanquam cauſam reſpectu poſſibilium dependenter à quo hæc cognoſcantur à DEO. Tum quia ex nulla ratione probabili oſtendi poteſt, quòd aliqua perfectio Divina exigat dari tale Decretum; quæ enim eſt illa perfectio, & quæ ratio talis Decreti abſolutam exiſtentiam ſuadet? Tum quia potiùs aliquæ perfectiones Divinæ exigunt, non dari in DEO talia Decreta abſoluta circa actus voluntatis creatæ liberos conditionatè futuros. Primò enim perfectio libertatis Divinæ exigit non dari in DEO Decretum ſive prædeterminativum, ſive prædefinitivum abſolutum ex parte ſubjecti circa actus conditionatè futuros. Cùm ex ſuppoſitione talium Decretorum DEUS pro ſtatu abſoluto non poſſit eſſe liber, nec pro hoc ſtatu ullam exercere libertatem, ùt conſtat ex numero præcedente. Secundò: Infallibilitas Scientiæ Divinæ exigit non dari in DEO talia Decreta. Scientia enim Divina repræſentans actus voluntatis creatæ conditionatè futuros, eſſe eidem voluntati liberos, exigit ex vi ſuæ infallibilitatis non dari in DEO quidquam deſtructivum, & ſublativum libertatis prædictorum actuum. Ergo exigit non dari decreta prædeterminativa, & prædefinitiva eorundem actuum pro ſtatu conditionato, cùm talia Decreta ſint deſtructiva, & ſublativa libertatis eorundem actuum. Tertiò: Summa Sanctitas Divina exigit non dari in DEO Decreta prædeterminativa, & prædefinitiva actuum malorum, & inhoneſtorum, etiam conditionatè futurorum. Sicut eadem Sanctitas exigit non dari in DEO Decreta ſuaſiva, vel præceptiva actuum malorum, & inhoneſtorum. Quod ipſum ex eo ulteriùs eſt. Quia ſumma Sanctitas DEI exigit DEUM non eſſe Authorem, & cauſam per ſe peccati. Eſſet autem talis cauſa, admiſsô Decretô prædeterminativô, vel prædefinitivô actûs peccaminoſi pro ſtatu conditionato. Sicut eſſet cauſa per ſe peccati, admiſsô Decretô præceptivô, vel ſuaſivô talis actûs. Imò ratione Decreti prædeterminativi, aut prædefinitivi, DEUS potiori jure deberet eſſe cauſa per ſe peccati. Siquidem voluntas creata, admiſsô Decreto præceptivô, vel ſuaſivô actûs peccaminoſi poſſet adhuc non ponere dictum actum in ſenſu compoſito talis Decreti. Jam verò admiſsô Decretô prædeterminativô actùs peccaminoſi, implicat voluntatem creatam non ponere talem actum in ſenſu compoſito Decreti. Tandem ſumma DEI neceſſitas, & perfectio in omni genere exigit non dari in DEO Decreta otioſa, & fruſtranea. Atqui Decreta abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata ex parte objecti ſunt Decreta otioſa, & fruſtranea. Sicut eſſent fruſtranea, & otioſa, quæ darentur actu abſolutè de quibuſcunque poſſibilibus. Ad nihil enim prorſus talia Decreta ſunt utilia, aut neceſſaria. Certè (loquendo de Decreto prædeterminativo Thomiſtico) ſi tale Decretum eſſet utile, & neceſſarium ad aliquem finem, eſſet utile ad hunc finem, ut tale Decretum ſit cauſa futuri conditionati. Sed ad hunc finem non poteſt eſſe utile. Quia tale Decretum nullatenùs poteſt eſſe cauſa futuri conditionati, v. g. Decretum abſolutum ex parte ſubjecti prædeterminativū converſionis Tyriorum, ſub conditione prædicationis Chriſti, nullatenus poteſt eſſe cauſa dictæ converſionis. Neque enim poteſt eſſe cauſa talis converſionis ante impletionem conditionis. Quia tunc converſio nullum habet eſſe, ſecundùm quod poſſit cauſari, & terminare cauſalitatem talis Decreti. Neque etiam idem Decretum pôteſt eſſe cauſa converſionis poſt impletionem conditionis. Quia in caſu implendæ conditionis converſio Tyriorum eſt abſolutè ponenda. Talis autem converſio ſecundùm doctrinam Thomiſtarum requirit, tanquam ſui cauſam, Decretum non ſolùm abſolutum ex parte ſubjecti, ſed etiam abſolutum ex parte objecti. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

160. Objicitur primò. Implicat certò & infallibiliter cognosci futurum conditionatum ab æterno, quod non est futurum ab æterno. Sicut implicat certò & infallibiliter cognosci ab æterno possibile aut futurum absolutè, quod non est futurum absolutè aut possibile ab æterno. Sed futurum liberum creatum conditionatum non est tale futurum independenter à Decreto absoluto ex parte subjecti, Ergo. Minor probatur. Tum quia non existente ab æterno forma alicujus denominationis non existit ab æterno & ipsa denominatio. Sed forma à qua habetur denominatio futuri liberi conditionati, est Decretum DEI absolutum ex parte subjecti. Sicut forma, à qua habetur denominatio effectûs possibilis, est virtus productiva ejusdem seu omnipotentia Divina actu absolutè ab æterno existens. Sicut itèm forma à qua habetur denominatio futuri absoluti, est Decretum DEI absolutum. Ergo. Tum quia. Quod non est extractum ex statu meræ possibilitatis ad statum conditionatum, illud non est futurum conditionatum. Hoc enim ut sit tale, debet esse extractum à statu purè possibili, seu non debet esse purè possibile. Sed independenter à Decreto DEI absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti, futura conditionata non sunt extracta à statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ. Neque enim sunt extracta per Decretum DEI, quia hoc negatur dari; neque per causalitatem aliquam, hæc enim non datur, nec dari potest non existente DEI Decreto. Ergo. Tum quia futurum absolutum non est tale futurum independenter à Decreto DEI actu in DEO existente ab æterno, Ergo & futurum conditionatum non est tale futurum independenter à Decreto DEI actu existente. Neque obest si dicatur: Futurum conditionatum est tale futurum quod non erit, sed esset si; adeóque tale etiam exigere Decretum non quòd sit actu & absolutè, sed quod esset. Non obest inquam. Sicut enim etiamsi futurum absolutum exstiturum cras non exstiterit ab æterno, sed solùm existet cras, tamen hoc futurum exigit Decretum DEI circa se non solum existens cras, sed etiam existens ab æterno: ità pariter futurum conditionatum quod esset, exigit decretum, non solùm quod esset, sed etiam Decretum quod sit actu, fuéritque ab æterno.

161. Objicitur secundò: Futura conditionata creata non possunt esse libera independenter à Decreto DEI absoluto. Ergo non possunt videri ùt talia independenter ab eodem Decreto. Antecedens probatur. Tum quia talia futura non possunt esse libera independenter à radice libertatis, talis autem radix est Decretum DEI. Tum quia futura libera non possunt esse talia, nisi ex parte actûs primi supponantur omnia eorum comprincipia. Hæc autem non possunt supponi nisi supponatur ipsum Decretum.

162. Objicitur tertiò. Quod non habet determinatam veritatem, non potest certò & infallibiliter cognosci a DEO. Sed futura conditionata independenter à Decreto Divino non habent determinatam veritatem. Tum quia independenter à Decreto DEI non datur forma à qua hæc futura habeant determinatam veritatem. Tum quia. Si futura conditionata haberent determinatam veritatem, deberent eam habere in se ipsis, adeóque deberent ipsa esse determinata in se ipsis. Non sunt verò determinata in se ipsis v. g. conversio Petri conditionatè futura independenter à Decreto absoluto, non est determinata in se ipsa. Quia non habet esse determinatum, sed solùm haberet tale esse si; adeóque solum esset determinata in se ipsa, non est verò absolutè, & actu determinata. Tum quia. Quod solùm determinaret scientiam DEI, non determinat autem illam actu, illud non habet determinatam veritatem. Sed futura libera independenter à Decreto DEI absoluto ex parte subjecti, determinarent solùm scientiam DEI, non determinant autem illam actu. Cùm non habeant ullum esse, per quod determinent actu, sed solùm haberent tale esse. Ergo. Tum quia, si ante Decretum DEI futura conditionata haberent determinatam veritatem, haberent eam ex ratione oppositionis contradictoriæ. Ex hac autem non habent nec debent habere, sicut non debet habere determinatam veritatem pro quovis signo rationis vel naturæ, alterutra pars cujuscunque con-

contradictionis. Ergo. Tum quia. Meritum purè conditionatum non habet determinatam amabilitatem, quæ objectivè determinet voluntatem Divinam ad conferendum præmium. Ergo etiam Decretum purè conditionatum non habet determinatam veritatem, quæ objectivè determinet Intellectum Divinum ad ſe cognoſcendum.

163. Objicitur quartò. Implicat ut DEUS pro aliquo ſtatu videat effectum non reſpiciendo ad ejus cauſam de præſenti exiſtentem. Et ſic implicat, ut DEUS videat actum voluntatis creatæ ùt poſſibilem non reſpiciendo ad omnipotentiam ſuam actu de præſenti exiſtentem tanquam cauſam dicti actûs. Implicat itèm ut videat eundem actum voluntatis prout abſolutè futurum non reſpiciendo ad ſuum Decretum abſolutum, ſeu actu exiſtens, abſolutum inquam tam ex parte ſubjecti quàm ex parte objecti. Ergo etiam implicat ut DEUS videat actum prout conditionatè futurum non reſpiciendo ad Decretum abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti, à quali Decreto ſtatus futuritionis conditionatæ participari deberet, quemadmodum ſtatus poſſibilitatis participatur ab omnipotentia ab æterno actu exiſtente, & ſtatus futuritionis abſolutæ participatur à Decreto abſoluto, & actu itidem exiſtente ab æterno.

164. Objicitur quintò. Scientia DEI ex ſe eſt indifferens ad repræſentandam vel converſionem Tyriorum conditionatè futuram, vel negationem ipſius. Ergo debet determinari ab aliquo principio, ut potiùs repræſentet converſionem, quàm ejus negationem. Sed ſi non detur Decretum abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti, determinans converſionem Tyriorum pro ſtatu conditionato, non datur principium determinativum Scientiæ DEI. Tale enim principium neque poteſt eſſe aliquid creatum, neque increatum. Non creatum. Hoc enim eô ipſo debuiſſet fuiſſe ab æterno. Sicut ſcientia DEI eſt ab æterno. Non Increatum. Quia tale principium neque eſt prædicatum DEI neceſſarium. Quia hoc ſicut eſt neceſſarium in eſſendo, ità eſſet neceſſarium in determinando. Neceſſarium autem in determinando non poteſt determinare ad contingens. Neque etiam tale principium poteſt eſſe ullum prædicatum DEI liberum. Quia eò ipſo hoc principium deberet eſſe decretum DEI abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti, adeóque deberet dari tale Decretum.

165. Objicitur ſextò. Si DEUS cognoſceret futura conditionata libera independenter â ſuo decreto abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti, fieret id ex eo: quòd non darentur in DEO talia Decreta. Sed dantur. Tum quia dantur multa alia Decreta abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata ex parte objecti. Tale enim fuit Decretum de morte Ezechiæ ſub conditione tacita: ſi non egerit pœnitentiam. Tale itèm Decretum de ſubverſione Ninive ſub ſimili conditione. Similiter tale eſt Decretum, quo DEUS vult omnes ſalvos fieri ſub conditione meritorum finalium. Præterea talia Decreta ſunt, quibus DEUS prohibet vel præcipit aliquid ſub comminatione pœnæ æternæ tranſgreſſoribus, & promiſſione præmii implentibus præcepta. Tandem tale fuit decretum, quo DEUS prædefinivit converſionem Pauli, ſi Stephanus pro eo oraverit. Quodſi ergo dantur in DEO talia Decreta, quare non dantur Decreta abſoluta ex parte ſubjecti, conditionatè prædeterminantia vel prædefinientia actus liberos creatos conditionatè futuros. Tum quia. In tantùm non darentur Decreta abſoluta ex parte ſubjecti circa actus liberos conditionatè futuros, in quantùm illis datis non eſſet ſalva eorundem actuum libertas. Sed eſt ſalva libertas dato tali Decreto. Si enim ſtat ſalva libertas actuum abſolutè futurorum admiſsâ ſcientiâ futurorum conditionatorum, etiam admiſsô Decretô prædeterminativo futurorum conditionatorum erit ſalva libertas eorundem futurorum. Siquidem non minùs ſcientia futurorum conditionatorum, habet ſe pro priori ad decretum, quo DEUS decernit abſolutam exiſtentiam actûs per ſcientiam conditionatam cogniti, atque decretum prædeterminativum tenet ſe pro priori ad actum prædeterminatum. Non minùs itèm ſcientia futurorum conditionatorum, infert infallibiliter Decretum decernens exiſtentiam actûs futuri, quatenus

DEUS habitâ Scientiâ futuri alicujus conditionati sub auxilio A; non potest decernere existentiam auxilii A; quin decernat existentiam ipsius actûs futuri. Atque etiam Decretum prædeterminativum infert infallibiliter actum prædeterminatum. Ergo. Tum quia ipsa scientia futurorum conditionatorum est in DEO absoluta ex parte subjecti, conditionata ex parte objecti. Ergo etiam Decretum DEI circa futura conditionata est absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti.

166. Objicitur septimò. Objectum creatum, quod ità est conditionatum, ut simul sit absolutum, exigit Decretum de se, quòd sit absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti. Sed futura conditionata libera creata, ità sunt conditionata, ut simul sint absoluta. Ergo hæc requirunt decretum circa se absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti. Minor probatur. Tum quia futurum conditionatum est absolutè tale futurum, non verò est sub conditione ad esse futuri conditionati. Ergo. Tum quia futurum conditionatum habet absolutè determinatam veritatem & absolutam cognoscibilitatem. Est enim absolutè cognoscibile, non verò cognoscibile conditionatè, éstque simpliciter & absolutè verificativum hujus propositionis: conversio v. g. conditionata Tyriorum absolutè cognoscitur ab Intellectu Divino, non verò cognosceretur, si. Absolutè itèm objicitur Scientiæ Divinæ, non verò objiceretur, si. Ergo. Tum quia hæc futura in ratione objecti terminativi determinant absolutè DEUM ad habendam scientiam hujus potiùs futuri conditionati, quàm alterius. Ergo. Tum quia aliud & diversum debet esse objectum scientiæ conditionatæ, quæ actu & absolutè est in DEO, & aliud objectum scientiæ conditionatæ, quæ non est in DEO, esset tamen si, Et sic aliud & diverso modo se habens debet esse objectum scientiæ conditionatæ, quam DEUS habet de futura conversione Petri in his circumstantiis & sub his auxiliis, & aliud objectum scientiæ conditionatæ, quam DEUS non habet de obstinatione Petri ejusdem, in iisdem circumstantiis & sub iisdem auxiliis, haberet tamen si Petrus obstinatus existeret. Sed hæc differentia objectorum, & modi, quo hæc debent se habere in eo consistit; quòd scientiæ conditionatæ, quæ actu datur in DEO, objectum ità sit conditionatum, ut simul sit absolutum. Scientiæ verò conditionatæ quæ non est in DEO actu, sed solùm esset, si, objectum est purè conditionatum nullatenus absolutum. Certè inter hæc objecta & modum, quo se habent, aliqua differentia assignari debet Non potest verò alia commodiùs quàm ea, quæ hic assignatur. Ergo.

167. Objicitur octavò. A Decreto absoluto ex parte subjecti dependent tam illa futura conditionata, quæ simul sunt absolutè futura, quàm illa, quæ ità sunt conditionatè futura, ut non sint simul futura absolutè. Qualia conditionata dicuntur purè conditionata. Ergo. Antecedens quoad primam partem probatur: Si futura conditionata, quæ sunt simul absolutè futura non dependerent à Decreto DEI absoluto, tunc ab æterno coëxisterent sibi contradictoria, & verificarentur propositiones contradictoriæ. Sed hoc implicat. Ergo: Sequela probatur. Ab æterno coëxisterent Decretum absolutum circa conversionem Petri, & negatio ejusdem Decreti, verúmque esset dicere: Decretum circa conversionem Petri non est ab æterno, sed esset, si. Scientia enim conditionatorum secundùm oppositos debet supponere Decretum conditionatum ex parte subjecti explicabile per Decretum, quod non est ab æterno, sed esset, si. Et simul verum esset dicere: quod Decretum circa conversionem Petri sit actu ab æterno. Cùm enim conversio Petri ità sit conditionatè futura, ut etiam sit futura absolutè debet supponere circa se Decretum, quòd sit actu absolutè ab æterno. Probatur deinde idem Antecedens quoad secundam partem: quòd scilicet futura purè conditionata, quomodo v. g. futura erat conversio Tyriorum, dependeant à Decreto absoluto ex parte subjecti; conversio purè conditionata Tyriorum, est dependens à conditione prout non purificata nec purificanda. Ergo est dependens à Decreto absoluto. Consequentia probatur. Conversio conditionata dependens à conditione non purificanda, dependet ab omni eo, à quo dependet ipsa conditio prout non purificanda. Sed hæc ùt talis dependet à Decreto absoluto.

luto. Quia non purificatio conditionis dependet à tali decreto non minùs, atque à decreto absoluto dependet ipsa purificatio conditionis. Certè quòd Christus apud Tyrios non prædicaverit Euangelium, miracula non fecerit, &c. dependet id à decreto absoluto. Ergo.

168. Objicitur nonò. In tantum circa futura libera conditionata non daretur in DEO decretum absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti, in quantum hoc decretum non esset proportionatum futuris conditionatis. Sed hæc ratio non obstat. Tum quia etiamsi tale decretum videatur esse improportionatum futuris conditionatis, magisque illis videatur proportionatum decretum conditionatum ex parte subjecti, tamen ipsi Scientiæ Divinæ futurorum conditionatorum est magis proportionatum decretum absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti. Siquidem ipsa Scientia futurorum conditionatorum est absoluta ex parte subjecti conditionata ex parte objecti. Tum quia licèt causa debeat proportionari effectui, non debet tamen illi proportionari in omnibus, & in omni ratione; maximè verò non debet illi proportionari in essendo, sed solùm debet proportionari in ratione causæ, seu in causando, ut nimirum possit esse causa effectûs. Ergo & decretum circa futura libera creata conditionata, quod est causa talium futurorum, non debet illis proportionari in quacunque ratione, & in essendo. Sed satis est, quòd illis proportionetur in causando. Atqui decretum absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti, licèt futuris conditionatis non proportionetur in omni ratione, & in essendo, proportionatur tamen iisdem in ratione causæ. Ergo.

169. Objicitur postremò. Si DEUS futura conditionata creata libera cognoscat independenter à suo decreto absoluto ex parte subjecti, tolluntur in DEO plures perfectiones, pluresque imperfectiones in DEUM invehuntur. Hoc implicat. Ergo. Sequela probatur. Tum quia tollitur in DEO ratio causæ primæ. De ratione enim causæ primæ est, ut causa secunda in nullo statu se determinet ad operationem independenter à concursu causæ primæ. Consequenter independenter à Decreto DEI, quod decretum hic concursus supponit. Sed si DEUS cognosceret futura conditionata independenter à decreto absoluto, tunc in aliquo statu, nimirum in statu conditionato causa secunda libera determinaret se ad operationem independenter à concursu causæ primæ, ejusque decreto. Siquidem pro hoc statu determinatio voluntatis creatæ antecederet omne decretum DEI. Ergo. Confirmatur. Ut DEUS sit causa prima respectu quorumvis effectuum conditionatè futurorum, ex parte conditionis debet intelligi concursus Divinus in actu primo. Sed hic intelligi non potest sinè decreto DEI absoluto ùt tali. Siquidem in tali decreto consistit concursus Divinus in actu primo. Ergo DEUS non potest esse causa prima effectuum conditionatorum, nisi intelligatur decretum DEI absolutum. Tum quia negato decreto absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti, tollitur ratio primi liberi. Quia tollitur ratio primi determinantis actum creaturæ liberæ. Hæc enim, & non DEUS est primum determinans sui actûs pro statu conditionato. Quia prætereà determinatio actûs pro statu conditionato est libera voluntati creatæ, non est verò libera DEO utpote independens à decreto ipsius. Tum quia tollitur ratio perfectissimi Dominii in DEO, & inducitur ratio servitutis, ratione cujus DEUS non potest pro suo libitu applicare voluntates creatas ad illud volendum liberè, quod ipse vult illas velle, sed debet per Scientiam mediam præcognoscere, illasque consulere, ad quod ipsæ sunt se determinaturæ. Unde sequitur ulteriùs, quòd voluntas Divina sit pedisequa voluntatis creatæ, & quòd sequatur ductum talis voluntatis, tanquam suam regulam. Tum quia tollitur in DEO perfectio Omnipotentiæ Divinæ, supposita enim scientia futurorum conditionatorum independente à decreto DEI absoluto, DEUS non potest non prædefinire actum sub auxilio, sub quo prævidit voluntatem se determinaturam ad talem actum, nec potest impedire peccatum depurata conditione, sub qua prævidit illud ponendum, à voluntate creata. Tum quia invehitur in DEUM imperfectio intellectivi imperfectè cognoscentis objectum. Quia imperfe-

fectio cognoscentis, & discentis res ex eventu. Itèm invehitur imperfectio cognoscentis objecta modo nugatorio. Cognoscere enim, quòd conversio Petri sit futura, quia est futura, est cognoscere modo nugatorio. Tum quia invehitur in DEUM imperfectio cujusdam dependentiæ DEI à libertate creata; impedibilitas itèm Scientiæ Divinæ à creatura. Tandem invehitur impossibilitas decreti Divini pro statu absoluto concurrentis ad actum cum voluntate creata. Implicat enim decretum inter quod, si daretur, & inter actum liberum creaturæ deberet dari mutua prioritas. Tale autem esset dictum decretum Divinum. Nam hoc esset prius actu voluntatis creatæ, in genere causæ efficientis, & vicissim actus voluntatis creatæ esset prior hoc ipso decreto, in genere objecti immediatè determinativi Scientiæ Divinæ dirigentis idem decretum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

170. Respondeo ad primum. Transita Majore, sicut enim Cracoviæ potest cognosci objectum, quod non est Cracoviæ; ità ab æterno potest cognosci objectum non existens ab æterno. Transita inquam Majore, nego Minorem. Prima Probatio multùm probat. Probat enim etiam admisso decreto absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti, futura conditionata non fuisse ab æterno. Licèt enim hujus v. g. denominationis conversio Petri conditionatè futura, forma, scilicet decretum Divinum posset dici fuisse ab æterno, tamen subjectum ejusdem denominationis, nimirum conversio Petri, non fuit ab æterno. Porrò ut aliqua denominatio detur ab æterno, videtur non satis esse, quòd exstiterit forma illius denominativa ab æterno, sed videtur requiri insuper, ut etiam subjectum exstiterit ab æterno. cùm non minùs hoc, atque forma sit de essentia denominationis. Directè dico: Denominationes reales, & physicas, quæ constituuntur subjecto, & formâ physicè sibi unitis, non posse existere, non existente forma. Denominationes tamen Logicas, & secundùm dici, in quibus subjectum, & forma non uniuntur physicè, sed præcisè unum ex his respicit, vel connotat aliud, maximè si hujusmodi denominationes sint essentialiter successivæ, vel proveniant à tali forma, quam repugnet existere, dum ipsa denominatio tribuitur subjecto, ùt patet in denominationibus *senis*, *præteriti*, *&c.* Has inquam denominationes dico posse tribui subjectis, non existente forma. Porrò denominatio futuri conditionati est denominatio Logica constans formâ, & subjectó non unitis sibi physicè, imò constans tali forma, quam repugnat, tunc existere, dum denominatio tribuitur subjecto. Addo, formam futuri conditionati adæquatè sumptam, non fuisse ab æterno, licèt inadæquatè sumpta, fuisse dici potest. Forma enim hujus denominationis: *Conversio Petri conditionatè futura*, duo dicit: Non existentiam conversionis ab æterno, & existentiam ejus in tempore, in quo ponetur conditio, ex quibus unum dici potest suo modo fuisse ab æterno, non alterum. Addo iterum: Totam hanc denominationem fuisse ab æterno non realiter, & physicè, sed objectivè, quatenus terminabat cognitionem Divinam, illique objiciebatur; ratione cujus terminationis dicitur fuisse objectivè ab æterno. Secundæ Probationis nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: Futura conditionata à statu meræ possibilitatis extrahi formaliter per hoc, quòd talia futura ex suo conceptu sint illa, quæ posita conditione indifferente essent potiùs determinatè, quàm non essent. Qui conceptus non convenit merè possibilibus. eadem verò futura extrahuntur quasi causaliter ex statu meræ possibilitatis per decretum conditionatum ex parte subjecti, aliásque causas conditionatè præsuppositas in actu primo indifferentes. Non debent verò extrahi causaliter per decretum absolutum seu actu existens. Tum quia hæc futura neque habent esse verum physicum, actuale, absolutum de præsenti; siquidem non existunt actu, neque sunt actu exstitura unquam, sed solùm essent. Ergo non debent extrahi à statu meræ possibilitatis per decretum, quòd sit in DEO absolutè. Sed solùm per decretum, quòd esset. Tum quia talia futura licèt exigant extrahi partialiter à voluntate creata, à qua dependent, non exigunt tamen extrahi à voluntate, quæ defacto sit, sed quæ solùm esset. Tertiæ Probationis

nis nego Consequentiam. Probationem ulteriorem retorqueo. Quod erit absolutè cras, requirit decretum absolutum non solùm ex parte subjecti, sed etiam ex parte objecti, quod non solùm cras existat, sed etiam quod existat ab æterno. Ergo etiam futurum, quod esset absolutè in aliqua temporis differentia, requirit decretum non solùm tale, quod esset absolutum ex parte objecti in casu depuratæ conditionis, sed etiam quod sit ab æterno absolutum ex parte objecti, quamvis nunquam depurabitur conditio. Quod tamen negant Thomistæ. Directè nego Consequentiam. Disparitas est. Ideò absolutè cras futurum requirit decretum absolutum ab æterno, quia decretum circa tale futurum debet esse cras de præsenti. Implicat autem decretum aliquod Divinum esse absolutè cras de præsenti, quod non fuit actu absolutè ab æterno. E contra futurum conditionatum non requirit decretum ab æterno absolutè existens. Quia decretum circa tale futurum, cùm in nulla temporis differentia debeat esse actu absolutè de præsenti, id enim nulla ratio evincit; non debet quoque idem decretum esse absolutè ab æterno, sed solùm sicut decretum circa talia futura solùm deberet esse in aliqua temporis differentia; ità quoque deberet esse nonnisi conditionatè ab æterno.

171. Ad secundum Respondeo negando Antecedens. Primam Probationem distinguo: Futura conditionata libera non possunt esse talia independenter à radice libertatis, quæ sit de præsenti, & ab æterno. Nego Majorem. Quæ radix libertatis solùm esset. Concedo Majorem, & omissa Minore distinguo similiter Consequens. Vel certè transita Majore distinguo Minorem. Radix libertatis in actibus conditionatè futuris est decretum absolutum ex parte subjecti. Nego Minorem. Est decretum conditionatum ex parte subjecti. Omitto Minorem, & distinguo Consequens. Omissa est una pars distinctæ Minoris. Quia non quodvis decretum conditionatum ex parte subjecti potest esse causa, & radix libertatis in actibus conditionatè futuris. Talis enim radix non potest esse decretum prædeterminativum, aut prædefinitivum conditionatum ex parte subjecti. Sed radix libertatis respectu talium actuum debet esse decretum conditionatum ex parte subjecti in actu primo indifferens. Dices: Decretum conditionatum non est. Ergo non potest esse radix libertatis. Distinguo Antecedens. Decretum conditionatum non est ampliativè, seu non est, nec esset. Nego Antecedens. Non est servata proprietate statûs, seu, non est actu & absolutè, sumendo strictè ly *Est*. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Vel certè distinguo Consequens. Ergo decretum conditionatum non potest esse ampliativè radix libertatis. Nego Consequentiam. Non potest esse radix libertatis servata proprietate statûs, & ly *Esse* sumendo strictè. Concedo Consequentiam. Dices secundò: Si decreto illi conditionato ex parte subjecti conveniret, quòd esset; adeóque conveniret ipsa ratio conditionati, deberet hæc ratio convenire dependenter ab aliqua conditione; non potest autem taliter convenire. Quia eô ipso, si decretum conditionatum dependeret ab aliqua conditione, dari deberet processus in infinitum in conditionibus. Deberet itèm decretum tale conditionatum esse extractum à statu meræ possibilitatis ad statum esse conditionati; non potest autem sic esse extractum. Quia non potest ostendi, per quid esset extractum. Respondeo negando Majoris Sequelam, & dico: Etiamsi illis objectis, quæ significantur per conditionatum propositionis hypotheticæ, ratio conditionati eveniat dependenter à conditione, ex qua infertur quodammodo conditionatum, vel cum qua conjungitur; tamen his, quæ ex parte hypothesis veniunt, & per eam significantur, ratio conditionati non debet convenire dependenter ab aliqua conditione, sed potiùs ratio esse conditionati, iis ipsis per hoc convenire debet, quòd assumantur pro conditione, & habeant rationem conditionis respectu illius, quod infertur per conditionatum propositionis. Et sic *existentia solis alterius*, quæ in hac propositione conditionali. *Si alter sol existeret, lucis radios diffunderet*; venit ex parte hypothesis, per eámque significatur, Hæc inquam solis existentia est conditionata, non dependenter ab alia conditione, sed per hoc ipsum, quod ità non datur actu, & absolutè, ut simul supponatur conditionaliter, seu assumatur pro conditione per ordinem ad inferendam dif-

diffusionem radiorum lucis, quæ ipsa per conditionatum propositionis infertur ex assumpta conditione. Cùm ergo Decretum DEI conditionatum ex parte subjecti, requisitum ex parte hypothesis, ex qua inferuntur actus liberi conditionatè futuri, sit de genere illorum conditionatorum, quæ veniunt ex parte hypothesis, Decretum hoc non debet esse conditionatum dependenter ab aliqua conditione; sed potiùs debet esse per hoc conditionatum, quòd licèt non habeat esse absolutum, supponatur tamen esse, & quòd assumatur pro conditione per ordinem ad inferendam, seu potiùs affirmandam futuritionem actûs creati liberi. Idem Decretum conditionatum ex parte subjecti non potest quidem propriè & in rigore esse extractum à statu meræ possibilitatis ad statum Decreti conditionati. Quia id propriè extrahitur, quod habet & habere potest causam sui extractivam. Nullum autem Decretum Divinum, utpote prædicatum DEO intrinsecum, habet, aut habere potest talem causam. Est tamen Decretum hoc impropriè extractum formaliter per id ipsum, per quod differt à Decreto merè possibili, nimirùm per hoc, quòd in conditionem assumatur, & ex parte hypothesis veniat in ordine ad affirmandam conditionatè existentiam actûs liberi creati.

Ad secundam Probationem dico: Ut futura conditionata creata sint pro suo statu libera, non requiritur, ut ex parte actûs primi dentur actu & absolutè omnia comprincipia talium futurorum, sed satis est, quòd omnia præsupponantur conditionatè, & quòd ex parte hypothesis venire debeant, ut possint intelligi actus liberi creati, quòd sint potiùs futuri, quàm non futuri. Adeóque non requiritur, ut decretum de talibus futuris sit in DEO actu absolutè, sed sufficit, quòd supponatur conditionatè, seu quòd licèt non sit absolutè, debeat tamen supponi & intelligi esse, ut sit liberum creatum conditionatè futurum.

172. Ad tertium Respondeo negando Minorem. Ad primam Probationem dico: Formam, à qua habet futurum conditionatum, v. g. Conversio Tyriorum, suam determinatam veritatem determinativam scientiæ Divinæ per modum objecti terminativi, esse futuritionem conditionatam, ex vi cujus conversio Tyriorum ex suppositione prædicationis apud se, & miraculorum Christi, potiùs determinatè esset, quàm non esset. Eò enim ipso, quòd tali conversioni conveniat determinatè, quòd sub conditione, quæ suprà habetur expressa, esset eadem conversio, habet determinatam veritatem, determinátque Intellectum Divinum, ut is per suam scientiam de tali conversione idipsum enunciet. Quòd verò hæc conversio sub dicta conditione esset determinatè, non habet hoc ab ullo Decreto absoluto ex parte subjecti, ut ex probatione conclusionis constare potest.

Secundæ Probationis concessâ primâ sequelâ. Secundam Distinguo: Ut conversio Petri conditionatè futura habeat determinatam veritatem, requiritur, quòd sit ipsa determinata absolutè, & per causam sui absolutè existentem. Nego sequelam. Requiritur quòd sit ipsa determinata conditionatè, seu quòd esset determinata, si; adeóque quòd dependeat à causa & Decreto conditionato ex parte subjecti. Concedo sequelam. Eò enim ipso, quòd hæc conversio sit determinata conditionatè, seu quòd esset, determinatè, idipsum de eadem conversione potest enunciare scientia DEI. Quod ipsum est, conversionem dictam habere determinatam veritatem.

Tertiæ Probationis nego Minorem, & dico: Sicut secundùm Thomistas conversio Tyriorum conditionatè futura, licèt non sit actu, sed solùm esset actu, si, terminat tamen actu Decretum DEI absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti, & non terminaret, si. Sicut itèm eadem conversio ab eodem Decreto determinatur, aut prædeterminatur actu, & non solùm prædeterminaretur, si. Ità negato Decreto absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti, Conversio Tyriorum conditionatè futura determinat per modum objecti terminativi, determinat inquam actu scientiam Divinam, non verò solùm determinaret, si. Nec obest, quòd hæc non habeat esse actu. Non obest inquam: Quia cùm determinet solùm objectivè, idque per modum objecti purè terminativi, non requiritur, ut habeat esse actu propriè determinatum, sed sufficit, quòd habeat esse ampliativè deter-

determinatum, seu quòd haberet esse determinatum in casu depuratæ conditionis. Per hoc enim ipsum tale esse determinat actu Scientiam DEI, ut hæc scientia de dicta conversione enunciet, quòd habeat hujusmodi esse. Sicut eadem conversio terminat actu Decretum Thomisticum absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti, terminat inquam per suum esse conditionatum, ut hoc Decretum velit actu conversionem conditionatam, eámque determinet.

Quartæ Probationis omissâ sequelâ primi argumenti, quæ intelligi debet conformiter ad dicta num. 129. Minorem nego. Ad Probationem ulteriorem dico: Posse id concedi, quòd non pro quovis signo Rationis, nec pro quovis priori naturæ, alterutrum ex contradictoriis contingenter convenientibus suo subjecto, verificari debeat. Et sic pro priori ante actum voluntatis Petri liberè flentis, ex his contradictoriis: *Petrus flebit*, *Petrus non flebit*, neutrum verificatur. Pro priori item respectu conversionis Tyriorum conditionatè futuræ, pro quo ex parte conditionis intelligitur actus primus proximus libertatis Tyriorum, Decretum conditionatum ex parte subjecti, de prædicatione Christi apud Tyrios, aliáque principia & requisita indifferentia, pro hoc, inquam priori hujus contradictionis: *Convertentur Tyrii, non convertentur Tyrii*, neutra pars verificatur. Quia neutra pars venit ex parte actûs primi & conditionis, & cùm neutra determinatè connectitur actus primus, sed venit & venire debet alterutra ex parte actûs secundi, seu ex parte conditionati. Pro priori verò naturæ in dicto statu conditionato Tyrii debent intelligi indifferentes ad conversionem vel negationem conversionis. Quia debent intelligi ad alterutrum liberi. Pro priori etiam signo Rationis non debet intelligi unũ contradictorium ante aliud. Quia aliàs unum contradictorium deberet priùs cognosci quàm aliud. Hoc autem universaliter non est verum. Cùm non appareat ratio, quare negatio fletûs debeat priùs cognosci, quàm fletus. Addo, licèt futura libera conditionata ex ratione oppositionis contradictoriæ debeant habere determinatam veritatem, hanc tamen debent habere non pro quovis signo vel priori, sed pro eo signo & statu, in quo intelliguntur, & intelligi debent. Cùm ergo non intelligantur, nec intelligi debeant, nisi pro posteriori naturæ, pro eodem signo habent & debent habere determinatã veritatem, ídq; debent eam habere ea ratione & modo, ùt dictum est suprà num. 129.

Quinta Probatio multum probat. Probat enim Futura conditionata non habere determinabilitatem determinatam Decreti absoluti ex parte subjecti & determinabilitatem ab eodem Decreto. Directè nego Consequentiam. Disparitas est. Tum ex eo, quòd voluntas Divina sit potentia libera & in actu primo indifferens, debeátque se ipsam determinare tam ad suum actum, quàm ad conferendum præmium creaturæ merenti, non debeat verò determinari ab objecto. Quô fit, ut objectum non habeat determinatam amabilitatem, quâ determinet voluntatem Divinam ad se amandum, & ad conferendum præmium. Tum ex eo, quia meritum conditionatè futurum non habet imputabilitatem moralem ad præmium. Hæc enim convenit solis meritis absolutè existentibus. Quod ipsum ex eo ulteriùs est: Quia si meritum conditionatum haberet imputabilitatem moralem ad præmium, pari jure demeritum conditionatè futurum haberet quoque suam imputabilitatem ad pœnam. Hoc autem ipso unus idémque homo, cùm habeat & merita conditionata, & demerita conditionata, simul semélque deberet præmiari propter sua merita conditionatè futura, & puniri propter demerita conditionata. Quòd si verò meritum conditionatè futurum non habet suam imputabilitatem moralem, non habet eò ipso determinatam amabilitatem, quâ voluntatem Divinam determinet ad conferendum præmium. E contrà Intellectus Divinus est potentia necessaria ex se determinata ad cognoscendum omne scibile. Futura etiam conditionata habent determinatam veritatem & scibilitatem. Determinant proinde per modum objecti terminati DEUM, ejúsque Intellectum, ut ab eo cognoscantur & sciantur.

173. Ad quartum Respondeo: concessa majore nego Minorem. Nimirum nego, quòd DEUS cognoscendo futura conditionata creata libera non respiciat ad causam ipsorum actu existentem, respicit enim ad suam Omnipotentiam actu existen-

existentem, quæ est causa eorundem. Nec opus est, ut etiam respiciat ad Decretum absolutè existens. Sicut enim non est opus, ut DEUS cognoscendo effectum merè possibilem respiciat ad Decretum absolutè existens, sed sufficit, quòd respiciat Decretum merè possibile, per quod omnipotentia Divina potuit applicari ad tale possibile producendum; ità non est opus, ut DEUS cognoscendo actum liberum merè conditionatum respiciat ad Decretum actu existens; sed sufficit, quòd respiciat ad Decretum conditionatum ex parte subjecti. Respicit verò ad tale Decretum. Quia DEUS dum cognoscit actus nostros liberos conditionatè futuros, ex parte conditionis cognoscit omnia comprincipia actûs, omnia requisita & omnes circumstantias, non absolutè hæc existentia, sed prout conditionatè futura. Adeóque inter comprincipia actûs, cognoscit etiam suum Decretum ùt conditionatè futurum. Neque valet si urgeas. DEUS cognoscendo futurum absolutum, respicit ad Decretum absolutum. Ergo etiam ad tale Decretum respicit cognoscendo futurum conditionatum. Non valet inquam. Potiùs enim deberet inferri, quòd DEUS cognoscendo futura conditionata debeat respicere ad Decretum conditionatum.

174. Ad quintum Respondeo: Omisso Antecedente: Scientia enim DEI ex se non est indifferens, sed potiùs ex se est determinata ad conversionem potiùs Tyriorum conditionatè futuram cognoscendam, quàm ejus oppositum ex suppositione, quòd dicta conversio sit conditionatè futura. Omisso inquam Antecedente. Nego Consequentiam. Vel certè Distinguo Consequens. Ergo Scientia DEI ut potiùs repræsentet conversionem Tyriorum, quàm ejus negationem, debet determinari ab aliquo principio strictè tali, quod sit productivum, aut causa efficiens talis Scientiæ. Nego Consequentiam. Debet determinari ab aliquo principio latiùs & impropriè sumpto, per hoc principium intelligendo determinativum in aliqua ratione, scientiæ Divinæ. Concedo Consequentiam. Similiter Distinguo subsumptam Minorem, ac dico: Respectu scientiæ Divinæ repræsentantis potiùs conversionem Tyriorum conditionatè futuram, quàm ipsius oppositum, principium determinativum strictè tale nullum dari; cùm hæc scientia sit improducta. Dari tamen principium latiùs ac impropriè tale. Quia datur determinativum talis scientiæ in aliqua ratione & genere. Nam imprimìs in genere sufficientiæ excludentis veram causam efficientem, & veram causam motivam, Principium determinativum hujus scientiæ est ipsa Essentia DEI, quæ sicut ex se est sufficientia DEO ad esse, ità est sufficientia omni actui Intrinseco Divino, adeóque & scientiæ Divinæ. In ratione autem puri termini objectivi, determinativum ejusdem Scientiæ Divinæ est conversio Tyriorum conditionatè futura. Nec obest, quòd hæc conversio non fuerit ab æterno. Ut enim scientia Divina determinetur ab æterno per aliquod objectum, non requiritur, ut illud objectum sit vel fuerit ab æterno; sed sufficit, quòd illud objectum esset eo modo, quo futurum enunciatur à scientia Divina. Scientia enim hæc potest respicere ab æterno omne id, quod habet determinatam veritatem & scibilitatem. Hanc autem habent etiam illa objecta, quæ non fuerunt ab æterno, nec unquam erunt absolutè, sed solùm essent, si.

175. Ad sextum Respondeo negando Minorem. Primæ Probationis Transeo Antecedens. Dici enim potest aliqua ex Decretis in Antecedente enumeratis esse Decreta absoluta etiam ex parte objecti, quale videtur esse Decretum de conversione S. Pauli. Siquidem hoc Decreto DEUS absolutè voluit & orationem S. Stephani absolutè futuram, & conversionem Pauli absolutè itidem secuturam. Tale itidem Decretum, quo DEUS vult omnes salvos fieri, docent magis communiter Theologi, & dicunt, quòd per illud DEUS velit absolutè omnibus conferre auxilia necessaria ad salutem, licèt quibusdam sufficientia, quibusdam efficacia. Ex hac ratione Transito Antecedente nego Consequentiam. Ratio disparitatis est. Quia decreta absoluta ex parte subjecti, conditionata ex parte objecti, præceptiva, suasiva, promissoria præmii, comminatoria pœnæ, neque tollunt libertatem Divinam, neque tollunt libertatem creatam, prætereà nulli perfectioni Divinæ præjudicant, nec sunt omnino inutilia: Cùm hæc ipsa Decreta per depurationem conditionis transeant in

in abſoluta, & intentum à ſe, obtineant effectum. E contra decreta abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata ex parte objecti, ſi præſertim ſint prædeterminativa actûs conditionatè futuri, tollunt libertatem tam ipſius DEI, quàm etiam creatam; præjudicant etiam infallibilitati Scientiæ Divinæ, ac ejus ſummæ Sanctitati, ſuntque omnino inutilia, imò eſſentialiter fruſtranea. Cùm hæc decreta ità è mente Thomiſtarum ſint cauſæ actuum liberorum conditionatè futurorum, ut implicet, prout ſuprà oſtendi, cauſari ab illis futura conditionata.

Secundæ Probationis tranſita Majore. Quia non ex hac ſola ratione decreta abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata ex parte objecti implicant, quia tollunt libertatem actuum conditionatè futurorum. Sed plures aliæ rationes afferuntur. Tranſita inquam Majore, nego Minorem. Ad paritatem à Scientia media, quæ non tollit libertatem objectorum abſolutè futurorum, dico: Ideò hanc Scientiam ſtare cum libertate actuum abſolutè futurorum; quia non infert infallibiliter futuritionem abſolutam actûs, infallibilitate orta ex ſuppoſitione antecedente. Et ſic Scientia media de *conversione Petri* ſub conditione: *Si Christus Petrum reſpexerit*; non infert infallibiliter futuritionem abſolutam ejuſdem converſionis infallibilitate orta ex ſuppoſitione antecedente. Nam imprimis poſitâ in DEO tali Scientiâ, potuit pro ſtatu abſoluto non poni converſio. Sicut poſitâ Scientiâ media circa converſionem Tyriorum, hæc converſio pro ſtatu abſoluto non exſtitit, nec exiſtet. Licèt verò depurata conditione, nimirum Chriſto reſpiciente abſolutè Petrum, infallibiliter inferatur converſio Petri pro ſtatu abſoluto, tamen infallibilitas hæc non habetur ex ſuppoſitione antecedente. Quia non habetur ratione ullius principii inferentis determinatè converſionem; ſed habetur ex ſuppoſitione conſequente. Quia ex ſuppoſitione futuræ converſionis Petri ſub tali conditione, quæ ſuppoſitio non tollit, ſed infert, & dicit libertatem. E contra decretum prædeterminativum actûs conditionatè futuri, abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti tollit libertatem actûs prædeterminati. Quia infert infallibiliter futuritionem actûs, ſuppoſito enim decreto prædeterminativo converſionis Petri ſub conditione. Si *Petrum Christus reſpexerit*, impoſſibile eſt converſionem Petri non eſſe futuram ſub hac conditione, idque decretum hoc infert infallibiliter talem actum infallibilitate ſuppoſitionis antecedentis. Ipſum enim hoc decretum cùm ſit cauſa dicti actûs, inferátque eundem per ſuammet entitatem, infert actum infallibilitate antecedente, ſeu orta ex ſuppoſitione antecedente. Nec valet, ſi dicas: Scientia media antecedit actum creatum abſolutè futurum. Ergo ſi hic eſt futurus ex ſuppoſitione Scientiæ mediæ, eſt futurus infallibiliter ex ſuppoſitione antecedente. Non valet, inquam: nam Scientia media, licèt antecedat ſuâ exiſtentiâ actum abſolutè futurum, non antecedit tamen illum prioritate cauſalitatis, & principii vel requiſiti ex parte actûs primi infallibiliter inferentis actum. Sed hæc ipſa totam infallibilitatem inferendi actum, habet ex ſuppoſitione conſequente. Quia hanc habet ex ipſa futuritione conditionata actûs; quæ futuritio, licèt prior ſit Logicè futuritione abſoluta, quatenus valet illatio per non mutuam ſubſiſtendi conſequentiam à futuritione abſoluta, ad futuritionem conditionatam, hoc v. g. modo: *Pro ſtatu abſoluto futura eſt converſio Petri, reſpiciente Chriſto Petrum. Ergo eadem converſio futura fuit pro ſtatu conditionato.* Non eſt tamen futuritio conditionata prior, quàm abſoluta, prioritate principii aut requiſiti tenentis ſe ex parte actûs primi. Quia hoc modo nihil poteſt eſſe priùs ſe ipſo. Id verò, quod futurum eſt abſolutè, eſt illud ipſum, quod futurum fuit conditionatè, ſolúmque in his eſt differentia ratione ſtatûs.

Tertiæ Probationis nego Conſequentiam. Diſparitas eſt. Quia talis Scientia, & talia decreta in DEO admitti debent, quæ in ſuo conceptu dicunt ſpecialem perfectionem ipſius DEI, nec ullam invehunt imperfectionem. Cùm ergo Scientia futurorum conditionatorum abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata ex parte objecti, dicat in hoc ſuo conceptu ſpecialem perfectionem DEI, nimirum dicit, vel ſupponit ſummam determinationem Intellectûs divini ex vi infiniti ſui luminis ad cognoſcendum actu, & abſolutè, idque certò, & infallibiliter omne id,

id, quod eſt cognoſcibile, & quod habet determinatam veritatem; adeóque ad cognoſcenda actu, & abſolutè, ſeu per Scientiam abſolutam ex parte ſubjecti, conditionatam ex parte objecti, futura conditionata; ſiquidem hæc, ſunt objectum cognoſcibile, & habent determinatam veritatem. Cùm prætereà Scientia futurorum conditionatorum, abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata ex parte objecti, in hoc ſuo conceptu nullam involvat imperfectionem, nec ullam in DEUM invehat. Quam enim? Sequitur hanc Scientiam debere in DEO admitti. E contra decretum abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti circa futura conditionata, cùm non dicat ullam ſpecialem DEI perfectionem, ſicut illam non dicit decretum abſolutum ex parte ſubjecti circa objecta merè poſſibilia. Inſuper, cùm tale decretum invehat aliquam imperfectionem, & in DEUM invehat. Involvit enim imperfectionem fruſtrabilitatis. Cùm enim hoc decretum debeat eſſe prædeterminativum, aut prædefinitivum actûs, eſt fruſtrabile per hoc, quòd velit libertatem actûs creati, neque tamen illam obtineat; cùm hanc etiam tollat. Itèm involvit hanc imperfectionem, quòd tale decretum ſit inutile, & eſſentialiter fruſtraneum. Sicut decretum abſolutum ex parte ſubjecti circa poſſibilia, eſſet eſſentialiter fruſtraneum. Hinc habetur, tale decretum non poſſe admitti in DEO.

176. Ad ſeptimum Reſpondeo cum Diſtinctione. Objectum creatum, quod ità eſt conditionatum, ut ſimul ſit abſolutum propriè, hoc eſt, abſolutè exiſtens, exigit decretum circa ſe abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti. Omitto Majorem. Objectum creatum, quod ità eſt conditionatum, ut ſimul ſit abſolutum in aliqua ratione impropria, v. g. per independentiam à nova conditione, non eſt tamen abſolutum propriè, hoc eſt, abſolutè exiſtens, exigit decretum abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti. Nego Majorem. Et diſtincta ſimiliter Minore nego Conſequentiam, & dico: Decretum abſolutè exiſtens, cùm debeat eſſe efficax, per hoc verò ſit efficax, quòd rei alicui det, vel neget abſolutam, veram, & actualem exiſtentiam, non debet admitti, niſi reſpectu termini voliti abſoluti, hoc eſt, abſolutè exiſtentis, vel exſtituri, & à tali nonniſi objecto taliter abſoluto exigitur. Cùm ergo futura libera conditionata non ſint taliter abſoluta, ut habeant abſolutè veram actualem exiſtentiam in aliqua temporis differentia, ſed ſolùm ſint abſoluta, quatenus dicunt independentiam à nova conditione, ut ſint futura conditionata. Hujuſmodi futura non exigunt decretum, quòd ſit abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti. Ad primam Minoris Probationem dico cum Diſtinctione: Futurum conditionatum eſt abſolutè tale futurum per abſolutam aliquam exiſtentiam. Nego Probationem. Futurum conditionatum eſt abſolutè tale futurum per independentiam à nova conditione ad eſſe futuri conditionati. Concedo Probationem, diſtinguo ſimiliter Conſequens.

Secundam Probationem eodem modo diſtinguo: Futurum conditionatum eſt abſolutè cognoſcibile, habétque abſolutè determinatam veritatem, hoc eſt, non eſt ſub conditione ad eſſe cognoſcibilis, nec dependet ab ulla conditione, ut habeat determinatam veritatem. Concedo Probationem. Futurum conditionatum eſt abſolutè cognoſcibile, & habet abſolutè determinatam veritatem, ratione alicujus exiſtentiæ, & eſſe ſibi abſolutè convenientis. Nego Probationem, & Conſequentiam.

Tertia quoque Probatio ſub eadem Diſtinctione accipi debet, nimirum quòd futura conditionata in ratione objecti terminativi determinent abſolutè, hoc eſt, independenter à nova conditione, quæ ſpecialiter ad id requiratur, ut determinent DEUM ad habendam talem ſcientiam. Non verò in eo ſenſu determinant abſolutè, quòd futura conditionata habeant aliquod eſſe actuale abſolutè exiſtens, per quod determinent DEUM ad habendam horum ipſorum futurorum Scientiam, & quòd ex parte objecti requirat eadem ipſa Scientia.

Quartæ Probationis nego Minorem, & oſtendo diverſitatem inter objecta Scientiæ mediæ, quæ defacto datur in Deo, de converſione v. g. conditionata Petri, & inter objectum Scientiæ mediæ de obſtinatione Petri ſub iiſdem omnino auxiliis, & in iiſdem circumſtantiis, quam De-

us defacto non habet, habuiſſet tamen, ſi Petrus Divinæ gratiæ auxilia obſtinatus rejeciſſet. Nimirum hæc eſt diverſitas, idque quoad modum ſe habendi inter objecta utriuſque talis Scientiæ, quòd objectùm Scientiæ mediæ, quæ defacto datur in DEO de converſione conditionata Petri, ſit converſio Petri ſub auxiliis indifferentibus omnibus, & in his circumſtantiis defacto futura, independenter ab ulteriore, & quaſi reflexa conditione, & ſuppoſitione. Jam verò objectum Scientiæ mediæ, quæ in DEO non datur circa obſtinationem Petri, ſed ſolùm daretur, ſi ſit obſtinatio Petri, quæ non eſt quidem conditionatè futura ſub omnibus auxiliis indifferentibus, & in omnibus circumſtantiis iiſdem, quæ ad converſionem Petri conditionatè ſupponuntur, deberet tamen hæc eadem obſtinatio eſſe futura, ut DEUS de illa habeat Scientiam mediam. Poteſt etiam diſtingui eadem Minor. Sed differentia objectorum utriuſque dictæ Scientiæ, & modi, quo talia objecta debent ſe habere, in eo conſiſtit: quòd objectum Scientiæ abſolutæ ex parte ſubjecti circa futura conditionata ità debeat eſſe conditionatum, ut ſimul ſit abſolutum, hoc eſt, independens à nova conditione. Jam verò objectum Scientiæ mediæ, quæ etiam ex parte ſubjecti eſſet conditionata, non ſit etiam hoc modo abſolutum. Concedo Majorem. Conſiſtit differentia in hoc, quòd objectum Scientiæ mediæ abſolutæ ex parte ſubjecti debeat ità eſſe conditionatum, ut ſimul ſit abſolutum per eſſe abſolutè exiſtens. Objectum verò ſcientiæ mediæ, quæ defacto non datur in DEO abſolutè, eſſet tamen, ſi, non debeat eſſe objectùm abſolutum per exiſtentiam abſolutam. Nego Minorem, & Conſequentiam.

177. Ad octavum Reſpondeo negando primum Antecedens quoad utramque partem, vel certè idem Antecedens diſtinguo. A decreto abſoluto ex parte ſubjecti dependent tam illa futura conditionata, quæ ſimul ſunt futura abſolutè reduplicativè ſumpta, ſeu ùt futura abſolutè, quàm etiam futura conditionata, quæ non ſunt futura abſolutè, ſeu quæ nunquam ſunt exſtitura abſolutè reduplicativè itidem accepta, & ùt non exſtitura abſolutè. Concedo Antecedens. Dependent à Decreto abſoluto ex parte ſubjecti tam illa, quæ ſunt abſolutè exſtitura, quàm quæ abſolutè non ſunt exſtitura, ſumpta ſpecificativè, hoc eſt, prout præcisè intelliguntur, eſſe futura conditionata. Nego Antecedens. Probationem primæ partis Antecedentis intellectæ ſecundùm datam diſtinctionem ſic diſtinguo: Si futura conditionata, quæ ſimul ſunt futura abſolutè, non dependerent (intellige quoad eſſe futuri conditionati) à decreto DEI abſoluto, tunc ab æterno coëxiſterent ſibi decretum abſolutum tam ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti circa converſionem abſolutam Petri, & negatio decreti abſoluti ex parte ſubjecti, conditionati ex parte objecti. Concedo Sequelam. Tunc ab æterno coëxiſterent ſibi decretum abſolutum circa abſolutam converſionem Petri, & negatio ejuſdem decreti. Nego ſequelam. Nego ulteriùs, quòd coëxiſterent ſibi contradictoria. Cùm eſſe decreti circa abſolutam converſionis exiſtentiam, & non eſſe decreti circa conditionatam exiſtentiam converſionis, non ſint contradictoria. Quia non ſunt eſſe, & non eſſe ejuſdem omnino decreti.

Ad Probationem ſecundæ partis Antecedentis dico: Non exiſtentiam abſolutam converſionis Tyriorum eſſe dependentem à decreto divino, eòque abſoluto tam ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti. Cæterùm converſio Tyriorum conditionatè futura ùt talis, & ſecundùm hanc rationem non dependet à decreto ullo, quòd ſit abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti.

178. Ad nonum Reſpondeo, omitto Majorem. Decretum enim abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti circa futura conditionata negatur ex aliis rationibus, & non propter improportionem talis decreti cum futuris conditionatis. Omiſſa Majore nego Minorem. Ad primam Probationem dico: Dari quidem proportionem aliquam inter decretum abſolutum ex parte ſubjecti, & conditionatum ex parte objecti, & inter Scientiam futurorum conditionatorum, quæ itidem eſt, & eſſe debet abſoluta ex parte ſubjecti, conditionata ex parte objecti. Cæterùm hæc proportio inter decretum, & Scientiam, eſt quodammodo proportio in ratione entis; non

non est verò proportio in ratione objecti & scientiæ, qualis esse deberet, quatenus hoc decretum ex parte hypothesis, per scientiam futurorum conditionatorum intelligi & repræsentari debet. Porrò Decretum absolutum ex parte subjecti non habet proportionem in ratione objecti cum scientia futurorum conditionatorum, hujus enim scientiæ objectum, cùm debeat esse conditionatum, & tale nonnisi sit proportionatum eidem, decretum, quod est absolutum ex parte subjecti, non est proportionatum in ratione objecti ipsi scientiæ futurorum conditionatorum; sed ut tale sit, debet esse decretum conditionatum ex parte subjecti. Tale si fuerit, idem decretum erit simul proportionatum ipsis futuris conditionatis, quibus non est proportionatum decretum absolutum ex parte subjecti. Etiam ex hac ratione: quòd sit inutile & frustraneum. Et insuper, si tale decretum sit prædeterminativum aut prædefinitivum actûs conditionati, est destructivum libertatis ejusdem actûs.

Secundæ Probationis omisso Enthymemate nego subsumptam Minorem, & dico: Decretum absolutum ex parte subjecti non proportionari in causando, seu in ratione causæ ipsi futuro conditionato. Deberet enim proportionari in ratione talis causæ, qualem causam postulat futurum conditionatum. Hoc verò non postulat causam, quæ sit actu absolutè ab æterno. Sed sicut effectus merè possibilis postulat nonnisi Decretum possibile; ità futurum conditionatum solùm postulat Decretum conditionatum ex parte subjecti, quod nimirum esset, si, & à quo futurum dependeret, quando purificaretur conditio, sub qua est futurum.

179. Ad ultimum Respondeo negando Antecedens: Primam illius Probationem nego & dico: Negato Decreto DEI absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti prædeterminativo actuum liberorum conditionatè futurorum, manere in DEO totam rationem Causæ primæ. Sicut manet tota hæc ratio negato Decreto prædeterminativo & prædeterminatione Thomistica, eorundem actuum pro statu absoluto. Ad Probationem ulteriorem dico: De ratione Causæ primæ solùm esse, ut causa secunda pro nullo statu possit agere & se determinare ad operationem sinè concursu Divino & Decreto proportionato illi statui. Cæterùm negato Decreto absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti, prædeterminativo actuum conditionatè futurorum, voluntas creata pro nullo statu, adeóque nec pro statu conditionato se determinat sinè Decreto DEI proportionato illi statui. Quia etiam pro statu conditionato, determinatio voluntatis creatæ non aliter est, & intelligitur conditionatè futura, nisì dependenter à Decreto DEI & concursu Divino conditionatè præsupposito, quæ nimirum esse deberent, licèt actu non sint. Confirmationis Majorem Distinguo: Ex parte conditionis debet intelligi concursus DEI in actu primo absolutus, seu absolutè existens. Nego Majorem. Debet intelligi concursus DEI in actu primo, qui sit conditionatus. Concedo Majorem. Minorémque Distinguo. Sed concursus in actu primo qui sit absolutus, non potest intelligi sinè Decreto absoluto. Concedo Minorem. Sed concursus in actu primo, qui sit conditionatus, non potest intelligi sinè Decreto absoluto. Nego Minorem, & Consequentiam.

Secundam etiam Probationem nego. Ad ulteriorem dico: Non esse de ratione primi liberi, ut sit primum determinativum actûs liberi creati, sed solùm de ratione primi liberi hæc sunt: ut à primo libero causa secunda libera suum esse & suam libertatem, tanquam à causa productiva & conservativa, eáque libera in operando participet & accipiat. Secundò: ut sinè concursu primi liberi in actu primo indifferente, in actu verò secundo immediato non possit poni ullus actus liber, & determinatio voluntatis creatæ. Tertiò, ut primum Liberum talem suum concursum in actum & determinationem voluntatis creatæ exhibeat liberè, ità nimirum, ut potuerit eum negare, potueritque impedire libertatem creatam ejúsque exercitium. Porrò negato Decreto prædeterminativo absoluto ex parte subjecti conditionato ex parte objecti, DEO conveniunt omnes enumeratæ conditiones primi liberi, per respectum etiam ad actus creatos liberos conditionatè futuros, conveniunt inquam proportionatè ad hunc statum. Ad Confirmationem dico: Determi-

terminationem voluntatis creatæ; etiam pro statu conditionato esse liberam non solùm creaturæ, sed etiam DEO, aliter tamen est libera creaturæ, aliter est libera DEO. Creaturæ est libera non solùm ùt principio in actu primo proximo indifferenti ad alterutram oppositionis partem, sed etiam ùt principio in actu secundo se ipsum determinanti ad unum, per ipsummet exercitium suæ libertatis. Eadem verò determinatio voluntatis creatæ est libera DEO ùt principio liberè causanti voluntatem creatam, & eandem conservanti liberè, itèm offerenti concursum suum in actu primo indifferentem, & in actu secundo liberè influente in determinationem & actum voluntatis creatæ. Est inquam libera conditionatè & libertate propria statûs conditionati. Quod ipsum ex eo est: Quia DEUS per suam scientiam, quâ cognoscit futuritionem conditionatam conversionis Petri ex parte hypothesis debet cognoscere Decretum suum liberum conditionatum ex parte subjecti de præstando concursu indifferente, & de non impedienda libertate creata, ejúsque exercitio. Ex parte verò conditionati debet cognoscere, & cognoscit futuram conditionatè determinationem voluntatis creatæ cum suo concursu in actu secundo elicitam, vel potiùs eliciendam, si.

Tertiam Probationem nego & dico: Perfectissimum Dominium DEI non tolli, nec in DEUM induci servitutem propriè dictam negato Decreto absoluto ex parte subjecti circa futura conditionata, sicut negato Decreto absoluto ex parte subjecti, circa objecta merè possibilia, v. g. circa alterum mundum, non tollitur perfectissimum DEI dominium, nec inducitur servitus DEI. Ad ulteriorem Probationem dico: DEUM pro suo libitu posse applicare voluntates creatas ad id liberè volendum, quod ipse vult illas velle, per media tamen, nec libertati creatæ, nec fini à se intento repugnantia. Quæ ipsa media, eorúmque efficaciam cognoscit priùs per scientiam mediam, quatenus cognoscit sub quibus auxiliis, & in quibus circumstantiis voluntas est se determinatura ad actum, sub quibus auxiliis, & in quibus circumstantiis non est se determinatura. Hac enim dirigente scientia, seligit auxilia, & determinat, sub quibus deinde voluntas creata in statu absoluto vult liberè, quod DEUS vult illam velle. Neque hinc sequitur, voluntatem Divinam esse pedisequam voluntatis creatæ, præsertim prout hæc se determinat ad actus bonos, & salutares. Cùm potiùs voluntas creata per hos actus tam in statu absoluto, quàm in statu conditionato sequatur voluntatem DEI, sequendo inclinationem gratiæ Divinæ, & cooperando auxiliis ex fine actûs boni sibi collatis. Quodsi voluntas Divina pro statu absoluto videtur sequi ductum voluntatis creatæ, pro statu conditionato se determinantis ad actum; in hoc nonnisi sequitur hunc ductum, quatenus DEUS pro statu absoluto non potest depurata conditione non prædefinire, aut permittere actum, quem sub tali auxilio per Scientiam suam prævidit conditionatè futurum. Non sequitur verò ductum quoad depurationem conditionis, & collationem pro statu absoluto auxiliorum horum, vel illorum, sed potiùs in his conferendis suum unicè exequitur beneplacitum. In actu verò voluntatis creatæ decernendo absolutè, sequitur ità ductum voluntatis creatæ, ut sequatur etiam ductum suæ voluntatis, ex parte Hypothesis offerentis indifferenter auxilia; ex parte verò conditionati concurrentis cum voluntate creata ad ipsius actum, eum conditionatè prædefinientis, vel permittentis.

Quartam Probationem itidem nego, & dico: Sicut non est ulla imperfectio Omnipotentiæ Divinæ, quòd non possit decernere, ut bos ratiocinetur. Itèm quòd posita visione DEI fieri non possit, ut non ponatur amor DEI beatificus. Prætereà sicut non est ulla imperfectio Omnipotentiæ, quòd DEUS secundùm oppositos non possit prædefinire amorem sub auxilio indifferente, sed debeat illum prædefinire sub auxilio prædeterminante. Ità non est ulla imperfectio Omnipotentiæ Divinæ, quòd DEUS non possit non prædefinire actum liberum creaturæ, sub auxilio absoluè collato, sub quo prævidit voluntatem creatam in statu conditionato se determinaturam ad talem actum. Et certè non est ulla imperfectio Omnipotentiæ Divinæ, quòd hæc possit non solùm decernere actus necessarios, sed etiam quòd possit prædefinire, vel permitte-

re actus liberos quâ tales, ſeu illæſa libertate creata. Porrò DEUS non poteſt aliter prædefinire actum liberum illæſa ejus libertate, niſi hac ratione, ut ſub illis auxiliis indifferentibus eos prædefiniat, ſub quibus prævidit eandem voluntatem ſe determinaturam ad actum. Addo: Etiamſi ex ſuppoſitione, quòd DEUS decreverit voluntati creatæ illud auxilium indifferens, ſub quo prævidit eandem voluntatem ſe determinaturam ad actum, etiamſi, inquam, in hac ſuppoſitione non poſſit non prædefinire actum, poteſt tamen non decernere, nec offerre voluntati creatæ illud auxilium, ſub quo prævidit dictam voluntatem ſe determinaturam ad actum. Sed potiùs aliud velle dare auxilium, ſub quo prævidit voluntatem creatam ſe non determinaturam ad actum.

Quintam Probationem nego. Nimirũ nego: quòd admiſſa Scientia conditionatè futurorũ independente à decreto abſoluto ſequatur Deum diſcere, & cognoſcere res ex eventu. Tum quia diſcere res ex eventu eſt cognoſcere res tunc primùm, dum hæ abſolutè phyſicè exercitè exiſtunt. DEUS autem admiſsâ Scientiâ, quam propugnamus, non tunc primùm res cognoſcit, dum hæ eveniunt, & abſolutè, ac exercitè phyſicè exiſtunt. Cùm illas cognoverit ab æterno, pro quando non exiſtebant, cognoverit itèm pro ſtatu conditionato, pro quo non intelliguntur habere exiſtentiam abſolutam. Tum quia diſcere res ex eventu, eſt cognoſcere res per ſpeciem acceptam, & cauſatam ab ipſo eventu, ſeu à re ùt eveniente, & exiſtente phyſicè abſolutè. Admiſſa autem ſcientia independente à decreto abſoluto circa futura conditionata, non ſequitur Deum cognoſcere res per talem ſpeciem. Ad Confirmationem dico: Sicut non eſt nugatorius cognoſcendi modus, cognoſcere quòd res exiſtat, quia defacto exiſtit. DEUS enim cognoſcit ſe exiſtere, quia exiſtit, cognoſcit ſe decernere aliquid, quia decernit. A nobis etiam cognoſcuntur res præſentes, & exiſtentes. Ità non eſt nugatorius cognoſcendi modus, ſi cognoſcatur res conditionatè futura, quia hac ratione eſt futura. Et certè non eſt nugatorius cognoſcedi modus, cognoſcere id in objecto, quod eſt in objecto, ſeu repræſentare objectum ità, ſicuti eſt. Aliàs nugatorius eſſet cognoſcendi modus cognoſcere objecta cognitione vera, & tantò magìs eſſet nugatorius cognoſcere rem, ùt eſt in ſe, ex determinatione eſſentiali intellectûs ad cognoſcendum omne verum.

Ad ſextam Probationem dico negando, quòd Scientia Divina futurorum conditionatorum independens à decreto abſoluto ex parte ſubjecti dependeat à libero arbitrio creato, vel tanquam à principio ſui productivo, vel tanquam ab objecto habente ſe per modum ſufficientiæ objectivæ reſpectu talis ſcientiæ. Sed ad ſummum dependet impropriè, & eatenus nonniſì, quatenus ab hoc arbitrio dependet actus liber conditionatè futurus, à quo deinde tanquam à conditione objectiva determinativa ſcientiæ, ſeu tanquam ab objecto immediatè terminativo ſcientiæ, quodammodo dependet Scientia DEI. Cæterùm in tali dependentia nulla eſt imperfectio. Quia aliàs DEUS non poſſet cognoſcere objecta in ſe ipſis, nec poſſet dari in DEO ſcientia terminata immediatè ad objecta extra DEUM. Siquidem hæc ſcientia à talibus objectis deberet aliquatenus dependere. Impedibilitas etiam indirecta Scientiæ mediæ (quæ ſola à nobis admittitur) per impeditionem objecti ipſius, nòn eſt ulla imperfectio DEI, ſed potiùs eſt ſumma perfectio. Cùm hæc ſit neceſſaria ad ſummam infallibilitatem Scientiæ Divinæ, quæ DEO non competeret, ſi objecto aliter ſe habente non impediretur indirectè Scientia DEI.

Poſtremæ Rationi nego Sequelam. Ad ulteriorem Probationem dico: Licèt implicet mutua prioritas phyſica, & propriè talis, ſeu prioritas mutua cauſarum requirentium exiſtentiam phyſicam ad cauſandum: Non implicat tamen mutua prioritas latiùs ſumpta, & prioritas cauſarum non requirentium exiſtentiam ad cauſandum. Et ità non implicat, ut objectum prout poſſibile media directione Scientiæ ſimplicis Intelligentiæ, ſit prius Decreto Divino, quod deinde decretum eſt cauſa ejuſdem objecti prout exiſtentis. Non implicat itèm, ut finis, qui nonniſì ùt exiſtens in intentione cauſat, cauſet poſitionem mediorum, quæ ipſa media cau-

cauſant phyſicè exiſtentiam finis. Porrò inter decretum pro ſtatu abſoluto concurrens ad actum liberum, & inter eundem ipſum actum liberum non eſt mutua prioritas propriè talis, & phyſica. Siquidem actus liber conditionatè futurus nullam exercet cauſalitatem in Scientiam mediam, neque Scientia media exercet ullam cauſalitatem in Decretum DEI abſolutum, ad quod directivè nonniſi concurrit. Præterea hæc prioritas mutua inter Decretum abſolutum DEI, & inter actum liberum creatum non eſt prioritas duorum exigentium exiſtentiam phyſicam abſolutam, & exercitam in ordine ad exercendam talem prioritatem. Licèt enim decretum abſolutum exigat exiſtentiam ad cauſandum actum liberum pro ſtatu abſoluto, tamen actus liber voluntatis creatæ ut ſit prior Scientiâ mediâ dirigente Decretum DEI abſolutum, non requirit exiſtentiam phyſicam abſolutam, ſed ſatis eſt, quòd ſit conditionatè futurus.

§. III

An DEUS per Scientiam, quâ cognoſcit actus liberos creatos conditionatè futuros, cognoſcat illos in ſe ipſis?

Omnes illi Theologi, qui negant cognoſci à DEO actus liberos creatos conditionatè futuros dependenter à decreto abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti, aſſerunt, talia futura cognoſci à DEO in ſe ipſis, quamvis non independenter à decreto conditionato ex parte ſubjecti, quod ſcilicet non eſt abſolutè in DEO, eſſet tamen, eóque indifferente, nec infallibiliter inferente actum.

180. Dicendum eſt: *Actus creatos liberos conditionatè futuros cognoſci à DEO in ſe ipſis, ídque non ſolùm actus conditionatè futuros ſub conditione pertinente, ſed etiam ſub conditione impertinente.*

Prima pars probatur primò. Actus noſtri liberi conditionatè futuri poſſunt cognoſci à DEO in ſe ipſis, ſalva tamen libertate eorundem actuum, quàm infallibilitate Scientiæ Divinæ, ídque citra omnem aliam imperfectionem DEI. Ergo defacto cognoſcuntur à DEO in ſe ipſis. Si enim non cognoſcerentur hoc modo, non daretur in DEO aliqua pura perfectio. Antecedens quoad ſingulas partes probari poteſt tum paritate petita à Scientia viſionis, per quam actus creati liberi abſolutè futuri videntur in ſe ipſis. Tum etiam illis ipſis rationibus, quibus idem, vel ſimile Antecedens probatum eſt de actibus liberis abſolutè futuris, quòd hi in ſe ipſis cognoſcantur, probatum, inquam, eſt num. 127.

Probatur ſecundò. Actus noſtri liberi conditionatè futuri determinant DEUM ſe ipſis ſinè ullo medio; determinant, inquam objectivè per modum objecti immediatè terminativi, ad habendam de ſua futuritione conditionata infallibilem cognitionem, ſeu ſcientiam. Ergo cognoſcuntur à DEO in ſe ipſis. Conſequentia patet. Cognoſci enim immediatè à DEO aliquid, eſt ità cognoſci, ut id ipſum immediatè, objectivè, terminativè determinet DEUM ad habendam de ſe cognitionem. Antecedens probatur. Quia defacto dicti actus poſſunt ſe ipſis per modum objecti immediatè terminativi, DEUM determinare ad ſe cognoſcendos; habent enim in ſe ipſis determinatam veritatem, & cognoſcibilitatem, ratione cujus unam ex propoſitionibus contradictoriis reddunt determinatè veram. Ergo defacto ſe ipſis determinant DEUM objectivè per modum objecti terminativi ad habendam de ſe cognitionem immediatam, & ſcientiam. Si enim poſſent determinare, non determinarent verò actu, DEUS non haberet ſcientiam circa aliquod objectum, quam tamen circa idem invariatum objectum poſſet habere, quod implicat.

Probatur tertiò. DEUS certò, & infallibiliter cognoſcit actus creatos liberos conditionatè futuros, ùt probatum eſt num. 148. & ſequentibus. Sed non cognoſcit hæc futura in alio, neque enim cognoſcit illa in decreto abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti, ùt conſtat ex num. 157. & ſequentibus. Neque cognoſcit in aliquo alio. Quia nullum medium, in quo cognoſcantur, aſſignari, aut oſtendi poteſt, ùt ex dictis facilè deduci poteſt. Ergo DEUS actus li-

beros creatos conditionatè futuros certò, & infallibiliter cognoſcit in ſe ipſis.

181. Secunda pars Concluſionis probatur. Futura libera creata conditionata ſub conditione diſparata habent determinatam veritatem, & cognoſcibilitatem. Alterutrum enim ex his: *Aliquis Turca blaſphemabit Conſtantinopoli Chriſtum, ſi gallus Cracoviæ cantet.* Et: *Nullus Turca blaſphemabit Conſtantinopoli Chriſtum, ſi gallus Cracoviæ cantet*; eſt determinatè verum. Cùm enim hæ propoſitiones ſint contradictoriæ, alterutra earum debet eſſe determinatè vera. Non poteſt autem eſſe vera, niſi per determinatam veritatem futuritionis conditionatæ, vel actûs blaſphemiæ, vel omiſſionis ejuſdem, Ergo DEUS certò, & infallibiliter cognoſcit futura conditionata libera ſub conditione diſparata. DEUS enim cognoſcit omnem determinatam veritatem. Subſumo: Sed non cognoſcit dicta futura in decreto, vel dependenter à decreto abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti. Ergo cognoſcit illa in ſe ipſis. Subſumpta Minor probatur. Tum quia futura libera conditionata ſub conditione pertinente non cognoſcuntur à DEO dependenter à decreto abſoluto ex parte ſubjecti. Ergo nec futura libera conditionata ſub conditione diſparata cognoſcuntur dependenter à decreto abſoluto ex parte ſubjecti. Tum quia actus creati liberi futuri conditionatè ſub conditione diſparata, neque cognoſcuntur dependenter à decreto in actu primo indifferente, abſoluto ex parte ſubjecti. Quia talia decreta reſpectu futurorum liberorum conditionatorum ùt talium ſunt inutilia, planè otioſa, & fruſtranea, nihilque conferentia ſive ad infallibilitatem Scientiæ Divinæ, ſive ad libertatem actûs liberi conditionati; ſiquidem libertas pro ſtatu conditionato tam actûs futuri ſub conditione pertinente, & conducente, quàm ſub conditione impertinente ſalvatur optimè per hoc, quòd uterque hujuſmodi actus ſit infallibiliter futurus ex ſuppoſitione conſequente. Quia ex ſuppoſitione liberæ in actu ſecundo determinationis voluntatis creatæ ad hoc potiùs, quàm ad oppoſitum, dependentis ab actu primo proximo adæquatè ſumpto, indifferente. Per id ipſum ſalvatur & infallibilitas Scientiæ Divinæ. Hæc enim eſt infallibilis, ſi actus, quem futurum enunciat, eſt infallibiliter futurus infallibilitate orta ex ſuppoſitione conſequente. Neque iidem actus liberi, ſub conditione diſparata futuri, cognoſcuntur dependenter à decreto abſoluto ex parte ſubjecti, prædeterminativo, aut prædefinitivo actûs. Quia eô ipſo talia futura non cognoſcerentur ùt libera. Siquidem per dependentiam illorum à tali decreto tollitur libertas eorundem. Tum quia nulla eſt neceſſitas, ut futura ſub conditione diſparata cognoſcantur dependenter à decreto abſoluto ex parte ſubjecti; ſi quæ enim eſſet hujus neceſſitas, eſſet hæc, ut decretum nectat conditionem cum conditionato, ad quod conditio ratione ſui diſparatè ſe habet. Atqui non eſt hæc neceſſitas. Decretum enim indifferens in actu primo abſolutum ex parte ſubjecti non nectit conditionem diſparatam cum conditionato, ſed eſt indifferens ad nectendum. Decretum verò prædeterminativum, vel prædefinitivum actûs, non nectit conditionem diſparatam cum conditionato, ſalva libertate futurorum conditionatorum. Seu non nectit taliter, qualiter actus liberi conditionati debent eſſe connexi cum ſua conditione. Deinde independenter ab omni decreto abſoluto, libera creata ſub conditione diſparata futura, ſunt connexa cum eadem conditione per ipſam liberam determinationem creaturæ importatam pro conditionato, ſeu per ipſam futuritionem liberam conditionati. Sicut libera creata ſub conditione pertinente futura, ſunt connexa cum ſua conditione per ſimilem determinationem voluntatis creatæ, ſeu per ipſammet futuritionem ipſius conditionati liberi, ità, ut ad ſalvandam libertatem actûs liberi conditionatè futuri, ad ſalvandam itèm infallibilitatem Scientiæ Divinæ, alia connexio conditionis cum conditionato habeat ſe omnino impertinenter. Tum quia futura libera conditionata ſub conditione diſparata poſſunt cognoſci certò, & infallibiliter in ſe ipſis independenter ab omni decreto abſoluto ex parte ſubjecti. Habent enim in ſe ipſis determinatam veritatem, & cognoſcibilitatem; & ſublato quocunque decreto abſoluto, ſunt potiùs futura, quàm

non

non futura; idque infallibiliter futura, infallibilitate orta ex ſuppoſitione conſequente, hoc eſt, indè orta: quia ſub tali conditione potiùs ſunt futura, quàm non futura. Ergo ſic à DEO cognoſcuntur. Cùm ſinè omni imperfectione DEI ſic cognoſci poſſint.

182. Adverto primò. Per conditionem diſparatam, ſub qua actus liberi creati ſunt conditionatè futuri, non intelligi conditionem, ſeu hypotheſim adæquatè ſumptam, ſub qua actus liber eſt futurus. Cùm enim ex parte hypotheſis debeant venire quævis principia actûs, & requiſita indifferentia pro priori, tenentia ſe in ordine ad actum, quæ non habent ſe impertinenter ad actum liberum conditionatè futurum, ſed ità præſupponuntur, ut ſinè illis actus non poſſit eſſe futurus, hypotheſis adæquatè ſumpta, ſeu ſumpta ſecundùm omne id, quod ex parte hypotheſis venit, & intelligi debet, non poteſt ſe habere diſparatè & impertinenter ad actum. Per conditionem igitur diſparatam intelligitur ex parte hypotheſis, aliquid & additum, & appoſitum conditionibus aliis pertinentibus, quod ipſum nec rationem cauſæ, nec rationem requiſiti tenentis ſe ex parte actûs primi habet, intelligitur tamen conjungendum cum requiſitis actûs primi.

183. Adverto ſecundò. Actus liberos creatos tam ſub conditione pertinente, quàm ſub conditione diſparata futuros, licèt cognoſcantur independenter à decreto abſoluto ex parte ſubjecti, cognoſci tamen dependenter à decreto conditionato ex parte ſubjecti, ſeu tali, quod non eſt abſolutè in DEO, eſſet tamen per ſuppoſitionem, eóque non prædeterminativo, aut prædefinitivo actûs, ſed dependenter à decreto indifferente conditionato, ità, ut hoc decretum veniat ex parte hypotheſis, & habet ſe tanquam cauſa proportionata ipſius futuri conditionati, nullatenus ùt medium reſpectu actuum liberorum conditionatorum, prout infallibiliter cognoſcendorum. Et ratio eſt. Quia actus liberi conditionatè futuri, non aliter ſunt futuri conditionatè, niſi dependenter à ſua cauſa adæquatè ſumpta; adeóque dependenter ab iis omnibus conditionatè præſuppoſitis, quæ talem cauſam conſtituunt. Cùm ergo cauſam adæquatè ſumptam, conſtituat decretum indifferens conditionatum ex parte ſubjecti, dependenter à tali decreto eſt futurus actus liber creatus, conditionatè futurus, & dependenter à tali decreto, ex parte hypotheſis veniente, cognoſci debet.

184. Ex dictis toto hoc Puncto concluditur, in DEO dari quoad rem Scientiam mediam. Ratio eſt. Datur in Deo Scientia actuum creatorum liberorum conditionatè futurorum in ſe ipſis, independens à decreto DEI abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti, prædeterminativo, vel prædefinitivo talium actuum. Sed talis Scientia eſt quoad rem Scientia media. Ergo datur quoad rem Scientia media. Major conſtat ex Concluſionibus §. primi, ſecundi, & tertii, earúmque Probationibus. Minor probatur ex eo. Quia per Scientiam mediam nihil aliud intelligitur à Propugnatoribus Scientiæ mediæ, niſi Scientia actuum liberorum conditionatè futurorum in ſe ipſis, independens à Decreto DEI abſolouto. Addidi, dari quoad rem Scientiam mediam. Nam an rectè nomine Scientiæ mediæ denominetur Scientia actuum creatorum liberorum conditionatè futurorum, in ſe ipſis, independens à decreto abſoluto ex parte ſubjecti, alia eſt Quæſtio Puncto ſequenti reſolvenda.

Proponuntur Objectiones.

185. Objicitur primò. Actus creati liberi ſub conditione maximè diſparata futuri, non ſunt futuri independenter à decreto nectente conditionem cum conditionato. Ergo dependent à tali decreto. Antecedens probatur. Tum quia futura conditionata nõ ſunt talia, ſi conditio non habeat connexionem cum conditionato, nec illud inferat infallibiliter. Sed conditio diſparata independenter à decreto ipſam nectente cum conditionato, non connectitur cum conditionato, nec infert conditionatum: Conditio enim diſparata ratione ſui non habet talem connexionem, nec ulla ratione infert ratione ſui conditionatum, verùm, ut connectatur per decretum DEI, debet extrinſecè connecti cum conditionato. Ergo. Tum quia propoſitio conditionata, cùm æquivaleat diſcurſui, & conditio talis propoſitionis, cùm æquivaleat Antece-

denti; conditionatum verò, cùm æquivaleat Consequenti; talis, inquam, propositio non aliter est vera, nisi in quantum est bona illatio Consequentis ex Antecedente. Ergo nec Scientia circa futura conditionata est infallibilis, & vera, si conditio non infert conditionatum. Sed conditio disparata ratione sui non infert conditionatum. Ergo Scientia, & cognitio circa futura conditionata non est vera, & infallibilis attenta conditionis disparatæ secundùm se habitudine ad conditionatum. Ergo ut sit vera, & infallibilis, conditioni disparatæ oportet addi decretum nectens conditionem cum conditionato, ratione cujus conditio inferat conditionatum.

186. Objicitur secundò. Implicat aliquid ante omne decretum DEI absolutum, esse absolutè non futurum. Sed admissâ Scientiâ mediâ, sive scientia futurorum conditionatorum in se ipsis, independente à decreto absoluto, aliquid ante omne decretum est absolutè non futurum. Admissâ enim Scientiâ mediâ de futuro dissensu Petri sub conditione conferendi sibi auxilii A, ante omne Decretum DEI absolutum, est absolutè non futurum complexum ex auxilio A, & assensu Petri. Ergo.

187. Objicitur tertiò. Implicat in sensu composito non positæ conversionis Petri poni conversionem ejusdem Petri. Sed admissâ Scientiâ actuum liberorum conditionatè futurorum, quam Scientiam mediam vocant, sequitur in sensu composito non positæ conversionis Petri, poni conversionem ejusdem Petri. Ergo hæc Scientia implicat. Major patet ex illo principio: *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Sequela Minoris probatur. Tunc in sensu composito non positæ conversionis Petri, ponitur conversio ejusdem Petri, quando hæc per legitimum syllogismum infertur ex præmissis veris, & necessariò admittendis. Sed admissâ Scientiâ, de qua agitur, per legitimum syllogismum ex præmissis veris, & necessariò admittendis infertur conversio Petri, ponenda in sensu composito non positæ conversionis. Nimirum infertur per hunc syllogismum: *Si Christus respiciat Petrum, Petrus convertetur. Sed si Christus respiciat Petrum, & Petrus non convertatur, Christus respiciet Petrum. Ergo si Christus respiciat Petrum, & Petrus non convertatur, Petrus convertetur.* Adeóque in sensu composito conversionis Petri ponetur conversio Petri. Qui syllogismus est legitimus, & præmissas habet veras admissâ Scientiâ mediâ, & necessariò admittendas. Confirmatur. Ut adducti syllogismi negetur Consequentia, debet negari aliqua ex præmissis. Concessâ enim utraque præmissâ syllogismi in formâ debet concedi etiam Consequentia. Sed nulla præmissa potest negari. Non potest negari Minor. Videtur enim esse identica. Ergo debet negari Major. Quæ ipsa non potest negari, nisi negetur objectum Scientiæ mediæ. Adeóque nisi negetur hæc ipsa Scientia, si enim falsum est, Petrum convertendum, si Christus ipsum respiciat, DEUS non potest habere Scientiam mediam de futura conversione Petri, si Christus Petrum respiciat.

188. Objicitur quartò. Implicat objectum Scientiæ mediæ. Ergo implicat Scientia media. Antecedens probatur. Implicat futuritio conditionata conversionis Petri, quæ non sit simul absoluta. Sed objectum Scientiæ mediæ debet esse futuritio conditionata conversionis Petri, quæ non sit absoluta. Ergo. Major probatur. Implicat futuritio conditionata conversionis Petri, non dato, sed suspenso concursu Divino ad talem conversionem, sed futuritio conversionis Petri dato, & non suspenso concursu Divino, est futuritio absoluta conversionis Petri. Per concursum enim datum, & non suspensum futuritio conversionis Petri redditur absoluta, & transit in absolutam. Ergo. Confirmatur. Objectum Scientiæ mediæ debet esse futurum conditionatum, liberum, non verò necessarium. Et sic conversio Petri conditionatè futura, ut sit objectum Scientiæ mediæ, debet esse libera, & non necessaria. Dato verò concursu Divino, & non suspenso, conversio Petri non est libera, sed necessaria. Quia dato concursu Divino ad conversionem, impossibile est, non poni conversionem. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

189. Ad primum Respondeo, negando Antecedens. Primam Probationem distinguo. Futura conditionata necessaria non sunt talia, si conditio non habeat

at connexionem cum conditionato, nec illud infallibiliter inferat. Concedo Majorem. Futura conditionata libera non ſunt talia, ſi conditio non habeat connexionem cum conditionato, nec illud infallibiliter inferat. Nego Majorem, & conceſſa Minore diſtinguo Conſequens, ac dico: Etiamſi futura conditionata neceſſaria non ſint talia, ſi conditio non inferat conditionatum, nec cum illo connectatur. Futura tamen conditionatè libera ſunt talia futura, licèt conditio non inferat infallibiliter conditionatum, nec cum illo connectatur. Imò de ratione talium futurorum eſt, ut conditio non inferat infallibiliter conditionatum. Quia de ratione futurorum liberorum eſt, ut actus primus proximus liber non inferat actum ſecundum. Cùm ergo reſpectu futurorum liberorũ conditionatorum conditio habeat ſe communiter per modum actûs primi, unde etiam ex parte hypotheſis debent venire omnia principia, & requiſita tenentia ſe ex parte actûs primi, eáque indifferentia reſpectu actûs liberi, conditionatè futuri. Futurum verò liberum conditionatum ſit actus ſecundus liber, ſequitur hinc de ratione conditionis ad actum liberum eſſe, quòd non inferat infallibiliter conditionatum, nec cum illo connectatur. Licèt autem futurum liberum conditionatum, ut ſit objectum Scientiæ Divinæ, debeat eſſe infallibiliter futurum, hæc tamen infallibilitas non eſt ex vi illationis, & connexionis inter conditionem, & conditionatum. Quia non eſt ex ſuppoſitione antecedente, ſed eſt ex ſuppoſitione conſequente, nec alia infallibilitas futuri liberi debet, aut poteſt eſſe, cùm hæc ſola componatur cum libertate ejuſdem futuri. Dices: Conditio diſparata non habet ſe, nec habere poteſt ad futurum liberum conditionatum ùt actus primus libertatis ad actum ſecundum. Ergo quod eſt futurum ſub tali conditione, non eſt futurum conditionatum. Reſpondeo: Etiamſi conditio diſparata non habeat ſe ad futurum liberum conditionatum ùt actus primus libertatis ad actum ſecundum, quia tamen ſub tali conditione, ſi intelligatur, ſimul poni actus primus libertatis adæquatè ſumptus, ex vi determinationis liberæ voluntatis creatæ, poteſt haberi actus ſecundus, & aliquis talis actus habendus eſt infallibiliter infallibilitate ſuppoſitionis conſequentis; ideò quæ ſub conditione diſparata liberè eveniunt, ſunt futura libera conditionata; ſunt, inquam, talia futura ſaltèm reductivè, & cùm habeant determinatam veritatem, debent cognoſci à DEO per aliquam ejus Scientiam. Sed non per Scientiam ſimplicis Intelligentiæ. Quia hæc non verſatur, niſi circa objecta neceſſaria. Quale objectum non eſt id, quod ſub conditione diſparata eſt futurum; neque cognoſcitur per Scientiam viſionis. Hæc enim debet terminari ad objectum abſolutè exiſtens, vel abſolutè non exiſtens; adeóque ſi creatum eſt, ad objectum dependens à Decreto DEI abſoluto, quale iterum objectum non eſt id, quod ſub conditione diſparata eſt futurum; debet proinde cognoſci per Scientiam mediam.

Secundæ Probationis Antecedens ſi ſumatur univerſaliter, & procedat tam de propoſitionibus conditionatis circa objecta neceſſaria, quàm etiam de propoſitionibus circa objecta conditionata libera. Nego ſimpliciter, vel certè idem Antecedens ſic diſtinguo: Propoſitio conditionata in tantùm præciſè eſt vera, in quantùm eſt bona, & infallibilis illatio Conſequentis ex Antecedente, ſeu conditionati ex conditione. Nego Antecedens. In tantùm eſt vera, in quantùm vel eſt bona illatio Conſequentis ex Antecedente, vel in quantùm eſt conjunctio veritatis Conſequentis cum ipſo Antecedente. Concedo Antecedens, & nego Conſequentiam. Poteſt adhuc dictum Antecedens ſic diſtingui: Propoſitio conditionata, quæ eſt illativa, in tantùm eſt vera, in quantùm eſt vera illatio Conſequentis ex Antecedente. Concedo Antecedens. Propoſitio conditionata, quæ præciſè eſt enunciativa, in tantùm eſt vera, in quantùm eſt bona illatio Conſequentis ex Antecedente. Nego Antecedens. Potiùs enim propoſitio conditionata purè enunciativa, in tantùm eſt vera, in quantùm ſuppoſita veritate Antecedentis, ſeu conditionis, verum quoque eſt Conſequens, ſeu conditionatum, hoc eſt, in quantùm ſuppoſita conditione conditionatum eſt futurum ex vi determinationis voluntatis liberæ, & ex eventu libero ejuſdem, non verò ex bonitate illationis, & Conſequentiæ. Porrò

rò propositiones de futuris conditionatis liberis non sunt propositiones illativæ, sed sunt propositiones enunciativæ, eæque per hoc veræ, quòd tali Antecedenti & conditioni ex determinatione libera voluntatis talis eventus consequentis respondeat, non verò ex vi connexionis Antecedentis cum consequente, per bonam illationem sequatur. Hinc nego ulteriùs quamvis propositionem conditionatam æquivalere discursui, sed huic æquivalet sola propositio conditionata illativa. Propositio verò conditionata enunciativa æquivalet propositioni copulativæ sic explicabili: *Si hoc erit, etiam hoc alterum est futurum.* Tandem nego, ut propositio vel scientia conditionata enuncians aliquod objectum futurum sub conditione disparata, sit vera, requiri connexionem aliquam propriè dictam, etiam extrinsecam conditionis cum conditionato, provenientem à Decreto DEI absoluto; sed solùm requiritur, ut posita conditione disparata, conditionatum ipsum eveniat non ex aliqua necessitate Antecedente, sed ex libera determinatione voluntatis creatæ.

190. Ad secundum Respondeo, cum Distinctione: Implicat aliquid quod DEO vel creaturæ est liberum, esse absolutè non futurum ante omne Decretum DEI absolutum. Concedo Majorem. Implicat aliquid nec creaturæ nec DEO liberum esse absolutè non futurum ante omne Decretum DEI absolutum. Nego Majorem. & Distinguo Minorem. Sed admissâ Scientiâ mediâ, aliquid creaturæ, vel saltèm ipsi DEO liberum, est absolutè non futurum ante omne Decretum DEI absolutum. Nego Minorem. Aliquid nec DEO, nec creaturæ liberum, est absolutè non futurum, ante omne Decretum DEI absolutum. Concedo vel omitto Minorem, & Nego Consequentiam. Ad Probationem Minoris dico: admissâ scientiâ mediâ de futuro dissensu Petri sub conditione conferendi sibi auxilii A. complexum ex consensu Petri & auxilio A, nec DEO ipsi, nec Petro esse liberum. Cùm sit impossibile conjungi assensum cum dissensu. Cùm ergo ponendus sit dissensus Petri sub conditione auxilii A, utpote per scientiam mediam (ùt supponitur) cognitus, impossibile est cum dissensu prævisio Petri componi assensum Petri uni eidémque auxilio A, Quodsi id est impossibile, non est in potestate Petri ac etiam ipsius DEI, componere assensum & dissensum eidem auxilio, adeóque nec DEO, nec Petro est liberum, quod complexum ex auxilio A, & assensu Petri non sit absolutè futurum ante omne decretum suppositâ scientiâ mediâ de futuro dissensu Petri sub auxilio A.

191. Ad tertium Respondeo negando Minorem primi & secundi Argumenti. Ad Probationem ulteriorem dico: Syllogismum illum: *Si Christus respiciat Petrum, Petrus convertetur. Sed si Christus respiciat Petrum, & Petrus non convertatur, Christus respiciet Petrum. Ergo si Christus respiciat Petrum, & Petrus non convertatur, Petrus convertetur.* Hunc inquam syllogismum nec esse legitimum, nec constare præmissis veris. Non minùs atque hunc syllogismum: *Si Petrum Christus respiciat Petrus convertetur. Sed si Christus Petrum respiciat & non prædeterminet ad conversionem, vel prædeterminet ad omißionem conversionis, Christus Petrum respiciet. Ergo si Christus Petrum respiciat & prædeterminet ad omißionem conversionis, vel non prædeterminet ad conversionem, Petrus convertetur.* Atque inquam hunc syllogismum adversarii debent dicere non esse legitimum, vel non constare præmissis veris. Non constat imprimis præmissis veris, syllogismus per objectionem propositus. Nam Major si in ea extensione accipiatur, in qua accipi debet, ut possit inferri conclusio, est Major falsa. Etiamsi enim verum sit; quòd si Christus respiciat Petrum, & ex parte hypothesis intelligantur esse omnia indifferentia ad conversionem, nec ex parte hypothesis quidquam addatur exclusivum ipsius conversionis, quòd inquam sit futura conversio Petri libera; tamen falsum est, quòd Petrus convertetur, si Christus respiciat Petrum, sive ad hanc hypothesim addatur aliquid exclusivum conversionis, sive non addatur, sive intelligantur omnia principia & requisita ex parte actûs primi indifferentia, sive non intelligantur. Sic autem intellecta Majore existente falsa, falsa etiam est consequentia. Quia per illam infertur futura conversio Petri sub hypothesi, quòd Christus Petrum respiciat, habente additum sibi exclusivum conversionis

ſionis Petri, nimirum ex parte hypotheſis addita negatione converſionis, quæ eſt excluſiva converſionis. Ut aliquid detur ſyllogiſmo, poteſt ſic diſtingui: ſi Chriſtus reſpiciat Petrum, & nihil ex parte hypotheſis addatur excluſivum converſionis Petri, ponantur verò omnia principia & requiſita ex parte actûs primi, eáque indifferentia, tunc Petrus liberè convertetur. Concedo Majorem. Si Chriſtus reſpiciat Petrum, addito etiam ex parte hujus hypotheſis aliquo excluſivo converſionis, vel non poſito principio aut requiſito ex parte actûs primi indifferente, Petrus liberè convertetur. Nego Majorem, & Diſtinguo Minorem. Sed ſi Chriſtus reſpiciat Petrum, & Petrus non convertatur, Chriſtus reſpiciet Petrum, & hæc hypotheſis habet additum ſibi aliquid excluſivum converſionis Petri. Concedo Minorem. Et hæc hypotheſis non habet ſibi quidquam additum excluſivum converſionis Petri. Nego Minorem, & Conſequentiam. Quòd verò idem ſyllogiſmus non ſit legitimus, ex eo eſt: Tum quia per illum committitur fallacia ex compoſitione & Diviſione. Arguitur enim à converſione liberè futura in ſenſu diviſo impedimenti excluſivi, venientis ex parte hypotheſis, ad converſionem futuram liberè in ſenſu compoſito impedimenti ipſam excludentis, venientis ex parte hypotheſis. Tum quia in propoſitionibus dicti ſyllogiſmi, variatur ſuppoſitio ipſius hypotheſis. In alia enim ſuppoſitione hæc accipitur in Majore prout Major eſt vera, in alia ſuppoſitione accipitur in prædicato Minoris. In majori, hypotheſis ſupponit pro reſpectione Petri à Chriſto prout excludente ex parte hypotheſis negationem converſionis, & omne impedimentum. In Minori verò prædicatum ſupponit pro reſpectione Petri à Chriſto cum incluſione ex parte hypotheſis alicujus impedimenti excluſivi. Quia ſupponit pro illa reſpectione, quæ intelligitur per ſubjectum Minoris, aliàs Minor non eſſet identica. Quia reſpectio ex parte ſubjecti, ſeu ex parte hypotheſis Minoris veniens, includit impedimentum excluſivum converſionis. Tum quia ſyllogiſmus non rectè concludit, ſi medius Terminus univerſalis, vel qui univerſaliter accipi poteſt, in nulla præmiſſa diſtribuatur, ſed hoc fit per ſyllogiſmum, qui opponitur. Hypotheſis enim: *Si Chriſtus reſpiciat Petrum.* videtur eſſe terminus communis, & capax diſtributionis, neque tamen in ulla præmiſſa diſtribuitur. Non in Majori: hæc enim ſupponitur eſſe vera. Si autem hypotheſis Majoris diſtribueretur, & acciperetur univerſaliter, ac cum illa extenſione, ut comprehendat etiam hypotheſim, prout extenditur & ſumitur in Minore debet Major eſſe falſa. Non diſtribuitur etiam in Minore. Quia hæc eſt affirmativa, & in illa hypotheſis Majoris, ponitur pro prædicato, quod in propoſitione affirmativa non diſtribuitur. Ergo. Tum quia ſyllogiſmus non eſt legitimus, qui conſtat utráque præmiſſa particulari. Talis verò eſt ſyllogiſmus qui opponitur. Æquivalent enim ipſius præmiſſæ his particularibus: *Aliqua converſio Petri liberè ponetur, ſi Chriſtus Petrum reſpexerit. Aliqua reſpectio Petri à Chriſto eſt, dum Petrus Chriſto reſpiciente non convertetur.* Et ex his præmiſſis infertur inepta Conſequentia. Quòd *poſita reſpectione Chriſti conjuncta cum non converſione Petri ponenda ſit liberè converſio Petri.* Plura hujuſmodi ſophiſmata ad imitationem oppoſiti ſyllogiſmi formari & opponi poſſunt. Quale etiam illud eſt: *Si Chriſtus reſpiciat Petrum, Petrus convertetur. Sed ſi Petrum reſpiciat Chriſtus & DEUS neget Petro gratiam ſufficientem, vel neget ſuum concurſum ad converſionem, Chriſtus reſpiciet Petrum. Ergo ſi Chriſtus reſpiciat Petrum, & DEUS neget gratiam ſufficientem Petro, vel ſi neget concurſum ad converſionem, Petrus convertetur.* Quæ omnia pari ratione & modo, ab ipſis etiam adverſariis diſſolvi debent. Ad Confirmationem dico: ſyllogiſmi in objectione adducti, poſſe imprimis, omiſſis præmiſſis negari Conſequentiam, propter vitium formæ immediatè detectum. Secundò poſſunt diſtingui præmiſſæ diſtinctione ſuperiùs inſinuata, & negari Conſequentia. Tertiò, poteſt negari ſimpliciter Major, quæ licèt intellecta, prout communiter intelligi ſolet, ſit vera, non eſt tamen vera ſi intelligatur, ùt illam accipi & intelligi poſtulat argumentum, ſcilicet: quòd Petrus convertetur ſi Chriſtus illum reſpexerit, ſive ex parte hypotheſis addatur excluſivum converſionis, ſive non addatur. Neque negatâ

negata Majore sequitur debere negari Scientiam mediam. Licèt enim conversio Petri, si Christus illum respiciat, nec ex parte ejusdem hypothesis intelligatur ullum exclusivum conversionis, intelligantur verò ex parte ejusdem hypothesis omnia comprincipia, & requisita indifferentia; licèt, inquam, talis conversio Petri sit objectum Scientiæ mediæ, tamen conversio Petri, si Christus Petrum respiciat addito ad hanc hypothesim aliquo exclusivo conversionis, vel negato aliquo principio, sive requisito indifferente spectante ad actum primum libertatis; talis, inquam, conversio non est objectum Scientiæ mediæ, sed potiùs est objectum Scientiæ simplicis Intelligentiæ prout negantis possibile esse, ut ponatur libera conversio Petri, imò etiam non libera sub hypothesi Christi respicientis Petrum, si ex parte ejusdem hypothesis addatur aliquid exclusivum ipsius conversionis.

192. Ad quartum Respondeo negando Antecedens. Probationis nego Majorem. Hujus ulteriorem Probationem distinguo: Implicat futuritio conditionata conversionis Petri, si absolutè non detur, sed absolutè suspendatur concursus Divinus. Nego Majorem. Implicat futuritio conditionata conversionis Petri, si etiam conditionatè non detur, sed pro statu conditionato suspendatur concursus Divinus. Concedo Majorem, & distinguo Minorem. Sed futuritio conversionis Petri, si detur absolutè concursus Divinus, est futuritio absoluta. Concedo Minorem. Sed futuritio conversionis Petri, si detur conditionatè concursus Divinus, & pro statu conditionato non suspendatur, est futuritio absoluta. Nego Minorem, & Consequentiam, & dico: Licèt per concursum Divinum absolutum, hoc est, absolutè existentem, & absolutè oblatum, ac non suspensum, futuritio conversionis Petri reddatur absoluta, transeátque in absolutam, tamen per concursum Divinum conditionatè nonnisi præsuppositum, & pro statu conditionato non suspensum, futuritio conversionis non redditur absoluta, nec transit de conditionata in absolutam. Ad Confirmationem dico: Dato concursu Divino indifferente in actu primo, & non suspenso, conversionem futuram Petri esse liberam, & non necessariam, quamvis hæc deberet esse necessaria, & non libera, dato concursu Divino, qui in actu primo esset determinatus ad unum. Dato verò concursu Divino in actu secundo, qui simul cum determinatione liberæ voluntatis Petri venit ex parte conditionati, conversio Petri est libera libertate actûs secundi, licèt simul ex suppositione consequente sit necessaria, & infallibilis.

PUNCTUM II.

Reliquæ difficultates circa Scientiam mediam resolvuntur.

§. I.

An Scientia media sit conformis sacræ Scripturæ, Conciliis, & SS. Patribus, præcipuè verò S. Augustino, & D. Thomæ?

193. Respondeo, & dico: Scientiam mediam esse conformem sacræ Scripturæ, Conciliis, & SS. Patribus, præcipuè verò S. Augustino, & D. Thomæ.

Ratio primi est. Quia ex una parte constat ex quibusdam sacræ Scriptuæ testimonis superiori Puncto §. primo adductis, dari in DEO Scientiam futurorum conditionatorum à libertate creata dependentium; ex altera parte hanc Scientiam esse independentem à decreto absoluto prædeterminativo, colligitur ex his ipsis Scripturis: imprimis ex illo Matth. 12. *Væ tibi Corrozaim. væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone, &c.* Sic enim arguo: Si Scientia futurorum conditionatorum, v. g. Scientia conversionis conditionatæ Tyriorum, dependeret à decreto absoluto ex parte subjecti prædeterminativo Tyriorum ad conversionem, increpatio illa Corrozaitarum per comparationem cum Tyro, & Sidone, esset injusta, & irrationabilis. Cùm enim in utrisque non fuerit par potestas, & facultas respectu ponendæ conversionis; nam Corrozaitæ non habebant prædeterminationem physicam ad conversionem, aliàs conversi fuissent, quam Tyrii habituri erant, ex vi decreti prædeterminativi absoluti ex parte subjecti, conditionati ex parte objecti, si Christus illis prædicâsset; ideò poterant Corrozaitæ conqueri de in-

injusta, & irrationabili increpatione comparativa sui cum Tyriis, poterántque Christo increpanti reponere: Cur nos increpas, quòd Tyrus convertenda fuerit ad tuam prædicationem, non est mirum: nam conversionem conditionatam Tyri præcessit decretum absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti, prædeterminativum Tyriorum ad conversionem; ex suppositione cujus decreti impossibile esset non poni ipsorum conversionem. At nostram Corrozaitarum conversionem non præcessit ullum decretum prædeterminativum. Si enim præcessisset, etiam nos ad tuam Christe prædicationem, & miracula, quæ apud nos facis, converteremur. Habere decretum hujusmodi, non est in nostra potestate, sinè illo converti, est omnino impossibile. DEUS non habuit decretum prædeterminativum nostræ conversionis, impœnitentia nostra illi imputanda est, non nobis. Etiam Tyrii impœnitentes mansissent, si DEUS non habuisset decretum prædeterminativum conversionis ipsorum. Ex illo etiam primi Reg. 25. de traditione David à Ceilensibus conditionatè furura. Similiter ex tertii Reg. cap. 11. de aversione Israëlitarum à DEO, si ingrederentur ad mulieres alienigenas. Sic arguo: Si Scientia DEI de futura conditionatè traditione David à Ceilensibus; itèm si Scientia de aversione Israëlitarum à DEO, si ingrederentur ad mulieres alienigenas, esset dependens à decreto prædeterminativo tam traditionis David, quàm aversionis à DEO, &c. tunc DEUS deberet habere talia decreta; sed non habet, nec potest habere. Quia ex vi illorum DEUS deberet esse causa per se peccati, scilicet traditionis peccaminosæ ipsius David, & aversionis peccaminosæ Israëlitarum à DEO. Sicut esset Author, & causa per se peccati, si hos ipsos actus consuleret, & præciperet. Sed implicat, DEUM esse causam per se, & Authorem peccati. Ergo. Colligitur adhuc id ipsum & ex aliis sacris Scripturis, præcipuè ex illo Eccl. 15. *DEUS ab initio creavit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Apposui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ex quo testimonio colligitur, in potestate hominis esse actus ejus, omnémque determinationem ad tales actus; adeóque non dari ullam prædeterminationem voluntatis humanæ ad unum. Consequenter non dari decretum prædeterminativum sive pro statu absoluto, sive pro statu conditionato.

194. Ratio secundi est. Quia Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 5. docuit: *Adultos ad justificationem per gratiam excitantem, atque adjuvantem ipsi assentiendo, & cooperando disponi, ità, ut neque ipse homo nihil non agat, qui illam* (intellige gratiam) *& abjicere potest neque sinè gratia movere se ad justificationem libera sua voluntate posset.* Et Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à DEO motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo DEO excitanti, atque vocanti, neque posse dissentire, si velit; sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque se passivè habere, anathema sit.* Et iterum Can. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere -- anathema sit* Idem habet Concilium Senonense Decr. 15. ubi dicit: *Nec hujusmodi est trahentis DEI auxilium, cui resisti non potest.* Et Concilium Arausicanum Can. 23. *Suam voluntatem homines faciunt non DEI, quando id agunt, quod DEO displicet.* Ex quibus omnibus sic arguitur: Supposito decreto absoluto ex parte subjecti prædeterminativo actuum hominis sive bonorum, sive malorum, ídque tam pro statu absoluto, quàm pro statu conditionato, actus hominis adulti, disponentis se ad justificationem, ità ponuntur ex vi gratiæ excitantis, & adjuvantis, ut tali gratiæ voluntas non possit dissentire, nec resistere, ponuntur enim ex gratia prædeterminante, cui voluntas non potest dissentire, nec resistere. Itèm ità ponuntur iidem actus, ut voluntas hominis sit inanime quoddam, meréque passivè se habeat, cùm præsertim gratia ex doctrina Oppositorum sit tota ratio agendi. Insuper non est in potestate hominis facere vias suas malas, quia non est in potestate illius, quòd detur, vel non detur decretum DEI prædeterminativum actuum malorum, neque est in potestate ejusdem posito tali decreto, & ex vi illius posita prædeterminatione ad actum malum, non facere viam malam, seu non ponere actum malum. Tandem supposito decreto prædetermina-

nativo actûs mali, homo agendo, quod diſplicet DEO, facit voluntatem DEI. Quia facit id, quod DEUS ſuo Decreto prædeterminativo vult & decernit. Atqui hæc repugnant adductis Conciliis. Ergo.

195. Ratio tertii eſt. Quia ex una parte datur in DEO ſcientia futurorum conditionatorum dependentium à libertate creata, ùt ex Patribus, præcipuè verò ex S. Auguſtino & D. Thoma deduxi num. 149. Ex altera parte hæc ſcientia eſt independens à Decreto prædeterminativo ex mente eorundem Patrum. Nam imprimìs è mente S. Auguſtini nullum tale Decretum, nec prædeterminatio ad actus liberos Creaturarum, ſive bonos, ſive malos ſuſtineri poteſt. Non ad actus bonos, Dicit enim S. Doctor lib. de Spiritu & litera cap. 34. *Viſorum ſuaſionibus agit DEUS, ut velimus & credamus, ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ut & mandata legis aliquid agant, ſi ad hoc admoneant hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quod ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Ex quo textu ſic arguitur: ſi daretur decretum prædeterminativum & prædeterminatio actûs boni, DEUS non ageret viſorum ſuaſionibus ut velimus & credamus, ſed ſecundùm S. Auguſtinum agit DEUS viſorum ſuaſionibus. Ergo. Sequela Majoris probatur. Si admiſſa prædeterminatione phyſica, DEUS ageret ſuaſionibus, tunc vel ità ageret, ut ſuaderet conſenſum, quando daturus eſſet prædeterminationem ad eundem conſenſum, vel ſuaderet conſenſum, quando daturus eſſet prædeterminationem ad diſſenſum, vel ſuaderet conſenſum, quando neque ad conſenſum neque ad diſſenſum daturus eſſet prædeterminationem. Sed DEUS in nulla ex his ſuppoſitione poteſt ſuadere conſenſum. Non poteſt imprimìs ſuadere conſenſum in ſuppoſitione, quòd ſit daturus prædeterminationem ad conſenſum. In hac enim ſuppoſitione impoſſibile eſt non poni conſenſum. Sed DEUS non poteſt ſuadere actum, quem impoſſibile eſt non poni, talis enim ſuaſio eſſet inutilis, otioſa, & imprudens, ſimilis illi, quâ DEUS ſuaderet, nè conjungam diſſenſum cum conſenſu, vel odium cum amore unius ejuſdémque objecti: eſſe actûs & non eſſe actûs, ſeu nè ponam Chimæram & nè producam Hircocervum. Non poteſt etiam ſuadere conſenſum in ſuppoſitione datæ prædeterminationis ad diſſenſum. Quia in tali ſuppoſitione, impoſſibile eſt poni conſenſum. DEUS autem non poteſt prudenter ſuadere actum, quem eſt impoſſibile poni. Tum quia ſuaſio è mente S. Auguſtini ſupponit eſſentialiter poteſtatem ad id, quod ſuadetur, in eo cui ſuadetur. Dicit enim S. Doctor lib. de Spiritu & litera cap. 21. *Hinc illi qui cogunt & ſuadent, ſolent dicere: quod habes in poteſtate, quare non facis, ut hoc malo careas. Et qui omnino non poſſunt facere, quod ideò coguntur ut faciant, quia poſſe creduntur, ſolent excuſando dicere: facerem, ſi eſſet in poteſtate.* Tum quia ſi DEUS poſſet ſuadere actus impoſſibiles, poſſet ſuadere conjunctionem aſſenſûs cum diſſenſu, conjunctionem amoris cum odio, occiſionem hircocervi, & ſimilia. Non poteſt tandem DEUS ſuadere conſenſum ùt ponendum in illa ſuppoſitione, in qua, neque ad conſenſum, neque ad diſſenſum daret prædeterminationem. Quia iterùm DEUS non poteſt prudenter ſuadere actum impoſſibilem. Actus autem qui eliceretur ſinè prædeterminatione ſecundùm Thomiſtas, eſt Chimæra, & impoſſibilis. Confirmatur hæc ipſa Ratio ex S. Auguſtino Si S. Doctor ad actus bonos ultra ſuaſiones admitteret prædeterminationem phyſicam, admitteret illam, ut in ea conſiſteret gratia efficax. Sed ex hac ratione S. Doctor non admittit, nec poteſt admittere, ſecundùm quem gratia efficax eſt illa, quâ ità ſuadetur, ut perſuadeatur. Ità enim hanc gratiam explicat lib. de Spiritu & Litera cap. 21. ad finem, dum dicit: *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſnam nos coarctet, cur illi ità ſuadetur ut perſuadeatur, illi autem non ità: duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat. O! altitudo divitiarum! & nunquid iniquitas eſt apud DEUM?*

Quodſi ad actus bonos è mente S. Auguſtini non poteſt ſuſtineri prædeterminatio, multò minùs ad actus malos ſuſtineri poteſt. lib. enim 5. de Civit. DEI. cap. 8. dicit: *à DEO eſſe omnes poteſtates, quamvìs ab illo non ſint omnes voluntates.* Et lib. de Spiritu & litera cap. 31. dicit expreſsè: *à DEO non eſſe voluntatem, quæ eſt contra DEUM.* Lib. itèm 12. de Civ. cap. 6. cùm

cùm proposuisset sibi talem Quæstionem: *Si aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videndo unius corporis pulchritudinem, si eadem tentatione ambo tententur, & unus tentationi cedat, & ad illicitè perfruendum visa pulchritudine moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus causæ, ut in illo fiat, in alio non fiat voluntas mala?* Ad eandem Quæstionem mox respondet: *Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, & alterum noluisse à castitate deficere.* Et ulteriùs dicit: *Hanc voluntatem malam ipsum hominem fecisse. DEUM verò nullatenus authorem esse talis malæ voluntatis.* Tandem lib. 2. de libero arbitrio cap. 20. sic ait: *Motum illum aversionis, quem fatemur esse peccatum, ad DEUM non pertinere nè dubites.* Magistro suo Augustino consonat Discipulus D. Prosper ad primam objectionem ex Vicentianis dicens: *Adulteria Maritatarum & corruptelas Virginum non instituere novit sancta Divinitas, sed damnare, non disponere, sed punire.* Ex his omnibus testimoniis sic arguo: Si scientia futurorum conditionatorum à libertate creata dependentium, dependeret à Decreto DEI prædeterminativo, tunc consentire vel dissentire non esset propriæ voluntatis, sed potiùs esset id prædeterminationis physicæ. Secundò, vocati & illuminati, viam mandatorum DEI non libero eligeremus & relinqueremus arbitrio, sed determinaremur prædeterminatione ad has eligendas, illas relinquendas. Tertiò. Voluntas, quæ est contra DEUM, esset à DEO, quia esset ex vi prædeterminationis & Decreti prædeterminativi. Quartò. DEUS esset author malæ voluntatis deficientis à castitate. Sed omnes hæ sequelæ repugnant D. Augustini doctrinæ. Ergo.

196. Non esse etiam è mente S. Thomæ Decretum prædeterminativum, & prædeterminationem physicam actuum sive bonorum, sive malorum, facilè constare potest ex dictis Quæst. 1. à num. 99. ad 107. ultra adducta illic testimonia S. Doctoris, hæc insuper satis clara esse videntur. 1. par. Quæst. 22. art. 2. ad 4. *Quod dicitur DEUM, hominem sibi reliquisse, non excluditur homo à Divina providentia, sed ostenditur, quòd non præfigatur ei virtus operativa determinata ad unum.* Et iterum in 2. Distin. 25. Quæst. 1. art. 1. ad tertium sic habet: *In libero arbitrio DEUS hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis & finis, in potestate liberi arbitrii constituatur.* Rursus in 2. Distin. 39. Quæst. 1. art. 1. in ⊙. *Sciendum est quòd aliquis actus est ab aliquo dupliciter, uno modo tam secundùm substantiam actûs, quàm secundùm determinationem agentis ad actum, & hoc propriè in potestate agentis esse dicitur ùt est in voluntate. Ipsa enim voluntas, quantum in se est indifferens ad plura, sed quòd determinatè exeat in hunc vel illum actum, non est ab alio determinante sed ab ipsa voluntate.* Et lib. 1. contra gentes cap. 68. *Dominium, quod voluntas habet supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel nolle, excludit determinationem virtutis ad unum.* Tandem 1. par. Quæst. 19. art. 9. in ⊙. dicit: *Malum culpæ quod privat ordinem ad Bonum Divinum, DEUS nullo modo vult.* Atqui hæc omnia testimonia falsificantur admisso Decreto prædeterminativo, etiam absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

197. Objicitur primò & probatur scientiam Mediam non esse conformem Sacræ Scripturæ. Tum quia 1. ad Corint. 4. dicitur: *Nè suprà quàm scriptum est, unus adversùs alterum infletur pro alio; quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Sed admissa Scientia Media potest unus inflari adversùs alterum, potéstque gloriari Petrus v. g. quòd per suam conversionem discreverit se à Paulo non converso in similibus circumstantiis constituto. Ergo. Tum quia Scripturæ, quæ adducuntur in probationem Conclusionis, sunt contra Scientiam Mediam. Hac enim admissa sequitur adhuc injustam & irrationabilem esse increpationem comparativam Corrozaitarum. Poterant enim Corrozaitæ dicere, quòd etiam illi visis Christi miraculis, per quæ conversi fuissent Tyrii, converterentur, si hæc in iis circumstantiis apud illos fierent, in quibus prævidit eos convertendos. Sicut miracula, per quæ Tyrii conversi fuissent, debuissent apud illos fieri in

in iis circumſtantiis, in quibus eos convertendos DEUS prævidit. Ergo. Tum quia Scripturæ frequenter docent hominem non poſſe reſiſtere voluntati Divinæ, Sap. enim 11. dicitur: *Virtuti brachii tui, quis reſiſtet?* & Eſther 13. *Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ ſi decreveris ſalvare Iſraël.* Itèm ad Roman. 9. *Voluntati ejus quis reſiſtet?* Atqui admiſſâ Scientiâ mediâ & negato Decreto prædeterminativo, voluntas creata poteſt reſiſtere & reſiſtit voluntati Divinæ, maximè pro ſtatu conditionato. Ergo. Tum quia Scriptura docet DEUM facere ut faciamus. Ezech. enim 36. dicitur: *Spiritum novum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Tum quia DEUS in ſcriptura dicitur movere, inclinare, immutare, convertere corda hominum, miſereri cui vult, & indurare, quem vult. Sed hæc non verificantur, negato Decreto prædeterminativo. Ergo.

198. Objicitur ſecundò & probatur ſcientiam Mediam non eſſe conformem Sacris Conciliis. Tum quia ùt arguunt Salmanticenſes & Joan. à S. Thoma: Si Patres Concilii Tridentini agnoviſſent Scientiam Mediam, illam non ſubticuiſſent, utpote plurimùm deſervientem ad componendam libertatem creatam cum Divina ſcientia & prædefinitionibus voluntatis Divinæ. Ergo cùm talis ſcientiæ nullam fecerint mentionem Patres Concilii, ſignum eſt, eos hanc ſcientiam non agnoviſſe. Tum quia illi Theologi, qui interfuerunt Concilio, ad proprias Academias reverſi, hanc ſcientiam publicè profeſſi fuiſſent, eámque commendâſſent ex ſuis cathedris, tanquam unicum remedium profligandarum Hæreſum, conſequenter liber Molinæ de concordia gratiæ, tanquam continens ſuſpectam doctrinam non fuiſſet delatus ad ſupremum in Eccleſia Judicem. Tum quia Concilium Arauſicanum II. Can. 4. dicit: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram DEUM expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Spiritûs S. infuſionem & operationem in nos, fieri confitetur, reſiſtit Spiritui Sancto.* Admiſsâ autem ſcientiâ Mediâ, DEUS expectat voluntatem noſtram, quatenus expectat determinationem ejuſdem voluntatis, ſaltèm ùt conditionatè futuram, ac deinde dependenter ab hac determinatione, decernit purgationem noſtram à peccato. Idem Concilium Can. 6. docet: *Gratiæ Divinæ adjutorium non ſubjungi obedientiæ humanæ. nec gratiam Divinam eſſe pediſequam voluntatis creatæ.*

199. Objicitur tertiò, & probatur: Scientiam mediã non eſſe conformem Patribus, præcipuè verò S. Auguſtino. Ex Patribus adduci ſolet S. Dionyſius lib. 5. de Divinis Nominibus, qui loquens de actibus noſtris bonis futuris dicit: *DEUM habere voluntates prædeterminativas noſtrorum actuum bonorum.* Adduci itèm ſolent Baſilius, Cyrillus Alexandrinus aſſerentes: *DEUM ità aliquando velle, & agere, ut ejus reſiſti non poſſit voluntati.* S. Auguſtino eandem Scientiam non eſſe conformem, probatur. Tum quia S. Auguſtinus in Pelagianis, & Semipelagianis reprehendit Scientiam mediam, illámque dari abſolutè negat; lib. enim de Prædeſtin. SS. cap. 14. ad illa verba Sap. 4. *Raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum,* ait: *Illud dictum eſt ſecundùm pericula hujus vitæ, non ſecundùm præſcientiam DEI, qui hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id eſt, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto, non quòd peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Et lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 7. *Quomodo præſcivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia Scientia ejus falli non poteſt, præſcivit potiùs non futura.* Licèt verò S. Auguſtinus hanc Scientiam docuerit Epiſt 49. aſſerens: Chriſtum non veniſſe ab initio mundi, ex eo: *Quia præviderat iſtius temporis homines ſuis miraculis, & prædicationi non credituros;* tamen hanc ipſam Sententiam poſteà retractat lib. de Dono Perſev. cap. 9. & de Prædeſtin. SS. cap. itidem 9. Hanc ipſam Scientiam S. Proſper in Epiſt. ad Auguſtinum vocat *novum abſurditatis genus.* Fulgentius lib. 1. de veritate Prædeſtin. vocat *impoſturam.* S. Damaſcenus lib. contra Manichæos negat *eſſe præſcientiam.* Tum quia per Scientiam mediam futura conditionata libera debent cognoſci in ſe ipſis. Negat verò S. Auguſtinus, aliquid extra DEUM poſſe in ſe ipſo cognoſci à DEO. Dicit enim in lib. 8. Quæſtionum Quæſt. 46. *Sacrilegum eſſe aſſerere, quòd DEUS exeat extra ſe ad aliquid cognoſcendum.*

dum. Conſonat S. Ambroſius Tract. in Symbolum cap. 1. dum dicit: *Nihil DEUS extra ſe intelligere, ſed ſingula in ſe intueri dicitur.* Tum quia S. Auguſtinus docet expreſsè, quòd propoſitum, ſeu decretũ Divinũ antecedat præſcientiamDivinã. Nam lib. de Prædeſtin. SS. cap. 10. dicit: *Prædeſtinatione DEUS ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.* Et cap. 19. de SS. Apoſtolis ſic loquitur: *Electi itaque ſunt ante mundi conſtitutionem, quâ DEUS ſua facta in prædeſtinatione præſcivit.* Et lib. de Dono Perſeverantiæ cap. 27. *Si nulla eſt prædeſtinatio, nec præſciuntur à DEO.* Et lib. 2. de Dono Perſev. cap. ultimo docet idem S. Doctor: *Itâ nos eſſe prædeſtinatos, ut eſſemus membra Chriſti, ſicut ipſe eſt prædeſtinatus, ut eſſet Filius DEI naturalis.* Subſumo: Sed Chriſtus eſt prædeſtinatus per decretum antecedens omnem Divinam Scientiam de actibus Chriſti conditionatè futuris. Non enim DEUS potuit habere talem Scientiam; ſi Humanitati Chriſti darentur hæc, vel illa auxilia, mereretur Unionem Hypoſtaticam. Ergo & nos prædeſtinati ſumus per decretum antecedens Scientiam actuum noſtrorum conditionatè futurorum. Tum quia S. Auguſtinus agnovit decretum prædeterminativum, & prædeterminationem phyſicam, quale decretum excludit Scientia media. Nam lib. de Correp. & gratia cap. 14. dicit: *Voluntati DEI humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quò minùs faciat ipſe quod vult.* Et cap. 10. dicit: *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.* Et iterum cap. 11. aſſerit: *DEUM humanorum cordium quò placet inclinandorum, omnipotentiſſimam habere poteſtatem.* Et de Prædeſt. SS. cap. 8. dicit: *Gratiam DEI* (intellige efficacem) *à nullo duro corde reſpui. Quia ideò datur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Denique lib. 1. Simplic. cap. 1. dicit: *Non poteſt effectus Miſericordiæ DEI eſſe in poteſtate hominis, ut fruſtra ille miſereatur, homo nolit.* Tum quia Scientia media ſupponit reſpectu liberorum creatorum, conditionatè futurorum dari decretum conditionatum ex parte ſubjecti. Tale verò decretum nullibi agnoſcit Auguſtinus, nec ullibi ipſius meminit.

200. Objicitur quartò, & probatur. Scientiam mediam non eſſe conformem S. Thomæ. Tum quia S. Thomas docet, DEUM omnia cognoſcere in ſe ipſo. Nam 1. part. Quæſt. 14. Art. 5. in ☉. ſic ait: *Dicendum eſt, quòd DEUS ſe ipſum videt in ſe ipſo. Quia ſe ſe ipſum videt per ſuam Eſſentiam, alia autem à ſe videt non in ipſis, ſed in ſe ipſo, in quantùm eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo.* Et lib. 1. contra Gentes cap 49. docet: *DEUM omnia cognoſcere in ſua Eſſentia, tanquam in cauſa.* Atqui per Scientiam mediam actus liberi conditionatè futuri cognoſcuntur in ſe ipſis. Ergo. Tum quia S. Thomas docet, quòd Decretum DEI antecedat Scientiam. Docet enim 1. part. Quæſt. 16. Art. 7. ad tertium. *Futura eatenus ab æterno eſſe futura, quatenus fuerunt in cauſa ſempiterna, quæ quidem cauſa ſolus DEUS eſt.* Atqui futura conditionata libera non potuerunt aliter eſſe in cauſa ſempiterna, niſi dependenter à Decreto Divino. Ergo. Itèm 3. part. Quæſt. 1. Art. 4. Sed contra eſt, dicit: *DEUM Sapientiâ ſuâ omnia definiviſſe.* Non definiviſſet verò omnia, ſi non daretur decretum circa futura conditionata. Siquidem talia futura non definiviſſet. Tum quia S. Thomas docet: DEUM habere decretum abſolutum ex parte ſubjecti, conditionatum ex parte objecti. In 1. enim Diſt. 46. Quæſt. 1. Art. 1. ad ſecundum ſic habet: *Dicendum eſt, quòd voluntas antecedens poteſt dici conditionata, non tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis Divinæ, ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem ad ſalutem.* Et Quæſt. 6. de Veritate Art. 3. ad quartum dicit: *Ordo Divinæ prædeſtinationis, quamvis ſit cum ſuppoſitione voluntatis humanæ, nihilominus tamen abſolutam habet certitudinem.* Atqui talem certitudinem non haberet, ſi de futuris conditionatis liberis non daretur decretum abſolutum ex parte ſubjecti. Ergo. Tum quia S. Thomas admittit decreta prædeterminativa. Nam imprimis ſuper Dionyſium cap. 5. lect. 3. dicit: *Voluntatem Divinam eſſe exiſtentiam prædeterminativam, & effectivam.* Deinde 1. part. Quæſt. 19. Art. 3. ad 5. dicit: *Cauſa, quæ ex ſe eſt contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed Voluntas Divina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volendum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Et 2. Phyſ. lect. 8. ſuper text. 48. *Ex eo,*

quod eſt ad utrumlibet, nihil ſequitur, niſi per aliquid aliud, quod determinat ad unum.

Solvuntur Objectiones.

201. Reſpondeo ad primum negando Aſſumptum. Ad primam Probationem dico: Petrum convertendum non poſſe gloriari adversùs Paulum non convertendum, quòd ſe per converſionem diſcernat à Paulo. Neque enim poteſt gloriari, quòd ſe à Paulo diſcernat pro ſtatu abſoluto. Quia pro hoc ſtatu diſcretio habetur totaliter à voluntate Divina, ſeligente auxilium, illúdque Petro conferre volente, ſub quo per Scientiam mediam prævidit Petrum convertendum, ipſi verò Paulo decernente auxilium inefficax, & non conferente auxilium, ſub quo hunc prævidit convertendum. Neque etiam Petrus poteſt gloriari, quòd pro ſtatu conditionato ſe diſcreverit à Paulo. Quia imprimìs pro hoc ſtatu non eſt propriè diſcretio Petri à Paulo, ſicut non eſt pro ſtatu poſſibilitatis, ſed pro ſtatu conditionato Petrus, & Paulus ſunt pares, nec à ſe differentes. Quia ſicut Petrus, ità & Paulus prævidentur à DEO ſub certis auxiliis convertendi, ſub aliis non convertendi, imò pro ſtatu conditionato poteſt eſſe ſuperior Paulus, quàm Petrus; cùm poſſit prævideri à DEO ſub pluribus auxiliis convertendus, quàm ſit convertendus Petrus. Quòd ſi verò pro ſtatu quoque conditionato poteſt dari diſcretio Petri à Paulo, hæc etiam pro hoc ſtatu eſt adhuc principaliter à DEO, quia eſt principaliter ex vi auxilii gratiæ Divinæ; quod auxilium etiam pro hoc ſtatu ſupponeret, ab illóque dependeret converſio Petri. Unde neque de hac diſcretione Petrus poteſt inflari adversùs Paulum. Addo, dici poſſe, quòd Petrus à Paulo in aliquo ſenſu, licèt minùs propriè ſe diſcernat, ſcilicet diſcernit ſe formaliter in actu ſecundo, ſed minùs principaliter, quatenus in actu ſecundo determinat ſuum actum, per quem diſcernitur à Paulo, qui actus ità pendet à voluntate Petri, ut principaliter à DEO, ejúſque gratia dependeat. In actu autem primo diſcernitur Petrus à Paulo per decretum ſeligens auxilium, illúdque Petro conferens, quod prævidit futurum efficax. Hinc tamen non ſequitur, quòd irreſtrictè, & ſimpliciter Petrus ſe ipſum diſcernat. Cùm ſecundùm S. Auguſtinum lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum. *Ille diſcernat* (intellige ſimpliciter loquendo) *qui unde diſcernaris, impertit, quod ſolus DEUS facit.* Non ſequitur itèm Petrum ità ſe diſcernere à Paulo, ut poſſit gloriari, quaſi non acceperit. Cùm enim ipſius diſcretio principaliter gratiæ à DEO acceptæ, & decreto ſelectivo auxilii, attribui debeat, Petrus debet humiliter confiteri ſuam diſcretionem ſe habere à Deo, debet, inquam, id confiteri illis Pauli Apoſtoli verbis: *Non ego, ſed gratia DEI mecum.*

Secundæ Probationis nego Sequelam. Ad ulteriorem Probationem dico: In ſuppoſitione admiſſæ Scientiæ mediæ excuſationem Corrozaitarum eſſe frivolam, & nullam, potiúſque eſſe ſui accuſationem, poterat enim illis à Chriſto reponi: Corrozaitæ, quòd DEUS prævideriit vos non convertendos ſub tali gratiæ auxilio, & in his circumſtantiis prædicationis, & miraculorum meorum, ſub quali auxilio, & in quibus circumſtantiis prævidit Tyrios convertendos, factum eſt veſtrâ culpâ. Per vos ſtetit, quòd ſub hoc auxilio, & in his circumſtantiis, DEUS non præviderit futuram veſtram converſionem, ſicut prævidit futuram converſionem Tyriorum. Vos enim pro ſtatu conditionato determinâſtis objectivè DEUM perverſa voluntate veſtra ad habendam Scientiam de non futura veſtra converſione ſub hoc auxilio, & in his circumſtantiis; cùm tamen Tyrii determinaverint eundem ad habendam Scientiam de ſua converſione. Poterat quidem DEUS pro ſtatu abſoluto conferre vobis aliud auxilium, & vos in aliis circumſtantiis conſtituere, in quibus prævidit vos convertendos, ad hoc tamen non tenebatur; at vos & poteratis, & tenebamini etiam ſub hoc auxilio, & in his circumſtantiis converti. Igitur quòd non convertamini, vobis eſt imputandum.

Ad tertiam Probationem dico: Quòd ſacra Scriptura frequenter doceat, hominem non poſſe reſiſtere voluntati Divinæ impotentiâ ortâ ex ſuppoſitione conſequente, ſcilicet ex ſuppoſitione, quòd liberè nolit reſiſtere eidem, licèt poſſit reſiſtere eidem ex ſuppoſitione antecedente. Sic debere intelligi hujuſmodi Scriptu-

pturas, ex eo habetur, ut hac ratione illarum veritas poſſit conciliari cum Scripturis, quæ in oppoſitum adduci ſolent; cum definitionibus itèm Eccleſiæ, & Authoritatibus Patrum adductis pro Concluſione noſtra num. 193. & ſequentibus. Quæ conciliatio intelligi non poteſt in oppoſita Sententia etiam ipſis nonnullis Adverſariis fatentibus, qui ſuæ Sententiæ, & prædeterminationis phyſicæ myſteria, æquant Myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis lumine rationis inſcrutabili.

Quartæ Probationis nego Minorem. Si enim in humanis preces, minæ, ſuaſiones, unius cujuſpiam hominis, cenſentur, & dicuntur movere, inclinare, immutare, & flectere cor alterius, quamvìs hæ omnes ſint de ſe indifferentes, nec ex ſe inferant infallibiliter immutationem, & inflexionem cordis; pariter DEUS ſuæ gratiæ auxiliis poterit movere, inclinare, immutare, & convertere cor hominis, etiamſi hæc fuerint indifferentia, nec ratione ſui inferentia infallibiliter actum; adeóque ſinè decreto prædeterminativo actuum noſtrorum, & ſinè prædeterminatione phyſica. Qua ratione verò ſinè eadem prædeterminatione DEUS miſereatur, cui vult miſereri, & induret, quem vult indurare, facilè intelligitur ex Reſponſione ad primam Probationem. Nimirum, eatenus miſeretur, cui vult miſereri, quatenus ex auxiliis per Scientiam mediam prævifis, ſeligit auxilia, & confert illa, quæ ſortitura ſunt effectum; indurat verò, quatenus negat auxilia congrua, & efficacia, ſolúmque ea confert, quæ prævidit, quòd malitiâ ejus, cui conferuntur, non ſint ſortitura effectum.

202. Ad ſecundum Reſpondeo: Conſtare ex dictis num. 194. quòd Patres Concilii Tridentini agnoverint Scientiam mediam quoad rem, licèt non ſub hoc nomine Scientiæ mediæ. Hinc ad primam Probationem dico: Negando illos Patres dictam Scientiam omnino ſubticuiſſe. Non ſubticuerunt enim fundamenta, ex quibus immediatè deducitur. Quod itá clarum, & conſpicuum fuit Ferdinando de la Baſtide pro hac ſententia decertanti coram Clemente VIII. ut Annô 1605. 21. Januarii in Diſputatione coram eodem Pontifice non fuerit veritus dicere: *Tanta eſt hujus Scientiæ cum Tridentini definitione conjunctio, vel ut meliùs dicam, identitas, ut nonnisì iiſdem telis appeti, iiſdèmque argumentis impugnari poſſit*, ùt refert Paulus Leonardus parte 2. pag. 218.

Ad ſecundam Probationem dico: Plures Theologos, qui interfuerunt Tridentino, Scientiam mediam publicè profeſſos fuiſſe, eâmque libris typo editis propugnâſſe. Nam ùt refert idem Paulus Leonardus part. 2. Sect. 18. & 19. è Patribus Tridentinis 4. Infulati Præſules, & ſeptem alii Viri præſtantes hanc Scientiam, tanquam maximè Tridentino conformem propugnârunt, quod ipſum ſuô confirmat teſtimoniô Franciſcus Belcanus Epiſcopus Metinenſis, qui & ipſe Concilio interfuit, dum dicit: *Ex ſolis ſcriptis eorum, qui ad Tridentinum convenerant, plurima arma ſuppeditari ad debellandam prædeterminationem phyſicam, atque adeò ad Scientiam mediam optimè ſtabiliendam.* Ad Sequelam ulteriorem dico: Ex delatione libri Ludovici Molinæ ad ſupremum Eccleſiæ Judicem minimè probari, Scientiam mediam non fuiſſe aſſertam, & agnitam à Theologis, qui Tridentino interfuerunt. Quia potiùs hæc ipſa delatio eſt ſufficiens fundamentum, quòd hæc Scientia agnita fuerit ab illis Theologis. Occaſio enim illius delationis Romam, hæc immediata fuit: quòd liber Molinæ accuſatus coram quibuſdam ſacræ Inquiſitionis in Luſitania, & Hiſpania Tribunalibus, non ſolùm ab omni erroris ſuſpicione liber declaratus fuerit, ſed etiam Calculo Univerſitatis Compluteniſ, cujus examini, juſſu Emin. Cardin. Cajetani ſubjectus fuerat, comprobatus, continere ſanam, & Catholicam Doctrinam, ſacræ Scripturæ, Conciliis, Patribus, & Scholaſticis conſentaneam, ùt teſtatur ipſe Academiæ ejuſdem Rector in literis ad Cardinalem Pompejum Aragonium datis.

Ad tertiam Probationem dico: Concilium Arauſicanum damnâſſe errorem Semipelagianorum, blaſphemè aſſerentium: Initium ſalutis noſtræ ex nobis eſſe, voluntatéſque noſtras naturalibus ſuis viribus, ſinè auxilio gratiæ Divinæ ſupernaturalis, ſe diſponere ad juſtificationem; adeóque DEUM exſpectare voluntates noſtras, ut hæ antecedenter ante omnem DEI gratiam ſe diſponant ex ſolis ſuis naturalibus viribus ad primam gratiam. Cæte-

terùm ab hoc errore longissimè distat Scientia media. Hac enim admissa nullatenus sequitur, voluntatem creatam solis naturæ viribus posse se disponere ad gratiam, & justificationem. Nec sequitur, DEUM expectare talem voluntatis nostræ dispositionem. Non ergo DEUS expectat voluntates nostras in sensu intellecto à Concilio, sed neque expectat voluntates nostras eo sensu, ut hæ priùs operentur, tum deinde operetur DEUS, præcedátque physicè determinatio voluntatis creatæ concursum, & influxum Divinum in actum. Certum enim est ex superiùs dictis, inter concursum DEI in actu secundo, seu inter influxum DEI in actum voluntatis creatæ, & inter determinationem ejusdem, nullam dari nem. cog. prioritatem. Cùm inter hæc nulla sit nem. cog. Distinctio. Potest tamen adhuc in aliquo vero sensu dici, DEUS expectare voluntates nostras. Primò ex vi prioritatis rationis, quæ est inter determinationem voluntatis creatæ, & inter influxum DEI in actu secundo. Ex vi cujus prioritatis, vera est illa causalis: Ideò DEUS hìc, & nunc agit, quia voluntas creata agit, non è contra. Quæ prioritas, illiúsque causalis veritas infundatur huic: quòd voluntas creata agat ùt determinativa; jam autem DEUS agat ùt determinatus à voluntate creata. Porrò voluntas creata per hoc censetur esse determinativa actûs, suíque ipsius, & aliorum comprincipiorum per ipsummet actum, quòd operetur ùt potentia vitalis ex prævia cognitione, & deliberatione, suúmque actum ità ponat in actu secundo, ut ad eum fuerit indifferens in actu primo proximo. Secundò dici potest: DEUS impropriè expectare voluntates nostras, quatenus ut conferat aliquod auxiliũ ex intentione efficaci actûs, debet priùs per Scientiam mediam scire, cum quo auxilio conjungendus est actus. Consequenter, quatenus selectionem auxilii, aliqua prioritate debet præcedere consensus voluntatis conditionatè futurus. Cæterùm talis expectatio voluntatis creatæ non est contra mentem Concilii Arausicani, cùm illi faveant Scripturæ, & Patres. Isaiæ enim 30. dicitur: *Expectat Dominus, ut misereatur vestri.* Et iterum cap. 5. *Expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* Ad alteram ejusdem Concilii Arausicani Authoritatē dico: ex admissa Scientia media nego sequi adjutorium gratiæ Divinæ subdi obedientiæ humanæ eo sensu, ut sit in potestate hominis habere, vel non habere auxilium gratiæ, habere hoc, vel illud, & posse propriis naturæ viribus voluntatem creatam obtinere gratiam, quamvìs in libertate, & potestate voluntatis creatæ sit ipse usus gratiæ. Nego itèm gratiam esse pedisequam voluntatis creatæ. Quia iterum neque est pedisequa illius in essendo, hoc sensu, ut gratia quoad suum esse debeat supponere aliqua merita à voluntate creata propriis ejusdem viribus posita. Neque debet esse pedisequa in operando eo sensu, ut voluntas suis propriis viribus naturalibus priùs operetur, quàm gratia.

203. Ad tertium Respondeo. S. Dionysium hoc velle, quòd DEUS habeat voluntates prædeterminativas, per quas voluntatem creatam ex se insufficientem ad actum salutarem, potest complere, & determinare ad esse sufficientis. Non habere verò voluntates prædeterminativas, per quas inferat infallibiliter in actu primo, & ex suppositione antecedente actum salutarem. S. Basilius, & S. Cyrillus Alexandrinus quo sensu intelligi debent, facilè constat ex dictis num. 201. in Respons. ad tertiam Probationem. S. Augustinum favere nostræ Sententiæ, constat ex Probatione Conclusionis. Ad primam in contra Rationem dico: multum per ipsam probari. Probatur enim, non dari in DEO Scientiam futurorum conditionatorum, etiam dependentem à decreto prædeterminativo absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti. Qualem tamen Scientiam admittunt Thomistæ, putántque conformem esse menti S. Augustini. Siquidem etiam tali Scientia admissa, DEUS præscit hominis in infantia rapiendi ex hac vita peccatum conditionatè futurum, quamvìs hoc non sit (intellige absolutè) futurum. Directè nego primam Probationem, & dico: S. Doctorem illis testimoniis, quæ adducuntur, non rejicere simpliciter, & absolutè Scientiam conditionatam, sed solùm rejicere illam in sensu à Semipelagianis intento, hoc est, negare Scientiam conditionatam DEI, posse esse æquivalenter absolutam, seu posse DEO deservire ad hoc, ut pro meritis per talem Scientiam

am prævisis, conditionatè nonnisi futuris, decernat pro ſtatu abſoluto præmia; & pro demeritis purè conditionatis, per Scientiam conditionatam prævisis, decernat pro ſtatu abſoluto pœnas. Colligitur hæc mens S. Doctoris tum ex adductis in Probatione Concluſionis oppoſitis ejuſdem S. Patris teſtimoniis. Tum ex Ratione, quâ refellit errorem Semipelagianorum lib. de Prædeſt. SS. cap. 14. ubi ſic arguit: *Si judicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quæ non habuerunt, ſed habituri eſſent, ſi viverent, nihil prodeſſet ei, qui raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum ejus, & nihil prodeſſet eis, qui lapſi moriuntur, ſi ante morerentur, quod nullus Chriſtianus dicere audebit.* Hinc nego ulteriùs, eundem S. Doctorem aſſertam à ſe Scientiam conditionatam alicubi retractâſſe. Porrò dum retractat priorem ſuam Sententiam, quâ aſſeruit, Chriſtum non veniſſe prioribus temporibus, quàm defacto venerit, ex eo, quòd prævidit illius temporis homines non credituros ſuis miraculis. Non per hoc ipſum retractat Scientiam conditionatam, ſed ſolùm negat, hanc fuiſſe rationem dilati ſui adventûs, censétque, hujus non aliam poſſe reddi rationem, præter beneplacitum Divinum, & inſcrutabilia DEI judicia. Addo: dum S. Doctor recurrit ad inſcrutabilia DEI judicia, in reddenda ratione dilati adventûs Chriſti, retractat quidem ſuam Sententiam, etiam circa Scientiam conditionatam determinatè talem, qualem ante aſſeruit, per quam nimirum viderit prioris temporis homines, ſuæ prædicationi, & miraculis non credituros. Non retractat tamen taliter, ut in DEO omnem Scientiam conditionatam neget, ſive illam, quâ viderit ſuis miraculis illius temporis homines credituros, ſive quâ vidit non credituros. Hoc enim determinare videtur non audere S. Doctor: cùm fieri potuerit, ut DEUS habuerit Scientiam, quâ viderit etiam illius temporis homines Chriſti miraculis credituros aliquos, aliquos non credituros. Et tali in DEO Scientia ſuppoſita cenſet, quòd Chriſtus non venerit priori tempore, non aliam rationem reddi poſſe, præter beneplacitum Divinum, & inſcrutabilia DEI judicia. Ad Authoritatem SS. Proſperi, Fulgentii, & Damaſceni dico: hos ſanctos Patres cogitatum à Semipelagianis abuſum Scientiæ conditionatæ, in diſcretione parvulorum propter merita, vel demerita conditionatè futura, & à DEO præviſa, damnare, & probrosè compellare; non damnare verò ipſam Scientiam conditionatam.

Secundæ Rationis nego Minorem. Ad Authoritatem S. Auguſtini adductam dico: S. Doctorem adducto teſtimonio, (prout illud explicat Gregorius Ariminenſis, & ex contextu colligitur) negare ſolùm, quòd DEUS intueatur ideam, ſeu aliquod exemplar extra ſe exiſtens, ſecundùm quod conſtituat, quidquid conſtituit, ac dicere: quòd DEUS res omnes creatas in tempore producat, ſecundùm rationes proprias creaturarum, in ſua mente Divina ab æterno habitas. Non negat verò S. Doctor, quòd DEUS aliquid extra ſe intueatur in illo ipſo, tanquam objectum immediatum terminativum. Ad Authoritatem S. Ambroſii dico: Deum omnia in ſe ipſo intueri, ùt in motivo per modum ſufficientiæ, non verò intueri in ſe ipſo, tanquam in medio.

Tertiam Rationem nego, adductos S. Doctoris textus reverentiſſimè concedo. Ex quibus omnibus hoc ſolùm deducitur: quòd Scientiam viſionis, ſeu præſcientiam futurorum abſolutè præcedat propoſitum, & decretum DEI abſolutum, nullatenus verò deducitur, quòd Scientiam conditionatam Divinam præcedat propoſitum, ſeu decretum DEI abſolutum. Id enim S. Doctor ſentire non potuit. Tum quia tali Scientia poſterius eſſe decretum abſolutum, videtur clarè aſſerere Scriptura, dum ad Rom. 8. dicit: *Quos præſcivit, illos prædeſtinavit.* Tum quia ipſe S. Doctor hunc Scripturæ locum exponens in libro expoſitionis quarundam propoſitionum, ex Epiſt. ad Roman. pronunc. 55. contrarium ſuum ſenſum declarat, dum dicit: *Non omnes, qui vocati ſunt, ſecundùm propoſitum vocati ſunt. Hoc enim propoſitum ad Scientiam DEI pertinet; nec prædeſtinavit aliquem, niſi quem præſcivit crediturum, & ſecuturum vocationem ſuam, quos & electos dicit.* Id ipſum colligitur ex lib. de Spiritu, & litera cap. 5. ubi dicit: *Per Spiritum S. diffundit charitatem in cordibus eorũ, quos præſcivit, ut prædeſtinaret, prædeſtinavit, ut vocaret, vocavit, ut juſtificaret, juſtificavit, ut glorificaret.* En præſcientia præcedit prædeſtina-

nationem, seu decretum. Sed hæc præscientia non est Scientia simplicis Intelligentiæ. Præscientia enim ex vi nominis debet esse Scientia futurorum, antequam sint. Non dicimur enim præscire objecta præsentia. Possibilia verò, quæ sunt objectum Scientiæ simplicis Intelligentæ, quoad suam possibilitatem, non sunt futura, sed sunt præsentia semper. Quia sunt ab æterno, & eodem modo semper se habent. Non præcedit etiam prædestinationem præscientia futurorum absolutorum. Aliàs hanc præcederet præscientia meritorum absolutè futurorum, quæ tamen secundùm Thomistas non antecedit prædestinationem, secundùm quos prædestinatio facta est ante merita absolutè prævisa. Ergo prædestinationem absolutam, seu decretum absolutum præcedit præscientia conditionatè futurorum. Tum quia idem S. Doctor expressè asserit, posse esse sinè prædestinatione, seu proposito præscientiam lib. de Prædest. SS. cap. 10. dum dicit: *Præscire DEUM posse etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata. Voluntatem creatam ad malum sibi sufficere.* Ad Postremum pro hac ratione adductum S. Doctoris textum, quoad hoc ità nos esse prædestinatos à DEO, ut essemus membra Christi, sicut ipse est prædestinatus, ut esset Filius Dei naturalis, dico, sic intelligi debere. Quòd sicut Humanitas Christi prædestinata est ad habendam unionem hypostaticam independenter à suis meritis, hanc unionem antecedentibus; ità & nos prædestinamur ad accipiendam primam gratiam independenter à meritis nostris, talem gratiam antecedentibus. Hanc suam mentem expressit S. Doctor lib. 1. de Prædest. SS. dum cap. 15. dicit: *Ea gratiâ fit ab initio fidei suæ, quicunque homo Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus.* Unde adductum testimonium si accipiatur in sensu S. Doctoris, non pugnat contra Scientiam mediam, nec probat decretum absolutum antecedere Scientiam conditionatam.

Quartam Rationem simpliciter nego. Oppositum potiùs esse è mente D. Augustini patet ex probatione Conclusionis. Num. 195. Ad testimonia adducta S. Doctoris, dico primum intelligendum esse eo sensu: quòd voluntati DEI voluntates humanæ non possint resistere impotentiâ ortâ ex suppositione consequente, non verò impotentiâ ortâ ex suppositione antecedente. Secundum testimonium intelligendum est de infallibilitate gratiæ efficacis, ex qua provenit, quòd tali gratia indeclinabiliter & insuperabiliter agatur voluntas creata. Porrò infallibilitas gratiæ efficacis involvit suppositionem consequentem. Tertium testimonium intelligi debet de omnipotentissima potestate inclinandorum cordium humanorum, salva libertate eorundem. Talis verò potestas consistit in eo, quòd DEUS ex auxiliis, quæ per scientiam Mediam prævidit habitura vel non habitura felicem eventum, possit conferre illud, quod prævidit habiturum felicem eventum, seu, per quod prævidit cor omnino inclinandum. Quartum etiam sicut & alia, optimè intelligitur sinè recursu ad Decretum prædeterminativum & prædeterminationem physicam. Gratia enim efficax à nullo corde respuitur. Quia unicuique talis confertur, quam DEUS prævidit, ab hoc corde, cui confertur non respuendam. Quintum testimonium non esse contra, sed potiùs pro scientia Media, colligitur ex verbis proximè sequentibus. Cùm enim S. Doctor dixisset: *Non potest effectus misericordiæ esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, homo nolit.* Subjungit immediatè: *Quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ità vocare, quomodo illis est aptum, ut moverentur & intelligerent, & sequerentur.* Et paulò inferiùs dicit: *Nullius DEUS frustrà miseretur. Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Ad quintam Rationem dico: Etiamsi S. Augustinus Decretum Conditionatum ex parte subjecti, nullibi asserat requiri, ut libera creata sint conditionatè futura, nullibi, inquam, asserat sub conceptu explicito talis Decreti, tamen nec oppositum ullibi expressè asserit; videtur autem supponere tale Decretum ex parte hypothesis, ex qua aliquid censet esse conditionatè futurum. De tali insuper Decreto debent intelligi illi S. Doctoris textus, qui adstruunt Decretum antecedens Præscientiam Divinam.

204. Ad quartum Respondeo negando assumptum. Nego itèm primam Probationem. Ad primum S. Thomæ testimonium

monium dico debere illud eo sensu intelligi: quòd DEUS alia à se, non cognoscat in illis ipsis, tanquam in motivo per modum sufficientiæ objectivæ, quòd itèm non cognoscat illa in illis ipsis, hoc est, per speciem intelligibilem acceptam ab iisdem. Qui sensus dicti testimonii colligitur ex Conclusione hujus articuli, quæ est talis: *DEUS cùm perfectè se ipsum intelligat, alia à se non per speciem propriam, sed per essentiam suam intelligit.* Non negat verò S. Thomas, DEUM non cognoscere alia in se ipsis eo sensu, ut hæc non sint objectum immediatum terminativum cognitionis Divinæ, determinativum Intellectûs Divini per modum conditionis objectivæ ad talem cognitionem. Cùm oppositum clarè colligatur ex eo, quòd habet 1. par. Quæst. 14. Artic. 13. in ☉. ubi dicit: *DEUS cognoscit omnia contingentia, non solùm prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est in se ipso.* In se ipso verò contingens dicit cognosci. *Secundùm quod jam est in actu, & ut determinatum ad unum, & propter hoc sic infallibiliter subdi potest certæ cognitioni, utpote sensui visûs: sicut cùm video Socratem sedere.* Alterum testimonium S. Doctoris procedit de scientia simplicis Intelligentiæ, dicitque S. Doctor, quòd per hanc Scientiam DEUS cognoscat omnia in sua essentia, tanquam in causa. Quod concedo facilè conformiter ad dicta Quæst. 1. Non procedit verò de Scientia Visionis, nec de scientia objectorum conditionatè futurorum, per quas scientias, nullatenùs, etiam è mente Thomistarum objecta talium scientiarum videri possunt in Essentia DEI, utpote in medio indifferente, nec connexo cum his objectis.

Secundam Probationem itidem nego: Ad primum testimonium dico: In eo S. Thomam agere de futuris necessariis, non verò de futuris liberis, quæ secundùm eundem S. Doctorem hic Quæst. 14. *comparata ad suas causas proximas, sunt propriè contingentia, nec habent ullam infallibilitatem, ut per certitudinem subdantur alicui cognitioni, adeòque comparata ad tales causas, non sunt determinatè futura.* Alterum testimonium S. Doctoris est contra Thomistas. Ex illo enim sequitur per scientiam Divinam posse omnia definiri, adeóque non esse necessarium Decretum absolutum, quô definiantur. Directè dico, loco citato S. Thomam non plus voluisse, nisi quòd omnia illa, quæ DEUS cognoscit per scientiam Visionis, seu quæ cognoscit ùt absolutè futura, sint à DEO definita per decretum absolutum, non verò etiam illa, quæ DEUS cognoscit, ùt conditionatè futura.

Tertiam Probationem nego. Primum testimonium accipi debet de voluntate conditionata ex parte subjecti, quam dicimus requiri, ut actùs liber creatus sit conditionatè futurus. Alterum testimonium intelligendum est de certitudine absoluta Scientiæ Divinæ circa futura conditionata, quæ certitudo habetur sinè omni Decreto absoluto ex parte subjecti. Deinde hoc testimonium est potiùs pro scientia Media. Illius enim sensus est: quòd Decretum Divinum prædestinativum & prædefinitivum actûs prò statu absoluto, habeat absolutam certitudinem & infallibilitatem, etiamsi hoc Decretum sit cum suppositione pro statu conditionato voluntatis & determinationis creatæ, prout conditionatè futuræ.

Quartam Probationem nego. Primùm & secundum testimonium S. Doctoris intelligi debet de determinatione sublativa insufficientiæ in voluntate creata ad suum actum, non verò de determinatione sublativa indifferentiæ. Colligitur hæc mens S. Doctoris tùm ex pluribus oppositis testimoniis num. 196. adductis. Tum quia articulo citato agit S. Doctor de differentia inter libertatem voluntatis creatæ, & inter libertatem voluntatis Divinæ. Inter quas libertates hanc assignat differentiam: quòd determinatio DEI sit ab ipsa voluntate Divina, plenè sibi sufficiente ad talem determinationem. Determinatio autem voluntatis creatæ non sit ab hac ipsa voluntate ùt sufficientia plena, sed quòd in illam immediatè influat etiam ipse DEUS. Tertium Testimonium non impugnat nostram sententiam: Docemus enim ex eo, quod est ad utrumlibet, nihil sequi, nisi per actum illius ipsius indifferentis, qui actus est quid aliud, quod determinat ipsum indifferens ad utrumlibet. Potest etiam hoc testimonium accipi de causis indifferentibus non liberis, qualis causa v. g. est appetitus sensitivus, quòd ex talibus causis nihil sequatur, nisi antecedenter per aliquid determinentur ad unum.

§. II.

An Scientia Media sit conformis Doctrinæ Catholicæ contra Pelagianos & Semipelagianos. Et quid per Decreta Pontificum sit circa illam constitutum?

205. Respondeo & Dico; Scientiam Mediam esse conformem Doctrinæ Catholicæ, contra Hæreticos, præcipuè contra Pelagianos, & Semipelagianos, & supposita hac scientiá, errores eosdem argumentis SS. Patrum bene confutari. Itèm hanc scientiam ex Decretis summorum Pontificum, & plurium Sacr. Inquisitionis Congregationum, debere esse immunem & liberam ab omnibus censuris & injuriis.

Ratio primi est. Quia error Pelagii in eo potissimùm consistebat, quòd is præter gratiam externæ prædicationis, nullam gratiam internam consistentem in illuminationibus & inspirationibus sanctis, intrinsecè supernaturalibus admiserit, sed totum salutis negotium naturalibus viribus liberi arbitrii creati attribuerit. Massilensium verò, seu Semipelagianorum, duce Joanne Cassiano dicto Collatore, errores ad duo potissimùm capita revocantur. Primò, quòd hi, licèt admiserint internæ gratiæ necessitatem ad perfectam justificationem, tamen initium salutis, seu ipsum velle salutariter operari in hominibus adultis, voluerunt esse ex solis naturalibus liberi arbitrii creati viribus. Secundò docebant iidem Hæretici, DEUM ex duobus parvulis in infantia morituris, uni gratiam baptismi cum æterna salute conferre propter merita conditionatè futura, quæ ille faceret, si viveret. Alteri & gratiam baptismi, & salutem æternam negare, propter demerita conditionata à se per scientiam conditionatam prævisa. Atqui admissâ Scientiâ mediâ, optimè negantur & confutantur dicti errores, ídque confutantur iis ipsis argumentis, quibus contra hos errores usus est S. Augustinus. Et imprimis hi errores in principiis sententiæ admittentis scientiam Mediam optimè negantur. Hæc enim sententia nulla ratione sive totum salutis negotium, sive ejusdem initium, & velle salutariter operari, attribuit solis naturalibus liberi arbitrii creati viribus, sed utrumque attribuit & gratiæ Divinæ & libero arbitrio creato, juxta illud Apostoli: *Non ego, sed gratia DEI mecum*, ídque attribuit gratiæ Divinæ principaliter, libero arbitrio minùs principaliter. Non docet itèm dicta sententia, nè indirectè quidem, DEUM præmiare merita conditionatè futura, punire verò demerita conditionatè futura. Licèt enim detur in DEO Scientia Media, quâ DEUS cognoscit merita ac demerita conditionata, hæc tamen scientia nullatenus subservit DEO ad præmianda merita, vel punienda demerita conditionatè futura, non secus atque in Sententia Thomistarum, licèt DEUS dependenter à suo Decreto absoluto ex parte subjecti cognoscat merita & demerita conditionatè futura, tamen hæc scientia è mente eorundem non subservit DEO, ad talia merita præmianda, & demerita punienda.

206. Deinde admissâ scientiâ Mediâ optimè confutantur errores præfati, iíque confutantur iis ipsis argumentis, quibus eosdem confutavit S. Augustinus. Nam imprimis errorem Pelagianorum, confutamus illis Pauli Apostoli verbis: *Quis est qui te discernit, quid enim habes, quod non accepisti?* Et dicimus cum S. Augustino lib. de gratia & libero Arbitrio cap. 6. *Cùm dicunt* (intellige Pelagiani) *æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis: si merita nostra sic intelligerent ut illa ipsa dona DEI agnoscerent, non esset reprobanda ista Sententia. Quoniam verò opera humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus respondet Apostolus: Quis te discernit: Quid habes quod non accepisti?* Errorem autem Semipelagionorum primùm confutamus illis Christi Domini verbis Joan. 15. *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sinè me nihil potestis facere.* Ex quo Scripturæ loco sic arguit S. Augustinus Tract. 81. in Joannem. *Nè quisquam putaret saltèm parvum aliquem fructum, à semetipso palmitem ferre, cùm dixisset hic fructum multum, non ait: Quia sinè me parùm, sed: nihil potestis facere. Sive ergo parùm, sive multum, sinè illo fieri non potest, sinè quo nihil fieri potest.* Contra alterum etiam Semipelagiano-

gianorum errorem arguimus cum eodem S. Auguſtino, imprimis ex lib. 1. ad Simplic. Quæſt. 2. *Si conceſſeris, potuiſſe quenquam improbari ex eo, quod nondum erat, ſed quia DEUS futurum præſciebat, confitetur eum potuiſſe etiam ex operibus approbari, quæ in illo DEUS futura præſciebat.* Secundò arguimus ex lib. de Prædeſt. SS. cap. 14. *Si judicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quæ non habuerunt, ſed habituri eſſent, ſi viverent, nihil prodeſſet ei, qui raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum ejus. Nihil itèm prodeſſet eis, qui lapſi moriuntur, ſi ante morerentur, quod nullus Chriſtianus dicere audebit.* Tertiò arguimus ex lib. de Dono Perſever. cap. 9. *An eò redituri ſumus, ut adhuc diſputemus, quanta abſurditate dicatur judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præſcivit DEUS, eos perpetraturos fuiſſe, ſi viverent; quod ità abhorret à ſenſibus Chriſtianis, ut etiam refellere pudeat. Cur enim non dicitur & ipſum Euangelium cum tanto labore, paſſionibuſque Sanctorum fruſtrà eſſe prædicatum, vel adhuc prædicari. Si judicari poterant homines etiam non audito Euangelio ſecundùm contumaciam, vel obedientiam, quam præſcivit DEUS eos habituros fuiſſe, ſi audiviſſent. Nec damnarentur Tyrii, & Sidonii, & non ſolùm remiſſiùs punirentur, quàm illæ civitates, in quibus à Chriſto Domino mirabilia ſigna ſunt facta. Quoniam ſi apud illos facta eſſent, in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent.*

207. Ratio ſecundi eſt. Quia imprimìs per edictum Sixti V. in Belgio, Authoritate Pontificia promulgatum per Octavium Catilinum, Nuntium Apoſtolicum Annô 1598. *Sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ præcipitur, nè quis in controverſia de Prædeſtinatione, & gratia opinionem ſuæ contrariam ullâ cenſurâ notet.* Secundò per Decretum Clementis VIII. *Permittitur, ut ambarum partium Magiſtri ſuam opinionem de gratia, præſcientia, & prædeſtinationis efficacia cum libertate conciliandâ, publicè tradant, ac defendant, ità tamen, ut niſi graviter plecti velint, à notanda adverſa opinione abſtineant.* Decretum hoc juſſu ſupremi Senatûs fidei ab Inquiſitionibus, Toletana, Pintiana, Valentina, & Hiſpalenſi intimatum eſt Provincialibus amborum Ordinum, Prædicatorum ſcilicet, & Societatis. Tertiò: Per Decretum Pauli V. Annô 1606. 28. Auguſti: *Utrique oppoſitæ Scholæ in materia auxiliorum dum aliud decerneretur, liberum eſſe ſuam Sententiam in Scholis modeſtè tueri, ſinè damnatione alterius partis.* Quartò: Ex Decreto Urbani VIII. 1625. 25. Maji approbante Decretum Pauli, *& prohibente alteram partem cenſurare.* Tandem ex Decreto Innocentii X. 1654. 23. Aprilis facto in Congregatione Generali Sac. Romanæ Inquiſitionis, in quo his expreſſis verbis dicitur: *Cæterùm cùm tam Romæ, quàm alibi circumferantur quædam aſſerta, acta manuſcripta, & forſan typis excuſa, Congregationum habitarum coram fel. record. Clemente VIII. & Paulo V. ſuper Quæſtione de Auxiliis tam ſub nomine Franciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quàm Fr. Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorúmque Theologorum, qui, ut aſſeritur, prædictis interfuerunt Congregationibus, nec non quoddam Authographum ſeu exemplar cujuſdam aſſertæ Conſtitutionis ejuſdem Pauli V. ſuper definitione prædictæ Quæſtionis de Auxiliis, ac damnationis ſententiæ ſeu Sententiarum Ludovici Molinæ, alioŕumque Societatis JESU Religioſorum, & Authographo, ſeu exemplari prædictæ aſſertæ Conſtitutionis Pauli V. nullam omnino fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, ſeu à quocunque alio allegari poſſe, vel debere, ſed ſuper Quæſtione prædicta obſervanda eſſe Decreta Pauli V. & Urbani VIII. ſuorum Prædeceſſorum.* Ex his

208. Colliges, quam Reverentiam Decretis hiſce Apoſtolicis detulerint; Fr. Joañes à S. Thoma dicens: *Per Scientiam mediam viã ſterni ad Semipelagianiſmum.* Fr. Gonetus aſſerens: *Scientiam mediam olim Pelagianis, vel Semipelagianis familiarem ex infauſto Fauſti ingenio, velut alteram Minervam ex Jovis cerebro progenitam.* Xantes Mariales appellans eandem Scientiam *novum figmentum, horridum monſtrum, univerſi inverſionem, blaſphemiam in Cauſam primam, blaſphemiam intollerabilem, ſacrilegam, cælo execrabilem, omnia tolerabilitatis limina tranſcendentem.* Aliique plura ſimilia convitia, & calumnias congerentes in eandem Scientiam, eámque apud ignaram plebem traducentes. His omnibus oppono alium, & longè contrarium ſenſum circa eandem Scientiam Fr Danielis à S. Joſeph. è Sacra, & de Eccleſia DEI optimè merita, Patrum Carmelitarum Calceatorum Familia Tom. 1. in S. Tho.

Thomam Disp. 24. cap. 4. dicit ille: *De hominum salute, quæ tota Divinæ gratiæ adjumentis, liberóque arbitrio nititur, malè merentur ii, qui conditionatam à DEO Scientiam rejiciunt, pejùs qui eam agnoscere coacti, absoluto, prædefinientique Decreto subjectam volunt, pessimè qui apud Theologicarum rerum indoctos, aut certè non satis peritos, maledictis suis in invidiam trahunt. De quibus ego sic censeo: eos in ista controversia, vel partis utriusque momenta non satis assequi, vel opinioni suæ potiùs, quàm veritati studere. Contrà verò plurimùm Rempublicam debere Christianam iis, qui conditionalem Scientiam absoluto DEI decreto priorem ex sacris Literis, Patrúmque, ac D. Thomæ monumentis vocaverint, quoquo modo liberam creaturæ voluntatem cum DEI Scientia, & auxiliis conciliet, ac itâ de Viclefi, Lutheri, & Calvini erroribus triumphet, magno Christiani orbis bono ostenderint.*

Proponuntur Objectiones.

209. Objicitur, & probatur: Scientiam mediam favere errori Semipelagianorum primò ex eo: Quia hæc Scientia est illa ipsa Scientia, quàm admittebant Semipelagiani, & cui suos errores infundabant.

210. Secundò objicitur. Quia Semipelagiani in eo errabant, quòd docerent initium salutis nostræ esse ex nobis. Hoc verò necessariò sequitur ex admissa Scientia media. Tum quia juxta Sententiam, quæ hanc Scientiam defendit, initium salutis nostræ debet ex nobis esse, saltèm partialiter. Tum quia initium salutis nostræ est ex libera determinatione voluntatis creatæ pro statu conditionato; cùm in hac ultimò resolvatur conversio nostra salutaris, nisi enim DEUS per Scientiam mediam prævidisset voluntatem creatam se determinaturam sub auxilio A., tale auxilium DEUS non conferret voluntati; adeòque hæc non converteretur.

211. Tertiò objicitur. Quia Semipelagiani docebant, DEUM præmiare merita conditionatè futura, & punire demerita itidem conditionatè futura. Hoc verò sequitur ex admissa Scientia media. Tum quia quoties DEUS confert hanc determinatè gratiam, ex eo, quòd per Scientiam mediam præviderit bonum usum ejusdem gratiæ, toties collatione gratiæ in statu absoluto præmiat bonum usum gratiæ conditionatè futurum. Sed DEUS ex eo confert hanc gratiam, quòd per Scientiam mediam præviderit bonum illius usum. Ergo. Tum quia merita conditionatè futura habent sufficientem bonitatem, quâ movere possint DEUM ad conferendum præmium. Ex vi enim talium meritorum voluntas cum iisdem meritis est præferibilis voluntati non habenti talia merita. Ergo DEUS hac bonitate meritorum conditionatè futurorum movetur, taliáque merita præmiat.

212. Objicitur quartò. Inter errores Semipelagianorum etiam hunc refert S. Prosper: quòd docuerint constitutionem DEI non prævenire voluntates humanas. Atqui hoc ipsum docetur ab Assertoribus Scientiæ mediæ. Ergo.

213. Objicitur quintò. Ut arguunt Salmanticenses: error Semipelagianorũ relatus à S. Hilario in Epistola ad S. Augustinum etiam hic fuit: quòd docuerint, & contenderint prædestinatos id posse admittere, & retinere propria voluntate, quidquid illis donatum est. Atqui hoc sequitur admissâ Scientiâ mediâ. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

214. Respondeo ad primum. Etiamsi Scientia media hæc ipsa esset Scientia futurorum conditionatorum, quam admittebant Semipelagiani, non sequitur tamen hinc, Scientiam mediam esse errorem Semipelagianorum. Ratio est. Quia etiamsi Semipelagiani in quibusdam erraverint, non erraverunt tamen in omnibus. Certè non erraverunt in eo, quòd præter gratiam externæ prædicationis agnoverint gratiam internam, neque in eo, quòd perfectam justificationem sinè gratia haberi non posse docuerint, tótque alios articulos fidei admiserint, in quibus non dissentiebant ab Ecclesia. Et quidem non erasse eos in hoc, quòd admiserint in DEO Scientiam conditionatè futurorum, certum est ex S. Augustino superiùs adducto, secundùm quem talis Scientia non potest nisi perversissimè negari. Scientia verò objectorum conditionatorum non potest esse alia, nisi Scientia media. Nego deinde scientiam illam, quam admittebant Semipelagiani, fu-

fuisse Scientiam mediam. Unde enim est, quòd hanc potiùs admiserint, & non scientiam objectorum conditionatorum dependentem à decreto ex parte subjecti absoluto prædeterminativo. Insuper inter Scientiam mediam, & inter scientiam conditionatam, à Semipelagianis assertam, magnum est discrimen. Primò ex eo: quòd per Scientiam mediam DEUS nullum actum pro statu conditionato possit videre ùt meritorium alicujus gratiæ, qui ipse non sit factus ex gratia. Scientia autem à Semipelagianis asserta erat talis, quâ DEUS prævidit aliquos actus conditionatè futuros meritorios primæ gratiæ, etiamsi illi ipsi actus non fierent ex gratia. Secundò hoc discrimen est inter utramque dictam scientiam, quòd Scientia media non subserviat DEO ad præmianda merita purè conditionata, nec ad punienda conditionata demerita. Scientia autem à Semipelagianis talis asserta fuit, quæ deserviret DEO ad præmianda merita, & punienda demerita conditionata.

215. Ad secundum Respondeo, negando Minorem. Ad primam Probationem dico: Nego, initium salutis nostræ esse à nobis etiam partialiter in sensu Semipelagianorum; scilicet non est etiam partialiter dependenter à nostris meritis, factis ex solis viribus naturæ, antecedentibus primam gratiam. Est nihilominus in aliquo sensu vero, & Catholico à nobis initium salutis nostræ, quatenus prima sancta Illustratio, in qua consistit prima gratia, & initium salutis est effectivè partialiter ab intellectu creato; tanquam à causa partiali. Idque est nonnisi physicè à dicto intellectu, non verò moraliter, quatenus hæc Illustratio nullatenus pendet à libertate creata.

Secundam Probationem cum ulteriori sua Probatione nego, & dico: Conversionem nostram salutarem non resolvi ultimò in liberam determinationem voluntatis nostræ, sed potiùs resolvitur in specialem DEI benevolentiam, ejúsque gratiam. Tum quia, quòd ponatur conversio salutaris Petri, ex eo habetur, quòd DEUS selegerit auxilium ex pluribus, quod per Scientiam mediam prævidit congruum, & efficax. Hoc autem ipsum, quòd DEUS selegerit auxilium hoc, & non aliud, provenit id ex speciali DEI benevolentia, & misericordia. Sicut in Sententia Thomistarum, quòd ponatur conversio Petri, non habetur ultimò ex eo, quòd DEUS per Scientiam simplicis Intelligentiæ, vel per scientiam visionis prævideriт hoc auxilium infallibiliter connexum cum conversione Petri, sed potiùs habetur ex eo, quòd DEUS ex suo puro beneplacito ex pluribus auxiliis, quorum quædam sunt de se efficacia, alia inefficacia, illud conferat, quod prævidit ex se fore efficax, & infallibiliter illativum conversionis Petri. Tum quia ipsa etiam libera determinatio conversionis à voluntate creata, pro statu etiam conditionato, præsupponit gratiam Divinam ex parte hypothesis, tanquam suam causam. Ergo etiam pro illo statu conversio Petri in gratiam Divinam principaliter ultimò resolvi debet.

216. Ad tertium Respondeo negando Objectionis Majorem. Primam Probationem distinguo: Quoties DEUS confert hanc gratiam ex eo, quòd per Scientiam mediam prævideriт bonum usum ejusdem gratiæ, per ly *ex eo, quòd* significando rationem *causæ meritoriæ, & motivæ*, toties DEUS absoluta collatione gratiæ præmiat bonum usum ejusdem gratiæ conditionatè futurum. Concedo Majorem. Quoties DEUS confert hanc gratiam, ex eo, quòd bonum usum illius prævideriт, si per ly *ex eo, quòd* significetur ratio *causæ finalis*, toties absoluta collatione gratiæ præmiat DEUS bonum usum illius conditionatè futurum. Nego Majorem, & Minorem distinguo: Sed DEUS ex eo confert hanc gratiam pro statu absoluto, quòd per Scientiam mediam prævideriт bonum illius usum conditionatè futurum; per ly, *ex eo quòd*, significando causam meritoriam, & motivam. Nego Minorem. Per ly, *ex eo, quòd*, significando causam finalem, ut sensus sit: quòd DEUS quia vult pro statu absoluto bonum gratiæ usum tanquam finem, ideò hanc gratiam, & auxilium confert tanquam medium, cujus gratiæ bonum usum prævidit per Scientiam conditionatam, seu mediam. Concedo Minorem, & nego Consequentiam. Datæ Distinctionis fundamentum desumptum est ex S. Thoma 1. part. Quæst. 23. Art. 5. ad 1. ubi S. Doctor sic habet: *Dicendum est, quòd*

quòd bonus usus gratiæ præscitus non sit ratio collationis gratiæ, nisì secundùm rationem causæ finalis.

Secundæ Probationis nego Minorem. Quare autem merita conditionata non habeant sufficentem bonitatem, quâ DEUM movere possint pro statu absoluto, redditæ sunt aliquot Rationes ex S. Augustino num. 206. Prima: Quòd uni, eidémque homini déberet simul conferri præmium, & irrogari pœna, seu deberet simul aliquis salvari, & damnari. Qua ratione enim merita, v. g. Petri conditionatè futura haberent sufficientem bonitatem, quâ moverent DEUM ad præmium conferendum, & retribuendam vitam æternam Petro, ea ratione demerita ejusdem Petri itidem conditionatè futura (quæ etiam DEUS prævidere potest) haberent sufficientem inhonestatem, & malitiam, quâ DEUM moverent ad infligendam pœnam, & damnationem æternam. Secunda: Quia si merita conditionata haberent bonitatem sufficientem ad hoc, ut pro statu absoluto præmientur, demerita verò conditionata sufficientem malitiam, ut puniantur, non prodesset illi quidquam, qui in infantia raperetur, nè malitia mutaret intellectum ipsius; non prodesset, inquam id, quòd raperetur. Æquè enim deberet puniri ob demerita conditionatè futura, atque si raptus non fuisset. Tertia: Quia sequeretur frustrà prædicatum fuisse, atque etiam nunc prædicari Euangelium tanto labore, ac passionibus Sanctorum, si ad meritum sufficeret fides conditionatè futura, ad demeritum verò sufficeret infidelitas etiam conditionata. Tyrii etiam, & Sidonii propter conversionem suam conditionatam debuissent præmiari, & salvari, qui tamen dicuntur puniendi, quamvis remissiùs. Ulteriorem Probationem distinguo: Voluntas cum meritis conditionatis est præferibilis voluntati non habenti talia merita; præferibilis, inquam, præferibilitate sufficiente ad rationem meriti. Nego. Est præferibilis præferibilitate sufficiente, ut collatio absoluta auxilii, sub quo prævisus est actus, assumatur in medium ad obtinendum pro statu absoluto bonum talis auxilii usum. Concedo Probationem.

217. Ad quartum Respondeo negando Minorem. Potiùs enim oppositum asseritur à Propugnatoribus Scientiæ mediæ. Hi enim cùm doceant, quòd voluntates creatas, seu actus salutares præcedat collatio gratiæ, docent consequenter, quòd easdem voluntates præcedat constitutio, seu decretum de conferenda gratia; ídque docent, quòd pro statu conditionato constitutio, seu decretum de conferenda gratia, conditionatum ex parte subjecti, præcedat actum voluntatis creatæ conditionatè futurum. Pro statu verò absoluto docent, quòd constitutio, seu decretum absolutum de gratia conferenda, præcedat actum voluntatis creatæ absolutè futurum. Addo, quòd in principiis Sententiæ Scientiam mediam propugnantis, ità constitutio DEI pro statu absoluto præveniat voluntates nostras, seu actus nostræ voluntatis absolutè futuros, ut iidem actus prout conditionatè futuri, præveniant ipsam constitutionem pro statu absoluto. Hi enim actus prout conditionatè futuri, ratione Scientiæ mediæ dirigentis constitutionem, seu decretum DEI pro statu absoluto, præcedunt eandem constitutionem. Cæterùm per hoc nè minimum quidem favetur errori Semipelagianorum, qui asserebant voluntates nostras conditionatè futuras, easque independentes à gratia, præcedere per modum meriti, & motivi constitutionem, seu decretum DEI absolutum de conferenda gratia.

218. Ad quintum Respondeo: Errorem Semipelagianorum relatum à S. Hilario in eo fuisse: quòd illi voluerint prædestinatos posse amittere, vel retinere propria sua voluntate, ex solis viribus naturalibus operante, quidquid illis donatum est. Adeóque voluntatem suis naturalibus viribus posse retinere, aut acquirere aliqua dona Divina. Ab hoc tamen errore longè distat sententia defendens Scientiam mediam. Licèt enim in hac sententia voluntas creata, seu naturæ viribus possit admittere, quod illi donatum est; quia suæ naturæ viribus potest peccare; adeóque per peccatum potest demeritoriè inducere privationem gratiæ, aliorúmque supernaturalium donorum. Tamen solis naturæ viribus non potest retinere, quod illi donatum est. Quia in hac sententia ad perseverantiam finalem in gratia, ad vincendas graviores tentationes, per qualem perseverantiam, & tentationum victoriam retinetur, quod do-

donatum eſt, requiritur gratia Divina, eáque ſpecialis. Addo: Prædeſtinatos reduplicativè ſumptos, & ex ſuppoſitione conſequente retentionis donorum Divinorum ad mortem, non poſſe amittere id, quod illis donatum eſt; licèt ex ſuppoſitione antecedente poſſint amittere; ipſa tamen ſuppoſitio conſequens retentionis donorum non habetur per ſolas naturæ vires.

§. III.

Quæ ſit neceſſitas admittendæ in DEO Scientiæ mediæ?

219. Reſpondeo: Ex pluribus capitibus debere admitti in DEO Scientiam mediam. Primò: Ut DEO conveniat ratio Intellectivi perfectiſſimi, & Entis omniſcii, amoveatúrque ab eo omnis ignorantia alicujus certæ, & determinatæ veritatis. Secundò: Ut DEUS tali ſcientia dirigatur in exercenda ſua univerſali providentia. Tertiò: Ut poſſit ſuam ſpecialem benevolentiam teſtari in electos. Quartò: Ut concilietur infallibilitas gratiæ efficacis, & prædeſtinationis Divinæ, ejúſque prædefinitionum cum libertate creata.

Ratio primi patet ex dictis ſuperiùs, ubi oſtendimus non admiſsâ ſcientiâ futurorum conditionatorum liberorum (quæ Scientia media appellatur) DEUM non futurum omniſcium, ſed potiùs futurum ignorantem alicujus determinatæ veritatis.

220. Ratio ſecundi eſt. Tum quia Providentia ſaltèm inadæquatè ſumpta eſt diſpoſitio, & ordinatio mediorum ad finem infallibilis, & infruſtrabilis. Sed talis diſpoſitio, & ordinatio debet fieri dependenter à Scientia media. Diſpoſitio enim, & ordinatio mediorum ſecundùm ſe indifferentium ad aliquem finem non poteſt eſſe infallibilis, & infruſtrabilis, niſi fiat ex directione Scientiæ mediæ. Et ſic ſi Deus velit efficaciter aliquem actum ſalutarem Petri, non poteſt ex intentione talis finis ordinare alia auxilia ex ſe indifferentia tanquam media, præterquam quæ prævidit per Scientiam mediam, ſortitura effectum. Ergo. Tum quia Deus exercet Providentiam univerſalem miſerendo, cui vult miſereri, & indurando, quem vult indurare. Atqui DEUS non poteſt miſereri, cui vult miſereri, nec poteſt indurare, quem vult indurare ſinè directione Scientiæ mediæ. Non poteſt imprimis miſereri, cui vult miſereri ſinè directione Scientiæ mediæ. Siquidem Deus non aliter alicui poteſt miſereri ex doctrina S. Auguſtini, niſi *eum, cujus vult miſereri, ità vocando, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Quod ipſum ſcit per Scientiam mediam. Non poteſt etiam DEUS indurare quempiam, niſi dependenter à directione Scientiæ mediæ. Obduratio enim, quâ DEUS obdurat peccatorem, ſecundùm S. Auguſtinum lib. 1. ad Simplic. eſt: *Nolle miſereri, ut non ab illo aliquid erogetur, quo homo deterior fiat, ſed tantùm quo ſit melior, non erogetur.* Atqui quòd à DEO non erogetur id, quo homo ſit melior, habetur ex directione Scientiæ mediæ. Hæc enim DEO repræſentat aliqua auxilia, quibus homo ſuo vitio non eſt futurus melior, alia autem, quibus futurus eſt melior. Ergo.

221. Ratio tertii eſt. Quia DEUS ſpecialem benevolentiam in electos per hoc exercet, quòd ſeligat media, ſeu auxilia congrua, & efficacia, taliáque liberaliter, & gratuitò conferat electo. Sed auxilia congrua, & efficacia DEUS ſeligere non poteſt, niſi dependenter à directione Scientiæ mediæ. Quia per hanc ſolam Deus infallibiliter cognoſcit, quodnam auxilium ex ſe indifferens reſpectu hujus hominis ſit futurum congruum, & efficax. Ergo.

222. Ratio quarti eſt. Quia in Sententia admittente Scientiam mediam, efficacia gratiæ conſiſtit in his duobus: in entitate auxilii ſupernaturalis ex ſe indifferentis, & in conſenſu ſalutari conditionatè futuro, & per Scientiam mediam prævíſo. Atqui infallibilitas taliter conſtitutæ efficaciæ gratiæ conciliatur cum libertate creata per Scientiam mediam. Infallibilitas enim inferendi conſenſum ſalutarem pro ſtatu abſoluto deſumitur à futuritione infallibili conditionata ſub tali auxilio, per Scientiam mediam prævíſa, & à collatione abſoluta auxilii, ſub quo actus ſalutaris erat conditionatè futurus. Talis verò infallibilitas optimè conciliatur cum libertate creata. Hanc enim neque tollit Scientia media, cùm ipſa

ipsa sit indirectè impedibilis per oppositum dissensum. Neque tollit eandem libertatem futuritio conditionata, ejúsque infallibilitas. Hæc enim infallibilitas est ex suppositione consequente exercitæ libertatis. Talis verò infallibilitas stat optimè cum libertate, imò eam essentialiter infert. Neque etiam tollit libertatem collatio absoluta indifferentis auxilii, cùm potiùs de ratione libertatis sit, ut in statu maximè absoluto ex parte actûs primi auxilia; & omnia comprincipia actûs, & requisita sint indifferentia. Nec obstat, quòd futuritio actûs conditionata sit prior futuritione absoluta ejusdem actûs. Non obstat, inquam; Futuritio enim conditionata solùm est prior prioritate Logica, quàm futuritio absoluta; quæ prioritas consistit in non mutua subsistendi consequentia, quatenus futuritio absoluta supponit conditionatam; non è contra: tamen dicta futuritio conditionata non influit physicè in absolutam; adeóque nullatenus libertatem ipsius tollere potest.

223. Simili ratione conciliatur infallibilitas prædestinationis Divinæ, ejúsque prædefinitionum cum libertate creata. Imprimis enim infallibilitas prædestinationis Divinæ propriè dictæ ex eo habetur, quòd DEUS velit quempiam salvari sub illis auxiliis, quibus per Scientiam mediam prævidit eum consensurum, & finaliter cooperaturum, & perseveraturum in sua gratia. Infallibilitas verò prædefinitionum Divinarum per hoc habetur, quòd DEUS actum salutarem non sub alio auxilio prædefiniat, nisi sub illo, sub quo per Scientiam mediam prævidit talem actum conditionatè futurum. Atqui neque voluntas salvandi quempiam sub illis auxiliis, quibus consensurum, & finaliter cooperaturum prævidit per Scientiam mediam, neque prædefinitio actûs salutaris sub illo auxilio, sub quo per eandem scientiam prævidit talem actum conditionatè futurum, tollit libertatem. Siquidem neque per illam voluntatem, neque per prædefinitionem explicatam ponitur principium, aut requisitum ex parte actûs primi inimpedibile à voluntate creata, & connexum essentialiter cum actu secundo. Ergo.

Pro solvendis Objectionibus.

224. Noto primò. DEUM specialem suam benevolentiam in eas creaturas rationales posse exercere, per collationem & selectionem auxiliorum efficacium gratiæ, quas creaturas prævidit per scientiam Mediam certis auxiliis cooperaturas, certis non cooperaturas. Quodsi daretur talis creatura rationalis, quam DEUS per Scientiam mediam prævideret nulli suo auxilio consensuram, sed omnia & singula reddituram inefficacia, in quali creatura non apparet metaphysica implicantia, etiamsi moraliter loquendo probabile, & S. Augustino conforme, unamquámque saltèm ex creaturis rationalibus existenbus, à DEO prævideri certis auxiliis consensuram, certis non consensuram. Quodsi inquam daretur talis creatura, DEUS non posset in illam exercere specialem suam benevolentiam per selectionem auxilii efficacis. Per hoc tamen non involveretur in DEUM ulla imperfectio, Hoc enim fieret vitio illius creaturæ, quæ pro sua libertate singula respueret auxilia.

225. Noto secundò. Efficaciam gratiæ aliam esse in actu primo, aliam in actu secundo. Efficacia gratiæ in actu primo constituitur entitate auxilii in Recto, in obliquo, consensu conditionatè futuro. Efficacia verò gratiæ in actu secundo constituitur eadem entitate auxilii, absolutè existentis in Recto, in obliquo verò consensu absoluto. Efficacia gratiæ in actu primo sumpta adæquatè; hoc est sumpta tam secundùm id, quod dicit in Recto, quàm secundùm id, quod dicit in obliquo, præcedit consensum salutarem pro statu absoluto. Nam illum præcedit non solùm secundùm entitatem auxilii, sed etiam secundùm esse consensûs conditionati, licèt diversimodè. Auxilium enim gratiæ consensum salutarem absolutum præcedit physicè, & tanquam causa physica ejusdem. Consensus autem Conditionatus præcedit nonnisi Logicè consensum, hoc est, se ipsum prout absolutum.

226. Noto tertiò. Principium illud communiter receptum: *Ab iisdem principiis debere rem dependere pro statu absoluto, à quibus dependet pro statu conditionato*; salvari optimè, etiamsi consensus absolutus præsupponat gratiam efficacem in actu primo quâ talem, non supponat autem eandem gratiam consensus conditionatus. Consensus enim absolutus, præsupponit tam

tam entitatem auxilii absolutè collati, quàm consensum conditionatum, quibus duobus constituitur efficacia gratiæ in actu primo. Consensus autem conditionatus licèt præsupponat entitatem auxilii, non præsupponit tamen consensum conditionatum, aliàs præsupponeret se ipsum. Hoc, inquam, non obstante salvatur optimè illud principium: Siquidem æqualiter tam consensus conditionatus, quàm consensus absolutus dependet ab entitate auxilii tanquam à principio. Non dependet verò ullus horum consensuum à consensu conditionato, tanquam à principio sui. Consensus enim conditionatus, licèt aliqua prioritate præcedat consensum absolutum, non præcedit tamen illum ùt principium & causa ejusdem. Quatenus verò consensus salutaris pro statu absoluto, dependet à directione Scientiæ Mediæ, à qua non dependet pro statu conditionato, illud Principium intelligendum est eo sensu: actum pro statu absoluto ab iisdem principiis per se requisitis ad actum debere dependere, à quibus dependet pro statu conditionato, non verò ab iisdem principiis etiam illis, quæ per accidens requiruntur. Porrò directio Scientiæ Mediæ est principium per accidens requisitum ad actum salutarem pro statu absoluto. Sive enim scientia Media DEUM dirigeret in conferendo tali auxilio, sive non, dummodo DEUS illud conferret, adhuc sequeretur, & poneretur à voluntate creata consensus salutaris.

§. IV.

An Scientia futurorum liberorum Conditionatorum, independens à Decreto DEI absoluto ex parte subjecti, rectè dicatur Scientia Media?

227. Quæstio hæc est quæstio purè de nomine. Nec eodem modo resolvitur ab omnibus. Suarez, Vasquez, Bellarminus, Valentia, Arubal, Scientiam hanc volunt esse scientiam simplicis Intelligentiæ. Molina verò & plures alii è Nostris censent hanc scientiam esse denominandam Scientiam Mediam, inter scientiam simplicis Intelligentiæ & inter scientiam Visionis. Contra quam Denominationem siquidem acriùs insurgunt aliqui Thomistæ, præcipuè verò Salmanticenses.

228. Dicendum est Scientiam futurorum conditionatorum independentem à Decreto DEI absoluto ex parte subjecti, &c. rectè appellari Scientiam Mediam inter scientiam simplicis Intelligentiæ, & inter scientiam Visionis.

Ratio est. Scientia quæ neque est simpliciter scientia simplicis Intelligentiæ, neque est simpliciter scientia Visionis, participat tamen aliquid de utrâque hac scientia, rectè dicitur Scientia Media. Siquidem talis scientia est media inter illas duas, non solùm negativè, quatenus neutra est simpliciter; sed etiam est media positivè, participando de utraque aliquid tanquam de duplici extremo. Atqui scientia futurorum conditionatorum liberorum independens à Decreto absoluto ex parte subjecti &c. neque est simpliciter scientia simplicis Intelligentiæ. Quia scientia simplicis Intelligentiæ est scientia objectorum merè possibilium, est itèm scientia necessaria. Jam verò scientia futurorum conditionatorum independens à Decreto absoluto, non est scientia objectorum merè possibilium, cùm futura conditionata constituant diversum statum & ordinem objectorum, à statu & ordine objectorum merè possibilium. Eadem etiam Scientia non est scientia Necessaria, cùm scientia horum determinatè futurorum, potuerit non esse in DEO, sed alia. Neque etiam prædicta scientia conditionatè futurorum est simpliciter scientia Visionis. Quia scientia Visionis versatur circa futura absoluta, & est dependens à Decreto DEI absoluto, consequenter est DEO absolutè formaliter libera. Scientia verò liberorum conditionatè futurorum, de qua agimus, non versatur circa futura absoluta, sed solùm circa futura conditionata; est etiam independens à Decreto DEI absoluto, nec est absolutè formaliter DEO libera. Ergo. Insuper scientia hæc liberorum conditionatè futurorum, participat aliquid tam de scientia simplicis Intelligentiæ, quàm de Scientia Visionis. Quia de Scientia simplicis Intelligentiæ participat independentiam à Decreto DEI absoluto, de scientia Visionis participat contingentiam.

229. Noto. Immeritò in hac scientia, quam dicimus Mediam, reprehendi ab Adversariis novitatem nominis. Tum quia nomen Scientiæ Mediæ, æquè est antiquum & tunc natum, quando natum & auditum est in Scholis nomen prædeterminationis physicæ, itèm nomen Decreti prædeterminativi; prætereà nomen Decreti absoluti ex parte subjecti, conditionati ex parte objecti. Si ergo hæc nomina non arguuntur novitatis, etiam nomen scientiæ Mediæ, non debet ob novitatem redargui. Tum quia etiam nomina Distinctionis formalis ex natura rei, & Distinctionis virtualis Intrinsecæ, fuerunt aliquando nova, dum recenter fuissent imposita & usurpata à Scoto & Thomistis,& tamen nemo invehebatur, nec prudenter invehi potuit in hæc sola nomina; sed potiùs Philosophi & Theologi negantes dictas Distinctiones, dissimulato nomine rem ipsam his nominibus significatam impugnabant & insectabantur. Hoc ergo pariter præstaret facere impugnatores scientiæ Mediæ. Tum quia S. Augustinus de dono Persever. cap. 10. docet non debere reprehendi eos, qui occasione novarum hæresum vel controversiarum, ad res distinctiùs explicandas, usurpant nova nomina.

§. V.

An DEUS habeat Scientiam, & qualem de suis actibus conditionatè futuris?

230. Actus Divinos conditionatè futuros ad duplicem classem revocant aliqui Theologi, quosdam dicunt esse tales, qui ex parte hypothesis important scientiam Mediam directam circa actus liberi arbitrii creati; alios, qui ex alia hypothesi non dicente scientiam Mediam, sunt conditionatè futuri dependenter à libera voluntate Divina. Utrósque hos actus cognosci à DEO, de illísque haberi scientiam docent communiter Theologi, qui hanc Quæstionem tractant. Et quidem scientiam actuum Divinorum sub conditione scientiæ Mediæ de actibus creatis liberis conditionatis, vocant scientiam reflexam. Scientiam verò actuum Divinorum conditionatè futurorum, ex parte hypothesis non dicentium scientiam Mediam, vocant scientiam directam actuum Divinorum, conditionatè futurorum. Qualis verò hæc sit scientia? non convenit inter Doctores. Molina, Esparsa, Maurus, & P. Morawski censent actus DEI liberos conditionatè futuros cognosci per Scientiam visionis in decreto absolutè existente, ratione affectivi modi tendendi habente connexionem cum illis decretis, quæ sunt conditionatè futura. E contrà Perez, Isquirdo, & plures Recentiores docent, quoscunque actus DEI liberos conditionatè futuros cognosci in se ipsis independenter ab omni decreto absoluto ex parte subjecti; adeóque cognosci ipsos per Scientiam mediam.

231. Respondeo, & dico: DEUM actus suos liberos conditionatè futuros sub quacunque conditione contingente cognoscere certò, & infallibiliter, ídque cognoscit tales actus per Scientiam mediam.

Ratio primi est. Tum quia Deus revelavit aliquos actus suos liberos conditionatè futuros. Nimirū Psal. 88. habetur revelatū: *Si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum.* Et 4. Reg. 13. *Si percussisses* (intellige terram) *quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Ergo DEUS cognoscit eosdem actus. Tum quia ex sacris Scripturis deducitur: quòd Christus non venisset, si Adam non peccâsset. Ergo hoc est revelatum per easdem sacras Scripturas. Adeóque à DEO cognitum,& scitum est. Ergo ulteriùs cognitum est, à quo dependet hæc veritas: Quòd Christus non venisset, si Adam non peccâsset. Sed hæc dependet à decreto DEI conditionato, quô DEUS Incarnationem Verbi non decrevisset, potiúsque decrevisset ejus negationem, si Adam non peccâsset. Ergo. Confirmatur. Alterutrum est determinatè futurum sub hypothesi, si Adam non peccâsset, vel quòd decrevisset DEUS Incarnationem, vel quòd non decrevisset. Ergo id, quod est conditionatè determinatè futurum, cognoscit DEUS.

232. Ratio secundi est. DEUS sua decreta, & actus liberos conditionatè futuros cognoscit in se ipsis independenter ab omni decreto absolutè existente. Ergo cognoscit illa per Scientiam mediam. Con-

Conſequentia patet. Quia ſcientia objectorum conditionatè futurorum in ſe ipſis independens à decreto abſoluto, quoad rem eſt Scientia media. Antecedens probatur. Tum quia DEUS futura conditionata dependentia à libertate creata cognoſcit in ſe ipſis independenter à decreto ſuo abſoluto, ſeu abſolutè exiſtente. Quare ergo eodem modo non cognoſcit futura conditionata dependentia à ſua libertate Divina? qualia ſunt decreta DEI libera conditionatè futura. Tum quia DEUS decreta ſua conditionatè futura neque cognoſcit in decreto prædeterminativo abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti. Cùm talis decreti nulla ſit neceſſitas, & nullum fundamentum; cùm præterea tale decretum DEUM maximè dedeceat, & ſit deſtructivum libertatis immediatæ decretorum illorum conditionatè futurorum. Neque etiam DEUS cognoſcit ſuum decretum conditionatè futurum in aliquo ex præſentibus decretis, ùt quidam Recentiores volunt, quatenus docent, hanc veritatem: quòd DEUS non decreviſſet Incarnationem, ſi Adam non peccâſſet: cognoſcere DEUM in præſenti decreto, quô vult Incarnationem in remediũ peccati, & quô ſingulariùs afficitur remedio peccati. Præſens enim decretũ non poteſt inducere in DEUM ullam neceſſitatem ad hoc, ut variata hypotheſi decreti præſentis DEUS decreviſſet negationem Incarnationis. Deinde ſcientia decretorum conditionatorum præcedit decretum præſens. Cùm & de hoc præſenti decreto, antequam formaretur, tanquam de conditionatè futuro, DEUS habuerit ſcientiam. Ergo hæc ſcientia non eſt dependens ab ullo decreto abſolutè exiſtente. Inſuper præſens decretum de ponenda Incarnatione propter remedium peccati impertinenter ſe habet ad illud decretum purè conditionatum, quod DEUS haberet de non ponenda Incarnatione, ſi Adam non peccâſſet. Nec poteſt DEUM determinare ad illud aliud decretum conditionatum. Si enim Adam non peccâſſet, non fuiſſet in DEO præſens decretum de afferendo remedio peccati. Quomodo ergo poſſet DEUM determinare ad illud aliud decretum de non ponenda Incarnatione?

233. Infero ex Probatione utriuſque partis Concluſionis, in DEO dari ſcientiam actuum DEI liberorum conditionatè futurorum, tam directam, quàm etiam reflexam. Datur Scientia media directa. Quia DEUS quoſdam ſuos actus conditionatè futuros cognoſcit in ſe ipſis independenter à decreto abſolutè exiſtente; cognoſcit, inquam, futuros conditionatè ſub hypotheſi non involvente Scientiam mediam. Talis eſt ille actus, quô DEUS ſub hypotheſi, ſi decerneret creationem alterius mundi, conditionatè decerneret tot, & hos determinatè ex poſſibilibus Angelos ſe creaturum. Datur etiam Scientia media reflexa actuum Dei liberorum conditionatè futurorum. Quia datur in DEO ſcientia, quâ cognoſcit quoſdam ſuos actus liberos conditionatè futuros ſub hypotheſi involvente ſcientiam ſuam mediam, circa actus liberos creatos conditionatè futuros, idque cognoſcit tales actus in ſe ipſis, & independenter à decreto abſolutè exiſtente. Talis ſcientia eſt illa, quâ DEUS cognoſcit: ſi viderem Petrum conſenſurum auxilio A, decernerem dare illi idem auxilium. Illa itèm: ſi vidiſſem Adam non peccaturum, non decreviſſem Incarnationem Filii DEI.

Proponuntur Objectiones.

234. Objicitur primò. Si DEUS per Scientiam mediam videret actus ſuos liberos, per talem ſcientiam videret hunc v. g. ſuum actum: ſi præviderem Petrum diſſenſurum auxilio A, non darem illi idem auxilium A. Sed hunc actum Deus non cognoſcit. Ergo. Minor probatur. DEUS per nullam ſuam ſcientiam cognoſcit hunc actum, nec habet talem ſcientiam: ſi decernerem Petro dare auxilium A, & præviderem ipſum diſſenſurum dicto auxilio, non decernerem Petro dare auxilium A. Talis enim ſcientia eſt implicatoria. Quia implicatorium eſt, ut DEUS ſub hypotheſi, ſi decerneret Petro dare auxilium A. non decernat Petro dare auxilium A. Ergo neque illam Deus poteſt habere ſcientiam: ſi præviderem Petrum diſſenſurum auxilio A, non darem Petro auxilium A. Hæc enim ſcientia dicit implicitè, & ſupponit illam aliam, imò non aliam, ſed eſt omnino idem cum illa ſcientia: ſi decernerem Petro dare auxilium A, & præviderem Pe-

trum tali auxilio dissensurum, non decernerem Petro dare auxilium A. Siquidem Deus non potest prævidere Petrū dissensurum auxilio A, nisi ex parte hypothesis prævideat decerni, & dari Petro auxilium A.

235. Objicitur secundò. DEUS hunc suum actum: si Petrus auxilio A consentiret, prædestinarem Petrum; hunc, inquam, suum actum non cognoscit independenter à decreto absoluto. Ergo non cognoscit eundem actum per Scientiam mediam. Antecedens probatur. Deus hunc actum Petri conditionatè futurum: *Si Petro darem auxilium A, Petrus consentiret*, cognoscit independenter à decreto suo absoluto. Sed cognoscit illum per Scientiam mediam, ùt deductum est Punct. 1. hujus Quæstionis. Ergo illum suum actum: *Si Petrus auxilio A consentiret, prædestinarem eundem Petrum*, non cognoscit independenter à decreto suo absoluto, sed potiùs cognoscit illum dependenter à tali decreto. Consequentia probatur. Si DEUS & illum actum Petri conditionatè futurum, de quo in Antecedenti, & hunc suum actum itidem conditionatè futurum, de quo dicitur in Consequenti; si, inquam, DEUS utrumque hunc actum cognosceret independenter à decreto suo absoluto, tunc DEUS videret etiam prædestinationem Petri absolutam independenter à decreto absoluto. Sed hoc implicat. Licèt enim DEUS possit dici videre prædestinationem Petri conditionatè futuram, independenter à decreto Dei absoluto, tamen non potest videre prædestinationem absolutam independenter à decreto absoluto. Cùm ipsa prædestinatio Petri absoluta sit decretum DEI absolutum. Ergo. Sequela immediati Argumenti probatur. Data duplici illa Scientia: unâ, quâ Deus videt: *Si Petro darem auxilium A, consentiret*. Alterâ, quâ Deus videt: *Si Petrus consentiret auxilio A, prædestinarem Petrum*. Data, inquam, hac duplici scientia, prædestinatio Petri est absolutè futura, non datô absolutè decretô prædestinativo. Prædestinatio enim conditionatè futura transit in absolutam per depurationem conditionis, sub qua videtur dicta prædestinatio. Depuratio verò conditionis habetur per priorem illam scientiam, quâ Deus videt Petrum consensurum auxilio A, si detur illi hoc ipsum auxilium. Sed hæc prædestinatio taliter absolutè futura, hoc est, futura absolutè per depurationem conditionis est futura independenter à decreto DEI absoluto. Cùm à tali decreto nec depuratio conditionis dependeat. Quia non dependet scientia, quâ Deus videt Petrum consensurum auxilio A, si ei tale auxilium conferatur; quæ scientia est depuratio conditionis venientis in altero actu Divino. Nec dependet ipsa scientia, quâ Deus cognoscit: *Si viderem Petrum consensurum auxilio A, prædestinarem Petrum*. Siquidem etiam hæc scientia, illiúsque objectū est independens à decreto Dei absoluto, prout per Conclusionem asseritur. Ergo.

236. Objicitur tertiò. Si Deus ante omne suum decretum absolutum præcognosceret actus suos conditionatè futuros, læderetur, ac tolleretur libertas Divina. Sed hoc implicat. Ergo. Sequela probatur. Quando Deus habitâ hac scientiâ conditionatâ: si viderem Petrum consensurum auxilio A, prædestinarem Petrum; neque esset liber in prædestinando Petro ante talem scientiam, neque esset liber post talem scientiam, tunc DEUS absolutè non esset liber in prædestinando Petro. Sed ità defacto est. Nam imprimis ante prædictam scientiam Deus non esset liber. Quia ante hanc Deus nullum absolutum decretum habet, per quod exerceat libertatem. Non est etiam liber Deus post illam scientiam, quâ cognoscit: quòd si videret Petrum consensurum auxilio A, prædestinaret Petrum. Existente enim in DEO tali scientia, & dato, quòd Petrus sit consensurus auxilio A, si illi detur, prædestinatio Petri est infallibiliter futura, nec potest non esse futura; aliàs hoc ipso falleretur scientia DEI. Confirmatur primò. Hæc scientia: si Petrus consenserit auxilio A, prædestinabo Petrum, debet esse libera DEO, non verò libera creaturæ. Quia est scientia circa actum DEI liberum. Sicut è contra Scientia media circa actus liberos creaturæ dicitur libera creaturæ, & non ipsi DEO. Atqui dicta scientia non est libera DEO, sed potiùs est libera Petro. Si enim Petrus liberè consentiat auxilio A, Deus necessitatur ad prædestinandum Petrum. Quia necessitatur ad non falsificandam suam scientiam. Ergo. Confirmatur secundò. Scientia, quâ Deus videt actus

ctus ſuos liberos conditionatè futuros, alligat DEUM, ejúſque voluntatem ad unam partem, nec relinquit indifferentiam voluntatis Divinæ ad utrumlibet. Nimirum alligat voluntatem DEI ad id volendum, & illum actum habendum pro ſtatu abſoluto, qui per Scientiam mediam præviſus eſt futurus pro ſtatu conditionato, ità ut eadem voluntas Divina pro ſtatu abſoluto non poſſit habere alium actum. Ergo hæc ſcientia tollit libertatem Divinam. Confirmatur tertiò. Operatio prior virtualiter intrinſecè omni decreto DEI libero non poteſt eſſe libera formaliter DEO. Libertas enim Divina per modum actûs ſecundi eſt libertas propria decretorum Divinorum, illiſque ſolis formaliter conveniens, & ab ipſis derivata. Sed Scientia media circa actus Divinos liberos eſt virtualiter prior decreto DEI libero, utpote ipſius decreti directiva. Ergo hæc Scientia non poteſt eſſe libera DEO.

237. Objicitur quartò. Si DEUS per Scientiam mediam cognoſceret actus ſuos liberos conditionatè futuros, potiſſimum hujus fundamentum eſſet ex paritate petita ab actibus liberis creatis conditionatè futuris, quos actus Deus cognoſcit in ſe ipſis, & independenter à decreto ſuo abſoluto; adeóque per Scientiam mediam. Sed hoc fundamentum non eſt efficax. Tum quia ideò Deus cognoſcit actus liberos creatos conditionatè futuros, ut tali ſcientia dirigatur in formandis ſuis decretis abſolutis, & ut ſalva illorum infruſtrabilitate libertas quoque creata illæſa maneat. Sed non eſt hæc neceſſitas ſcientiæ, quâ Deus cognoſcat actus ſuos liberos conditionatè futuros. Quia hac ſcientiâ Deus non dirigitur in formandis ſuis decretis abſolutis. Cùm abſque hac directione non ſit periculum lædendæ libertatis actuum Divinorum. Per quid enim hæc, & à quo læderetur? Ergo. Tum quia etiamſi liberum arbitrium creatum priùs exiſtat intentionaliter in mente Divina, quàm exiſtat in ſe phyſicè, licèt itèm voluntati Divinæ ab æterno proponatur omne volibile creatum, ſub quovis modo, & conditione futurum, tamen liberum arbitrium Divinum non exiſtit priùs intentionaliter, quàm phyſicè in ſe ipſo, nec voluntati Divinæ ſui actûs ſub quocunque modo, & conditione futuri proponuntur ùt volibiles. Cùm enim Deus ſit actus puriſſimus excludens omnem potentialitatem, voluntas ejus non poteſt eſſe ſuſpenſa, ſed per unicum actum decernit, quidquid eſt volibile, ſub quacunque hypotheſi poſſibili. Ergo. Tum quia circa illos actus liberos conditionatè futuros poteſt dari Scientia media, qui hanc ſibi attemperare poſſunt, & quibus hæc poteſt attemperari. Sed etiamſi actus liberi creati conditionatè futuri poſſint ſibi attemperare Scientiam mediam, & hæc illis poſſit attemperari, tamen actus liberi Divini conditionatè futuri non poſſunt ſibi attemperare Scientiam Divinam, nec poteſt hæc illis attemperari. Ergo Minor probatur. Illis actibus liberis conditionatè futuris poteſt attemperari Scientia Divina, & hæc ipſos ſibi attemperare, qui actus ſunt alterius diverſi principii, & non ipſius cognoſcentis, continentúrq in Deo cauſaliter, vel intentionaliter. Sed actus DEI liberi conditionatè futuri non ſunt actus alterius, ſeu diverſi ab ipſo Deo cognoſcente principii. Non continentur etiam cauſaliter, vel intentionaliter in DEO. Quia non poſſunt ſic contineri. Etiamſi actus liberi creati conditionatè futuri ſint actus diverſi à DEO cognoſcente principii, contineantúrque cauſaliter, & intentionaliter in DEO. Ergo.

238. Objicitur quintò. Duplices actus liberi Divini conditionatè futuri cogitari poſſunt, quidam, qui ità ſunt conditionatè futuri, ut ſimul abſolutè exiſtant. Talis v.g. actus eſt: *Si peccaret Adam, decernerem Incarnationem Verbi Divini.* Hic enim ità eſt conditionatè futurus, ut ſimul detur decretum DEI abſolutum de Incarnatione Verbi. Alii actus Divini ità ſunt conditionati, ut non ſint ſimul abſolutè exiſtentes. Sed neutri hi actus videntur per Scientiam mediam. Quia neutri ſunt independentes à decreto DEI abſoluto. Non primi. Quia non datur ſtatus conditionatus decretorum DEI, ante eſſe abſolutum decreti in Deo abſolutè exiſtentis, ſeu prior ſtatu abſoluto decreti. Status enim conditionatus liberi exercitii eſt ille, in quo liberum arbitrium contentum cauſaliter, vel intentionaliter in DEO attemperat ſibi Scientiam Divinam de eventu electionis liberæ; quod quia non poteſt convenire decre-

cretis Divinis, hæc non possunt habere statum absolutum diversum à conditionato. Actus etiam Divini purè conditionati, hoc est, qui non sunt simul absolutè in DEO, qualis v. g. est actus ille: *Si Adam non peccaret, non decernerem Incarnationem.* Tales, inquam, actus non sunt independentes à Decreto absoluto. Hic enim v g. actus: *Si Adam non peccâsset, Christus non venisset;* dependet ab hoc Decreto, absolutè existente in DEO: *Volo Incarnationem Verbi Divini in remedium peccati.* Hoc enim Decretum absolutum est futuritio conditionata illius Decreti: *Decernerem, ut Christus non veniret, si Adam non peccaret.* Ità enim præsens hoc Decretum absolutum tendit in Incarnationem, & ità afficitur remedio peccati, ut inferat, quòd DEUS non decrevisset Incarnationem, si Adam non peccâsset. cùm id Patres ex præsenti dicto Decreto inferant.

Solvuntur Objectiones.

239. Respondeo ad primum, negando Minorem cum sua Probatione & dico: Etiamsi implicatorius sit actus, per quem ex esse alicujus rei tanquam ex hypothesi inferretur in conditionato non esse ejusdem omnino rei etiam extrinsecè invariatæ, qualis v. g. esset actus: *Si decernerem Petro auxilium A, non decernerem eidem Petro auxilium A.* Non est tamen implicatorius actus, si in conditionato, quod infertur, sit aliqua variatio ejus, quod pro hypothesi assumptum est; sit, inquam, variatio aliqua saltèm extrinseca, v. g. Si pro hypothesi assumatur Decretum collativum auxilii A. unà cum prævisо eventu conditionatè futuro, & ex utróque indivisim, per conditionatum inferatur negatio, & non esse ejusdem Decreti secundùm se, idque inferatur ex fine impediendi illius eventûs prævisi. Est enim sensus talis actûs hic: *Si Petro decernerem auxilium A, & hoc supponerem in ordine ad prævisionem effectûs secuturi, seu ad explorandum, quomodo Petrus uteretur eodem auxilio, & si prævidérem Petrum dissensurum auxilio dicto A, hac prævisione & scientiâ directus non decernerem dare Petro hoc ipsum auxilium, idque ex fine impediendi dissensûs, qui sub hoc auxilio poneretur.* Qui actus hoc modo significatus & explicatus, non est implicatorius, imò DEUM maximè decens. Aliter enim, & ex alio fine in hypothesi DEUS supponitur decernere collationem auxilii, & aliter, & ex alio fine in conditionato cogitatur non decernere dictam auxilii A, collationem, ad quem finis per hypothesim intentus ordinatur ùt medium.

240. Respondeo ad secundum. Negando Antecedens. Nego itèm Probationis Consequentiam, & ulterioris probationis sequelam. Et dico: data in DEO duplici scientia media, unâ, quâ DEUS videt: *Si Petro dedero auxilium A, Petrus consentiet.* Alterâ, quâ videt: *Si Petrus consentiet auxilio A, prædestinabo Petrum.* Prædestinationem Petri non dari absolutè independenter à Decreto absoluto. Per depurationem enim conditionis, , sub qua videtur prædestinatio, quæ depuratio habetur per alteram illam scientiam, quà DEUS videt Petrum consensurum auxilio A, si tale illi auxilium conferatur; prædestinatio Divina Petri ex conditionata transit in absolutam, non formaliter, & tanquam per rationem formalem, sed transit quodammodo illativè, & tanquam per rationem causalem illativam, quatenus posita illa duplici scientia, necesse est poni necessitate consequente, & ponendum est infallibiliter Decretum absolutum prædestinativum Petri. Ad eum modum, quô existentia conditionata lucis hoc actu explicata: *Si sol existet, etiam lux solis existet*, de conditionata transit in absolutam, per depurationem conditionis, nimirùm per absolutam existentiam solis, quæ pariter transit in absolutum per depurationem conditionis non formaliter & tanquam per rationem formalem; aliàs solis existentia per suammet entitatem esset formaliter absoluta existentia lucis realiter distinctæ à sole, sed transit in absolutam dicta lucis existentia conditionata per depurationem conditionis illativè, & tanquam per rationem causalem illativam, quatenus positâ absolutâ existentiâ solis, necesse est poni & produci absolutè à sole ipsam existentiam lucis.

241. Respondeo ad tertium negando sequelam Majoris. Ad Probationem ipsius dico. DEUM, habita hac scientia conditionata: *Si viderem Petrum consensurum auxilio A, prædestinarem eundem Petrum.*

Esse

Eſſe liberum in prædeſtinando Petro, idque eſt DEUS liber & ante hanc ſcientiam, & poſt ipſam. Ante ſcientiam eſt liber libertate conditionata, ſeu libertate propria exercitii conditionati. Cùm enim ſcientia Divina ſupponat ſuum objectum, tanquam determinativum Intellectûs Divini in ratione objecti immediati purè terminativi ad talem habendam ſcientiam, & objectum dictæ ſcientiæ non ſit aliud, niſi actus Divinus liber, ſeu exercitium liberum voluntatis Divinæ conditionatè futurum; ſcientia Divina ſupponit libertatem Divinam, idque hanc ſupponit non ſolùm ex parte conditionati, ſed etiam ex parte hypotheſis, ex parte cujus dicit Decretum conditionatum de conferendo Petro auxilio A. Unde ſequitur DEUM ante dictam ſcientiam eſſe liberum libertate conditionata, ad qualem libertatem non requiritur Decretum DEI abſolutum. Eſt etiam DEUS liber poſt eandem ſcientiam, exiſtente enim in DEO tali ſcientia: *Si viderem Petrum conſenſurum auxilio A, prædeſtinarem Petrum.* Et poſitâ altera illa ſcientia: *Si darem Petro auxilium A, Petrus conſentiret.* Prædeſtinatio Petri eſt DEO libera pro ſtatu abſoluto, non minùs atque dato abſolutè eidem Petro auxilio A, conſenſus Petri eidem auxilio, eſt Petro liber pro ſtatu abſoluto. Licèt verò exiſtente utrâque tali ſcientia detur infallibiliter prædeſtinatio Petri abſoluta, hæc tamen infallibilitas cùm oriatur ex ſuppoſitione conſequente, non verò ex ſuppoſitione antecedente, non deſtruit libertatem prædeſtinationis Divinæ. Adverto, dum dicitur: DEUS ante & poſt ſcientiam ſui actûs eſſe liber in prædeſtinando Petro, non eſſe imaginandum *ante & poſt durationis* neque *ante & poſt cauſalitatis*; Scientia enim illa conditionata nec tempore ſeu duratione, nec cauſalitate antecedit prædeſtinationem Divinam. Sed intelligendum eſt *ante & poſt* quale ſcientiæ & prædeſtinationi convenire poteſt, nimirum *ante & poſt* Rationis, ſeu Logicum &c. Ad Confirmationem primam dico: objectum hujus ſcientiæ: *Si Petrus conſentiet auxilio A, prædeſtinabo Petrum.* Secundùm id, quod venit ex parte conditionati, nimirum ſecundùm prædeſtinationem Petri eſſe liberum DEO, quatenus liberum eſt DEO objectum veniens pro conditionato. Ejuſdem ſcientiæ objectum ſecundùm hypotheſim eſt liberum Petro. Per hypotheſim enim venit conſenſus Petri auxilio A, conditionatè futurus, qui conſenſus eſt liber Petro. Ad ulteriorem Probationem dico: Si Petrus conſentiat auxilio A, DEUM neceſſitari ad prædeſtinandum Petrum neceſſitate conſequente, non neceſſitate antecedente. Confirmationem ſecundam ſimiliter Diſtinguo: Scientia, quâ DEUS videt ſuos actus liberos, alligat voluntatem DEI ad unam partem alligatione orta ex ſuppoſitione conſequente. Concedo. Alligatione orta ex ſuppoſitione antecedente Nego. In tantùm enim depurata conditione, DEUS pro ſtatu abſoluto non poteſt eligere aliud, inquantùm hoc determinatè pro ſtatu conditionato liberè eligit. Non eſt verò pro ſtatu abſoluto quidquam determinatè electurus ex vi alicujus principii aut requiſiti tenentis ſe ex parte actûs primi inferentis infallibiliter talem actum, & inimpedibilis à voluntate Divina. Licèt verò eſt infallibiliter electurus aliquid ratione ſcientiæ Mediæ, ejúſque infallibilitatis, tamen etiam hoc ipſum habetur ex ſuppoſitione conſequente, non ex ſuppoſitione antecedente. Licèt enim Scientia Media aliquatenus præcedat Decretum DEI abſolutum, quia tamen idem Decretum pro ſtatu conditionato, præſupponit ipſa eadem ſcientia, quod ſequitur ex ſuppoſitione ſcientiæ Mediæ, ſequitur ex ſuppoſitione conſequente, præcipuè cùm ſcientia Media reſpectu Decreti Divini non ſit ullum principium, nec requiſitum tenens ſe ex parte actûs primi. Confirmationis tertiæ Nego Minorem, & dico: Etiamſi Scientia Media circa actus DEI liberos ſit prior quovis Decreto DEI abſoluto, non eſt tamen prior Decreto libero conditionato: Quia non eſt prior ſuo objecto, quod ſaltèm objectivè debet præſupponi ante ipſam. Nego etiam illud, quòd ſcientia circa actus DEI liberos conditionatos, ſit directiva Decreti Divini abſoluti. DEUS enim non eget ulla directione in actibus ſuis abſolutè habendis. Licèt verò eſſet directiva, per hoc tamen non læderetur libertas DEI pro ſtatu abſoluto, hæc enim directio aut non infert infallibiliter actum abſolutum, aut ſi infert, depurata conditione infert illum infalli-

fallibiliter infallibilitate orta ex suppositione consequente.

242. Ad quartum Respondeo: omissa Majore, nego Minorem. Probationem primam distinguo: DEUS actus nostros conditionatè futuros cognoscit unicè ex hac ratione, & ob hunc finem, ut tali cognitione dirigatur in actibus suis liberis eliciendis. Nego Majorem. Cognoscit DEUS actus nostros liberos non unicè ex hac ratione, nec ob hunc præcisè finem, ut tali cognitione dirigatur in suis actibus, & decretis formandis. Concedo Majorem. Minorem etiam distinguo: Sed non est hæc necessitas, ut DEUS cognoscat suos actus, nec est ulla alia. Nego Minorem. Non est hæc necessitas, & ratio, &c. est tamen alia. Concedo Minorem, & nego Consequentiam, ac dico: Plures esse rationes, ob quas debet dari in DEO scientia actuum nostrorum liberorum conditionatè futurorum, ùt constat ex num 219. Ut verò DEUS cognoscat actus suos liberos conditionatos, hæc, eáque ferè unica ratio est, ut sit omniscius, & cognoscat omnem determinatam veritatem.

Ad secundam Probationem dico: Non solum liberum arbitrium creatum, sed etiam liberum arbitrium Divinum, quoad suos actus esse priùs intentionaliter in mente Divina, quàm sit in se absolutè, & physicè, est, inquam priùs prioritate Logica consistente in non mutua subsistendi consequentia, vi cujus à statu absoluto actûs liberi Divini rectè arguitur ad statum conditionatum ejusdem. Est itèm prius prioritate objecti determinativi per modum termini & conditionis objectivæ, determinantis Intellectum Divinum ad hanc scientiam habendam. Iidem actus liberi Divini in statu conditionato proponuntur voluntati Divinæ ùt volibiles sub quovis modo, & conditione, & ùt conditionatè eligendi. Nec id præjudicat rationi actûs puri, excludentis omnem potentialitatem DEO repugnantem. Sicut non præjudicat eidem rationi, quòd actus liberi creati conditionatè futuri sint priùs intentionaliter in mente DEI, quàm sint physicè in se ipsis, & quòd proponantur DEO ùt volibiles sub quovis modo, & conditione. Neque hinc sequitur, Voluntatem Divinam fore suspensam. Neque enim est futura suspensa in statu conditionato, neque in statu absoluto. Non in statu conditionato. Quia actus Divini, qui sunt conditionatè futuri, sunt tales ab æterno, éstque per illos voluntas DEI conditionatè determinata, & non suspensa. Non est etiam suspensa pro statu absoluto, qui enim actus Divini sunt in statu absoluto, & habent esse absolutum, etiam hi omnes sunt simul ab æterno, iterúmque per ipsos voluntas est absolutè determinata, & non suspensa. Nec indè arguitur suspensio voluntatis Divinæ, quòd non unico decreto velit DEUS omne id, quidquid est volibile, tam absolutè, seu potiùs absolutè volitum, quàm quod est volibile, seu volitum conditionatè. Cùm decreto absoluto non debeat esse utrumque volitum.

Tertiæ Probationis Minorem, & ulterioris Probationis Majorem nego. Si enim per attemperationem Scientiæ Divinæ actibus liberis intelligatur (prout intelligi debet) infallibilitas Scientiæ Divinæ circa tales actus salva earundem libertate, hæc infallibilitas scientiæ salva libertate actuum habetur, sive actus liberi, circa quos est scientia, sint actus proprii principii, sive sint actus principii diversi. Est itèm hæc infallibilitas, sive actus per scientiam repræsentati contineantur causaliter in DEO, sive non; adeóque Scientia media attemperatur actibus liberis tam proprii, quàm extranei principii, vel quasi principii, tam iis, qui sunt causaliter, quàm iis, qui non sunt causaliter in DEO. Intentionaliter continentur in DEO utrique iidem actus liberi, nimirum tam creati, quàm Divini, per hoc ipsum, quòd utrique sciantur à DEO.

243. Ad quintum Respondeo negando Minorem, & dico: Tam actus Divinos conditionatos, qui extrahuntur ex statu conditionato in absolutum, quàm illos, qui sunt purè conditionati, cognosci à DEO independenter à decreto Dei absoluto. Cognoscuntur imprimìs actus liberi conditionati, qui ipsi habent etiam statum absolutum, cognoscuntur, inquam, ùt sunt conditionati, independenter à decreto DEI absoluto. Est enim status conditionatus actuum talium Divinorum aliquomodo prior, nimirum prioritate Logica, quàm status absolutus eorundem. Hæc enim prioritas est statui conditionato

to eſſentialis. Et pro hoc ſtatu actus liberi Divini intelliguntur eſſe independenter à decreto DEI, quamvìs pro ſtatu abſoluto non ſint, nec intelligantur independenter à tali decreto, ſeu non poſito decreto DEI abſoluto. Ad rationem ulteriorem dico: Statum conditionatum eſſe illum, in quo liberum arbitrium ſive creatum, ſive Divinum, hujúſque arbitrii actus ſub conditione futuri attemperant ſibi Scientiam Divinam, hoc eſt, repræſentantur infallibiliter per dictam ſcientiam ſalva libertate eorundem. Cognoſcuntur deinde per ſcientiam Divinam actus liberi Divini purè conditionati, ſeu qui non ſunt ſimul abſoluti; cognoſcuntur, inquam, independenter à decreto abſoluto, ùt aliàs probatum eſt. Hinc nego actum illum Divinum conditionatum: *Si Adam non peccâſſet, Incarnationem Verbi non decrevissem*; cognoſci dependenter ab aliquo decreto abſoluto, & à tali decreto dependere. Et in particulari non dependet à præſenti decreto abſoluto, quô DEUS vult Incarnationem in remedium peccati Adæ. Nego itèm hoc præſens decretum de Incarnatione, & remedio peccati eſſe futuritionem conditionatam illius decreti, quô DEUS noluiſſet Incarnationem, ſi Adam non peccâſſet. Tum quia impertinenter ſe habet præſens Incarnationis decretum ad inferendum conditionatum illud decretum. Tum quia ſi Adam non peccâſſet, præſens decretum de Incarnatione non fuiſſet. Quomodo ergo in eadem hypotheſi determinaret DEUM ad non habendum quodcunque aliud Incarnationis decretum. Nego ulteriùs, præſens decretum ità tendere in Incarnationem, & ità affici remedio peccati, ut inferat, quòd DEUS non decreviſſet Incarnationem, ſi Adam non peccâſſet. Hoc enim à decreto præſenti inferri non poteſt, ut in ſenſu diviſo aliud certum, & determinatum decretum formetur. Nihil enim per ſenſum ſui diviſum, ſeu non poſitó fundamentô connexionis poteſt inferre terminum talis connexionis. Nego tandem à Patribus ex præſenti Incarnationis decreto inferri: *Quòd ſi Adam non peccâſſet, Chriſtus non veniſſet.* Etiamſi enim ſancti Patres ex Scripturis colligant hanc veritatem, colligunt tamen illam ùt revelatam, & exiſtimant in Scripturis id ſufficienter revelatum eſſe: *Quòd Chriſtus non veniſſet, ſi Adam non peccâſſet.* Non autem vel ipſi inferunt ex præſenti decreto carentiam conditionatam decreti de Incarnatione, ſi Adam non peccâſſet, vel aſſerunt hoc per Scripturas inferri. Etiamſi verò non inferatur ex præſenti decreto Incarnationis in remedium peccati Adæ, carentia decreti Incarnationis, ſi Adam non peccâſſet, ſtat tamen adhuc hæc veritas: *Quòd DEUS non decreviſſet Incarnationem, ſi Adam non peccâſſet.* Stat, inquam, per hoc, quòd DEUS de eo ipſo habeat Scientiam mediam, & quòd illam revelaverit, prout nobis id innoteſcit ex Scripturis, & Patribus.



DISPUTATIO V.

De Voluntate Divina, ejúſque actibus liberis, nec non de Providentia.

PRovidentia, Prædeſtinatio, Reprobatio, ac Prædefinitiones Divinæ ſunt ſpecies actuum DEI liberorum; proindéque in Diſputatione, in qua agetur de Voluntate Divina, ejúſque Actibus liberis, opportunè etiam de Providentia, Prædeſtinatione, Reprobatione, & Prædefinitionibus Divinis tractabitur, tanquam de præcipuis ſpeciebus actuum DEI liberorum. Continebit verò præſens Diſputatio tres Quæſtiones. Quarum prima aget de Voluntate DEI, & Actu ejus libero, in quo conſiſtit. Secunda de Providentìa, Prædeſtinatione, & Reprobatione. Tertia de aliis in particulari Actibus DEI, potiſſimùm verò de Prædefinitionibus Divinis.

QUÆSTIO I.

De Voluntate DEI, & Actibus ejus liberis.

PUNCTUM I.

1. Dari in DEO Voluntatem, certum ex Fide eſt. Dicit enim Scriptura: *Omnia, quæcunque voluit fecit.* Ratio inſuper eſt. Quia DEO convenit omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, & omnis perfectio nullam involvens imperfectionem. Sed voluntas DEI eſt talis perfectio. Ergo.

2. Porrò datur in DEO voluntas non ſolùm per modum actûs ſecundi, qualis ex adducto Scripturæ teſtimonio deducitur, ſed etiam per modum actûs primi, idque non per modum actûs primi Logici, neque per modum actûs primi, qui ſit vel realiter, vel formaliter ex natura rei, vel virtualiter intrinſecè diſtincti ab actuali volitione; ſed datur Voluntas per modum actûs primi ratione noſtra diſtincti ab ipſa volitione in actu ſecundo. Eatenus verò hæc voluntas datur, quatenus in DEO datur formalitas propria, & diſcretiva voluntatis per modum actûs primi, ſolìque tali voluntati conveniens, ratione noſtra diſtincta à volitione actuali Divina. Ratio eſt. Quia datur in Deo virtus *ùt quod*, intentionaliter proſecutiva boni, & intentionaliter averſiva mali. Cùm in tali virtute nulla involvatur imperfectio. Eſſe verò talem virtutem, eſt formalitas, ſeu prædicatum proprium voluntatis per modum actûs primi, illique ſoli in creatis conveniens. Eſtque hæc formalitas in DEO diſtincta ex modo noſtro concipiendi à volitione actuali Divina, quæ eſt actualis proſecutio boni, vel actualis averſio à malo. Ergo.

3. Motivum per modum ſufficientiæ reſpectu volitionis Divinæ eſt ſola Eſſentia, & Bonitas Divina, juxta illud Bernardi in Cantica: *Amat & DEUS, nec aliunde hoc habet, ſed ipſe eſt, unde amat.* Ultra hoc motivum admittendum eſt & aliud, non quidem per modum ſufficientiæ reſpectu volitionis Divinæ, ſed præcisè per modum rationis formalis ſub qua; rationis, inquam, volendi aliquid, intrinſecè attactæ per actum volitionis Divinæ. Qualis motivi ratio convenit etiam bonitati creatæ. Si enim veritati objectivæ creatæ, poteſt convenire ratio motivi per modum rationis formalis ſub qua, reſpectu Intellectionis Divinæ, poteſt pariter bonitati creatæ convenire ratio motivi, per modum rationis formalis ſub qua, reſpectu volitionis Divinæ. Certè niſi talis ratio motivi conveniret bonitati creatæ, reſpectu volitionis Divinæ, non darentur in DEO virtutes morales, qua-

quales sunt: Misericordia, Liberalitas, Justitia, &c. Cùm tales virtutes requirant essentialiter pro motivo honestatem creatam.

4. Volitio Divina dividitur celeberrima divisione in liberam, & necessariam. Necessaria volitio est, quæ non potuit non esse in DEO. Talis volitio est, quâ DEUS se ipsum amat. DEUS enim se ipsum itâ amat, ut neque odisse se possit, neque possit cessare ab amore sui. Siquidem talis necessitas dicti amoris est perfectio simpliciter simplex, & ex visione, quâ DEUS se ipsum comprehendit, necessariò consequitur amor sui, pertinétq; ad summam DEI ipsius felicitatem, & beatitudinem. Talis itèm ex Sententia multorum est, complacentia DEI in possibilitate rerum possibilium, & in essentiali prædicatorum rei connexione, seu identitate. In hac enim tanquam in termino connexionis essentialis Omnipotentiæ Divinæ, ac virtutis productivæ talium possibilium, è mente eorundem Authorum, DEUS sibi necessariò complacet. Volitio libera DEI est illa, quâ Deus itâ aliquid extra se vult, ut potuerit illud non velle, vel oppositum ipsius velle. Volitiones liberas dari in DEO, certum ex fide est, contra Averroëm, Porphirium, Abilardum, Viclefum, Lutherum, aliósque Hæreticos.

PUNCTUM II.

Proponuntur aliquæ Sententiæ circa constitutionem Actûs DEI liberi, & rejiciuntur.

5. Circa Volitiones DEI liberas, & quoscunque actus vitales DEI contingentes, potissima præsentis Quæstionis difficultas est: In quo consistat Actus Dei liber, seu libertas, & contingentia actuum DEI liberorum, & aliorum actuum intentionalium, & an actus DEI liber realiter adæquatè identificetur soli DEO? Hæc difficultas tanta est quorundam judiciò, quanta est difficultas ipsius Mysterii Trinitatis; Vasquez existimat illam insolubilem, Suarez cælo reservatam. In hoc verò stat eadem difficultas, quòd in actu DEI libero duo inter se opposita conciliari debent. Ex una parte libertas, & contingentia actûs Divini intentionalis liberi, seu contingentis; ex altera parte summa ipsius DEI necessitas, immutabilitas, summa simplicitas, & ratio actûs puri; quæ cùm sibi opponantur, unúmque repugnet alteri, difficilè conciliari possunt. Vel enim libertas, & contingentia actuum DEI intentionalium itâ explicabitur, ut hujusmodi actus sint à DEO distincti, vel realiter, ùt voluit Vorstius Calvinista; vel modaliter, ùt voluit Cajetanus. Et hoc ipso destrueretur summa simplicitas DEI, & ratio actûs puri. Siquidem dabitur in DEO compositio ex ipsius essentia, & actu DEI vitali intentionali contingente, perficietúrque intrinsecè Essentia DEI per hujusmodi actum vitalem intentionalem, qui ex ratione actûs vitalis necessariò est perfectio viventis, cujus est ille actus vitalis. Vel certè libertas, & contingentia actûs Divini intentionalis liberi, seu contingentis, itâ explicabitur, ut actus DEI liber sit adæquatè intrinsecus, & identificatus soli DEO. Et hoc ipso inferetur in DEI essentiam contingentia, & mutabilitas. Cùm implicet unum ex realiter adæquatè identificatis esse contingens, & potuisse non esse; alterum verò ex identificatis non esse contingens, nec potuisse non esse. Quodsi verò inferatur in Essentiam DEI talis contingentia, & potentia ad non esse, tollitur eô ipso summa necessitas DEI, ejúsque summa immutabilitas.

6. Duæ è diametro sibi oppositæ sunt Sententiæ Theologorum circa constitutionem actûs DEI liberi. Una Sententia est actus DEI liberos DEO adæquatè identificantium; altera distinguentium eosdem actus à DEO. Cæterùm sub unaquaque ex duabus his oppositis plures aliæ continentur, in quas tanquam arbor in diversos ramos dividitur. Nam imprimis ex identificantibus realiter adæquatè DEO actum DEI liberum, contingentiam actûs Divini liberi DEO adæquatè identificati, dicunt non esse formalem, sed æquivalenter talem, quatenus censent, itâ nunc in DEO esse volitionem mundi, ut in eodem sit simul verè, & propriè nolitio mundi, nec potuerit in DEO deficere volitio mundi, & nolitio ejusdem quoad entitatem. Sed solùm potuerit deficere quoad denominatio-

nem DEI volentis mundum, ídque ſalvant per eminentiam & infinitudinem volitionis Divinæ, ratione cujus eminentiæ, poteſt modò hæc, modò illa tribui denominatio. Sententiam hanc tuentur: Valentia, Ruitz, Iſquirdo, Pennafiel, Rozmer. Eidem Sententiæ favet P. Mlodzianowski. Alii cum Antonio Perez, Eſparſa P. Morawski & quibuſdam Recentioribus docent, actus DEI liberos conſiſtere in quadam formalitate, DEO realiter adæquatè identificata, ſimul tamen ab eo, aliquomodo diſtincta, diſtinctione, quæ ſit nem. cog. ſufficiente ad ſalvanda contradictoria: quam ipſam formalitatem, ſi realiter ſumatur, dicunt duobus conſtitui virtualiter, primò eſſentia & exiſtentia phyſica ipſius DEI, ſecundò, mero reſpectu ad extra tranſcendentali. Et ſic v. g. decretum de Incarnatione, dicunt conſtitui primò eſſentia & exiſtentia ipſius DEI, quæ ſimul eſt eſſentia & exiſtentia cujuſvis, adeóque & hujus decreti Divini. Secundò conſtituitur reſpectu tranſcendentali, ſeu tendentia affectivè appetente exiſtentiam Incarnationis. Ex his duobus primum, dicunt ulteriùs eſſe idem non ſolùm realiter, ſed etiam virtualiter cum eſſentia & exiſtentia phyſica ipſius DEI, alterum autem ſcilicet reſpectum tranſcendentalem ad Incarnationem, licèt dicant realiter identificari eſſentiæ & exiſtentiæ tam ipſius DFI, quàm etiam Decreti, ſimul tamen volunt, eundem reſpectum diſtingui inadæquatè extenſivè, aptitudinaliter, objectivè, & reſpectivè, à prædicta eſſentia & exiſtentia DEI & decreti. Volunt inquam hæc diſtingui inadæquatè extenſivè ex eo, quòd eſſentia & exiſtentia DEI, ità ſe extendat per identitatem realem ad reſpectum proprium decreti de Incarnatione, & ità realiter identificetur dicto reſpectui, ut etiam potuerit ſe extendere per identitatem ad reſpectum oppoſitum, quo conſtitueretur decretum nolens Incarnationem, ad quem reſpectum non potuit ſe extendere per identitatem, reſpectus præſentis Decreti, volentis Incarnationem. Volunt itèm hæc ipſa, nimirum exiſtentiam DEI, & reſpectum ſeu tendentiam in exiſtentiam Incarnationis, diſtingui extenſivè aptitudinaliter, ex eo, quòd eſſentia & exiſtentia DEI, non extendat ſe actu per identitatem ad reſpectum decreti nolentis Incarnationem, ſed ſolùm aptitudine, ex vi cujus, potuit ſe extendere ad dictum reſpectum, potuítque illi identificari. Poſtremò volunt reſpectum, ſeu tendentiam in Incarnationem & exiſtentiam DEI, diſtingui reſpectivè & objectivè ex eo, quòd reſpectus ille tali diſtinctione debeat diſtingui, quale habet eſſe. Cùm ergo reſpectus hic ſumptus ſecundùm ſe habeat ſolum eſſe reſpectivum & objectivum, debet ab eſſentia & exiſtentia DEI diſtingui, diſtinctione reſpectiva & objectiva, ſeu debet diſtingui reſpectivè & objectivè.

Taliter explicatos actus DEI liberos, dicunt iidem authores, quoad eſſentiam & exiſtentiam non potuiſſe non eſſe in DEO, ſed ſolùm potuiſſe non eſſe quoad merum reſpectum. Híncque deducunt ulteriùs, actus DEI liberos non eſſe propriè contingentes, nec propriè defectibiles, ſed ſolùm contingentes & defectibiles impropriè.

Ex illis Authoribus, qui actus DEI liberos diſtinguunt realiter à DEO, quidam illos diſtinguunt realiter adæquatè, vel ſimpliciter, ùt Vorſtius, vel modaliter, ùt Cajetanus; quorum ſententiæ ſuperiùs ſunt relatæ. Alii hos actus diſtinguunt à DEO ſolùm realiter inadæquatè, ídque aliqui è Thomiſtis in tantùm dictos actus diſtinguunt à DEO, in quantùm docent actum DEI liberum, ſupra entitatem DEI ſuperaddere quendam reſpectum rationis ad creaturas. Alii docent actum DEI liberum duobus realiter diſtinctis conſtitui: Primò: Volitione Divina, DEO realiter adæquatè identificata, identificante ſibi omnem perfectionem reperibilem in tota collectione volitionum creatarum, ſinè omni tamen imperfectione, quam hæ volitiones dicunt, potente denominare volitum quodcunque volibile, & nolitum quodcunque nolibile. Secundò: applicatione contingente volitionis Divinæ ad hoc potiùs volendum vel nolendum, quàm aliud; applicatione inquam diſtincta realiter à volitione, ídque his duobus ità conſtituitur actus DEI liber, ut volitionem ipſi DEO identificatam dicat in Recto, applicationem autem contingentem dicat in obliquo. Hanc ſententiam plures tuentur Theologi. E Noſtris illam defendunt Vaſquez, Gellius, Granado, Recupitus, Amicus,

micus, Fassolus, Vekenus, Derkennis, Martinez, & Pallavicinus. Differt tamen Pallavicinus ab aliis quoad hoc, quòd hic Theologus velit applicationem illam contingentem, esse æternam, velítque illam consistere in quibusdam veritatibus objectivis, quæ sint suo modo in se nem. cog. ab æterno. Reliqui verò volunt applicationem seu complementum volitionis Divinæ liberæ, esse aliquid contingens temporale. Inter quos est iterum aliqua differentia. Quidam enim Recentiores, secuti P. Bartholomæum Caregno, Professorem Romanum, dicunt esse modum distinctum ab actione productiva rei volitæ, & negatione actionis productivæ rei, quæ dicitur nolita, qui modus nullum aliud habeat munus, nisi hoc unum, quòd compleat volitionem Divinam. Alii dicunt complementum volitionis DEI liberum, esse, actiones productivas rerum, & negationes hujusmodi actionum.

§. I.

An Actus DEI liber, sit DEO adæquatè identificatus ratione suæ Eminentiæ, potens DEO, tribuere denominationem volentis vel nolentis quidpiam?

7. Dicendum est. Volitionem DEI liberam, non esse actum DEO realiter adæquatè intrinsecum, necessarium in essendo, ratione suæ eminentiæ, infinitatis, & æquivalentiæ omnibus volitionibus creatis, potentem tribuere denominationem, sive volentis liberè hunc mundum, sive nolentis liberè eundem, nulla facta mutatione in constitutivis talium denominationum.

Probatur primò. Implicat rem transire ab uno contradictorio ad aliud sinè sufficienti mutatione. Sed admissa volitione DEI necessaria in essendo, ratione suæ eminentiæ, potente DEO tribuere denominationem liberè volentis, vel nolentis hunc mundum, nulla facta variatione in constitutivis ipsius denominationis, posset res transire ab uno contradictorio ad aliud, sinè sufficienti mutatione. Posset enim transire à non esse volentis hunc mundum, ad esse volentis hunc mundum, nulla facta mutatione in constitutivis talium denominationum, quæ sola mutatio potest esse sufficiens, ut res censeatur transire ab una tali Denominatione, ad aliam illi contradictoriè oppositam. Ad transitionem enim hujusmodi, illa sola est sufficiens mutatio, per quam unius denominationis saltèm unum constitutivum tollitur, & ponitur constitutivum alterius denominationis, quam res transiens acquirit. Quia in omni ejusmodi transitione; una denominatio debet tolli, quæ tolli non potest si nullum illius constitutivum tollatur. Altera verò denominatio debet poni, quæ poni non potest, si nullum suum ponatur constitutivum.

8. Probatur secundò: Implicat, posita & manente tota essentia alicujus denominationis, non poni ipsam denominationem. Sed si actus DEI liber ità identificaretur DEO, ut posset tribuere eidem, modò denominationem liberè volentis mundum, modò denominationem liberè nolentis mundum, nulla facta variatione in constitutivis ipsorum actuum liberorum, & denominationum ab iisdem provenientium, tunc non implicaret, posita tota essentia alicujus denominationis, non poni ipsam denominationem. Quia nunc defacto non ponitur denominatio DEI liberè nolentis mundum, etiamsi nunc ponatur tota essentia hujus denominationis. Hæc enim ponitur, quando ponuntur omnia constitutiva ejusdem, nunc autem ponuntur omnia. Quia hæc denominatio præcisè constituitur entitate DEI, per modum subjecti denominationis, & nolitione mundi DEO adæquatè identificata. Quæ duo cùm necessariò sint & dentur; siquidem ipsa etiam nolitio mundi, utpote DEO adæquatè identificata, est necessaria in essendo, sequitur nunc dari & poni omnia constitutiva DEI liberè nolentis mundum.

§. II.

An actus DEI liber, constituatur essentia & existentia DEI necessariâ, & respectu contingente ad extra, ab essentia distincto inadæquatè extensivè, a-

ptitudinaliter, objectivè, respectivè?

9. Dicendum est negativè.

Conclusio hæc cùm sit contra plurium recentiorum in nostra Provincia, Theologiæ Professorum, sententiam, quam & ego doctus sum, probatur pluribus rationibus.

Prima est. Separabilitas entitativa aliquorum duorum nem. cog. talis, est infallibile signum distinctionis realis simpliciter, consequenter est signum distinctionis & multiplicitatis realis existentiarum, his, quæ sunt sic separabilia, convenientium. Sed inter esse respectivum contingens Decreti liberi Divini, & inter essentiam & existentiam Divinam, reperitur separabilitas entitativa nem. cog. Hæc enim habetur formaliter per potentiam ad non esse, convenientem ipsi respectui contingenti ad extra, quæ potentia non reperitur in essentia & existentia DEI. Ergo hæc separabilitas est signum distinctionis realis simpliciter, & multiplicitatis existentiarum, quarum una sit existentia DEI propria, altera sit existentia ipsius contingentis respectûs Decreti Divini.

10. Secunda Ratio. Hæc sententia quæ hic rejicitur asserit Decretum Divinum, non esse propriè contingens, sed solùm contingens impropriè, idque ex eo, quia nullum Decretum Divinum est contingens quoad essentiam & existentiam. Ergo secundùm eandem sententiam, in DEO non datur pariter libertas propria, sed solùm libertas impropriè. Sicut enim de ratione libertatis ùt sic, est contingentia ùt sic, ità de ratione libertatis propriè talis, debet esse contingentia propriè talis.

11. Tertia Ratio. Implicat etiam respectivè aptitudinaliter virtualiter, æquivalenter, posse deficere id, quod est realiter DEUS. Quia hoc ipso DEUS, non non esset Ens summè indefectibile, & summè necessarium. Cùm magis sit necessarium & indefectibile ens, quod etiam respectivè, aptitudinaliter, æquivalenter, virtualiter non potest deficere. Sed omnis actus Divinus liber est realissimè, & per identitatem realem DEUS. Ergo implicat actum DEI liberum posse deficere etiam respectivè aptitudinaliter, virtualiter, æquivalenter.

12. Quarta Ratio. Repugnat DEO mutatio intrinseca etiam virtualis aptitudinalis respectiva. Quia DEO repugnat imperfectio etiam virtualis aptitudinalis respectiva. Mutatio verò intrinseca virtualis, est imperfectio virtualis. Sicut mutatio intrinseca simpliciter, est imperfectio simpliciter. Sed in sententia opposita, DEO conveniret mutatio intrinseca virtualis, conveniret enim hæc in casu, in quo non esset virtualiter in DEO, respectus circa existentiam Mundi, sed potiùs esset oppositus respectus, quo DEUS nollet existentiam mundi. Ergo. Confirmatur primò. Si actus DEI liber, DEO superadderet realiter modalitatem, non essétque in DEO hæc modalitas, quæ defactò supponitur dari, sed alia; in tali suppositione, conveniret DEO mutatio eidem repugnans. Ergo etiam dum actus DEI liber supra essentiam & existentiam DEI, superaddit respectum virtualiter distinctum, si non est in DEO virtualiter unus talis respectus, sed locò illius est alius, hoc ipso, DEO convenit mutatio virtualis eidem repugnans. Confirmatur secundò. Si DEUS non haberet hunc respectum transcendentalem, quo vult existentiam mundi, sed haberet respectum oppositum, quo nollet existentiam mundi, transiret tunc ab uno contradictorio ad aliud, scilicet transiret à non esse liberè nolentis hunc mundum, ad esse liberè nolentis eundem. Sed non transiret, nec posset transire sinè sufficienti mutatione; Ergo esset tunc sufficiens mutatio. Et quia hæc mutatio esset in respectu diverso, qui tunc daretur in DEO secundùm esse respectivum & virtuale ejusdem, esset mutatio respectiva virtualis. Quia verò hæc mutatio esset in respectu DEO intrinseco & identificato realiter, esset hæc mutatio DEO intrinseca.

13. Quinta Ratio. Quod est semel identificatum alicui est semper identificatum, nec potest non esse identificatum eidem, aliàs posset aliquid aliquando esse sinè se ipso, sed esse respectivum Decreti Divini non solùm Decreto, sed etiam ipsi DEO, ejúsque essentiæ & existentiæ, est identificatum semel. Ergo est eidem identificatum semper, nec potest unquam, & pro ulla suppositione possibili, non identificari.

ficari. Ergo hoc esse respectivum decreti Divini, non potest non identificari DEO, etiam tunc, quando DEO identificaretur oppositus respectus ad extra, quod est contra doctrinam oppositæ Sententiæ.

Respondebis cum distinctione: Quod est semel identificatum realiter, est semper identificatum realiter. Concedes. Est semper identificatum etiam virtualiter. Negabis. Similiter distingues Consequens. Ergo esse respectivum decreti, est semper identificatum realiter Essentiæ Divinæ. Concedes. Est semper identificatum virtualiter. Negabis. Sed contra est primò: Quod est semel alicui identificatum realiter, semper est identificatum realiter; sed esse respectivum decreti volentis existentiam mundi, est semel identificatum realiter essentiæ, & existentiæ DEI. Ergo est semper eidem identificatum realiter. Sed non potest semper identificari realiter; aliàs pariter esse respectivum oppositi decreti nolentis existentiam mundi, deberet semper identificari Essentiæ DEI. Siquidem in suppositione, quòd DEUS noluisset mundum, esse respectivum decreti nolentis mundum, identificatum fuisset realiter dictæ essentiæ. Non identificatur autem semper. Quia hoc esse respectivum, dum non est in DEO, non potest identificari realiter Essentiæ DEI. Certè si etiam nunc esse respectivum decreti nolentis mundum, identificaretur realiter DEO, posset nunc DEUM realiter, & in sensu reali reddere, vel denominare nolentem realiter mundum, etiamsi in sensu virtuali non tribuat hanc denominationem; quod tamen concedere durum esse videtur. Contra est secundò: Implicat identitas quæcunque ipsius esse virtualis cum Essentia, & existentia DEI sinè esse virtuali. Quodcunque enim esse tale supponit, esse simpliciter. Ergo & esse virtuale identificatum realiter essentiæ, supponit esse virtuale simpliciter. Sed esse virtuale respectûs nolitionis mundi, non est nunc simpliciter. Ergo idem esse virtuale non est nunc realiter identificatum Essentiæ Dei. Seu non est nunc identitas realis ipsius respectûs virtualis cum Essentia Divina. Contra est tertiò. Quod nec est realiter, nec est virtualiter, illud nec realiter, nec virtualiter identificatur Essentiæ Divinæ. Sed respectus ad extra proprius nolitionis mundi nec est realiter, nec est virtualiter. Non est realiter: Quia nec realiter esse potest, cùm ipsius esse non sit reale, sed respectivum. Non est etiam virtualiter; quia hic respectus defacto non est secundùm suum esse respectivum, & virtuale. ergo non est respectivè, & virtualiter. Confirmatur. Dum esse respectivum alicujus respectûs contingentis, non est in DEO, quod tamen potuit esse, non est tunc aliqua identitas hujus esse respectivi cum Essentia DEI, quæ tamen identitas poterat esse, sed hæc non est identitas virtualis; talis enim identitas nec est, nec potest esse inter esse respectivum, & inter Essentiam DEI. Siquidem esse respectivum debet semper distingui virtualiter ab Essentia DEI. Ergo non est tunc identitas realis; adeóque semel realiter identificatum Essentiæ Divinæ potest aliquando non esse realiter identificatum eidem Essentiæ.

14. Ratio sexta. Implicat, ut essentia unius contradictorii sit realiter adæquatè essentia alterius contradictorii. Cùm enim contradictoria sibi maximè opponantur, seu maximè pugnent, ùt volunt Adversarii, unius contradictorii essentia non potest esse realiter adæquatè essentia alterius contradictorii; Sed in opposita Sententia essentia unius contradictorii est adæquatè realiter essentia alterius contradictorii; decretum enim volens existentiam mundi, & decretum nolens existentiam mundi, sunt contradictoria saltèm illativè, & arguitivè. Et tamen unius ex his decreti essentia est realiter adæquatè essentia alterius contradictorii. Quia tam hæc, quàm illa est Essentia DEI.

15. Septima Ratio. Cùm esse respectivum decreti volentis existentiam mundi sit contingens, potueritque non esse; quòd defacto sit, non habet ullam ex se determinationem ad esse. Ergo hoc suum esse debet determinari ab alio, debétque hoc suum esse habere ab illo alio, quod est sui determinativum. Quia universaliter omne contingens, secundùm quod est contingens, debet habere aliquod sui principium, aliàs ruet demonstratio Existentiæ DEI ex creaturis. Sed decretum volens existentiam mundi, secundùm quod est contingens, & secundùm quod potuit non esse, non potest su-

um esse respectivum habere ab alio, tanquam à principio determinativo sui ad esse suo modo; si enim tale esse haberet ab alio, v. g. ab Essentia DEI, ab hac deberet distingui realiter esse respectivum decreti; cùm in Divinis debeant distingui realiter, inter quæ est oppositio producentis, & producti.

16. Octava Ratio est. Quia hæc Adversariorum doctrina nullo modo differt à doctrina Scotistarum de formalitatibus contingentibus. Quidquid enim dicitur de esse respectivo alicujus decreti Divini, id ipsum omnino dicunt Scotistæ, vel dicere possunt de suis formalitatibus contingentibus, quales esse volunt: Ubicationem, unionem, & similia. Cùm ergo judiciô oppositæ Sententiæ formalitates contingentes Scotisticæ admitti non possint salvis principiis lumine naturæ notis, etiam respectus illi constituentes actus Dei liberos, non possunt admitti salvis iisdem principiis.

17. Nona Ratio. Quia hæc Sententia invehit difficultatem similem, imò majorem, quàm sit difficultas Mysterii Trinitatis. Cùm tamen, dum agitur de libertate actuum Divinorum, non sit talis ulla difficultas, ad quam salvandam oporteat confingi mysteria similia, vel majora, quàm sit Mysterium Trinitatis. Præterea explicatio decretorum Divinorum per quandam similitudinem, & analogiam cum Mysterio Trinitatis, est ferè unicè propter defendendam adæquatam intrinsecitatem, seu identitatem actuum DEI liberorum cum Essentia DEI, quæ tamen identitas neque est de fide, neque ulla ratione evidente evincitur.

18. Postrema tandem ratio est. Quia Mysterium Trinitatis non habet sufficientem similitudinem, ac proportionem ad declarandam difficultatem actuum Dei liberorum. Quia imprimis admisso Mysteriô Trinitatis, & distinctione, quæ ibi assignatur, salvatur principium illud universale: De quibus verificantur prædicata contradictoria, illa distinguuntur aliqua distinctione saltèm præsuppositivè reali. Hoc autem principium ruit secundùm explicationem dictæ Sententiæ actuum DEI liberorum. Deinde per paritatem à Mysterio sanctissimæ Trinitatis non potest plùs inferri, & argui, quàm quòd de identificatis immediatè possint verificari contradictoria; non potest verò argui, quòd aliquid possit esse, dum non est. Itèm quòd contingens possit esse absque eo, quòd sit ab alio secundùm id, secundùm quod est contingens. Itèm separabilitatem aliquorum, ex vi cujus unum sit, alterum non sit, posse esse sinè distinctione existentiarum, posse itèm identificari DEO, in eóque dari modò hos, modò illos respectus transcendentales diversorum decretorum sinè alietate, multiplicitate, & mutatione intrinseca ipsius DEI. Hinc etiamsi per paritatem à Mysterio Trinitatis possent aliqua contradictoria verificari de Essentia DEI, & de esse respectivo decreti Divini, ad summum tamen possunt verificari illa contradictoria, per quæ non convelluntur tot alia principia lumine naturæ nota hic enumerata. Addo, per Mysterium Trinitatis impugnari potiùs explicationem actuum DEI liberorum, quàm probari. Cùm Mysterium Trinitatis supponat aliqua principia. Quæ explicatio actuum DEI liberorum tollit, ac destruit, quale est illud principium: *Implicat, ut aliquid sit, antequam sit.* Seu: *ut sit tunc, dum non est.* Quod principium supponit Mysterium Trinitatis. Cùm ex eo deducatur oppositorum relativè distinctio. Tollit autem hoc principium præfata explicatio actuum DEI liberorum; siquidem secundùm hanc est modò tota essentia decreti nolentis mundum. Cùm tamen non sit modò ipsum decretum.

§. III.

An actus DEI liber ità identificetur DEO, ut supra Essentiam DEI superaddat merum respectum rationis ad extra?

19. Dicendum est: Actum DEI liberum non bene explicari per hoc, quòd supra Essentiam, & volitionem DEI, DEO adæquatè identificatam, superaddat merum respectum rationis ad extra.

Probatur. DEUS est liberè volens hunc mundum independenter à quocunque respectu rationis, procedente ab intellectu fingente. Imprimis enim est liberè volens, independenter à quocunque respectu procedente ab intellectu creato. Quia

Quia est liberè volens ab æterno, pro quando non potuit esse respectus rationis, procedens ab intellectu creato. Deinde DEUS est liberè volens independenter à respectu rationis, procedente ab intellectu Divino. Tum quia huic intellectui, sicut omnis fictio, ità & respectus rationis ad extra fingens (qualem hoc loco intelligunt hujus Sententiæ propugnatores) repugnat. Tum quia hic respectus deberet pertinere vel ad Scientiam simplicis Intelligentiæ, vel ad Scientiam visionis. Non potest autem pertinere ad primam. Quia hæc antecedit ante omne decretum DEI liberum, potéstque in DEO dari circa aliquod objectum, quin detur volitio illius objecti; adeóque quin detur respectus rationis, complens volitionem DEI liberam. Non potest etiam pertinere ad Scientiam visionis quâ talem. Quia hæc consequitur decretum DEI absolutum; adeóque supponit volitionem liberam quâ talem. Tum quia si daretur in Intellectu Divino respectus rationis, constituens volitionem DEI liberam, deberet dari processus in infinitum in respectibus rationis. Imprimìs enim daretur respectus rationis, constituens volitionem existentiæ mundi ùt liberam, deberet deinde dari alius respectus rationis, qui constitueret volitionem liberam, quâ DEUS vellet existentiam prioris respectûs. Hæc enim existentia prioris respectûs, cùm esset contingens, & libera DEO, deberet esse libera ratione alterius volitionis; adeóque ratione alterius respectûs rationis. Et hic alter respectus deberet iterum esse liber DEO ratione tertii, respectus rationis, & sic in infinitum.

§. IV.

An Actus DEI liber compleatur per aliquid extrinsecum contingens æternum?

20. Dicendum est negativè.

Ratio prima est. Quia Actus DEI liber neque completur per aliquid co[illegible]n-gens æternum, quòd sit positi[illegible]m; neque completur per aliqui[illegible]ntingens æternum. Non per p[illegible]vum. Hoc enim positivum, siqu[illegible] esset contingens, & ità esset, ut potuerit non esse, deberet esse productum à DEO; nihil autem contingens est productum ab æterno. Neque enim completur actus DEI liber per aliquid contingens æternum negativum, v. g. decretum volens Incarnationem; non completur per negationem decreti oppositi nolentis Incarnationem, ùt voluit Lince. Hæc enim negatio oppositi decreti vel esset negatio illius, quòd oppositum decretum diceret in recto, vel esset negatio illius, quòd diceret in obliquo. Atqui neutrius potest esse negatio. Non potest enim esse negatio illius, quòd oppositum decretum diceret in recto, quia deberet esse negatio ipsius DEI, & volitionis DEO adæquatè identificatæ, cùm hanc oppositum decretum dicat, & debeat dicere in recto. Talis autem negatio non est contingens, sed est impossibilis, & chimærica. Non potest etiam esse negatio illius, quòd oppositum decretum diceret in obliquo. Quia de hoc obliquo redit quæstio, quale sit, an positivum, an negativum. Si est positivum. Ergo falsum universaliter est, complementum actûs Divini liberi debere esse contingens æternum negativum. Si verò hoc obliquum oppositi decreti nolentis Incarnationem, est negativum; Ergo negatio hujus negativi erit quid positivum; adeóque decretum volens existentiam Incarnationis completum per negationem decreti nolentis Incarnationem, seu per negationem complementi decreti nolentis, &c. erit completum per aliquid contingens æternum positivum. Neque tandem actus DEI liber completur per aliquid, quòd sit medium inter ens, & non ens, seu inter esse positivum, & purum nihil, ùt voluit Palavicinus. Tale enim medium est formalissimè chimæra; consequenter non potest esse quid contingens. Probatur Antecede[illegible]s. Medium inter ens, & non ens [illegible]el est medium per participationem [illegible]triusque, vel est medium per exclu[illegible]nem utriusque. Atqui utrumque [illegible] medium est formalissimè chimæ-[illegible] Quia æquè chimæra est, quod simul est ens, & non ens, atque chimæra est, quod neque est ens, neque non ens.

21. Ratio secunda est. Quia in tantùm complementum decreti Divini deberet esse aliquid contingens æternum, in quantùm decretum Divinum non pos-

ſet eſſe & denominari æternum, ſinè complemento æterno. Sed hoc falſum eſt. Tum quia oſtendemus infrà, Decretum DEI eſſe & dici æternum, etiamſi complementum ejus non ſit æternum. Tum quia ſi ex eo, quod Decretum Divinum ſit æternum, etiam complementum ipſius deberet eſſe æternum, tunc pariter ex eo, quod Decretum Divinum ſit poſitivum phyſicè abſolutè exiſtens ab æterno, deberet etiam complementum Decreti Divini ab ipſo realiter diſtinctum, eſſe poſitivum phyſicè abſolutè, exiſtens ab æterno, quod tamen repugnat fidei.

22. Adverto ſecundùm dicta ſuperiùs, admitti poſſe aliquorum actuum DEI liberorum complementum, ſed ſolùm inadæquatè ſumptum, poſſe dici & eſſe æternum. Scientiæ enim Viſionis, ſeu præſcientiæ objectorum abſolutè futurorum, complementum, ſunt effectus abſolutè futuri. Effectus verò abſolutè futurus, quâ talis inadæquatè ſumptus, dicit aliquid, quod ſuo modo fuit ab æterno. Effectus enim abſolutè futurus duo dicit; nimirum negationem effectûs illius ab æterno, & exiſtentiam ejuſdem in certa temporis differentia. Ex quibus negatio fuit ſuo modo ab æterno. Adverto & illud, quòd licèt exiſtentia rei creatæ in tempore, & negatio ejuſdem in tempore, ſint quid contingens, negatio tamen rei contingentis ab æterno, non eſt contingens ſed neceſſaria. Suppoſito, quòd nihil creatum potuerit fuiſſe ab æterno. Quia eſt negatio chimæræ. Cùm ſecundùm hanc ſententiam chimæra ſit, aliquid creatum exiſtere ab æterno. Adverto ulteriùs dici poſſe negationem rei contingentis abæternam, ſecundùm quod eſt neceſſaria, non eſſe complementum ſcientiæ Viſionis contingentis, ſed eſſe objectum ſcientiæ ſimplicis Intelligentiæ.

§. V.

An actus DEI liber compleatur per modum diſtinctum ab actione productiva rei, &c.

23. Dicendum eſt actum DEI liberum in ratione liberi, non compleri per entitatem modalem, ſeu modum realiter diſtinctum, ab actione productiva rei volitæ, & à carentia actionis productivæ rei nolitæ.

Probatur primò. Ut actus DEI liber compleatur in ratione liberi, per entitatem modalem realiter diſtinctam ab actione productiva rei volitæ, &c. debet & dari talis entitas modalis. Sed non datur. Ergo. Minor probatur. Tum quia nulla eſt neceſſitas talis entitatis modalis. Neque enim eſt hæc neceſſitas, ut actus DEI liber in ratione liberi compleatur. Quia poteſt compleri per aliud, illúdque tale complementum, quod dari & admitti debere, aliunde ferè certum eſt, nimirum poteſt compleri per actionem productivam rei. Neque eſt neceſſitas talis entitatis admittendæ, ut ſolvantur aliquæ difficultates, quæ in hac materia ſolvi debent. Hæ enim ſolvi commodè poſſunt, non recurrendo ad entitatem modalem ſuperadditam, nec per illam complendo actus DEI liberos, ſed potiùs complendo illos, per actiones rerum productivas, & per carentias ſeu negationes talium actionum. Neque eſt ulla alia neceſſitas, cùm hæc entitas modalis, nullum alium finem, aut munus habeat, niſi quòd compleat actum DEI liberum. Ergo. Tum quia quo ſolo ablato, & aliis per poſſibile vel impoſſibile manentibus, actus DEI liber eſt completus in ratione liberi, illud non complet actum DEI liberum in ratione liberi. Implicat enim aliquid in aliqua ratione eſſe completum, non dato nec poſito completivo ipſius in eadem ratione. Quodſi in aliqua ratione, aliquid eſt completum, non poſito nec dato alio, tale aliud non eſt completivum prioris. Sed ablata ſola entitate modali, diſtincta ab actione productiva rei, & manentibus aliis per poſſibile vel impoſſibile, manente nimirum vel poſita actione productiva rei, v. g. Mundi, actus DEI liber, eſt completus in ratione liberè volentis mundum, ídque eſt ſufficienter in hac ratione completus per ipſam actionem productivam mundi. Dum enim ponitur volitio Divina, DEO adæquatè identificata, & applicatio contingens ad hoc objectum determinatè volendum, actus DEI liber eſt ſufficienter completus in ratione liberi. Dum verò ponitur actio productiva mundi, habentur hæc, & nominatim habetur applicatio contingens voti-

volitionis Divinæ, ad volendum determinatè mundum. Ipsa enim productio mundi, est talis applicatio contingens, cùm nihil illi deesse videatur ad esse talis applicationis, ipsique potiùs hæc ratio Identificari debeat, nè multiplicentur entia, & non alia distincta entitas admitti, quæ præcisè habeat rationem applicationis contingentis, volitionis Divinæ liberæ ad hoc determinatè volendum. Ergo. Tum quia entia non sunt multiplicanda sinè necessitate, & quòd fieri vel haberi potest per pauciora, frustra fit vel habetur per plura Atqui ratio actûs Divini liberè volentis producere mundum, completi in hac ratione, haberi potest sinè reali multiplicatione modorum, & per pauciora. Quia potest haberi per productionem mundi contingentem, quam dari necesse est, ut mundus existat. Ergo ratio actûs Divini liberè volentis mundum, quà talis, non debet haberi per plura, nimirùm per modum realiter superadditum actioni productivæ. Tum quia relatio prædicamentalis similitudinis in ratione albi, ultra entitates duorum parietum alborum, non dicit his realiter superadditam entitatem modalem, quæ parietem album A., compleat in ratione similis, parieti albo B. Ergo etiam relatio prædicamentalis DEI liberè volentis Mundum, ultra volitionem Divinam adæquatè DEO identificatam,& ultra mundum productum, suamque productionem, non dicit entitatem modalem his realiter superadditam, quæ DEUM compleat in ratione volentis liberè mundum. Tum quia ut DEUS in ratione liberè volentis producere mundum, compleatur per entitatem modalem superadditam, deberet DEUS in hac ratione esse incompletus, sinè hac modalitate, si cætera adsint. Sed non est in tali ratione incompletus sinè prædicta modalitate, si ponatur productio mundi. Esse enim completum probant rationes adductæ. Esse verò sinè hac modalitate incompletum in dicta suppositione, non probatur ab adversariis prout probari deberet.

24. Probatur secundò. Quæ sententia non salvat meliùs & commodiùs difficultates, circa completionem actûs DEI liberi, quàm salvet opposita sententia, & habet præterea novas suas difficultates, illa non est præferenda oppositæ illi sententiæ. Sed sententia complens actum DEI liberum, per entitatem modalem distinctam ab actione productiva rei non salvat commodiùs difficultates circa completionem actûs DEI liberi, quàm illas salvet sententia complens hujusmodi actum per productivam actionem rei. Per hanc enim sufficienter & commodè salvari hujus materiæ difficultates, ostendetur Puncto proximè sequenti. Sententia verò superaddens entitatem modalem, distinctam ab actione productiva rei, præter difficultates utrique huic sententiæ communes, habet suas novas eásque non leves. Explicari enim primò debet modus ille superadditus actioni productivæ mundi, an fuerit productus ab æterno, an in tempore. Non potest dici esse productus ab æterno. Quia nihil creatum est productum ab æterno. Si modus hic est productus in tempore? quærendum restat, an sit priùs productus quàm mundus, an simul? Secundò: explicari debet: Idem modus, éstne productus creativè & independenter à subjecto, an verò productus est eductivè & dependenter à subjecto? si productus est eductivè? quod subjectum est talis modi? Non DEUS: Quia implicat DEUM esse subjectum eductionis. Non mundus: quia modus hic debet esse prior mundo? quo tamen non esset prior, si mundus esset subjectum ipsius. Aliàs daretur duorum mutua prioritas, requirens existentiam singulorum. Non etiam quidquam aliud potest esse subjectum prædicti modi. Quia nihil creatum existit ante mundi productionem. Ergo. Tertiò: explicari debet modus ille, complens actum DEI liberum, éstne prior naturâ, seu causalitate quàm productio mundi? seu quomodo se habeat comparatus ad productionem mundi? an teneat se pro priori ad hanc productionem, an veniat concomitanter? Quartò: explicari debet prædefinitio actûs salutaris, si compleatur per modum distinctum ab ipso actu salutari, per quid differet à Decreto prædeterminativo actûs, ipséque ille modus completivus prædefinitionis per quid differat à prædeterminatione physica, & quomodo non tollat libertatem actûs salutaris? Quidquid enim dicetur de hoc modo, id ipsum dici potest de prædeterminatione physica, & vicissim quidquid dicitur de prædeterminatione id totum

tum dici poteſt de modo illo completivo prædefinitionis. Nimirùm ſicut prædeterminatio ad actum, antecedit actum, ità & modus ille completivus prædefinitionis, debet antecedere actum ſalutarem. Sicut itèm prædeterminatio infert infallibiliter actum, in ordine ad quem datur, ità & modus completivus prædefinitionis, infert infallibiliter actum prædefinitum. Siquidem prædefinitio Divina fruſtrari non poteſt. Scio recurrendum eſſe ad evitabilitatem prædefinitionis, in quantùm pro ſtatu conditionato potuit aliquis non ponere actum ſalutarem, ſub auxiliis non includentibus prædefinitionem, quem tamen, quia prævifus eſt. per ſcientiam mediam, quòd eſſet poſiturus, dirigente tali ſcientia formata eſt prædefinitio. Ex hac reſponſione ego infero: Ergo eo modo actus ſub prædefinitione erit liber, quomodo eſſet liber actus poſitus ſub prædeterminatione phyſica, aut ſub neceſſitate Janſeniſtica, aut ſub coactione Calviniſtica, caſu quo hæ conferentur voluntati creatæ, ſub directione ſcientiæ Mediæ, prævidentis quid futurum eſſet, ſub ſolis auxiliis indifferentibus. Sed circa prædefinitionem hujuſmodi plura dicentur Quæſtione 3. hujus Diſputationis. Propter has & alias difficultates, quæ locum non habent in ſententia complente actus DEI liberos, per actiones productivas rerum volitarum, admitti non debet modus ille diſtinctus ab actione productiva rei volitæ, completivus Decreti DEI liberi.

Objectiones proponentur & ſolventur Puncto ſequente.

PUNCTUM III.

Proponitur propria Sententia de Conſtitutivo actûs DEI liberi.

25. Dicendum eſt: Actum DEI liberum duobus adæquatè conſtitui. Primò. Volitione Divina, DEO adæquatè intrinſeca, neceſſaria in exiſtendo, importata in recto, quæ etiam forma volendi & nolendi dici ſolet. Secundò. Applicatione contingente temporali volitionis Divinæ, ad certum aliquod objectum volibile, ſeu terminatione ad extra, realiter à DEO diſtincta, importata in obliquo, quæ ipſa applicatio reſpectu actuum volitionis, conſiſtit in actione contingente productiva rei volitæ, reſpectu actuum nolitionis, conſiſtit in negatione actionis productivæ rei nolitæ. Applicatio hæc, alio nomine dici ſolet, complementum Decreti Divini.

Concluſio quoad principale punctum: quòd nimirùm Decretum DEI liberum, duobus conſtituatur, volitione Divina ſeu forma volendi, & terminatione contingente DEO extrinſeca.

Probatur primò. Quia tali explicatione & conſtitutione actûs Divini liberi, conciliantur optimè, ex una parte ſumma Neceſſitas, Immutabilitas, indefectibilitas, & ſimplicitas DEI, nec non ratio actûs puri. Ex altera parte: contingentia & libertas actûs liberi Divini. Neceſſitas enim, Immutabilitas, ſimplicitas, ratio actûs puri, ſunt penès volitionem Divinam, DEO adæquatè identificatam, illíque conveniunt. Contingentia verò actûs liberi & potentia ad non eſſe, eſt penès contingentem terminationem ad extra, à DEO realiter diſtinctam, ſeu penès productionem creatam temporalem, vel ejus negationem, ità, ut ratione hujus contingentiæ, convenientis terminationi, actus Divinus ſit liber, ſit contingens, potueritque non eſſe. Eo enim ipſo, quòd poſſit deficere aliquod conſtitutivum cujuſpiam totius, ſeu denominationis, poſsítque non eſſe, ipſum etiam totum & denominatio poteſt deficere, & poteſt non eſſe.

26. Probatur ſecundò. Illud eſt de eſſentia Volitionis Divinæ liberæ, ſinè quo voluntas Divina libera, non poteſt diſtingui à volitione neceſſaria. Sed ſinè terminatione contingente, volitio libera non poteſt diſtingui à volitione neceſſaria. Cùm non ſit aliud quidquam aſſignabile, ratione cujus volitio libera, diſtinguatur à volitione neceſſaria. Ergo.

27. Probatur tertiò. Ex una parte, actus DEI liber non poteſt conſtitui per aliquid DEO adæquatè intrinſecum. Quidquid enim ponitur intrinſecum DEO, eſt realiter DEUS. Conſequenter eſt quid ſummè neceſſarium, adeóque tale, ut non poſſit non eſſe. De ratione verò actûs liberi eſt, ut poſſit vel potuerit non eſſe. Unde implicat in terminis libertatem actûs Divini, conſtitui adæquatè per aliquid DEO adæquatè intrinſecum. Quia impli-

implicat in terminis, unum, idémque simul non posse non esse, & idem posse non esse. Ex altera parte, actus DEI liber non potest constitui per aliquid adæquatè distinctum à DEO, quia omnis operatio vitalis debet esse immanens, & intrinseca principio operanti vitaliter. Sed actus DEI liber est operatio DEI vitalis. Ergo idem actus debet esse immanens,& intrinsecus suo principio, nimirum Deo. Non potest autem esse intrinsecus per receptionem sui in Essentia DEI; cùm hæc receptio repugnet rationi actûs puri. Ergo debet esse intrinsecus per identitatem, non per adæquatam, ùt ostensum est, Ergo per identitatem inadæquatam. Restat itaque, ut actus DEI liber sit denominatio DEO partim intrinseca, partim extrinseca; adeóque ut actus DEI liber constituatur, tum per esse Divinum, tum per aliquid contingens temporale.

28. Probatur quartò. Denominatio DEI contingenter in hoc loco reali extrinseco, vel in hoc tempore extrinseco existentis, est denominatio partim intrinseca DEO, partim extrinseca, constituitúrque prior denominatio Immensitate DEI, DEO intrinseca, & existentiâ loci extrinseci; altera denominatio constituitur æternitate DEI, DEO adæquatè intrinseca, & existentiâ temporis extrinseci, hæq; denominationes desumunt suá contingentiam à contingentia loci, & temporis extrinseci. Ergo etiam denominatio DEI volentis liberè, seu contingenter existentiam mundi, est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca Deo, constituitúrque volitione DEI, DEO adæquatè identificata, & productione contingente mundi, eadem denominatio suam contingentiam desumit à contingente productione mundi.

29. Probatur quintò. Etiam denominatio actûs creati liberi est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca actui voluntatis creatæ, qui dicitur liber. Ergo etiam denominatio actûs Divini liberi est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca actui Divino secundùm se, seu volitioni Divinæ, quæ dicitur libera. Consequentia patet. Quia Adversarii hinc maximè probant, libertatem actuum Divinorum debere esse adæquatè intrinsecam DEO, quòd sibi persuadeant, etiam libertatem actuum creatorum esse adæquatè intrinsecam volitioni creatæ, quæ dicitur libera. Antecedens docui, ubi de Anima. Hìc illud breviter probo. Actum aliquem voluntatis creatæ esse formaliter liberum, est illum elici à potentia in actu primo proximo indifferente ad talem actum. Sed actum elici à potentia in actu primo proximo indifferente, est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca actui voluntatis, qui dicitur liber. Est imprimìs hæc denominatio intrinseca partialiter ipsi actui. Quia elici actum vitalem à sua potentia, est intrinsecum actui. Hic enim quoad suammet entitatem, & per actionem à se indistinctam elicitur. Est etiam hæc denominatio partialiter extrinseca eidem actui. Quia elici hunc actum à potentia indifferente in actu primo proximo, sumendo hanc ipsam denominationem reduplicativè, & adæquatè, non est denominatio adæquatè intrinseca, seu identificata ipsi actui secundùm se, cùm hæc sit separabilis ab eodem actu. Potuit enim hic actus secundùm suam entitatem esse, & non elici ab hac potentia, prout indifferente in actu primo proximo, sed potiùs elici ab hac quidem potentia, sed prout determinata ad unum. Quod ipsum ex eo ulteriùs est. Quia multa constituunt potentiam in actu primo proximo indifferentem quâ talem, cum quibus nullatenus connectitur, nec ab ipsis dependet actus hic, qui dicitur liber. Talia enim sunt requisita per modum conditionum, & principia oppositi actûs. Quodsi autem cum his non connectitur, nec ab illis dependet præfatus actus, eò ipso idem actus potest esse in sua entitate invariatus, etiamsi talia requisita, & principia non fuerint ex parte actûs primi proximi ipsius potentiæ; adeóque etiamsi potentia non sit in actu primo proximo indifferens ùt talis. Ergo ulteriùs hunc voluntatis creatæ actum elici à potentia in actu primo proximo indifferente quâ tali, est separabile ab eodem actu, secundùm se, & entitativè sumpto.

30. Neque valet, si dicas: Etiamsi actui libero creato, libertas ejusdem, non sit adæquatè intrinseca, tamen adhuc hic ipse actus est secundùm se, & ratione sui contingens, & non ratione alicujus extrinseci. Ergo pariter etiamsi actûs Divini

ni libertas non eſſet adæquatè intrinſeca eidem, tamen hic etiam actus ſecundùm ſe, & ratione ſui debet eſſe contingens. Non valet, inquam. Quòd enim actus voluntatis creatæ, qui dicitur liber, etiam ratione ſui ſit contingens, & non ſolùm ratione contingentis conjunctionis cum aliquo ſibi extrinſeco, ſuæ libertatis conſtitutivo, habet hoc idem actus, non ex ratione formali actûs præcisè liberi quâ talis, ſed ex ratione actûs creati. De ratione enim entis cujuſcunque creati eſt, eſſe ens ſecundùm ſe, ſeu ratione ſui contingens. Unde ſequitur, quòd licèt actus liber creatus ſecundùm ſe, hoc eſt, ſecundùm quod eſt volitio voluntatis creatæ, debeat eſſe contingens, non debeat tamen actus DEI liber, ſecundùm quod eſt actus, & volitio Divina, non debeat, inquam, eſſe contingens; ſed ſufficit ad rationem actûs liberi, quòd ſit contingens ratione applicationis contingentis, ſeu ratione conjunctionis contingentis cum complemento extrinſeco. Confirmatur primò data Reſponſio. Id, in quo convenit actus creatus liber cum actu creato neceſſario, & non libero, non poteſt eſſe de ratione formali actûs liberi. Sed contingentia actûs liberi, quoad entitatem actûs, eſt id, in quo actus creatus liber convenit cum actu creato non libero, ſeu neceſſario; uterque enim ſecundùm ſuam entitatem eſt contingens. Quia uterque ratione ſui poteſt non eſſe. Ergo contingentia actûs ratione ſui, & ſecundùm entitatem hujus ipſius actûs, non eſt de ratione formali actûs liberi quâ talis; adeóque ſi aliquis actus ratione ſui, & ſecundùm ſuam entitatem, eſt contingens, non habet ex ratione formali actûs liberi id, ſed ex diverſâ alia ratione. Confirmatur ſecundò. Id eſt de ratione formali actûs liberi, per quod aliquis actus tranſit à non eſſe liberi ad eſſe liberi, ſed actus à non eſſe liberi ad eſſe liberi, non tranſit formaliter per contingentiam actûs ſecundùm ſuam entitatem, ſed potiùs per contingentiam alicujus extrinſeci ſibi contingenter conjuncti. Ergo. Minor probatur. Demus aliquem actum voluntatis creatæ continuari per plura inſtantia, illúmque actum in primo, & ſecundo inſtanti, ex parte potentiæ ſupponere aliquod requiſitum, per modum conditionis infallibiliter illativum actûs. In tertio verò, & ſequentibus inſtantibus hunc ipſum actum ſupponere ex parte potentiæ omnia conſtitutiva actûs primi proximi indifferentia. In tali caſu actus ille voluntatis tranſibit formaliter à non eſſe liberi ad eſſe liberi formaliter, ídque tranſibit non per contingentiam actûs, ſecundùm ſe, & ſecundùm entitatem ſumpti, ſed tranſibit præcisè per aliquid extrinſecum conjunctum cum tali actu. Ergo. Confirmatur tertiò. Etiamſi coëxiſtentia mei loco extrinſeco A, ſit contingens, non ſolùm quoad locum extrinſecum, ipſiúſque ubicationem, ſed etiam quoad meum eſſe, & meam ubicationem; ſit itèm hæc coëxiſtentia diverſa à coëxiſtentia mei alteri loco extrinſeco, non ſolùm ratione diverſi loci extrinſeci, ſed etiam diverſæ meæ ubicationis; tamen coëxiſtentia DEI huic loco extrinſeco eſt ſolùm contingens quoad eſſe ipſius loci extrinſeci, ejúſque ubicationem, nullatenus verò eſt contingens quoad eſſe intrinſecum DEI, ipſiúſque immenſitatem, & ubicationem intrinſecam. Itèm coëxiſtentia DEI huic loco extrinſeco eſt diverſa à coëxiſtentia DEI alteri loco extrinſeco, ſolùm ratione diverſi loci, & diverſæ ubicationis, unicuique loco extrinſeco convenientis. Ergo pariter, etiamſi actus liber creatus ſit contingens, non ſolùm ratione eorum, quæ actum creatum complent in ratione liberi, ſed etiam ratione ſuæ entitatis, & ſecundùm eandem entitatem; tamen actus Divinus liber non debet eſſe contingens ſecundùm ſuam entitatem, ſed ſufficit, quòd ſit contingens quoad extrinſecum ſui completivum in ratione liberi. Itèm etiamſi unus actus creatus liber ſit diverſus ab alio actu libero ejuſdem voluntatis, per diverſam entitatem ipſius actûs; tamen actus Divinus liber non debet eſſe diverſus ab alio actu Divino libero, ratione diverſitatis in ipſis volitionibus Divinis, ſecundùm ſe ſumptis, ſed ſufficit, quòd ſit diverſitas in complementis extrinſecis dictorum actuum. Et ratio à priori eſt. quia actus voluntatis creatæ habet in ſe ipſo diverſitatem vel à principio diverſo, à quo dependet, vel à diverſo termino, quem reſpicit. Actus autem Divinæ voluntatis non poteſt in ſe ipſo habere diverſitatem à diverſo ſui principio. Quia non datur ullum principium producti-

vum

vum actûs Divini liberi; non habet etiam eandem diverſitatem à termino, quia actus Divinus, ſecundùm quod eſt volitio DEO adæquatè intrinſeca, reſpicit quoſcunque poſſibiles ſuos terminos, èſtque hic actus determinatus ad volendum omne volibile, ſi hoc exiſtat; non ſecùs ac Immenſitas DEI eſt determinata ad coexiſtendum omni loco extrinſeco, dummodo locus extrinſecus exiſtat.

31. Neque valet, ſi iterum dicas: Contingentia actûs liberi creati, completiva ejuſdem in ratione actûs liberi, non habetur à contingentia termini, ſed à contingentia alicujus principii, vel requiſiti indifferentis in actu primo proximo ad ipſum actum. Ergo etiam contingentia actûs Divini liberi conſtitutiva, vel completiva talis actûs in ratione liberi debet deſumi non à contingentia termini voliti, ſed à contingentia principii vel requiſiti indifferentis in actu primo proximo ad eundem actum Divinum. Non valet, inquam: quòd enim contingentia actûs liberi creati in ratione liberi conſtituatur per contingentiam principii vel requiſiti in actu primo proximo indifferentis ad talem actum, habetur ex eo, quòd reſpectu actûs liberi creati, poſſit, imò debeat dari principium indifferens ejuſdem actûs cauſativum. E contra cùm actûs Divini liberi non poſſit dari ullum principium cauſativum, libertas hujus actûs non poteſt haberi à contingentia principii ſive requiſiti, tenentis ſe ex parte actûs primi proximi ad eundem actum. Potiùs ergo hæc libertas actûs Divini debet haberi à contingentia ipſius termini, ità à DEO producti, ut DEUS ad eum producendum, vel non producendum fuerit in actu primo proximo indifferens. Debet, inquam, haberi à tali contingentia. Tum quia ſi à contingentia alicujus principii vel requiſiti indifferentis in actu primo proximo ad actum poteſt deſumi libertas actûs, non apparet ratio, cur etiam non poſſit deſumi libertas à contingentia termini, ad quem ipſe actus habeat ſe per modum principii in actu primo indifferentis. Tum quia libertas actûs Divini non poteſt ab alia contingentia deſumi, niſi à contingentia termini, ab illo ipſo actu tanquam à principio indifferente, producti. Siquidem ſi libertas hæc ab alia contingentia deſumatur, invehitur in DEUM aliqua imperfectio; nulla autem invehitur, ſi eadem libertas deſumatur à contingentia termini.

32. Probantur jam reliquæ partes Concluſionis, & imprimis: quòd actus DEI liber dicat in recto volitionem Divinam, in obliquo terminationem, ſeu complementum extrinſecum. Tum quia id actus DEI liber dicit in recto, quod dicit pro ſubjecto denominationis, quod verò dicit ex parte formæ, ejúſque accidentalis, & adjectivè ſignificatæ, illud dicit in obliquo. Atqui actus DEI liber pro ſubjecto hujus ipſius denominationis dicit volitionem Divinam, quia dicit actum ipſum voluntatis Divinæ, qui dicitur liber, qualis actus eſt formaliſſimè volitio DEI. Ex parte verò formæ, ejúſque accidentalis, & adjectivè ſignificatæ dicit complementum extrinſecum. Hoc enim complementum dicit actus liber in ratione liberè terminati, ad hoc potiùs, quàm aliud objectum, quæ ratio eſt forma accidentalis, eàque adjectivè ſignificata. Ergo. Tum quia in denominatione actûs Divini liberi, volitio Divina eſt quid principaliùs, & tanquam aliquid principaliùs venit. Id autem, quod volitionem Divinam complet in ratione liberæ, eſt quid minùs principale, & ùt tale per denominationem importatur. Ergo in denominatione actûs Divini liberi volitio Divina in recto, complementum autem extrinſecum venit in obliquo. Tum quia etiam actus creatus liber in recto dicit ipſam volitionem creatam, in obliquo verò dicit complementum ejuſdem volitionis in ratione liberæ. Ergo.

33. Probatur deinde, quòd applicatio, & terminatio contingens ad extra, complens volitionem DEI, ſeu decretum volitivum, ſit actio productiva rei volitæ, v. g. quòd applicatio, & terminatio, complens decretum, quô DEUS vult exiſtentiam mundi, ſit actio productiva, & conſervativa mundi. Id complet decretum Divinum in ratione liberè volentis exiſtentiam mundi, quod primò formaliter determinat volitionem Divinam ad volendam potiùs exiſtentiam mundi præ oppoſito, ſeu quod primò formaliter tollit indifferentiam volitionis Divinæ. Sed actio productiva mundi primò formaliter determinat volitionem Divinam ad volendam exiſtentiam mundi, & primò tol-

tollit indifferentiam dictæ volitionis. Tum quia posita tali actione pro sua temporis differentia sufficienter intelligitur sublata esse indifferentia volitionis Divinæ ad volendum, & nolendum mundum. Nec est ulla necessitas aut fundamentum assignandæ alterius prioris determinationis, quæ sit sublativa indifferentiæ volitionis Divinæ. Tum quia actio productiva mundi, primò formaliter determinat Omnipotentiam Divinam ad esse producentis mundum. Ergo eadem actio primò formaliter determinat volitionem Divinam, ad esse liberè volentis mundum.

34. Applicatio verò & terminatio, complens Decretum nolens existentiam rei, v. g. alterius mundi, dicit negationem actionis productivæ alterius mundi, in eáque consistit. Imprimìs enim hæc applicatio debet esse quid negativum. Cùm & ipsum Decretum sit negativum, nec possit aliter differre à Decreto volente existentiam mundi, quale Decretum est, & dicitur positivum, nisi per hoc, quòd Decretum nolens rem esse, seu negativum, compleatur per complementum negativum; Decretum verò positivum, seu volens rem esse, compleatur per aliquid positivum. Debet etiam idem complementum esse negatio actionis productivæ, v. g. mundi potiùs, quàm negatio ipsius termini, v. g. existentiæ mundi secundùm se. Quia etiam Decreti volentis mundum, complementum est non existentia mundi secundùm se, sed potiùs productio talis existentiæ, ídque ex eo; quòd productio mundi sit quid priùs quàm existentia mundi, adeóque per productionem primò formaliter tollitur indifferentia volitionis Divinæ. Ergo pariter Decreti nolentis existentiam mundi, complementum debet esse negatio actionis productivæ, non verò ipsa non existentia, seu negatio mundi. Cùm etiam negatio actionis productivæ mundi sit quid prius, quàm ipsa non existentia, seu negatio mundi. Negationes enim sequuntur conditiones illorum, quæ negant.

35. Dicendum est secundò. Quæ dicta sunt de Decretis DEI liberis, proportionatè extendenda esse, ad scientiam DEI visionis & ad Scientiam Mediam. Quòd scilicet utráque hæc scientia, duo dicat: primò: Actum Divinæ Intellectionis ex se determinatum ad repræsentandum certò & infallibiliter omne cognoscibile, hunc inquam actum DEO adæquatè identificatum, in recto importatum. Secundò dicit applicationem & terminationem contingentem ad extra, realiter à DEO distinctam, in obliquo importatam, consistentem in existentia vel non existentia objecti pro certa temporis differentia, eáque absolutè vel conditionatè futura.

Conclusio hæc iisdem rationibus facilè probari potest, quibus probata est præcedens Conclusio. Ultra has adduci potest authoritas D. Doctoris Angelici de veritate Quæst. 23. Art. 1. ad 8. ubi dicit: *DEO non competit ad opposita se habere, quantùm ad ea, quæ sunt in essentia ejus; sed ad oppositum se habet quantùm ad effectus in creaturis, quos potest facere vel non facere.* Et Quæst. 3. art 3. ad 8. *Scientia Visionis addit aliquid, quod est extra genus notitiæ, scilicet rerum existentiam.*

36. Noto nihilominus inter utrámque hanc Scientiam, & inter actus DEI liberos hoc discrimen esse; Primò: quòd volitio Divina habeat se practicè & effectivè respectu sui complementi. Scientia verò tam Visionis, quàm media, habeant se speculativè ad suum complementum. Neutra enim hæc scientia, loquendo saltèm in sensu formali & præcisivo, dat esse suo complemento. Cùm complementum scientiæ mediæ, non habeat propriè & simpliciter esse; complementum verò scientiæ Visionis, habeat præsuppositivè aliunde esse, scilicet à volitione Divina, quæ in sensu formali præcisivo, præsupponitur ante scientiam visionis. Secundò: discrimen inter has scientias & Decreta DEI libera, etiam hoc est: quòd Decretum Divinum liberum, non compleatur per quæcunque entia creata, sed solùm per actiones productivas talium, vel per negationes actionum. Jam autem scientiæ Divinæ contingentes, complentur per quæcunque entia creata, & per quascunque veritates objectivas. Ratio hujus discriminis est. Quia volitio Divina ità se habet practicè ad suum objectum, ut immediatè se exerceat per actiones rerum productivas, illis verò mediantibus, producat effectus ratos. Unde sequitur voluntatem Divinam, primò & immediatè determinari ad hoc potiùs volendum, quàm aliud per actionem productivam. Intellectio autem

Divina,

Divina, non ità se habet speculativè ad objecta creata, ut nonnisi repræsentet immediatè actiones rerum productivas, his autem mediantibus repræsentet alios effectus; sed omnia objecta creata repræsentat formaliter & immediatè in se ipsis. Ergo per omnia & singula objecta, intellectio Divina DEO adæquatè identificata, primò determinatur ad esse talis scientiæ, adeóque in ratione ejusdem scientiæ, completur per quæcunque illa objecta, quæ talis scientiæ sunt objecta propria.

37. Noto iterum etiamsi tam scientia Media, quàm scientia Visionis, compleantur per aliquid extrinsecum; non completur tamen per quidquam extrinsecum scientia simplicis Intelligentiæ. Ratio est, quia scientia simplicis Intelligentiæ, cùm sit necessaria, nullum habet prædicatũ, ratione cujus postulet compleri per aliquid extrinsecum: scientia autem Media & scientia Visionis, cùm sint scientiæ contingentes, ex ratione talium scientiarum postulant essentialiter compleri per aliquid extrinsecum. Ratio enim, seu prædicatum contingentis, non potest aliter dictis scientiis convenire, nisi ratione complementi extrinseci contingentis.

Proponuntur Objectiones.

38. Objicitur primò. Si Decreta DEI libera complerentur per aliquid DEO extrinsecum, nimirum per actiones rerum productivas, eô ipso non esset in DEO alia libertas in volendo, & alia libertas in operando. Sed juxta scripturam & communem Theologorum sententiam, contra Aureolum, alia est in DEO libertas in volendo, & alia libertas in operando. Sequela probatur. Tunc non est alia libertas in volendo, alia in operando, quando iis omnibus constituitur libera operatio DEI ad extra quâ talis, quibus constituitur volitio DEI libera quâ talis. Sed defacto his ipsis omnibus constituitur DEI operatio libera, quibus constituitur volitio DEI libera. Utraque enim dicit tam actionem creatam contingentem, quàm volitionem DEO identificatam, secundùm se in actu primo indifferentem, dictæ actionis productivam. Ergo.

39. Objicitur secundò. Implicat denominationem permanentem & non successivam esse & dari, pro tunc verò non dari omnia constitutiva ejusdem denominationis, aliàs talis denominatio & esset permanens, ùt supponitur, & non esset. Quia non differret à denominatione successiva. Sed volitio DEI libera quâ talis, est denominatio permanens. Tum quia hæc denominatio non est talis, qualis est denominatio senis, aliàs sicut homo non dicitur senex, nisi post elapsos 60. annos; ità electio Divina non esset electio, nisi transacto aliquo tempore. Cùm tamen Scriptura dicat: Elegit nos ante constitutionem mundi. Tum quia volitio libera circa existentiam v. g. mundi, semper fuit, quia ab æterno, sempérque est & erit. Ergo esse volitionem liberam, est denominatio permanens. Denominatio enim quæ semper fuit, est, & erit, est denominatio permanens. Ergo implicat volitionem DEI liberam, aliquando fuisse, & non fuisse pro tunc omnia illius constitutiva, sed si volitio hæc constitueretur per aliquid temporale contingens, fuisset hæc volitio aliquando, nimirum fuisset ab æterno, quando non fuerunt omnia illius constitutiva, siquidem ab æterno non fuit quidquam contingens temporale, quod tamen dicitur esse constitutivum dictæ volitionis. Ergo.

40. Objicitur tertiò. Si actus DEI liberi complerentur per aliquid extrinsecum, tunc exercitium libertatis Divinæ, non esset vitale: Exercitium enim hujus libertatis est determinatio, quâ DEUS determinatur ad hoc potiùs volendum præ alio. Quæ determinatio non est quid vitale, cùm sit complementum ipsi DEO, ejúsque libertati in actu primo extrinsecum. De ratione autem exercitii vitalis est, esse intrinsecum suo principio. Sed exercitium libertatis Divinæ, debet esse quid vitale. Cùm sit exercitium potentiæ vitalis quâ talis. Libertas enim in actu primo est potentia vitalis. Ergo.

41. Objicitur quartò. In sententia complente actus DEI liberos, multorum talium actuum non sunt assignabilia extrinseca complementa. Ergo actus DEI liberi non bene complentur per aliquid extrinsecum. Antecedens probatur. Tum quia actuum DEI liberorum, quibus DEUS vult unius ejusdémque rei existentiam ex diversis motivis, complementa deberent diversa assignari, hæc autem non sunt

sunt assignabilia. Non est enim assignabile complementum Decreti, quô DEUS vult Incarnationem in remedium peccati, quod sit diversum à complemento Decreti, quô DEUS vellet propter excellentiam capitis eandem Incarnationem. Itèm Decreti quô DEUS vellet pluviam propter fertilitatem agrorum, non est assignabile complementum diversum, à complemento Decreti, quô DEUS vellet pluviam in pœnam peccatorum. Tum quia Decretorum, quibus DEUS intenderet unius ejusdémque rei existentiam, intenderet itèm eundem finem, sed uno Decreto intenderet illum finem principaliùs, alio Decreto intenderet minùs principaliter, non sunt assignabilia diversa complementa. Tum quia Decreti nolentis existentiam alicujus rei ex certo fine non est assignabile complementum. Non sunt itèm assignabilia diversa complementa Decretorum, quibus DEUS nollet quidquam producere ex diversis finibus & motivis. Tum quia Decretorum, quibus DEUS aliquem obligat, vel obligationem ex voto, aut juramento, aut præcepto ortam relaxat, vel peccatum purè extrinsecè condonat, non sunt assignabilia extrinseca complementa.

42. Objicitur quintò. Si actus DEI liberi complerentur per aliquid extrinsecum, sequitur, posse dari Decretum prædefinitivum actûs, independens à scientia Media, quod tamen non læderet libertatem ejusdem actûs. Sed hoc non admittitur. Ergo. Sequela probatur. Decretum, ex cujus suppositione actûs nostri liberi, sunt infallibiliter futuri ex suppositione nonnisi consequente, non est decretum sublativum libertatis talium actuum. Sed decretum prædefinitivum actûs salutaris, independens à scientia media, esset decretum tale, ex vi cujus actus salutaris esset infallibiliter futurus, ex suppositione consequente, quia esset infallibiliter futurus ex suppositione Decreti completi per ipsum actum salutarem, ídque hæc infallibilitas haberetur non ex vi illius, quod tale decretum dicit in recto, hoc enim est volitio DEO adæquatè identificata, indifferens ad hunc vel illum actum; sed haberetur ex vi illius, quod decretum hoc dicit in obliquo, hoc autem obliquum est ipse actus salutaris. Ergo hic actus esset infallibiliter futurus ex suppositione sui ipsius, adeóque ex suppositione consequente.

43. Objicitur sextò. In sententia complente actus DEI liberos per aliquid extrinsecum, non est explicabile Decretum DEI collativum auxilii ad actum, Tum quia in hac sententia non est explicabili differentia decreti efficacis ab inefficaci,[s] aut certè sequitur juxta hanc sententiam non dari ullum decretum inefficax. Tum quia sequitur in hac sententia, quòd DEUS conferendo auxilium aliquod, non determinet se ipsum per se ipsum, ad dandam liberè gratiam Petro, quam per scientiam mediam prævidit sortituram consensum, sed potiùs quòd ipsa gratia determinet DEUM ad se dandam Petro, DEUS enim ad dandam gratiam determinatur per decretum de danda gratia, ad quod ipsum Decretum habendum, non determinatur per se, sed per positionem gratiæ. Ergo.

44. Objicitur septimò. In prædicta sententia sequitur non dari Decretum permissivum peccati, sed sequitur DEUM non minùs amare peccatum, quàm amet opus aliquod bonum. Ratio hujus ipsius est. Quia permissio peccati iisdem constitutivis constituitur, quæ deberent esse constitutiva amoris & volitionis peccati, si per aliquam suppositionem talis amor daretur. Permissio enim hæc constituitur volitione DEI adæquatè identificata DEO, & ipso peccato; quæ etiam duo deberent esse constitutiva amoris peccati. Tum quia constitutiva amoris, quô DEUS amat opus bonum, est ipsa volitio DEI, DEO adæquatè identificata, & ipsum opus bonum. Ergo & constitutiva amoris, quô DEUS amaret peccatum, deberent esse volitio DEI adæquatè DEO identificata, & ipsum peccatum. Tum quia si per impossibile DEUS amaret peccatum, amor ille non aliis constitutivis constitueretur, nisi volitione DEI & ipso peccato, Ergo siquidem nunc permissio peccati his ipsis constituitur, permissio hæc est amor peccati.

45. Objicitur octavò. Juxta hanc sententiam, quæ defenditur, sequitur, DEUM non habere positivam liberam nolitionem alterius mundi, sed solùm habere puram omissionem circa alterum mundum.

dum. Tum quia sicut per negationem præcisè frigoris subjectum non redditur positivè calidum, sed solùm redditur non frigidum; ità per negationem alterius mundi DEUS non redditur nolens mundum, sed solùm redditur non volens mundum; adeóque purè omittens. Tum quia negationes omnium actionum possibilium præintelliguntur existere suo modo, ante liberum in actu secundo decretum; seu hæ negationes intelliguntur suo modo esse pro illo priori, pro quo DEUS præintelligitur esse liber in actu primo, nec se adhuc ad quidquam determinâsse. Ergo ut intelligatur se determinare, debet se determinare per aliquid aliud, & non per negationem præexistentem ante decretum, aliàs erit purè omittens.

46. Objicitur nonò. Juxta hanc Sententiam de actibus DEI liberis non bene explicatur Scientia visionis. Tum quia juxta hanc Sententiam id nonnisì asseritur circa Scientiam visionis, quod nunquam negabatur ab Ethnicis, & Hæreticis negantibus præscientiam absolutè futurorum. In hac enim Sententia in tantùm dicitur dari Scientia visionis, in quantùm datur Scientia DEI necessaria, & res in tempore existentes. Quæ duo dari admittebant Ethnici, & Hæretici, qui tamen negabant præscientiam, seu Scientiam visionis. Tum quia in hac Sententia non explicatur, ratione cujus Scientia visionis sit posterior decretó. Cùm enim tam decretum, quàm Scientia visionis idem omnino dicant tam in recto, quàm in obliquo, non apparet, ratione cujus Scientia visionis possit esse posterior decretó. Tum quia juxta hanc Sententiam Scientia DEI libera, qualis est Scientia visionis, ità debet explicari, ut Deus sit formaliter sciens, & videns mundum per ipsummet mundum; adeóque ut sit formaliter sciens per creaturam, quô quid absurdius?

47. Objicitur decimò. Juxta hanc Sententiam non bene explicatur Scientia conditionata, seu media. Tum quia Scientia media debet se attemperare actibus nostris conditionatè futuris. Juxta Sententiam verò complentem actus DEI liberos per aliquid extrinsecum, Scientia media non potest se attemperare actibus nostris conditionatè futuris, neque enim talibus actibus potest se attemperare Scientia media secundùm id, quod dicit in recto, quia rectum, hoc est, ipsissima Scientia simplicis Intelligentiæ, quæ non attemperat se actibus nostris conditionatè futuris, sed ad summum attemperat se iisdem prout possibilibus. Neque etiam Scientia media secundùm id, quod dicit in obliquo, attemperat se actibus nostris liberis conditionatè futuris. Quia cùm hæc Scientia in obliquo dicat ipsos actus conditionatè futuros, dum secundùm obliquum attemperaret se actibus liberis conditionatè futuris, hujusmodi actibus attemperaret se per ipsosmet hos actus, quod tamen est ridiculum. Tum quia Scientia media debet dari in DEO absolutè, non potest autem dari in DEO absolutè in suppositione dictæ Sententiæ, sed solùm potest dari conditionatè, sicut conditionatè nonnisì datur decretum circa actum liberum conditionatè futurum. Et ratio ulterior est. Quia non datur absolutè id, quod Scientiam mediam complet in ratione talis Scientiæ. Et certè si Pater non est absolutè Pater per Filium conditionatè futurum, etiam DEUS non est absolutè sciens per objectum nonnisì conditionatè fururum. Tum quia saltèm non datur absolutè Scientia media prout condistincta à Scientia simplicis Intelligentiæ, cùm nihil detur absolutè, per quod Scientia media condistinguatur à Scientia simplicis Intelligentiæ. Tum quia Scientia media debet esse independens à decreto DEI absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti; juxta Sententiam verò completivam actuum DEI liberorum per aliquid extrinsecum, Scientia conditionata debet esse dependens à decreto absoluto ex parte subjecti, conditionato ex parte objecti. Siquidem secundùm hanc Sententiam debet dari decretum absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti, circa objecta conditionatè futura, cùm dentur omnia constitutiva talis decreti. Datur enim & volitio DEI necessaria, determinata ad volendum omne futurum creatum, idque hæc volitio datur in Deo absolutè, estque subjectum in denominatione actûs liberi Divini. Et suo modo datur futurum conditionatum, quod non solùm Scientiæ mediæ, sed etiam volitionis Divinæ potest esse complementum in ordine ad constituendum decretum abso-

solutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti, non minùs atque futurum absolutum est completivum, non solùm Scientiæ visionis, sed etiam decreti absoluti tam ex parte subjecti, quàm ex parte objecti. Tum quia saltèm Scientia, quâ DEUS videt suos actus conditionatè futuros, non bene explicatur per hanc Sententiam. Hæc enim Scientia, quamvìs sit contingens, aut non completur per quidquam; aut si completur, completivum illud non est extrinsecum Scientiæ, & ipsi DEO, nec etiam est quid temporale. Quia deberet esse actus Divinus conditionatè futurus, qui tamen nec temporalis esse potest, nec DEO, ejúsque Scientiæ extrinsecus. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

48. Respondeo ad primum negando Sequelam. Probationis Majorem distinguo: Tunc non est alia libertas in volendo, alia libertas in operando, quando omnibus illis constituitur operatio libera, quibus constituitur volitio libera; & ex his constitutivis unum, idémque dicit in recto operatio libera, quod dicit volitio libera. Concedo Majorem. Etiamsi ex his constitutivis aliud dicat in recto operatio libera quâ talis, & aliud dicat volitio libera. Nego Majorem. Distinguo similiter Minorem, & nego Consequentiam, ac dico: Denominationes aliquas iisdem constitutivis constitutas, per hoc sufficienter reddi diversas, quòd una ex illis constitutivis aliud dicat in recto, aliud verò dicat in recto altera denominatio. Patet hoc in his denominationibus: *Judas similis Petro in natura, Petrus similis Judæ in natura.* Itèm in his: *Cognitio A. vera circa objectum B, & objectum B verè cognitum per cognitionem A.* Quæ denominationes, licèt iisdem constitutivis constituantur, sunt tamen diversæ, ità ut verificent prædicata contradictoria, síntque de se negabiles, quam suam diversitatem non aliunde habent, nisi quòd una ex illis aliud rectum habeat, & aliud altera. Cùm ergo ex his etiam denominationibus, operatio DEI libera ad extra, & volitio Divina libera, una denominatio aliquid aliud dicat in recto, & aliud altera. Prima enim dicit in recto productionem rei creatam. Secunda verò dicit in recto volitionem DEI, DEO adæquatè identificatam; ideo hæ denominationes sunt diversæ, consequenter est sufficiens diversitas inter libertatem in operando, & inter libertatem in volendo. Potest etiam ejusdem Probationis transita Majore negari Minor. Falsum enim simpliciter est, operationem DEI liberam, & volitionem DEI liberam, iisdem constitutivis constitui. Licèt enim volitio Dei libera quâ talis constituatur & volitione DEO adæquatè identificata, & operatione ad extra, tamen operatio libera non constituitur volitione DEI, adæquatè DEO identificata; sed hæc operatio respectu DEI est libera DEO per hoc, quòd sit in se contingens, & quòd se ipsa essentialiter dependeat à volitione DEO adæquatè identificata libera in actu primo; adeóque operatio libera DEI ad extra quâ talis dicit præcisè entitatem operationis. Ubi adverto, libertatem volitionis Divinæ duplicem esse, unam in actu primo, alteram in actu secundo. Libertas volitionis Divinæ in actu primo est libertas, ex vi cujus volitio Divina est indifferens, ut terminetur, & applicetur ad hoc, vel illud volendum, aut nolendum, habétque plenam potestatem se ipsam determinandi per operationem ad extra, & applicandi se ad hoc potiùs volendum, quàm nolendum, aut oppositum volendum. Libertas volitionis Divinæ in actu secundo est illa, ex vi cujus volitio Divina est liberè, hoc est, ratione propriæ determinationis applicata ad hoc potiùs volendum, quàm aliud. Ex his libertas in actu primo est adæquatè identificata soli volitioni divinæ secundùm se sumptæ, hoc est secundùm quod est Deus. Libertas autem in actu secundo identificatur tam ipsi volitioni divinæ, quàm operationi ad extra.

49. Dices: Si libertas in volendo constituatur operatione ad extra, sequitur primò in DEO adhuc non dari simpliciter libertatem in volendo, quod tali evincitur argumento: Ad illud DEUS est liber, ad quod est indifferens. Sed DEUS non est indifferens ad volendum. Quia non est indifferens, ut habeat, vel non habeat volitionem, quæ sibi est adæquatè identificata, sed solùm est indifferens; adeóque & liber ad producendum. Ergo. Sequitur secundò: Non posse explicari, quo sensu sit verum illud Psal. *Omnia, quæ-*

quæcunque voluit, fecit. Vel certè id non alio sensu erit verum, nisi hoc, quòd Deus omnia, quæcunque fecit, fecit; qui sensus est nugatorius, & sacras Literas dedecens. Sequitur tertiò: Non esse veram illam causalem: *Ideò DEUS operatur, quia vult.* Si enim esset vera, tunc volitio DEI libera tanquam causa deberet præsupponi ante operationem ad extra, non potest autem ante illam præsupponi; aliàs præsupponeretur ante se ipsam. Cùm volitio DEI libera dicat constitutivè ipsam operationem. Quartò sequitur: Causam constitui per effectum, sequitur enim volitionem DEI liberam constitui per operationem ad extra. Cùm tamen volitio DEI libera sit causa, operatio verò ad extra sit effectus hujus causæ. Tandem sequitur, dari causalitatem mutuam inter volitionem DEI liberam, & inter operationem ad extra. Cùm veræ sint hæ causales: *Ideò DEUS ponit actionem ad extra, quia vult liberè.* Et rursus: *DEUS in tantùm vult liberè, in quantùm ponit actionem ad extra.*

Respondeo negando primam Sequelam: Argumenti, quô hæc probatur, distinguo Minorem. Sed DEUS non est indifferens ad esse volitionis secundùm se, & prout hæc sumitur sinè terminatione ad extra. Concedo Minorem. Sed DEUS non est indifferens ad esse volitionis prout terminatæ ad hoc determinatè objectum. Nego Minorem, ac distinguo similiter Consequens, & dico: DEUM non esse indifferentem ad esse volitionis, prout volitio divina sumitur sinè terminatione ad extra. Talis enim volitio est DEO realiter adæquatè identificata, DEUS autem non potest esse indifferens ad ullum prædicatum sibi realiter adæquatè identificatum. Est tamen DEUS indifferens ad esse volitionis, prout terminatæ ad hoc determinatè objectum. Cùm potuerit esse DEUS & volitio Deo adæquatè identificata, quin terminaretur ad hoc objectum, seu quin esset volitio hujus determinatè objecti. Ità planè atque DEUS non est indifferens ad existendum simpliciter in loco, ad hoc enim est determinatus ex vi suæ immensitatis sibi adæquatè identificatæ. Est tamen indifferens ad coëxistendum huic determinatè loco extrinseco; cùm talis coëxistentia sit forma semiextrinseca DEO constituta, & Immensitate DEI, & existentiâ, ac ubicatione hujus determinatè loci extrinseci. Unde ulteriùs ad summum sequitur, DEUM non esse liberum in volendo volitione accepta sinè terminatione ad extra. Non sequitur verò DEUM non esse liberum in volendo, sumendo volitionem cum terminatione ad extra.

Secundam Sequelam nego, & dico: Adductæ Scripturæ verum, & proprium sensum esse. Primò: quòd DEUS produxerit omnia non mortuo modo, sicut multa agentia producunt suos effectus; sed quòd produxerit omnia ex voluntate, eáque libera in determinando se ipsam, licèt necessaria in essendo. Secundò sensus est: quòd DEUS omnia, quæcunque fecit, fecerit volendo, & pro suo arbitrio, atque ex propria determinatione, non verò ex necessitate, & determinatione antecedente, & ex parte actûs primi proveniente vel ab intrinseco, vel ab extrinseco; idque fecerit efficaciter, & inimpedibiliter, non sicut creaturæ, quæ volunt plerumque, sed non efficaciter, solentque impediri, nè faciant, quod volunt. Tertiò dictæ Scripturæ hic sensus est: Quocunque DEUS completur in esse volentis liberè, omne illud existit in tempore. Non est verò hic sensus: DEUS, quæcunque fecit, fecit. Tum quia volitio divina non est ipsa factio, seu productio creata rei. Unde non bene ly, *fecit*, accipitur pro ly, *voluit.* Tum quia operatio complens volitionem divinam nullatenus est causa sui ipsius. Non bene igitur pro causali hujus: Cur DEUS fecerit aliquid, affertur id ipsum, quia fecit.

Tertiam Sequelam nego, & dico: Illam causalem: *Ideò DEUS operatur, quia vult*, esse veram *primò* in sensu causali, quô significatur, volitionem divinam esse causam efficientem operationis creatæ, quo sensu est vera dicta causalis, etiamsi addatur: quia liberè vult. Sicut in eodem sensu est vera hæc causalis: Ideò est actio A, quia illam ponit sua causa. *Secundò*: Vera est hæc causalis positivè, ut sensus sit: non aliam causam quærendam esse, quare DEUS operatur, nisi, quia voluntas divina determinat se ad hanc operationem per illammet ipsam. Quo etiam sensu est vera illa causalis: Ideò est volitio creata, quia voluntas creata vult. *Tertiò*: Vera est hæc causalis in sensu for-

mali, in quo etiam sensu est vera illa alia causalis: Ideo DEUS vult, quia est volitio DEI. Vera autem est dicta causalis in hoc sensu, quatenus operatio ad extra est ultima determinatio volitionis divinæ ad esse terminatæ liberè ad hoc objectum volendum, constituens per modum formæ hanc denominationem: *Volitio liberè terminata ad extra.* *Quartò*: Veram etiam esse dictam causalem eo sensu, ut importetur causalitas quædam per rationem secundùm analogiam cum actibus nostris. Ad Probationem Sequelæ quid sit dicendum, facilè patet. Nimirum dicendum est: Volitionem DEI ante operationem præsupponi ùt causam eo modo, quo causa operatura præsupponitur ante operationem.

Quartam Sequelam nego. Defacto enim causa actu causans, causa itèm operatura, similiter causa, quæ jam prodiit in actum. Hæ, inquam causæ ùt tales constituuntur per suos effectus, quia constituuntur per operationem, vel prout præsentem, vel prout futuram, vel prout transactam, & præteritam. Poterit igitur simili ratione volitio DEI libera ùt talis constitui per operationem ad extra, etiamsi hæc volitio sit causa operationis. Siquidem dicta volitio libera ùt talis non aliter est causa operationis, nisi vel prout actu operans, vel prout operatura, vel prout jam est operata, jámque prodiit in actum.

Ultimam Sequelam distinguo: Sequitur dari mutuam causalitatem in uno, eodémque genere. Nego. In diverso genere, eámque non implicatoriam. Concedo, & dico: ex veritate illarum causalium: Ideo DEUS vult, quia operatur. Et: ideo operatur, quia vult; sequi ad summum mutuam causalitatem in diverso genere, eámque non implicatoriam. Per primam enim causalem infertur causalitas in genere causæ formalis, quatenus volitio divina prout terminata ad extra, & prout libera constituitur operatione. Per secundam verò causalem infertur causalitas in genere causæ efficientis, quatenus volitio DEI secundùm se, est causa efficiens operationis. Non est verò ulla implicantia, nec ullum inconveniens, si admittatur hujusmodi mutua causalitas. Cùm defacto voluntas creata causet efficienter suam volitionem, vicissímque in ratione actu volentis per illam constituatur, & causetur formaliter. Virtus enim DEI productiva effectûs creati causat efficienter productionem creatam, à qua formaliter denominatur actu producens. Adverto, non esse talem inter hæc mutuam causalitatem, ut unum, idémque sit causa, & sit causatum à suo effectu; qualis causalitas etiam inter causam efficientem, & inter causam formalem deberet implicare. Sed diversa hìc sunt saltèm inadæquatè, causa, & causatum. Nam volitio Dei secundùm se accepta est causa efficiens operationis ad extra. Jam verò eadem volitio non secundùm se, sed prout terminata, & completa in ratione liberæ, est, & dicitur esse causata ab operatione ad extra, tanquam à causa formali.

50. Ad secundum Respondeo cum distinctione: Implicat esse denominationem permanentem physicè in omni prorsus rigore talem, & non esse omnia constitutiva ipsius. Concedo Majorem. Implicat esse denominationem permanentem moraliter nonnisi, vel certè physicè, sed non in omni rigore talem, & non esse omnia constitutiva talis denominationis. Nego Majorem, & distinguo Minorem. Sed volitio DEI libera quâ talis est denominatio permanens physicè in omni rigore talis. Nego Minorem. Est denominatio permanens physicè, non tamen in omni rigore. Concedo Minorem, & nego Consequentiam, ac dico: Denominationes permanentes alias esse permanentes moraliter, alias permanentes physicè. Denominationes permanentes moraliter sunt, quæ solùm manent ratione formæ, seu ratione illius, quod eædem denominationes dicunt in obliquo. Talis v. g. denominatio est peccatum habituale. Denominationes permanentes physicè sunt, quæ manent physicè, vel ratione omnium constitutivorum, vel ratione subjecti, seu illius, quod tales denominationes important in recto, physicè existentis, & permanentis in se ipso. Rursus denominationes physicè aliæ sunt permanentes physicè in omni prorsus rigore, quarum nimirum omnia, & singula constitutiva physicè permanent; tales denominationes sunt, quarum partes uniuntur physicè, ùt patet in denominationibus corporis viventis, albi, calidi, &c. Aliæ denominationes sunt permanentes physicè,

ficè, sed non in omni prorsus rigore, in quibus nimirum subjectum, seu id, quod importatur in recto, permanet physicè. Forma verò, seu id quod venit in obliquo, non manet, nec existit physicè. Talis denominatio v. g. est cognitio DEI vera, circa futura absoluta. Ex his ergo Denominationibus, solæ denominationes permanentes physicè in omni prorsus rigore sunt tales, quæ dari non possunt, nisi sint actu physicè pro tunc omnia constitutiva, dum est denominatio. Denominationes tamen permanentes moraliter, permanentes itèm physicè, sed non in omni prorsus rigore, non requirunt, ut dentur pro tunc omnia illarum constitutiva, quando ipsæ dantur. Porrò volitio DEI libera est denominatio permanens physicè, sed non in omni prorsus rigore. Hujus enim denominationis solum subjectum, seu rectum debet physicè permanere. Talis pariter denominatio est, cognitio DEI vera de futuro contingente, quæ similiter est permanens physicè, sed non in omni rigore. Unde hujus denominationis: *Volitio DEI libera*, non debent dari omnia constitutiva pro tunc, quando ipsa datur.

Ad primam Probationem dico: Quòd denominatio DEI liberè volentis, quoad aliquid sit similis denominationi senis, quoad aliquid sit dissimilis. Est similis in hoc, quòd sicut denominatio senis, est denominatio physicè permanens, sed non in omni rigore; ità denominatio DEI liberè volentis, est denominatio physicè permanens, non in omni rigore. In hoc verò hæ denominationes sunt dissimiles, quòd denominatio Senis non conveniat verè homini, qui est subjectum ejusdem, nisì post elapsos 60. suæ ætatis annos; Denominatio autem DEI liberè volentis, conveniat DEO ab æterno, sed nec debent in hoc convenire dictæ denominationes. Ità enim arguo: Datur denominatio permanens physicè, quæ secundùm rectum existit & permanet physicè; secundùm obliquum verò exstitit nonnisì de præterito, ùt patet in denominatione senis. Ergo pariter dabitur denominatio permanens physicè, cujus rectum, seu subjectum, physicè existat & permaneat, obliquum verò illius vel sit præsens, vel futurum, vel præteritum. Certè non est de ratione denominationis permanentis physicè non in omni rigore, ut hæc denominatio importet obliquum nonnisì ùt præteritum, sed potest dari talis denominatio, quæ obliquum importet ùt coëxistens recto, in certa nonnisì temporis differentia, pro aliis verò temporum differentiis, importet vel ùt præteritum, vel ùt futurum, talisque denominatio est, cognitio DEI vera circa futura absoluta. Ergo nihil obest, quominus Denominatio Volitionis DEI liberæ in actu secundo sit talis, quæ dicat obliquum ùt coëxistens in certa temporis differentia volitioni Divinæ, importatæ in recto; pro aliis verò differentiis ùt futurum, vel ùt præteritum.

Ad secundam Probationem dico: Quemadmodum ut denominatio volitionis Divinæ liberæ sit physicè permanens, non requiritur physica permanentia obliqui, sed solùm permanentia physica recti, ità ut eadem denominatio sit æterna, & conveniat DEO ab æterno, sufficit, quòd rectum hujus denominationis sit æternum. Et ratio est: quia, ut aliqua prædicata verè conveniant alicui denominationi, hoc sufficit, quòd rectum prædicati identificetur cum recto subjecti. Igitur ut etiam prædicata permanentis æterni, verè dicantur de denominatione hac: *Volitio DEI libera*; sufficit, quòd illa prædicata identificentur & conveniant recto dictæ denominationis.

51. Dices. Implicat denominationem volitionis liberæ æternæ constitui per formam & obliquum temporale & futurum, etiamsi hæc denominatio dicatur esse denominatio permanens physicè non in omni rigore talis. Sed denominatio volitionis Divinæ terminatæ ad existentiam v. g. mundi, est denominatio volitionis liberæ æternæ. Ergo implicat illam constitui obliquo, quod sit temporale & futurum. Major probatur. Tum quia implicat hominem denominari album, per albedinem futuram. Tum quia implicat volitionem Divinam denominari producentem per productionem futuram. Tum quia implicat Personam aliquam Divinam denominari ab æterno Missam per missionem, quæ sit in tempore. Tum quia implicat Immensitatem Divinam denominari coëxistentem ab æterno, loco extrinse-

co A, per coëxistentiam quæ sit in tempore. Ergo.

Respondeo negando Majorem. Instantiis in probationem adductis oppono instantiam de cognitione DEI vera circa futura absolutè, quæ cognitio vera ùt talis, est denominatio æterna. Quia dicta cognitio est vera ab æterno, simúlque secundùm sententiam communem plurium etiam ex Adversariis, constituitur in obliquo per objectum temporale & futurum. Directè Nego Consequentiam omnibus adductis paritatibus. Ad primam paritatem disparitas est: quia denominatio albi, cùm sit denominatio intrinseca, proveniens à forma intrinseca inhærente subjecto, & physicè unita eidem, est denominatio permanens physicè in omni rigore. Denominationes enim intrinsecæ provenientes à forma intrinseca, unita physicè subjecto, sunt denominationes permanentes physicè in omni rigore. Quare denominatio albi ut conveniat & tribuatur subjecto, requirit formam de præsenti, & non præcisè formam ùt futuram, ùt constat ex numero præcedente. E contra denominatio volitionis DEI liberæ, non est denominatio intrinseca proveniens à forma intrinseca subjecto, provenit enim à terminatione contingente volitionis Divinæ ad hoc objectum, quæ terminatio non est, nec potest esse intrinseca volitioni Divinæ tanquam suo subjecto, adeóque non est ex eo capite denominatio physicè permanens in omni rigore, ex quo capite denominatio albi est talis denominatio. Sed nec ex alia ratione, est denominatio physicè permanens in omni rigore, cùm id nulla evincat ratio, evincant autem oppositum rationes pro Conclusione adductæ.

Secundæ Paritati disparitas est. Quia denominatio volitionis producentis rem est de genere illarum denominationum, quæ exigunt formam de præsenti. Quod ipsum est tum ex usu communi, tunc nonnisi denominationes hujusmodi tribuente subjectis, quando dantur de præsenti ipsæ formæ, & afficiunt sua subjecta, seu illis coëxistunt. Tum etiam ex eo; quia non pertinet ad perfectionis Divinæ rationem, DEO ejúsque volitioni tribui ab æterno denominationem producentis, ante actualem existentiam productionis temporalis, cùm producere rem ab æterno, non dicat ullam perfectionem simpliciter talem. E contra denominatio volitionis DEI liberæ, & terminatæ ad existentiam mundi, est de genere illarum denominationum, quæ non petunt formam habere de præsenti, sed conveniunt subjectis sive forma sit præsens, sive præterita, sive futura, ídque ex eo ulterius. Quia actus vitalis intentionalis, licèt objectum illius sit physicè absens, facit tamen illud intentionaliter præsens. Unde ratione talis præsentiæ objecti, ab objecto physicè absente, potest accipere denominationem sibi convenientem. Deinde sicut ad perfectionem Divinam pertinet, ut DEUS denominetur ab æterno cognoscens cognitione vera objectum, quod nonnisì in tempore existit, ità ad eandem perfectionem Divinam pertinet, ut DEUS denominetur ab æterno volens liberè objectum, quod futurum est in tempore. Addo Volitionem DEI liberam quoad illa nimirùm, quæ sinè imperfectione possunt convenire DEO & volitioni, esse similem volitioni creatæ liberæ, potéstque de illa atque de hac proportionatè discurri: Sicut ergo volitio creata libera, volens aliquid pro tempore sequenti, est denominatio conveniens subjecto antequam sit res volita, ità pariter volitio DEI libera est denominatio conveniens subjecto, ante existentiam termini voliti, adeóque est denominatio conveniens ab æterno.

Tertiæ Paritati similis omnino Disparitas. Quia etiam denominatio Personæ Divinæ missæ, est denominatio postulans constitui missione Personæ præsente vel transactâ, exigit scilicet constitui apparitione temporali Personæ Filii, vel Spiritûs S. præsente vel præteritâ, quam apparitionem in recto missio Personæ Divinæ, in obliquo dicit processionem æternam Personæ, quæ mittitur.

Quartæ Paritati Disparitas est. Quia immensitatem DEI coëxistere loco reali extrinseco, est denominatio importans & significans coëxistentiam actualem & exercitam immensitatis cum loco extrinseco, quæ coëxistentia est simultanea actualis exercita existentia & Immensitatis DEI & loci realis extrinseci, non secùs ac coëxistentia Petri loco reali extrinseco est simultanea actualis, & exercita existentia & ubica-

ubicationis ipsius Petri, & ubicationis loci extrinseci. Denominatio autem importans & significans coëxistentiam & simultatem existentiarum, non potest tribui immensitati, quando non est locus realis. Quia non potest tribui, quando non est simultas, sicut denominatio significans coëxistentiam Petri loco reali extrinseco, non potest tribui eidem Petro, quando non est actu hæc coëxistentia & simultas. E contra denominatio volitionis DEI liberæ terminatæ ad existentiam mundi, non est talis, ut requirat coëxistentiam exercitam volitionis Divinæ cum productione & existentia mundi, non est, inquam, talis denominatio ob rationes superiùs datas.

52. Ad tertium Respondeo cum Distinctione: Si actus DEI liber compleretur per aliquid extrinsecum, tunc exercitium libertatis Divinæ secundùm esse volitionis, quam dicit actus DEI liber, non esset quid vitale. Nego sequelam. Tunc exercitium libertatis Divinæ secundùm complementum & applicationem volitionis Divinæ ad hoc determinatè objectum, seu secundùm terminationem ad extra, non esset quid vitale. Concedo sequelam, & distincta Minore Nego Consequentiam, ac dico: Exercitium libertatis Divinæ duobus constitui. Primò volitione DEI. Secundò applicatione volitionis Divinæ ad hoc volendum objectum, seu terminatione ad extra. Exercitium enim libertatis Divinæ est volitio DEI libera, liberè volens hoc objectum, quæ volitio duobus illis constituitur. Licèt ergo exercitium libertatis Divinæ secundùm esse complementi & applicationis, non sit quid vitale, est tamen aliquid vitale secundùm esse volitionis. Qua ratione esse vitale exercitium libertatis Divinæ, sufficit. Cùm etiam in creatis, exercitium libertatis creatæ, sit vitale in actu secundo, non secundùm alia constitutiva libertatis creatæ, sed præcisè secundùm esse Volitionis. Potest etiam Transita sequelà negari Minor. Cùm etiam in creatis non omne exercitium libertatis debeat esse vitale, siquidem in sententia admittente puram omissionem liberam esse possibilem, pura omissio libera est exercitium libertatis creatæ, non est autem exercitium vitale. Addo, quòd etiamsi omne exercitium libertatis creatæ, debeat esse vitale, tamen exercitium libertatis Divinæ non debet esse vitale. Ratio est. Tum quia libertas creata exercetur, non solùm per hoc, quòd actus ex se indifferens ad esse liberi, vel non liberi, fiat liber, sed etiam per hoc, quòd potentia vitalis ex se in actu primo indifferens, ad ponendum suum actum, vel non ponendum, se ipsam determinet per positionem actûs vitalis. E contra libertas Divina non potest eatenus exerceri, ut potentia vitalis Divina ex se indifferens ad ponendum actum vitalem, vel non ponendum, se ipsam formaliter determinet per positionem actûs vitalis, sed præcisè hæc libertas exercetur per hoc, quòd volitio DEI necessaria in essendo, indifferens ut applicetur ad hoc, vel illud objectum, determinetur formaliter ad hoc objectum, per positionem in tempore ejusdem objecti. Unde etiamsi exercitium libertatis creatæ, deberet esse exercitium vitale, tamen exercitium libertatis Divinæ non debet esse vitale. Tum quia exercitium libertatis Divinæ, prout tale exercitium supponit pro determinatione contingente libertatis in actu primo, profecta à DEO, se ipsum determinante, repugnat esse exercitium vitale. Repugnat enim aliquid intrinsecum DEO (prout exercitium vitale DEI debet esse intrinsecum DEO) esse contingens, & potuisse non esse, quæ ratio non militat pro exercitio libertatis creatæ. Ad Probationem minoris dico: Negando exercitium libertatis Divinæ esse exercitium Potentiæ vitalis, prout exercentis se vitaliter. Potentia enim vitalis exercens se vitaliter est principium vivens in actu primo, producens vitam in actu secundo, seu actum vitalem. Sed illa in DEO potentia, quæ se exercet per exercitium libertatis, licèt sit potentia vitalis, non est tamen vitalis, seu vivens in actu primo, nec producit actum vitalem. Quia illa potentia est volitio actualis DEI, quæ potiùs est vita in actu secundo, & ipse actus vitalis, non verò principium producens actum vitalem.

53. Ad quartum Respondeo negando Antecedens. Ad primam probationem respondetur communiter. Illorum actuum, quibus DEUS vellet unum, idémque objectum ex diversis motivis, complementa taliter esse diversa, nimirum esse actiones specie diversas, specificatas à diversis finibus,

finibus, quos DEUS intendit. Et sic dicitur esse diversa ratio productiva pluviæ completiva decreti, quô DEUS vult pluviam propter fertilitatem specificata ab hoc fine. Et iterum diversa dicitur esse actio productiva pluviæ, completiva decreti, quô DEUS vult pluviam in pœnam peccatorum, quæ per hoc sit diversa, quòd specificetur ab hoc altero fine. Cujus ratio hæc assignatur. Quia actio, seu productio rei eo modo comparatur ad libertatem DEI in actu primo, quo modo volitio creata comparatur ad voluntatem creatam in actu primo liberam. Atqui volitio creata ità comparatur ad suam potentiam liberam, ut hæc volitio sit essentialiter diversa, si finis volitionis sit diversus. Ergo etiam productio rei alicujus ità comparatur ad libertatem DEI in actu primo, ut productio hæc sit diversa, si finis intentus sit diversus. Hanc doctrinam puto esse veram de illis decretis, quibus ex diversis finibus decernitur una, eadémque res, ità ad eosdem fines secundùm se indifferens, ut etiam per circumstantias non determinetur ad unum ex ipsis. Qualia decreta sunt de conferendis gratiis sacramentalibus, decretum itèm remissivum peccati venialis, &c. Non est autem doctrina hæc vera de illis decretis Divinis, quibus ex diversis finibus decernitur una, eadémque res, indifferens quidem secundùm se ad tales fines, sed determinanda per circumstantias ad hunc potiùs finem, quàm ad alium. Talia enim decreta sinè multiplicatione specifica actionum, possunt compleri per eandem actionem coëxistentem, jam his, jam aliis circumstantiis determinantibus ad diversos fines. Et talia sunt decreta, quibus DEUS vult pluviam jam propter fertilitatem agrorum, jam in pœnam peccatorum. Secundò: Non est vera hæc doctrina de decretis efficacibus, respectu finis pendentis à libertate creata, vel increata. Quibus DEUS vult rem aliquam propter finem talem, qui finis suppositâ existentiâ rei volitæ dependet adhuc à libertate sive ipsius DEI, sive creaturæ. Talia enim decreta ùt efficacia respectu finis debent compleri non solùm per actionem productivam rei volitæ, sed etiam per positionem ipsius finis. Tertiò: Non est vera eadem doctrina de complementis negativis, quibus decernuntur ex diverso fine negationes, seu non existentiæ rerum. In negationibus enim non potest haberi talis specificatio.

Ad secundam Probationem dico: Deum non posse velle unam, eandémque rem propter eundem finem diversis actibus, ità, ut uno actu illum ipsum finem intendat principaliùs, alio actu minùs principaliter. Non potest, inquam, velle, nisi facta aliqua variatione in ipso objecto volito. Diversorum enim decretorum, & actuum DEI efficacium diversa debent esse objecta, & diversi effectus. Hæc verò variatio objecti in tantùm fieri potest, in quantùm suis actibus diversis ità DEUS intenderet finem, ut uno decreto ultimo sisteret in tali fine, alio verò decreto finem illum intenderet, & obtentum ordinaret ad alium ulteriorem finem, ad quam objecti variationem consequitur variatio in complementis talium decretorum, juxta datam Responsionem ad Probationem præcedentem.

Ad tertiam Probationem dico: Decretum, quô DEUS non vult rem ex certo aliquo fine, compleri quandoque per ipsam solam negationem actionis productivæ illius rei, si hæc negatio sit connexa infallibiliter cum ipso fine, ejúsque existentia, aut si decretum sit inefficax respectu finis, completur tale decretum sola negatione etiam non coñexa cum fine, conducente tamen ad eundem finem. Quandoque verò hujusmodi decretum completur tum per negationem actionis productivæ rei nolitæ, tum per positionem ipsius finis, ad quam conducit negatio. Adverto, ùt superiùs innui, negationes actionum completivas decretorum DEI non posse ità specificari à finibus diversis, sicut possunt specificari actiones positivæ, ut decretum nolens rem ex uno fine, compleatur per diversam negationem ab ipso fine specificatam, & per aliam specie diversam negationem ab alio fine specificatam compleatur decretum divinum nolens eandem rem ex alio fine. Et ratio est. Quia nolens rem ex uno fine, non vult illam esse vi ullius actionis; adeóque tale decretum vult non esse omnis omnino actionis productivæ talis rei, seu vult non esse omnis omnino actionis ad hanc rem terminatæ. Ergo hoc decretum completur per non esse omnis actionis, seu per negationes omnium

um actionum productivarum rei; sed ultra omnes negationes actionum, non datur prætereà ulla negatio actionis productivæ ejusdem rei, quæ compleat aliud decretum nolens illam rem ex alio fine. Ergo hoc aliud decretum non potest per aliam negationem compleri. Adeóque non potest dari negatio specificata à fine, quæ compleat decretum negativum diversum ab alio decreto negativo, nolente eandem rem. E contra decretum volens rem ex uno fine, vult illam ex vi unius nonnisi actionis productivæ rei; adeóque per hanc unam actionem completur. Ergo potest dari alia actio specie diversa specificata ab alio fine. Circa decreta, quibus DEUS nollet quidquam producere ex diversis finibus, censeo talia decreta, quorum unum nollet quidquam producere ex uno fine, aliud pariter nollet quidquam producere ex altero diverso fine, non esse possibilia. Neque enim tales fines possunt esse negativi. Quia ex talibus finibus unum sinè altero DEUS non potest intendere per decretum, quô non vult quidquam producere. Sed per tale decretum necessariò intendit omnes fines negativos, utpote necessariò inclusos in ratione producendi quidquam. Neque etiam hi fines possunt esse positivi. Quia neque possunt esse fines positivi creati. Tales enim fines repugnant decreto de nulla re producenda. Neque possunt esse fines increati. Quia DEUS unoquoque decreto suo necessariò debet intendere omnes suas perfectiones. Cùm has omnes, sicut & semet ipsum necessariò amet, & velit, nec sit liber ad unam perfectionem sui amandam, & non amandam aliam.

Ad quartam Probationem dico: Decreti, quô DEUS aliquem in conscientia obligat, complementum esse cognitionem, seu dictamen conscientiæ, proponens illi, qui obligatur, certas illius actiones futuras illicitas, & à DEO puniendas. Dictamen, inquam, ùt dependens à revelatione, aut sufficienti propositione talis obligationis. Decreti etiam, quô DEUS relaxat obligationem voti, vel juramenti, vel præcepti, complementum est cognitio creata, seu dictamen proponens actiones ejus, cui relaxatur obligatio, fore deinceps licitas, quales erant illicitæ ante, propter voti, juramenti, aut præcepti obligationem. Dictamen, inquam, dependens à revelatione relaxationis factæ. Decreti autem purè extrinsecè condonantis peccatum, complementum assignare, onus non incumbit his, qui negant possibilem condonationem puram extrinsecam. Qui illam admittunt, secundùm hos illud erit complementum talis condonationis, quod erit objectum efficaciter intentum per hujusmodi condonationem.

54. Ad quintum Respondeo negando Sequelam. Ad Probationem dico: quòd decretum prædefinitivum Scotisticum si daretur, & tolleret libertatem creatam, & non tolleret. Non tolleret, ùt volunt Scotistæ, & objectio probat. Tolleret autem. Quia tale decretum non deberet compleri per ipsum actum salutarem, sed deberet compleri per aliquid vel antecedens, vel concomitans, simúlque connexum essentialiter cum actu salutari, ratione cujus illud decretum sit antecedens, vel concomitans, & simul infallibiliter inferens actum salutarem. Deinde illud decretum ex eo implicat; quia & esset dependens à Scientia media, & non esset. Non esset, ùt asserunt Oppositi. Esset autem dependens. Quia decretum absolutum circa actum creatum liberum supponit essentialiter Scientiam mediam; quatenus complementum decreti absoluti, nimirum actus liber creatus absolutè futurus supponit se ipsum conditionatè futurum, qualiter sumptus hic actus est complementum Scientiæ mediæ, quæ hoc ipso, quòd præsupponatur ante decretum absolutum, est directiva ejusdem.

55. Ad sextum Respondeo negandó Sequelam. Ad primam Probationem dico: Decretum inefficax, quô DEUS vult inefficaciter actum salutarem Petri à decreto efficaci ejusdem actûs per hoc differre: quòd decretum inefficax non sortiatur omnem suum effectum, quem intendit; decretum autem efficax sortiatur omnem intentum à se effectum. Prius completur per gratias purè sufficientes, posterius completur per gratias efficaces, hoc est tales, quæ sortituræ sunt felicem eventum. Hinc noto, nullum decretum DEI liberum esse omnino inefficax eo sensu, ut nihil extra ponat. Cùm omne decretum debeat habere aliquem termi-

minum, & aliquod sui complementum. Et sic etiam Decretum, quo DEUS vult omnes homines salvos fieri respectu eorum, qui non salvantur, non est ità inefficax, ut nullus ei respondeat effectus. Quia etiam hoc Decretum est tale, ut vi illius omnibus hominibus conferat auxilia sufficientia ad consequendam salutem. Per hoc autem respectu aliquorum dicitur idem Decretum inefficax, quòd non omnibus det DEUS auxilia, quæ per scientiam mediam prævidit sortitura eventum.

Secundæ Probationis sequelam Distinguo: Sequeretur, quòd DEUS decernendo aliquod auxilium creaturæ, v. g. Petro, non determinet se ipsum per se ipsum, hoc est, non det auxilium Petro ex vi determinationis propriæ licèt à se distinctæ. Nego sequelam. Hoc est, quòd DEUS ipse non sit formalis sui ipsius determinatio ad dandum tale auxilium Petro. Concedo sequelam. Ad Probationem dico: Etiamsi collatio auxilii, in genere causæ formalis determinet DEUM ad dandum tale auxilium Petro, tamen ipse DEUS in genere causæ efficientis determinando collationem auxilii, per hanc determinat se determinatione causæ liberæ in actu primo, quatenùs ipse non determinatus ab alio, ponit efficienter collationem gratiæ, per illámque se determinat, cùm fuerit in actu primo indifferens vel ad collationem gratiæ, vel ad ipsius negationem. Ità planè, sicut licèt volitio creata in genere causæ formalis determinet voluntatem creatam, ut hæc exerceat formaliter suam libertatem, tamen eadem voluntas in genere causæ efficientis determinando ipsam suam volitionem, per eam eatenus determinat se ipsam, quatenus non determinata ab ullo principio, ponit efficienter suam volitionem, per illámque tollendo suam indifferentiam ad actum, se determinat.

56. Ad septimum Respondeo negando sequelam & Majorem Probationis. Nego ulteriùs, quòd amoris Divini respectu peccati, sint, aut possint esse hæc constitutiva; volitio illa DEI, quæ ipsi adæquatè identificatur, & ipsum peccatum. Universaliter enim, amoris Divini, quo DEUS amat aliquod objectum, constitutiva debent esse; volitio DEO adæquatè identificata, quæ sit complacentia in omni honesto, & objectum aliquod particulare tale, quod sit objectum honestum. Cùm ergo volitio DEO adæquatè identificata, prout accipitur comparatè ad peccatum, non possit esse complacentia in peccato, tanquam in objecto honesto, nec peccatum quâ tale possit esse objectum honestum. Non habentur constitutiva amoris, quo DEUS amet peccatum. Nec volitio, quæ defacto identificatur DEO, & ipsum peccatum, possunt esse constitutiva dicti amoris. Hinc facilè patet disparitas ad primam Probationem à pari.

Ad secundam dico: In illa suppositione impossibili, si DEUS amaret peccatum, amor Divinus peccati aliis defacto constitutivis deberet constitui, non vero hac volitione, quæ defacto DEO identificatur, aut non tali, quale defacto per suam essentiam est, peccato. Deberet enim in illa hypothesi impossibili, aut talis in DEO dari volitio ipsi adæquatè identificata, quæ esset complacentia in objecto etiam inhonesto ùt tali; aut certè peccatum manendo peccatum, deberet non esse inhonestum, deberétque impossibilis ille Divinus amor peccati, constitui aut volitione DEO identificata complacente sibi etiam in objecto inhonesto ùt tali, aut peccato, quod ùt tale, non esset inhonestum.

57. Ad octavum Respondeo negando sequelam. Ad primam Probationem dico negando suppositum consequentis, quòd per sententiam, quæ defenditur, asseratur DEUM reddi formaliter nolentem per contingentem rei negationem. Potiùs enim per hanc sententiam asseritur, DEUM formaliter reddi nolentem, per nolitionem sibi realiter adæquatè identificatam, per quam DEUS est determinatus ad nolendum omne, quidquid contingenter non existit. Fateor, DEUM, ut hoc determinatè objectum nolit, determinari etiam per ipsam negationem productionis objecti noliti; sed ità per illam determinatur, ut prædicatum nolentis positivè, habeat à nolitione sibi identificata, prædicatum verò nolentis hoc determinatè objectum habeatur formaliter à negatione productionis, hujus determinatè objecti.

Secundam sequelam nego. Falsitas illius patet, tum ex eo; quia nullus effectus præsupponitur pro priori ante suam causam. Negatio verò productionis alterius

terius mundi est effectus vel quasi effectus Decreti nolentis existentiam alterius mundi. Ergo hæc negatio non potest supponi ante tale Decretum. Tum quia negatio productionis alterius mundi, neque præsupponitur prioritate durationis ante Decretum de non existentia alterius mundi, aliàs Decretum hoc non esset ab æterno, aut æternitate à parte ante, daretur aliquid duratione prius. Quod utrumque implicat. Neque etiam eadem negatio præsupponitur pro priori naturæ aut originis ante hoc ipsum Decretum. Aliàs dicta negatio deberet esse causa realis, vel principium reale, aut requisitum ex parte actûs primi respectu ipsius Decreti, quod iterum implicat.

58. Ad nonum Respondeo negando Antecedens. Primæ Probationis nego itidem Antecedens, & ulterioris Probationis Distinguo minorem. Atqui hæc duo: Scientiam seu intellectionem DEI necessariam, & productionem rerum temporalem admittebant Ethnici & Hæretici, præcisè sub conceptu talis Intellectionis & productionis rerum temporalis. Transeat Minor. Licèt enim admiserint Intellectionem DEI necessariam, hanc tamen non volebant esse determinatam ad cognoscendum omne objectum, etiam futurum, ídque ante existentiam ipsius. Admittebant hæc duo etiam sub conceptu præscientiæ & scientiæ visionis, in his duobus, vel in aliquo alio constituendo scientiam Visionis. Nego Minorem, & Distinguo similiter consequens ac dico: Etiamsi Ethnici & Hæretici aliqui, admiserint Intellectionem DEI necessariam, & productionem rerum temporalem. Quia tamen negando præscientiam DEI futurorum, negabant sive in his, sive in aliquo alio consistere rationem præscientiæ Divinæ, ante actualem & exercitam productionem talium objectorum, ideò simpliciter errabant, nec idem omnino asserebant, quod asseritur de scientia visionis in nostra sententia. Ad errorem enim & hæresim, sufficit, quòd, aliquid admissum sub uno conceptu, negetur sub alio, seu quòd rei alioqui admissæ, negetur aliquod prædicatum, quod illi convenire fides docet. Dici etiam potest, quòd hæretici, aliíque infideles negantes præscientiam futurorum, etiam in hoc erraverint, quòd talem nonnisi admitterent scientiam, quæ ratione sui esset essentialiter determinata ad cognoscenda objecta necessaria; non admiserint verò scientiam necessariam in essendo, quæ ex se determinata esset ad repræsentandum omne, quidquid contingenter existit, ídque ante actualem & exercitam ipsius existentiam, & quæ esset adhuc determinabilis, ut hæc potiùs determinatè objecta contingenter existentia repræsentet, quàm alia.

Ad secundam Probationem dico: scientiam Visionis, quâ DEUS videt existentiam mundi, esse posteriorem Decreto, quo DEUS decernit eandem existentiam, esse inquam posteriorem ratione complementi. Complementum enim Decreti est ipsa productio mundi; complementum autem scientiæ, quâ DEUS videt existentiam mundi, est ipsa existentia mundi. Porrò hæc est & dicitur aliquomodo posterior, quàm productio ejusdem existentiæ. Quodsi quæras de scientia Visionis, quâ DEUS videt ipsam productionem mundi, quomodo hæc sit posterior Decreto de existentia mundi? Respondeo esse posteriorem nonnisì ex modo nostro concipiendi, quatenus Decretum Divinum, sumptum secundùm rectum ex modo nostro concipiendi, habet se practicè respectu sui complementi, ac illud physicè efficit. Scientia autem Visionis habet se purè speculativè respectu ejusdem complementi, nec ùt talis concipitur illud efficere, sed potiùs productum aut producendum ab ipsa volitione DEI præsupponit, illúdque contemplatur. Simili vel hoc ipso modo hæc prioritas Decreti absoluti respectivè ad scientiam visionis explicari debet à quibusdam Adversariis. Siquidem aliqui eorum docent scientiam Visionis, à Decreto DEI absoluto nulla distinctione objectiva distingui, adeóque dicunt Decretum absolutum, sola ratione nostra esse prius, quàm scientiam Visionis.

Ad tertiam Probationem dico: In sententia, quæ propugnatur, DEUM esse formaliter scientem hunc mundum, per scientiam DEO intrinsecam, licèt completam per ipsum mundum, tanquam terminum & complementum hujus scientiæ. Unde in hac sententia DEUS est formaliter sciens non per creaturam, sed per scientiam sibi identificatam, licèt prout ap-

plicatam ad objectum creatum per creaturam. Et in hoc nullum est inconveniens. Quia idem DEUS est formaliter cognoscens objectum cognitione vera, est inquam cognoscens per cognitionem sibi identificatam, licèt in ratione veræ completam & constitutam ipso objecto ità se habente, adeóque etiam per objectum in obliquo veniens, tanquam complementum & constitutivum cognitionis Divinæ, in ratione veræ. Idem præterea DEUS coëxistit loco reali extrinseco, non solùm per Immensitatem sibi intrinsecam, sed etiam per ubicationem creatam ipsius loci extrinseci, venientem in obliquo. Et tamen in his ex sensu etiam quorundam adversariorum, nullum est inconveniens.

59. Ad postremum Respondeo negando Antecedens, & primæ Probationis Minorem, ac dico scientiam mediam secundùm id, quod dicit in recto attemperare se actibus nostris liberis conditionatè futuris, attemperare inquam hoc sensu, quòd dicta scientia ratione suæ determinationis ad illa nonnisì repræsentanda objecta, quæ de facto sunt conditionatè futura, non possit esse forma sciendi, nisì respectu actuum, qui de facto sunt conditionatè liberè futuri, nec possit per aliud quidquam compleri nisi per tales actus. Et sic scientia media sumpta quoad rectum, attemperat se impœnitentiæ finali Judæ, conditionatè futuræ, quatenus hæc scientia est solùm forma sciendi respectu impœnitentiæ Judæ, non est autem forma sciendi respectu pœnitentiæ ejusdem Judæ, quæ non est conditionatè futura, quatenus præterea hæc scientia sumpta quoad rectum, non potest compleri per pœnitentiam Judæ utpote non futuram, sed debet necessariò compleri per impœnitentiam ejusdem, utpote conditionatè futuram. Nec obstat quòd scientia Media secundùm rectum sit realiter adæquatè idem cum scientia simplicis Intelligentiæ, quæ se non attemperat actibus liberis conditionatè futuris. Non obstat inquam. Quia etiam scientia simplicis Intelligentiæ in sensu reali attemperat se dictis actibus. Sicut in sensu reali non solùm omnipotentia DEI, sed etiam Immensitas producit creaturas. Solùm igitur in sensu formali, hoc est ex modo nostro concipiendi, scientia simplicis Intelligentiæ, non se attemperat actibus liberis conditionatè futuris, quod ipsum per hoc habetur formaliter, quòd Scientia simplicis Intelligentiæ secundùm modum nostrum concipiendi terminetur ad possibilia, sitque sub conceptu talis Scientiæ, forma sciendi determinata ad cognoscenda ipsa possibilia, non terminetur verò ad actus liberos conditionatè futuros, nec respectu horum actuum sit forma sciendi. E contra Scientia media ex modo nostro concipiendi non terminatur ad possibilia, sed solùm actus liberos conditionatè futuros, & respectu horum est forma sciendi.

Secundæ Probationis nego Minorem. Ad paritatem de Decreto dico: Sicut in Sententia opposita ex eo, quòd decretum circa actum liberum conditionatè futurum in DEO detur nonnisì conditionatè, non sequitur dari pariter solùm conditionatè Scientiam mediam. Sicut itèm ex eo, quòd secundùm Thomistas decretum circa rem possibilem quâ talem, v. g. circa possibilem existentiam mundi, detur nonnisì possibiliter, non sequitur etiam Scientiam simplicis Intelligentiæ terminatam ad rem possibilem quâ talem, dari in Deo nonnisì possibiliter. Pari ratione in Sententia nostra, non sequitur Scientiam futurorum conditionatorum dari in Deo, nonnisì conditionatè ex eo, quòd decretum circa talia futura sit in DEO nonnisì conditionatè. Directè nego Consequentiam. Disparitas est. Ex eo datur absolutè in DEO Scientia futurorum conditionatorum, quia datur absolutè in DEO forma sciendi, respectu objectorum ipsorum conditionatè futurorum quâ talium, ex vi cujus hæc objecta sint absolutè scita à DEO. Intellectio enim identificata DEO est talis forma respectu omnis omnino objecti scibilis, & habentis determinatam veritatem, qualia sunt objecta etiam libera conditionatè futura, ità, ut hæc objecta à dicta forma determinentur absolutè scita. E contra non datur in Deo absolutè forma volendi absolutè respectu objectorũ conditionatè futurorum. Tũ quia talia objecta non habent amabilitatem, & appetibilitatem amore absoluto, seu per decretum absolutum, sicut non habent amabilitatem amore, & decreto absoluto objecta possibilia quâ talia. Sicut itèm merita conditionata non habent

præ-

præmiabilitatem per decretum absolutum absolutè collativum præmii. Tum quia volitio identificata DEO solùm est forma volendi absolutè respectu talium objectorum, respectu qualium potest esse efficax. Volitio enim constitutiva decreti per hoc differt ab Intellectione Divina constitutiva Scientiæ, quòd illa habeat se practicè respectu sui objecti, illúdque efficiat. Intellectio autem sit speculatio, & contemplatio objecti. Atqui volitio DEI non potest esse efficax respectu objectorum conditionatè futurorum quâ talium; ut enim esset efficax, deberet dare esse verum, & reale; adeóque esse absolutum his objectis, seu tale esse, quod non possunt habere independenter à decreto absoluto, sed objecta conditionata quâ talia non habent, nec debent habere esse verum reale actuale, atque absolutum, & quòd debeat haberi à decreto absoluto. Ergo respectu talium futurorum non debet dari volitio efficax, & absoluta. Deinde cùm conditio nihil ponat in re, futurum conditionatum non potest habere verum esse, & reale, quòd accipiat à volitione ùt efficaci respectu sui. Unde sequitur, non dari in DEO absolutè decretum circa conditionatè futura ùt talia. Nulla enim denominatio potest dari absolutè, cujus nullum constitutivum datur absolutè. Tum quia ut in DEO detur absolutè Scientia objectorum conditionatorum, exigit id ipsum perfectio DEI. Exigit enim Omniscientia DEI, ut DEUS absolutè sciat, seu cognoscat certò, & infallibiliter omnem determinatam veritatem, qualem veritatem habent etiam futura conditionata. Ut verò in DEO detur volitio absoluta futurorum conditionatorum quâ talium, quæ sit constitutiva decreti absolutè volentis talia futura, nulla id exigit perfectio DEI, quæ enim? cùm pariter nulla perfectio DEI exigat, ut in DEO detur volitio absoluta respectu possibilium quâ talium, quæ sit constitutiva decreti absoluti volentis possibilia ùt talia. Ad rationem ulteriorem dico: Dari in DEO absolutè Scientiam mediam, licèt non detur absolutè id, quod eam constituit, & complet in ratione talis Scientiæ. Sicut datur in DEO absolutè cognitio vera ùt talis, circa futura conditionata, vel circa possibilia, licèt objectum constitutivum talis cognitionis in ratione veræ non detur absolutè. Et ratio ulterior est. Quia prædicatum conveniens recto denominationis, potest tribui toti denominationi, si illa denominatio ex speciali ratione non postulet hoc ipsum prædicatum convenire etiam obliquo. Atqui dari, seu esse absolutè Scientiam, est prædicatum conveniens recto hujus denominationis, *Scientia media*, convenit enim hoc prædicatum Intellectioni Divinæ necessariæ identificatæ DEO, quam in recto dicit Scientia media. Nec denominatio *Scientiæ mediæ* postulat ex speciali ratione, ut hoc ipsum prædicatum, quod est *absolutè dari*, conveniat etiam obliquo, ùt patet ex paritate de cognitione vera. Ergo prædicatum *dari, seu esse absolutè*, convenit toti huic denominationi, quæ est *Scientia media*. Adeóque datur in DEO absolutè Scientia media. Ad paritatem pro Confirmatione adductam disparitas habetur ex dictis num. 51. Denominatio enim Patris est denominatio absolutè actu, & exercitè generantis, quæ denominatio cùm exigat generationem actualem absolutam, & exercitam, exigit consequenter Filium actu absolutè existentem: cùm implicet dari generationem absolutam actualem Filii, sinè Filio absolutè actu existente. Quia implicat dari actionem productivam sinè termino producto, modum sinè modificato. Unde sequitur, non posse quempiam denominari absolutè Patrem per, & propter Filium conditionatum. E contra Scientia media est talis denominatio, quæ ut censeatur dari absolutè, non requirit terminum, & complementum sui actu absolutè existens. Sicut cognitio vera circa futura conditionata est talis denominatio, quæ ut censeatur dari absolutè, non requirit objectum sui verificativum esse absolutè existens.

Tertiam Probationem distinguo: Saltèm non datur Scientia media, prout condistincta per aliquid absolutum à Scientia simplicis Intelligentiæ. Omitto. Non datur Scientia media, prout condistincta per aliquid conditionatum à Scientia simplicis Intelligentiæ. Nego. Quodsi quæras: qua ratione Scientia media per aliquid conditionatum distinguatur à Scientia simplicis Intelligentiæ, an absolutè, an conditionatè? Quæram & ego pariter: Cognitio vera de futuris conditionatis

(quæ pariter à cognitione secundùm se sumpta distinguitur per esse conditionatum sui verificativi) qua ratione per tale esse distinguitur à cognitione secundùm se sumpta? Directè dico: dici posse, quòd Scientia media per esse conditionatum, quô completur, à Scientia simplicis Intelligentiæ distinguatur absolutè, in tantùm præcisè, in quantùm dicta Scientia non est sub nova conditione ad distingui per tale esse conditionatum. Potest deinde dici: Scientiam mediam in tantùm distingui absolutè à Scientia simplicis Intelligentiæ, in quantùm ipsa Scientia simplicis Intelligentiæ distinguitur absolutè à Scientia media. Porrò Scientia simplicis Intelligentiæ distinguitur absolutè à Scientia media. Quia ab hac distinguitur per suum esse absolutum, quatenus Scientia simplicis Intelligentiæ adæquatè identificatur esse absolutè Divino; Scientia autem media identificatur non solùm esse absoluto ipsius DEI, sed etiam actui libero conditionatè futuro.

Quartæ Probationis nego Minorem cum sua ulteriori Probatione. Nego ulteriùs, dari constitutiva decreti absoluti ex parte subjecti, conditionati ex parte objecti. Talia enim constitutiva deberent esse, volitio identificata DEO, determinata ad volendum absolutè objecta quæcunque libera conditionata quâ talia, & ipsum objectum conditionatum. Non datur verò in DEO volitio determinata ad volendum absolutè objecta conditionata quâ talia, ùt ostendi in Responsione ad secundam Probationem hujus numeri. Noto diligenter ex hac Probatione ad summum sequi, dari in DEO complacentiam inefficacem in quibusdam liberis conditionatis, absolutam ex parte subjecti, conditionatam ex parte objecti. Dari itèm in DEO displicentiam inefficacem in quibusdam liberis conditionatis, absolutum ex parte subjecti, quatenus DEUS complacet sibi in quocunque objecto honesto, displicet in objecto quovis inhonesto. Ex liberis verò conditionatis aliqui actus sunt honesti, alii sunt inhonesti. Potéstque dici complacentiam in hoc determinatè conditionatè futuro honesto, constitui volitione Divina, & actu libero honesto conditionatè futuro. Displicentiam pariter in hoc determinatè actu inhonesto conditionatè futuro, constitui eadem Divina volitione, seu potiùs nolitione necessaria, & actu hoc determinatè inhonesto, conditionatè futuro. Non sequitur verò dari in DEO decretum simpliciter tale, absolutum ex parte subjecti, conditionatum ex parte objecti. Tale enim decretum deberet esse DEO liberum; adeóque DEUS deberet se determinare ad volendum objectum, in quod tendit; deberet, inquam, se determinare per positionem hujus ipsius objecti; deberet itèm esse efficax, & insuper antecedens tam futuritionem conditionatam objecti, quàm Scientiam conditionatam, ùt volunt Thomistæ. Tandem decretum hoc deberet esse prædeterminativum actûs conditionatè futuri, quæ prædicata non conveniunt complexo ex volitione DEI absoluta, & ex actu conditionatè futuro. E contra complacentia absoluta in actu honesto conditionato, displicentia absoluta in actu inhonesto conditionato, non est, nec debet esse libera DEO immediatè. Non est etiam efficax. Quia nihil ponit. Non est antecedens, nec debet præsupponi ante Scientiam conditionatam, & ante futuritionem conditionatam actûs, sed potiùs debet consequi talem Scientiam, & futuritionem; sicut complacentia in possibilitate objectorum honestorum, & displicentia in possibilitate objectorum inhonestorum, est consequens Scientiam simplicis Intelligentiæ, & possibilitatem dictorum actuum. Tandem complacentia in objecto honesto conditionato, & displicentia in objecto inhonesto conditionato, non sunt, nec possunt esse prædeterminativæ actuum conditionatorum. Quia nec sunt efficaces, nec antecedentes suum objectum, & tales nonnisì admittuntur, quæ non sint læsivæ libertatis creatæ, nec sui objecti destructivæ.

Postremam Probationem nego. Ad ulteriorem dico: Scientiam mediam, quâ DEUS cognoscit suos actus conditionatè futuros, compleri per ipsósmet eosdem actus conditionatè futuros. Hi ipsi actus liberi Divini conditionatè futuri, cùm in esse talium compleri debeant, debéantque constitui volitione DEO adæquatè identificata, & aliquo complemento, ratione cujus illi actus sint liberi, contingentes, & conditionatè futuri; hi, inquam, actus secundùm esse volitionis DEO adæqua-

æquatè identificatæ; sicut non sunt liberi, non sunt contingentes, nec conditionatè futuri, ità non sunt quid extrinsecum Scientiæ mediæ circa se, nec sunt quid temporale, sed ad summum sunt quid extrinsecum, & temporale, secundùm sui completivum in ratione actuum liberorum conditionatè futurorum. Adeóque completivum Scientiæ mediæ circa suos actus non secundùm esse volitionis, sed secundùm esse applicationis suæ, & terminationis conditionatè futuræ, est extrinsecum, & temporale dici potest respectu Scientiæ mediæ ejusdem. Adverto, Actus liberos Divinos conditionatè futuros ità esse complementum Scientiæ mediæ circa eosdem, ut hoc complementum non debeat dici simpliciter esse extrinsecum eidem ipsi Scientiæ, nec debeat dici esse temporale, nè detur occasio opinandi actus liberos Divinos conditionatos, DEO debere esse extrinsecos; itèm eosdem actus posse incipere in tempore. Bene tamen hoc complementum potest dici contingens ob rationem allatam superiùs.

QUÆSTIO II.

De Providentia DEI, Prædestinatione, & Reprobatione.

PUNCTUM I.

De Providentia DEI.

§. I.

An detur, & quid sit Providentia?

60. Respondeo primò: Dari Providentiam, certum ex fide est. Nam imprimis Eccl. 5. dicitur: *Nè dicas coram Angelo, non est Providentia, nè fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Sapient. etiam 8. dicitur: *Attingit à fine ad finem usque fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et iterum cap. 11. *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti.* Et cap. 6. *Æqualiter enim cura est illi de omnibus.*

Dari eandem Providentiam, certum quoque est ex Ratione. Tum quia hæc per Aseitatem Divinam facilè demonstratur, non secùs atque per eandem demonstrantur cætera attributa, & perfectiones Divinæ. Ens enim à se, & sufficientissimum sibi ad esse, necessariò est perfectissimum, habétque omnem perfectionem, quæ nullam imperfectionem involvit. Sed Providentia Divina est perfectio nullam involvens imperfectionem. Ergo. Tum quia DEUS est sapientissimus Dominus, & Gubernator universi, ac rerum omnium. Sed nisi detur Providentia, Deus non est, nec potest esse sapientissimus Dominus, & Gubernator universi. Siquidem per hanc modò DEUS sapientissimè gubernat universum, providendo beneficentissimè rebus singulis, quæ ad ipsorũ productionem, & conservationem sunt opportuna, & ordinando omnia ad suos fines. Tum quia Providentia Divina ità se prodit in gubernatione universi, ut latere etiam rudissimum non possit, quin si is vel modicè se reflectat supra constantem, & uniformem cælorum cursum, siderum motum, quotidianum solis ortum, & occasum; supra temporum vicissitudines, specierum conservationes, productiones plantarum, frugum, florum, fructuum, & similium, ex his ipsis non deveniat in notitiam supremi, & providentissimi horum omnium Gubernatoris, & Domini, cujus providentiâ tam admirandi producuntur effectus.

61. Respondeo secundò. Providentiam à Boëtio 4. de Consol. sic definiri: *Est ipsa Divina ratio, in summo Principe constituta, quæ cuncta disponit.* S. Damascenus lib. 2. fidei cap. 29. sic Providentiam definit: *Providentia est Voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem suscipiunt.* Ex S. Thoma Providentia definitur esse *Ratio ordinis rerum in finem, in mente Divina existens.* Vel ùt alii volunt: Providentia est præscientia, & dispositio mediorum ad finem.

In quo actu consistat Providentia non conveniunt inter se Theologi. Ipsam in solo actu Intellectûs consistere formaliter, & quidditativè, docent Thomistæ. E contra Scotistæ volunt, eam consistere in solo actu voluntatis.

62. Respondeo, & dico tertiò. Providentiam probabiliter consistere tam in actu intellectûs, quàm in actu voluntatis. Probatur tum ex illo Petri cap. 1. *Electis*

secundùm præscientiam DEI Patris. Et illo ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit.* Tum quia ex una parte uterque hic actus ex omnium consensu requiritur ad Providentiam Divinam, ex altera parte non est major ratio pro uno actu, quàm pro altero, ex vi cujus unus principaliùs, alius minùs principaliter requiratur. Ergo uterque æqualiter requiritur formaliter, & quidditativè. Ex his actibus prior, nimirum actus intellectûs, habet se per modum radicis, licèt non illativæ infallibiliter ipsius actûs voluntatis, ad providentiam spectantis: actus verò voluntatis habet se per modum determinationis, ex vi cujus exercetur formaliter providentia, mediáque ordinantur in finem.

Cùm verò triplex sit Scientia Divina, nimirum Scientia simplicis Intelligentiæ, Scientia media, & Scientia visionis; duæ ex his Scientiæ, nimirum Scientia simplicis Intelligentiæ, & Scientia media, requiruntur ad constitutionem omnis Providentiæ circa creaturas liberas, earúmque actus liberos; quia duæ hæ Scientiæ habent se directivè ad actus voluntatis, per quos creaturæ rationales liberæ ordinantur ad suos fines. Ad Providentiam tamen, quæ retribuit præmia pro meritis, pœnas infligit pro demeritis, requiritur etiam Scientia visionis, quâ DEUS intuetur merita in statu absoluto, & demerita itidem videt absoluta. Cùm DEUS non præmiet, nisi actus absolutè positos, & cognitos ùt tales, nec puniat, nisi actus demeritorios, seu malos, itidem absolutè positos, cognitos ùt tales. Providentia, quæ exercetur circa creaturas irrationales, earúmque actus, dicit nonnisi Scientiam simplicis Intelligentiæ. Scientia verò visionis, quâ DEUS videt effectus suæ providentiæ, habet se consecutivè ad eandem.

§. II.

Quotuplex sit Providentia, & quomodo exercetur?

63. Respondeo primò: Providentiam aliam esse universalem, aliam particularem. Universalis est, quam, dum Deus exercet, consequitur suum finem universalem, scilicet consequitur suam gloriam, manifestationem suæ bonitatis, Omnipotentiæ, Misericordiæ, aliarúmque suarum perfectionum, licèt non consequatur finem particularem. Particularis est, quam exercendo consequitur finem aliquem particularem.

Itèm Providentia alia est supernaturalis, alia naturalis. Priorem DEUS exercet, ordinando creaturas liberas ad finem supernaturalem, & providendo media supernaturalia. Posteriorem DEUS exercet per media naturalia, ordinando creaturam ad finem naturalem.

Itèm alia est Providentia sufficientiæ, quâ DEUS provídet media sufficientia ad aliquem finem particularem. Alia est Providentia efficaciæ, quâ DEUS providet media efficacia ad finem particularem. Sunt plures aliæ species, quæ facilè innotescere possunt ex dictis aliàs, & ex dicendis deinceps.

64. Respondeo secundò. In exercitio Providentiæ Divinæ circa creaturas liberas, earúmque actus liberos, hos intervenire actus Divinos. Primò: Actum Scientiæ simplicis Intelligentiæ, quâ Deus cognoscit possibilitatem operationis salutaris, v. g. Petri, possibilitatem auxiliorum gratiæ conducentium ad operationem salutarem; possibilitatem perseverantiæ in bono, victoriæ tentationum, pœnitentiæ finalis, &c. Secundò: Intervenit actus Scientiæ mediæ, quâ Deus præcognoscit operationem salutarem sub quibusdam gratiæ auxiliis futuram conditionatè, sub aliis non futuram. Tertiò: Actus voluntatis Divinæ, seu decretum, quô DEUS seligit, vel decernit auxilia juxta directionem Scientiæ mediæ; decretum itèm, quô prædefinit ipsum actum salutarem, vel quô permittit actum malum. Hos tandem actus sequitur Scientia visionis, quâ DEUS videt absolutè futuram collationem certorum auxiliorum, futurum itèm absolutè vel actum salutarem, vel actum permissum à se malum. Hæc tamen Scientia non ingreditur constitutionem exercitii Providentiæ Divinæ.

Prioritas inter hos actus per aliqua rationis signa explicari solet, in quorum primò dicitur esse Scientia simplicis Intelligentiæ, in secundo signo Scientia media, in tertio decretum Divinum, in quarto Scientia visionis.

Plu-

Plura dicta sunt circa Providentiam Divinam Disp. 4. dum ageretur de necessitate Scientiæ mediæ.

PUNCTUM II.
De Prædestinatione, & Reprobatione.
§. I.
Quid sit Prædestinatio?

65. Prædestinationem S. Augustinus de dono Perseverantiæ cap. 24. sic definit: *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.*

Explicatur hæc definitio. Dicitur: *Scientia.* Quo nomine intelligitur tam Scientia simplicis Intelligentiæ, quàm Scientia media, quàm etiam Scientia visionis. Nisi enim omnes hæ Scientiæ intelligerentur, salva libertate creata non liberarentur certissimè, quicunque liberantur. Nominatim non liberantur taliter non intellectâ Scientiâ mediâ. Cùm in tantùm hæc requiratur, & debeat dari, ut ex hujus directione seligantur auxilia, & beneficia, quæ ex suppositione consequente inferant infallibiliter libertatem in his, qui liberantur. Scientia etiam visionis intelligitur, & requiritur, quatenus dependenter à prævisione absoluta meritorum fit prædestinatio, prout hæc accipitur pro liberatione, seu electione ad gloriam ùt coronam Dicitur *Præparatio*: Per quam intelligitur actus Divinæ voluntatis, ordinans creaturam in finem, & seligens illa beneficia, cum quibus infallibiliter conjungitur liberatio. Dicitur: *Præparatio beneficiorum DEI*; quæ beneficia possunt tripliciter accipi, vel latissimè, vel latè, vel strictè. Latissimè beneficia accipiuntur pro omni eo, quod, quomodocunque confert, seu conducit intrinsecè, vel extrinsecè, proximè, vel remotè ad liberationem. Latè accipiuntur beneficia, dum accipiuntur pro proximè, sed extrinsecè conducentibus ad liberationem, iisque indebitis. Talia beneficia sunt: Satisfactio, & merita Christi, Sacramenta novæ Legis, patrocinia, & intercessiones Sanctorum, & similia. Strictè beneficia accipiuntur, dum accipiuntur pro donis, & auxiliis supernaturalibus gratiæ Divinæ, ipsi prædestinato intrinsecis, ac etiam meritis supernaturalibus vitæ æternæ, propriis ipsius prædestinati. Dicitur: *Quibus certissimè liberantur.* Ubi per ly, *certissimè*, intelligitur certitudo præscientæ DEI, infrustrabilitas decreti Divini, præparantis beneficia ex fine liberationis, & infallibilitas conjunctionis talium beneficiorum cum liberatione. Idque non intelligitur certitudo, infrustrabilitas, & infallibilitas aliqua antecedens, seu orta ex suppositione antecedente, sed intelligitur certitudo, infrustrabilitas, & infallibilitas orta ex suppositione consequente ipsam liberationem, prout hæc est libera creatuæ, quæ liberatur. Dicitur: *Quotquot liberantur.* Ubi per liberationem non intelligitur determinatè solutio à reatu culpæ quomodolibet contracto, sed intelligitur indifferenter, vel solutio à reatu peccati contracto, vel præservatio, & quæcunque immunitas à culpa, seu peccato, ut ità etiam Christus, Beatissima, & Angeli inter prædestinatos veniant.

66. S. Thomas 1. part Quæst. 23. Art. 1. in ☉. Prædestinationem definit per hoc, quòd sit *Ratio in mente Divina præexistens, transmissionis creaturæ in finem vitæ æternæ.* In idem recidit communis illa prædestinationis definitio: *Est præordinatio Divina creaturæ rationalis ad gratiam, & gloriam.* Qua definitione definitur prædestinatio strictè sumpta. Cùm etiam præordinatio ad solam gratiam possit dici prædestinatio. Hæc tamen non est strictè prædestinatio. Talis enim non datur respectu reproborum, respectu quorum potest dari præordinatio ad gratiam, quorum plures habuerunt gratiam, licèt in hac non perseveraverint in finem.

67. Dices: Ex definitione Prædestinationis, præcipuè primâ, sequitur primò: Prædestinationem Divinam pendere ab arbitrio, & volitione hominis, quatenus hæc pendet à Scientia media, quæ ipsa suam infallibilitatem habet ex futuritione conditionata actuum nostrorum liberorum. Cùm ergo futuritio conditionata actuum nostrorum liberorum pendeat ab arbitrio, & voluntate hominis, pendet ab eodem arbitrio & ipsa prædestinatio. Sequitur secundò: Prædestinationis posse reddi rationem ex parte creaturæ, v. g.

quòd Petrus sit prædestinatus,& non Paulus, potest hæc reddi ratio ex parte Petri. Quia DEUS prævidit Petrum consensurum auxilio A, dependenter à quo consensu illum prædestinavit; jam verò Paulum prævidit non consensurum simili auxilio. Sequitur tertiò: Prædestinationem Divinam creaturæ rationalis & esse liberam DEO, & non esse. Est libera DEO. Quia est actus Divinæ voluntatis, & decretum efficax circa objectum contingens, qualia decreta debent esse libera DEO. Non est verò libera DEO. Quia potiùs est libera creaturæ rationali, quatenus est causa meritoria prædestinationis. Hanc libertatem circa prædestinationem exercemus, dum per bona opera certam facimus vocationem, & electionem nostram.

68. Respondeo ad primam Sequelam: Prædestinationem Divinam hominis non pendere ab arbitrio ejusdem, & futuritione conditionata actuum ipsius liberorum, tanquam à causa meritoria prædestinationis. Merita enim conditionatè futura non sunt, nec possunt esse causa meritoria præmii absolutè conferendi, ùt fides docet. Eadem tamen prædestinatio pendet à libero arbitrio hominis, Scientiâ mediâ, & futuritione conditionata actuum liberorum hominis, tanquam ab his,quæ spectant,& prærequiruntur ad directionẽ Dei in seligendis auxiliis, & præparandis beneficiis, ut per illa certissimè liberentur, salva sua libertate, quicunque liberantur; ità tamen ab his ipsis pendet, ut penès DEUM sit plena, & omnimoda libertas præparandi hæc, vel alia beneficia, seu prædestinandi, vel non prædestinandi.

Secundam Sequelam distinguo: Sequitur posse dari rationem prædestinationis ex parte creaturæ; rationem,inquam, causæ meritoriæ respectu prædestinationis, prout hæc est præparatio beneficiorum, & collativa auxiliorum, per quæ certissimè liberentur, &c. Nego Sequelam. Sequitur posse reddi rationem prædestinationis ex parte creaturæ, quæ habeat rationem alicujus requisiti ad præparationem beneficiorum, &c. Concedo Sequelam. Eadem Sequela potest etiam sic distingui: Sequitur posse reddi rationem prædestinationis ex parte creaturæ; prædestinationis, inquam, adæquatè sumptæ. Nego Sequelam. Prædestinationis inadæquatè sumptæ. Subdistinguo: Potest etiam talis Prædestinationis dari ratio repugnans fidei, & infallibiliter illativa ejusdem prædestinationis. Nego. Non repugnans fidei, & stans cum plena libertate DEI ad prædestinandum. Concedo Sequelam, & dico: Prædestinationem adæquatè sumptam plura complecti. Complectitur imprimìs Scientiam DEI, eámque tam Scientiam simplicis Intelligentiæ, quàm Scientiam mediam, quàm Scientiam visionis. Complectitur secundò præparationem beneficiorum, seu decretum, quô DEUS seligit auxilia, & decernit efficacia in ordine ad liberandos eos, qui liberantur. Tertiò complectitur ipsam liberationem, seu ordinationem ad vitam æternam. Cùm ergo singulorum horum non possit reddi ratio ex parte creaturæ, sequitur, prædestinationis adæquatè sumptæ, non posse reddi rationem ex parte creaturæ. Et imprimis ex parte creaturæ non potest reddi ratio Præscientiæ Divinæ, prout hæc dicit Scientiam simplicis Intelligentiæ, ùt videtur omnibus certum esse. Non potest etiam ex parte creaturæ reddi ratio Scientiæ mediæ, & Scientiæ visionis, prout hæ Scientiæ accipiuntur secundùm rectum; sic enim sumptæ dicunt Intellectionem, DEO adæquatè identificatam; cujus ex parte creaturæ ratio reddi non potest; independenter enim à quacunque creatura datur Intellectio essentialiter ex se determinata ad repræsentandum omne cognoscibile secundùm omnem rationem, secundùm quam est cognoscibile. Earundem tamen Scientiarum, prout dicunt extrinsecam terminationem, potest reddi ratio ex parte creaturæ. Nec id ulli perfectioni Divinæ, aut fidei repugnat. Præparationis beneficiorum, & decreti seligentis, & decernentis auxilia, potest ex parte creaturæ reddi aliqua ratio, non tamen talis; ut DEUS seligat, & decernat quædam auxilia, in præmium actuum sub talibus auxiliis conditionatè futurorum, nec etiam talis ratio, quæ infallibiliter infert selectionem horum determinatè auxiliorum, Deúmque in actu primo indifferentem determinet ad hæc, non verò alia seligenda auxilia, sed ad summum ex parte creaturæ potest reddi ratio,quòd DEUS ex fine liberationis hæc auxilia seli-

seligat, & non alia conferat, nisi, quæ prævidit conjungenda cum liberatione, & ordinatione ad gloriam. Ipsius postremò liberationis, & ordinationis ad gloriam eatenus potest reddi ratio ex parte creaturæ, quatenus liberatio hæc habetur dependenter à prævisis meritis absolutè futuris. Quæ tota doctrina & fidei, & sanæ Theologiæ est conformis.

Ad tertiam Sequelam dico: Ex eo, quòd prædestinatio quoad aliqua sit libera creaturæ, non bene inferri, quòd non sit libera DEO, sed est libera, & DEO, & creaturæ. DEO est libera quoad præparationem beneficiorum, & selectionem, ac collationem auxiliorum, idque ità libera, ut soli DEO libera esse videatur. Est libera creaturæ pro statu conditionato quoad futuritionem conditionatam aliquorum actuum ejusdem creaturæ, nimirum conditionati consensûs certis auxiliis, sine qua futuritione Scientia media non habetur. Est etiam libera creaturæ pro statu absoluto quoad futuritionem absolutam meritorum, dependenter à quibus fit liberatio, & ordinatio ad vitam æternam. Licèt verò quoad hæc prædestinatio sit libera creaturæ, ità tamen est libera, ut quoad illa ipsa sit libera DEO, siquidem & pro statu conditionato actus creati conditionatè futuri dependent à decreto DEI libero conditionato ex parte subjecti, & pro statu absoluto merita vitæ æternæ absolutè futura dependent à decreto DEI libero absoluto.

§. II.

Electio formalis, & efficax ad gloriam ùt coronam, an facta sit ante, an verò post prævisa merita absolutè futura?

Ante prævisa merita absolutè futura factam esse electionem formalem, & efficacem ad gloriam, docent communiter Thomistæ, & plures è Scotistis. E contra plerique è nostris docent, eandem electionem ad gloriam ùt coronam factam esse post prævisa merita absolutè futura.

69. Respondeo, & dico: Electionem formalem, & efficacem ad gloriam ùt coronam, diversimodè spectatam, esse priorem, & posteriorem prævisione meritorum absolutè futurorum.

Probatur imprimìs in Sententia complente actus DEI liberos per aliquid extrinsecum. Quoties complementum electionis ad gloriam ùt coronam est aliquo respectu prius, & aliquo respectu posterius complementô prævisionis absolutæ meritorum, toties electio ad gloriam ùt coronam diversimodè spectata est prior, & posterior prævisione absoluta meritorum. Cùm enim electio ad gloriam ùt coronam, sumpta quoad rectum, non possit esse prior, vel posterior prævisione absoluta meritorum, sumptâ itidem quoad rectum. Hoc enim rectum tam electionis, quàm prævisionis est adæquatè, & omnino idem; adeóque tale rectum non potest esse in electione prius, quàm in prævisione, aliàs esset prius se ipso; sequitur electionem ad gloriam ùt coronam, in tantùm nonnisi posse esse priorem, vel posteriorem prævisione absoluta meritorum, in quantùm complementum electionis potest esse prius, vel posterius complementô prævisionis absolutæ meritorum. Ità planè, sicut Scientia media in tantùm est prior, quàm Scientia visionis, in quantùm complementum Scientiæ mediæ est prius complementô Scientiæ visionis. Atqui complementum electionis ad gloriam ùt coronam est aliquo respectu prius, & aliquo respectu posterius complementô prævisionis absolutæ mediorum; complementum enim electionis est gloria ùt præmium, & corona, Complementum verò prævisionis absolutæ meritorum sunt merita absolutè futura, sed gloria ùt corona est aliquo respectu prior meritis absolutè futuris, scilicet gloria hæc considerata sub ratione finis est prior meritis consideratis sub ratione mediorum. Cùm finis sit causa mediorum, simúlque eadem gloria alio respectu est posterior meritis, scilicet gloria spectata sub ratione effectûs meritorum, tanquam causæ moralis, est posterior iisdem meritis. Quia effectus est posterior suâ causâ.

70. Probatur deinde eadem Conclusio in Sententia DEO adæquatè identificante actus ipsius liberos. In hac Sententia licèt electio ad gloriam secundùm aliquos, nec realiter, nec objectivè, aut vir-

virtualiter sit prior vel posterior prævisione absoluta meritorum, sed unicum signum Decretorum DEI, & scientiæ visionis admittatur; id enim pertinet ad rationem perfectissimi Intellectivi & volitivi, ut cùm habeat perfectissimam notitiam tam finis, quàm mediorum; non debeat præmittere intentionem finis electioni mediorum, nec è contra debeat postponere intentionem finis electioni mediorum; sed unico hæc actu velit, seu decernat, ac etiam prævideat: Nihilominus juxta hanc sententiam ex modo nostro concipiendi, electio ad gloriam ùt coronam, debet esse prior & posterior diverso respectu, ipsa prævisione absoluta meritorum. Tum quia ex prædicatis secum realiter identificatis, illud prædicatum ex modo nostro concipiendi est prius aliô, quod concipitur ad connotata priora, illud posterius, quod concipitur ad connotata posteriora. Sed electio ad gloriam ùt coronam, concipitur ad connotata, secundùm quandam rationem priora; & secundùm aliam rationem, posteriora connotatis absolutæ prævisionis meritorum. Concipitur enim per ordinem ad gloriam ùt coronam, quæ sub ratione finis est posterior meritis; sub ratione autem effectûs moralis causati à meritis, est posterior iisdem meritis absolutè futuris. Prævisio pariter meritorum absolutè futurorum, cognoscitur per ordinem ad merita, tanquam sua connotata, quæ merita, sub ratione mediorum ad consequendam gloriam, sunt posteriora quàm gloria, sub ratione verò causæ meritoriæ causantis gloriam ùt præmium, sunt priora ipsâ gloriâ. Ergo. Tum quia Electio ad gloriam ùt coronam potest concipi & spectari vel per modum creatæ volitionis, quâ Princeps creatus intenderet efficaciter conferre absolutè præmium alicui suo subdito, ac tum deinde exponeret eundem subditum occasionibus, in quibus mereretur illud præmium. Vel certè potest concipi eadem electio per modum volitionis creatæ, quâ Princeps creatus vellet subditum ponere merita alicujus præmii meritoria, tum deinde vellet merita posita, & à se cognita præmiare. Sed electio priori modo considerata, est prior absoluta prævisione meritorum; electio altero modò considerata, est posterior prævisione meritorum, cùm in ipso etiam Principe creato, volitio conferendi præmium, secundo modo facta, sit posterior meritis subditi, illorúmque notitiâ. Prior verò intentio Principis creati, circa collationem præmii, primo modo facta, sit prior ipsis meritis & eorum cognitione. Ergo.

71. Probari potest conclusio etiam hac Ratione: Si Electio formalis efficax ad gloriam ùt coronam, diversimodè spectata, dicatur esse prior ac posterior prævisione absoluta meritorum, hac ratione conciliantur authoritates Scripturarum & Patrum, quæ afferri solent tum pro prioritate electionis, tum pro posterioritate ejusdem, respectu prævisionis absolutæ meritorum. Pro prioritate electionis ad gloriam ùt coronam respectu prævisionis absolutæ meritorum, testimonia Scripturarum & Patrum hæc sunt. Ad Rom. 8 de Jacob & Esau dicitur: *Cùm nondum nati fuissent, nec aliquid egissent boni aut mali, ut secundùm electionem, propositum DEI maneret, non ex operibus, sed ex vocatione, dictum est ei: quia major serviet minori.* 2. ad Timot. 1. *Nos vocavit non secundùm opera, sed secundùm propositum suum.* Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti.* In quæ verba S. Augustinus lib. 1. de Prædest. sanct. cap. 18. sic loquitur: *Non ergo, quia futuri eramus sancti, sed ut essemus, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Testimonia pro posterioritate Electionis ad gloriam ùt coronam, quàm sit prævisio absoluta meritorum, sunt hæc: Matt. 25. dicitur: *Venite Benedicti Patris mei percipite Regnum, &c. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare,* &c. Et ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Quem locum S. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. sic exponit: *Non ante prædestinavit, quàm præsciret, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* S. Augustinus lib. 1. ad simplic. Quæst. 2. dicit: *Non tamen electio* (intellige ad gloriam) *præcedit justificationem, sed electionem justificatio, nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est: qui elegit nos ante Mundi constitutionem, non video, quomodo dictum sit, nisi præscientiâ.* S. Prosper ad object. 12. Vinc. *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri &*

& in ſanctitate ac veritate permanſuri. Ergo.

Pro ſolvendis Objectionibus.

72. Noto primò. Etiamsi prævisio abſoluta meritorum ſit in aliqua ratione poſterior, quàm electio ad gloriam ùt coronam, Scientia tamen conditionata eorundem meritorum, eſt nonnisì prior electione abſoluta ad gloriam. Tum quia electio ad gloriam, dirigitur ſcientiâ Mediâ. Tum quia Decretum electivum ſupponit futuritionem conditionatam meritorum; nisì enim hanc ſupponeret, eſſet fruſtrabile Decretum Divinum. Quia non poſſet decernere media efficacia, ad conſequendam gloriam ùt finem, ſiquidem media efficacia in ratione talium, dicunt futuritionem conditionatam meritorum. Eſt autem de ratione Decreti, efficaciter & infruſtrabiliter intendentis finem, ut poſſint vi illius decerni media.

Noto ſecundò. Quamvìs electio hominum adultorum, uſum rationis habentium, certo reſpectu ſit prior, certo itèm reſpectu ſit poſterior prævisione abſoluta meritorum, tamen infantium poſt collatum ipſis baptiſmum, proximè è vita decedentium, electio ad gloriam, quæ illis merè gratuitò, hoc eſt independenter à propriis meritis confertur; hæc inquam electio, nec eſt prior, nec eſt poſterior, prævisione abſoluta meritorum. Eò enim non poteſt eſſe prior, aut poſterior, electio parvulorum, quod reſpectu parvulorum non datur. Sed prævisio abſoluta meritorum reſpectu parvulorum non datur. Quia hi nulla abſoluta habent, aut habituri ſunt merita, cùm ſupponantur poſt baptiſmum in infantia, & ante uſum rationis decedere. Ergo. Licèt verò DEUS prævideat aliqua ipſorum merita, quæ haberent, ſi viverent, tamen in præmium talium meritorum, utpote conditionatorum, non fit electio parvulorum ad gloriam, ùt Fides docet. Prævisio autem demeritorum conditionatè futurorum, quæ committerent parvuli ſi viverent, & ad uſum rationis pervenirent, ad id deſervit, ut ex directione talis prævisionis, rapiantur maturè, nè malitia mutet intellectum.

Noto tertiò. Etiam hac ratione bene explicari prioritatem & poſterioritatem Electionis ad gloriam, reſpectu prævisionis abſolutæ meritorum, quòd in ordine intentionis electio ad gloriam ùt coronam, ſit prior prævisione abſoluta meritorum. In hoc enim ordine prior eſt finis quàm media. Gloria verò, quam reſpicit electio, eſt finis, merita abſolutè, futura, quæ reſpicit prævisio, ſunt media. In ordine tamen executionis prior eſt prævisio abſoluta meritorum, quàm electio ad gloriam. Quia in hoc ordine, merita abſoluta præcedunt gloriam, tanquam cauſa moralis ejuſdem. Gloria verò & præmium ſubſequitur ipſa merita tanquam effectus cauſam.

Noto quartò. Electionem noſtram ad gloriam ùt coronam, non eſſe, independentem â noſtris meritis abſolutè futuris. Contra quam voluerit Lutherus & alii Hæretici, qui erroneè docuerunt bona opera noſtra non eſſe neceſſaria ad ſalutem, imò nulla in nobis dari bona opera ſed omnia peccaminoſa eſſe, dicebantque ſola merita Chriſti ſufficere nobis ad ſalutem. In ſuppoſitione hujus erroris docuerunt iidem ulteriùs, Electionem ad gloriam fieri independenter ab electorum adultorum meritis, eorúmque prævisione.

Noto quintò. Cùm electio ad gloriam ùt coronam, fiat dependenter à prævisione meritorum, patet quid debeat reſponderi ad illud dilemma, quo Hæretici utì ſolent: *Vel ſum ex numero electorum & prædeſtinatus ad gloriam, vel non ſum? ſi ſum ex numero electorum? ſalvabor, etiam malè vivendo. Si non ſum ex hoc numero, damnabor etiam bene vivendo, nec mihi proderunt bona opera.* Debet enim diſtingui disjunctivum Antecedens dilemmatis, vel ſum prædeſtinatus ad gloriam dependenter à meritis & bonis operibus, vel non ſum. Concedo Antecedens. Vel ſum prædeſtinatus ad gloriam independenter à meritis, vel non ſum? Nego ſuppoſitum, prædeſtinationem & electionem adultorum, haberi independenter à meritis. Diſtinguo deinde Illationem: ſi ſum prædeſtinatus dependenter à meritis, ſalvabor ſinè meritis. Nego illationem. Si ſum prædeſtinatus independenter à meritis ſalvabor ſinè meritis. Nego ſuppoſitum aliquem ex adultis prædeſtinari independenter à meritis. Tali dilemmati debet illud opponi, quod habet S. Auguſtinus Tract.

26. in Joan. *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* Illud itèm 2. Petr. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Noto sextò. Electionem ad gloriam ùt Coronam fieri ex prævisis meritis, absolutè futuris independenter à Decreto prædeterminativo talium meritorum, ac prædeterminatione physica eorundem. Quia dicta electio ad gloriam ùt coronam, fit ex prævisis meritis verè & propriè talibus. Merita verò dependentia à Decreto prædeterminativo, non sunt merita verè & propriè talia. Hæc enim debent esse actus liberi, honesti, ex gratia DEI facti, & profecti à principio creato libero, & in actu primo proximo indifferente. Atqui merita dependentia à Decreto prædeterminativo & prædeterminatione physica, non sunt hujusmodi actus, nimirum non sunt actus profecti à principio libero & indifferente in actu primo proximo, sed potiùs à principio prædeterminato ad unum. Ergo.

Noto septimò. Per electionem ad gloriam ùt coronam, non tolli rationem meriti. In tantùm enim hæc tolleretur, in quantùm electus ad gloriam non posset non consequi gloriam, adeóque esset illi impossibilis non consecutio gloriæ, quam possibilem essentialiter debet supponere meritum. Quia debet supponere in præmiante potestatem conferendi, vel non conferendi præmium. Sed in tantùm non tollitur ratio meriti, facta enim electione, non consecutio gloriæ solùm est impossibilis ex suppositione consequente ipsa merita, dependenter à quibus est ipsa electio. Non est autem impossibilis non consecutio gloriæ, ex suppositione antecedente. Quamvis verò sit impossibilis hæc non consecutio gloriæ ex suppositione electionis non aliter tamen est impossibilis nisi ex suppositione Electionis ùt efficacis, quæ ùt talis dicit ipsa merita, dependenter à quibus fit electio.

Noto octavò. Quærere an electio ad gloriam ùt coronam, facta sit ante prævisa, an post prævisa absolutè merita, non est idem, quod, quærere; ex quo motivo facta est electio? Licèt enim dicatur electionem factam esse, ex fine & motivo conferendæ ipsi electo gloriæ ùt coronæ, tamen restat adhuc quærere: hoc supposito, quòd DEUS per electionem suam intenderit ùt finem, collationem gloriæ, qualiter hunc finem intendendo, elegerit quempiam ad gloriam ùt coronam? Quia restat quærere: An merita intenta à DEO per modum medii ad gloriam ùt finem, non sint in aliqua alia ratione, & in alio genere causæ, priora ipsa collatione gloriæ, ùt coronæ, quamvis non sint priora in genere causæ finalis.

Noto nonò. Quæstionem hanc: An Electio ad gloriam ùt coronam, facta sit ante aut post prævisa absolutè merita, non resolvi per hoc, quod duplex sit motivum electionis Divinæ in actu secundo totale, unum Bonitatis Divinæ, alterum meritorum absolutè prævisorum. Etiamsi enim ex uno fine & motivo inferatur, quòd electio ad gloriam sit posterior, prævisione absoluta meritorum; merita enim prævisa si intendantur ùt finis & motivum, habent rationem causæ finalis, & per hoc sunt priora quàm ipsa gloria, adeóque sunt priora electione ad gloriam; Tamen ex altero motivo, nimirùm ex motivo bonitatis Divinæ, nec prioritas, nec posterioritas infertur inter merita & gloriam; videtúrque ad motivum bonitatis Divinæ recursus, impertinens esse ad resolutionem dictæ Quæstionis. Adverto gloriam potiùs, ejúsque collationem, debere esse motivum respectu volitionis decernentis merita, & non merita esse motivum respectu collationis gloriæ. Cùm merita fiant propter consequendam gloriam; non verò gloria conferatur, ut ponantur merita. Unde gloria ejúsque collatio, in ratione finis & motivi, est prior meritis, non è contra. Cum quo stat etiamsi bonitas Divina dicatur esse motivum electionis ad gloriam, quòd merita in ratione causæ moralis meritoriæ, sint priora quàm gloria, ejúsque collatio.

Noto decimò. Posse nihilominùs dici respectu electionis Divinæ, & Bonitatem Divinam esse motivum, & gloriam ùt coronam. Aliter tamen Bonitas & Essentia Divina est motivum, & aliter est motivum gloria ùt corona, Bonitas & Essentia Divina est motivum electionis per modum sufficientiæ, quâ DEUS in omni ratione est sibi suísque actibus sufficiens ad esse, gloria verò ùt corona respectu electionis, est motivum per modum objecti immediati termi-

terminativi, & conditionis objectivè determinantis DEUM, ut intendat gloriam ùt finem, merita verò decernat tanquam media ad hunc finem. Motivum hujuſmodi S. Thomas 1. par. Quæſt. 19. art. 5. in ⊙. per hoc explicat. *Vult DEUS hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc, vult hoc.*

§. III

Expediuntur reliqua circa Prædeſtinationem.

Quæritur primò. Qui actus Divini in prædeſtinatione alicujus interveniant?

73. Reſpondeo intervenire hos actus: Primò. Scientiam ſimplicis Intelligentiæ, quâ DEUS cognoſcit poſſibilem Petri v. g. perductionem ad vitam æternam, ſeu ad gloriam ùt coronam, poſſibilia itèm eſſe diverſa & multiplicia beneficia Divina, ejúſque gratiæ auxilia, in actu primo proximo indifferentia, ſufficientia tamen, ut Petrus ex vi illorum poſſit ponere merita vitæ æternæ, & per illa eandem vitam conſequi. Secundò, intervenit ſcientia Media, quâ DEUS videt certa auxilia gratiæ ſuæ, ſi Petro conferantur, obtentura conſenſum, & futura efficacia; alia verò non obtentura & futura inefficacia. Tertiò, intervenit Decretum præparativum beneficiorum, per quæ Petrus debet pervenire ad ſalutem, ſeu Decretum, quo DEUS ex directione ſcientiæ mediæ, ſeligit auxilia gratiæ ſuæ ad finem conſequendæ gloriæ conferentia, quæ nimirùm prævidit obtentura conſenſum, & ſub quibus prævidit ponenda Petri merita. Quartò, venit Scientia Viſionis, quâ DEUS prævidet merita Petri abſolutè futura, præcipuè verò merita finalia, & perſeverantiam finalem in bonis operibus & in gratia DEI. Quintò, venit Decretum Divinum ordinativum Petri ad gloriam ùt coronam, ſeu electio ejuſdem ad gloriam, vel ut eam vocat S. Auguſtinus certiſſima liberatio. Ratio eſt: Quia quocunque ex his actibus non intellecto, non intelligitur haberi prædeſtinatio ſumpta adæquatè prout hæc accipitur à S. Auguſtino, S. Thoma, & Theologis. Ergo.

Quæritur ſecundò. Quid ſit ſeries, vel ùt alii volunt filum Prædeſtinationis Divinæ?

74. Reſpondeo per ſeriem Prædeſtinationis, intelligi præparationem illarum gratiarum & beneficiorum DEI, per quæ liberantur, quicunque liberantur, ſeu perducuntur ad vitam æternam. Differt ab alia ſerie gratiarum, quæ non eſt ſeries prædeſtinationis, quòd hæc non ſit coordinatio talium gratiarum, ut conjungantur cum meritis finalibus & perſeverantia finali in gratia ſanctificante; adeóque ut per illas quis liberetur.

Quæritur tertiò. Qui ſint effectus Prædeſtinationis?

75. Reſpondeo: Effectus Prædeſtinationis eſſe omnia illa beneficia, quæ à DEO præparantur, & per quæ liberantur, quicunque liberantur. Quid verò talium beneficiorum nomine veniat; expreſſum & expoſitum habes num. 65. Effectus enim Prædeſtinationis ſunt illa omnia, quæ ex fine conſequendæ infallibiliter vitæ æternæ fiunt & conferuntur, ſeu quæ cauſantur, tanquam à cauſa finali à Prædeſtinatione. Sed dicta beneficia Divina fiunt & conferuntur ex fine aſſequendæ vitæ æternæ, quæ etiam per illa, tanquam per media infallibiliter obtinetur. Ergo. Inter hos effectus, principales & primarii ſunt: Auxilia ſupernaturalia gratiæ Divinæ, & actus ſalutares ac meritorii vitæ æternæ; minùs principales: ſunt beneficia ordinis naturalis.

An etiam peccatum & permiſſio peccati ſit effectus Prædeſtinationis? diſputatur ab aliquibus. Negat Vaſquez, affirmat Suarez, & Arriaga.

76. Reſpondeo: Peccatum ſecundùm ſe, & ratione ſui non eſſe, nec poſſe eſſe effectum Prædeſtinationis, propriè dictum. Auxilia tamen gratiæ ſufficientia, quæ per peccatum reſpuuntur; & aliqua, quæ ſubinde conſequuntur peccatum ſunt, & eſſe poſſunt ratione ſui, effectus prædeſtinationis.

Ratio primi eſt. Quia ut aliquid ſit effectus prædeſtinationis propriè dictus, debet eſſe beneficium Divinum, debétque à DEO præparari, debet itèm eſſe id, per quod certiſſimè liberetur prædeſtinatus. Sed peccatum non eſt beneficium DEI, nec poteſt à DEO præparari, nec eſt id, per quod liberatur prædeſtinatus. Peccatum enim non eſt aliquod bonum, quale deberet eſſe ut eſſet beneficium DEI. Illi-

us etiam DEUS non potest esse Author, nec causa per se. Unde à DEO præparari non potest. Insuper per peccatum homo potiùs perditur, & non liberatur. Ergo peccatum non est effectus prædestinationis propriè dictus.

Dicunt aliqui: Etiamsi peccatum secundùm se non sit effectus prædestinationis propriè dictus, permissionem tamen peccati esse talem effectum. Cæterùm neque id subsistere potest, quòd permissio sit effectus prædestinationis propriè dictus. Quia permissio peccati neque secundùm rectum, neque secundùm obliquum, seu neque sumpta secundùm rationem actûs Divini, neque secundùm rationem objecti, & termini, ad quem permissio terminatur, est effectus prædestinationis. Non est talis effectus permissio peccati sumpta secundùm rectum, & secundùm rationem actûs Divini. Hoc enim rectum, & ratio actûs Divini est esse Divinum intrinsecè, & ipse DEUS, cui repugnat, esse effectum. Non etiam obliquum permissionis peccati, seu objectum dictæ permissionis, est effectus prædestinationis propriè dictus. Quia tale obliquum, & objectum permissionis peccati est ipsum peccatum secundùm se, quod ùt tale, nec est, nec esse potest effectus prædestinationis propriè dictus, ùt proximè probatum est.

77. Ratio secundi est. Quia auxilia gratiæ sufficientia, quamvìs vitio peccantis sint inefficacia, sunt DEI beneficia, & dona, possúntque à DEO præparari, & præparantur. Ergo possunt esse effectus prædestinationis in aliqua propria acceptione talis effectûs, quamvìs non in acceptione maximè propria, quia non sunt dona, & beneficia, per quæ certissimò liberentur, quicunque liberantur. Illa etiam, quæ consequuntur peccatum, qualia sunt, detestatio peccati commissi, major humilitas, & animi demissio, austerior pœnitentia, fervor in obsequio Dei, &c. sunt DEI beneficia, à DEO ùt salutis nostræ Authore præparata, per illáque liberantur, qui liberantur. Ergo hæc sunt effectus prædestinationis propriè dictus.

78. Addidi, peccatum non esse effectum prædestinationis propriè dictum. Si enim per effectum intelligatur id, quô DEUS tanquam ansâ, & occasione utitur, ut eum, qui peccavit, excitet ad faciendam rigidam pœnitentiam, ferventiùs DEO famulandum, & magìs sibi ipsi invigilandum; peccatum potest dici effectus prædestinationis, quamvìs impropriè dictus. Quia hæc acceptio effectûs prædestinationis est impropria.

§. IV.

De Reprobatione.

Circa Reprobationem quæritur primò: Quid sit Reprobatio?

79. Respondeo: Reprobationem posse sic definiri: *Est præscientia, & permissio peccatorum, quibus certissimò damnantur, quicunque damnantur.* S. Thomas hìc Quæst. 23. Art. 3. in ☉. Reprobationem per hoc definit: *Est præscientia Divina, & voluntas permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Ab aliis sic definitur: *Est præscientia iniquitatis quorundam, & impœnitentiæ finalis, & utriusque permissio, ac præparatio damnationis eorundem.*

Explicatur data definitio Reprobationis. Dicitur: *Præscientia.* Ubi iterum per præscientiam, & Scientia simplicis Intelligentiæ, & Scientia media, quâ DEUS prævidet in statu conditionato aliquos in certis circumstantiis, à suo fine per culpas ab ipsis commissas, defecturos. Et Scientia visionis, quâ DEUS videt alicujus certos lapsus absolutè futuros, inducentes reatum mortis, & damnationis æternæ. Dicitur deinde *permissio*, seu voluntas permittendi culpas. Sicut enim, ùt loquitur S. Thomas, Prædestinatio supra præscientiam superaddit voluntatem Divinam, præparativam beneficiorum, ac meritorum hominis prædestinati; ità Reprobatio superaddit voluntatem Divinam permissivam iniquitatis, seu demeritorum ejus, qui reprobatur. Dicitur tertiò: Quòd sit præparatio damnationis æternæ. Sicut enim prædestinatio est ordinatio in finem vitæ æternæ, dicitque decretum, quô prædestinato decernitur vita æterna. Ità & Reprobatio debet esse præparatio damnationis æternæ pro culpa, dicitque decretum, quô reprobo decernitur damnatio æterna in pœnam sui peccati. Licèt verò Reprobatio sit permissio nonnisi iniquitatis, tamen damnationis æternæ non est præcisè permissio, sed præ-

præparatio, idque ex eo: quia DEUS non poteſt velle, & intendere poſitivè culpam, nec in ea ſibi complacere; poteſt tamen poſitivè velle damnationem ſuppoſitâ culpâ, utpote exigitam à ſua Juſtitia. Hinc verò ulteriùs eſt, quòd reprobatio ſecundùm quod dicit permiſſionem peccati, dicatur reprobatio negativa. Jam autem ſecundùm quod dicit præparationem damnationis æternæ pro culpa, dicatur reprobatio poſitiva.

Pro ſolvendis Objectionibus.

80. Noto primò. Quòd etiamſi Reprobatio non ſolùm dicit præſcientiam Divinam, ſed etiam duplex DEI decretum, unum permiſſivum peccati, alterum præparativum damnationis æternæ, reprobi tamen dicantur nonniſi præſciti ad pœnam. Cùm ordinati ad vitam æternam ratione duplicis decreti, quorum unum eſt præparativum beneficiorum, & meritorum vitæ æternæ; alterum eſt electivum, & ordinativum ad gloriam, ipſiúſque collativum, dicantur prædeſtinati. Quod ipſum ex eo eſt. Quia DEUS non cenſetur velle ſimpliciter cujuſquam perditionem. Neque enim illam vult permiſſione peccati; hoc enim ità permittit, ut nollet illud ſimpliciter poni; unde etiam à peccato deterret, revocat, &c. Neque etiam vult ſimpliciter cujuſpiam perditionem præparatione ſuæ damnationis æternæ. Hanc enim præparat, & vult, non abſolutè, ſed nonniſi ex ſuppoſitione peccati, quam ſuppoſitionem non vult. Unde perditionem vult quodammodo invitus, & provocatus culpâ ipſius reprobi, cui talis pœna debetur. Solùm itaque in communi uſu loquendi DEUS cenſetur præſcire perditionem reprobi. E contra DEUS vult ſimplicirer ſalutem, & vitam æternam eorum, qui ad hanc ordinantur, idque hanc vult ſimpliciter, & per decretum præparativum beneficiorum, ac meritorum. Cùm hæc præparentur in finem conſequendæ ſalutis. Vult inſuper ſimpliciter eandem vitam æternam, per decretum electivum ad gloriam. Per hoc enim vult abſolutè Electos facere participes ſuæ felicitatis. A tali ergo voluntate Divina, ordinati ad vitam, dicuntur prædeſtinati, & non præcisè præſciti. S. Auguſtinus hanc rationem aſſignat: *Quia illa dicuntur præſciri à DEO, quæ DEUS ipſe non facit. Prædeſtinari autem illa, quæ ipſe eſt facturus.* Cùm ergo merita prædeſtinatorum, & ipſorum gloriam, DEUS faciat, peccata verò reproborum non faciat; damnationem verò ipſorum quodammodo invitus, & peccatis provocatus faciat; peccata reproborum, & ipſorum damnatio præſciri, ipſíque reprobi præſciti dicuntur ad pœnam. Jam verò merita, & gloria Electorum dicuntur eſſe prædeſtinata, & electi dicuntur prædeſtinati. Quam rationem videtur S. Doctor inſinuare lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 10. dum dicit: *Prædeſtinatio eſt, quæ ſinè præſcientia eſſe non poteſt. Poteſt autem ſinè prædeſtinatione eſſe præſcientia. Prædeſtinatione quippe DEUS præſcivit ea, quæ fuerat ipſe facturus, præſcire autem potens eſt, quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.*

Noto ſecundò. Scientiam mediam eatenus requiri, & includi in reprobatione, quatenus per hanc Scientiam prævidet DEUS pro ſtatu conditionato certa auxilia gratiæ ſuæ, quæ ſi conferantur Judæ v. g. non ſunt obtentura conſenſum, ſed potiùs ſunt conjungenda diſſenſui, & peccato Judæ; taliáque auxilia potiùs, quàm alia pro ſtatu abſoluto decernit Judæ. Hujuſmodi auxiliorum præparatione an DEUS cenſeatur ſeligere auxilia pro reprobis, eſt quæſtio de voce. Quid veniat nomine ſelectionis auxiliorum? an quorumcunque auxiliorum etiam purè ſufficientium collatio? an verò ſolùm collatio auxiliorum efficacium, & per quæ boni diſcernuntur à malis? ſi hoc nomine intelligatur (prout videtur intelligi, & ſignificari) præparatio auxiliorum, per quæ boni diſcernuntur à malis, per præparationem auxiliorum, quæ Deus confert reprobis, non cenſebitur pro illis ſeligere auxilia in ſtricta ſelectionis auxiliorum acceptione.

Noto tertiò. Etiamſi DEUS juſtos, & prædeſtinatos à reprobis diſcernat, miſericordi ſuorum beneficiorum, ac meritorum hominis prædeſtinati præparatione; Prædeſtinatus enim diſcernitur à reprobo per merita finalia, quæ ità ſunt ſua, ut ſimul ſint, idque principaliter dona DEI. Unde illud Apoſtoli prædeſtinato dici debet: *Quis eſt, qui te diſcernit? quid enim habes, quod non accepiſti? aut ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Reprobus nihilominus ſua iniquitate,cujus ipſe author eſt, diſcernit ſe à prædeſtinato. Expreſſit id S. Auguſtinus Enchir. cap. 99. ubi ſic habet : *Miſeretur DEUS magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur.*

Noto quartò. A reprobatione non excludi præparationem aliquorum beneficiorum, quæ etiam reprobo conferuntur. Cùm enim omnibus hominibus dentur auxilia ſufficientia ad ſalutem, hæc etiam pro reprobis præparantur, illiſque conferuntur, quamvis hæc auxilia non ſint talia, cum quibus certiſſimè liberentur, ſed ſolùm cum quibus liberari poſſent, ſi vellent, non liberantur verò ſuâ culpâ, quia prava ſua voluntate nolunt.

Noto quintò. Reprobationem impiorum componi optimè cum voluntate generali, quâ DEUS vult omnes ſalvos fieri. Per hanc enim voluntatem DEUS in tantùm vult omnes ſalvos fieri, in quantùm dat omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, providètque media, per quæ unuſquiſque, ſi velit, ſalvari poſſit. In tantùm verò aliquis à DEO reprobatur, in quantùm habitis auxiliis ſufficientibus, & mediis opportunis ad ſalutem, iis non utitur, tentationi ſuccumbit, in peccatum labitur, ac damnationi æternæ addicitur. Atqui hæc optimè ſecum componi, & conciliari poſſunt, imò potiùs unum ſupponit aliud; nimirum reprobatio ſupponit generalem voluntatem DEI, quâ vult omnes ſalvos fieri. Ergo.

Neque valet, ſi dicas: Quem hominem DEUS reprobat, illum non vult ſalvum facere. Ergo cùm aliquos reprobet, aliquos non vult ſalvos fieri; adeóque non omnes vult ſalvos fieri. Non valet, inquam. Diſtinguo enim Antecedens: Quem hominem DEUS reprobat, illum non vult ſalvum fieri voluntate antecedente generali, nec omnino efficaci. Nego Antecedens. Illum non vult ſalvum fieri voluntate conſequente, particulari, & efficaci, non ſolùm reſpectu meritorum, ſed etiam reſpectu ipſius ſalutis, tanquam finis per merita, tanquam media obtinendi. Concedo Antecedens, & ſimiliter diſtinguo Conſequens.

Quæritur ſecundò. Reprobatio qualiter facta ſit, an ante, an poſt præviſa abſolutè demerita, ſeu peccata? Quæſitum procedit de reprobatione poſitiva, ſeu prout reprobatio dicit præparationem damnationis æternæ, ſive voluntatem, quâ aliquis ob ſua peccata addicitur pœnæ æternæ.

81. Reſpondeo: Reprobationem poſitivam impiorum non fieri, niſi poſt præviſa abſolutè demerita.

Probatur. Quando demerita abſolutè futura ſunt nonniſi cauſa pœnæ, & damnationis æternæ, nullatenus verò ſunt effectus ejuſdem pœnæ; tunc reprobatio poſitiva, ſeu prout eſt præparatio damnationis æternæ, fit nonniſi poſt præviſa abſolutè demerita. Sed demerita abſolutè futura ſunt nonniſi cauſa pœnæ, & damnationis æternæ, nullatenus verò ſunt effectus ejuſdem pœnæ. Ergo reprobatio poſitiva fit nonniſi poſt præviſa abſolutè demerita, ſeu peccata. Major imprimis probatur. Ille actus Divinus liber eſt aliô prior, cujus complementum eſt prius, ſeu cauſa alterius complementi, complentis alium actum; ille autem actus cenſetur eſſe poſterior, cujus complementum eſt poſterius, & effectus à complemento alterius actûs cauſatus. Cùm enim inter ipſos actus Divinos ſecundùm ſe, hoc eſt, ſecundùm rectum ſpectatos, non ſit ulla prioritas, aut poſterioritas. Quia nulla eſt diſtinctio, ſed omnis identitas, ut unus actus cenſeatur eſſe prior aliô, attendi debet ad prioritatem, & poſterioritatem inter complementa, ſeu inter objecta talium actuum. Ergo ut reprobatio poſitiva, ſeu voluntas decernens pænam, ſit prior, aut poſterior præviſione abſoluta demeritorum, debet eſſe prioritas, aut poſterioritas, eáque in ratione cauſæ, & effectûs inter pœnam, & culpam, quæ duo ſunt complementa duorum dictorum actuum. Pœna eſt complementum decreti præparantis pœnam, ſeu reprobationis poſitivæ; culpa eſt complementum præviſionis abſolutæ demeritorum, ſeu culpæ. Minor deinde probatur. Demerita abſolutè futura ſunt cauſa moralis demeritoria damnationis æternæ; damnatio verò æterna eſt effectus demeritoriè cauſatus à culpa, ſeu demerito. Non ſecùs ac merita ſunt cauſa moralis meritoria præmii, præmium eſt effectus moralis meritoriè cauſatus à meritis. Eadem demerita nullatenus ſunt effectus damnationis, nec damnatio eſt cauſa de-

me-

meritorum. Si enim damnatio esset causa in aliquo genere respectu demeritorum, deberet esse causa finalis, seu deberet esse finis propriè dictus, ad quem demerita ordinarentur tanquam media; sed damnatio non est finis respectu demeritorum tanquam mediorum, neque enim est finis à peccatore intentus, cùm hic peccando potiùs positivè velit, & intendat non incurrere damnationem. Neque etiam damnatio est finis ex natura rei talis, & ab Authore naturæ constitutus. Peccata pariter non sunt media ab Authore naturæ constituta ad obtinendum finem damnationis; aliàs damnatio, quæ est æterna, & maxima miseria, esset ratione sui prudenter, & rationabiliter appetibilis, & peccata essent rationabiliter expetibilia propter damnationem, quæ tamen sub nulla ratione debent esse appetibilia, nec fieri debent propter ullum finem quantumcunque bonum. Cùm non sint facienda mala, ut eveniant bona.

Quæritur tertiò. An DEUM deceat Reprobatio?

82. Respondeo: Quòd DEUM deceat Reprobatio.

Probatur. Actus ille Divinus, qui nulli præjudicat perfectioni Divinæ, & insuper multas perfectiones infert, vel supponit, DEUM decet quàm maximè. Sed reprobatio impiorum nulli perfectioni Divinæ præjudicat, ac nullam tollit, è contra multas perfectiones infert, vel supponit. Ergo reprobatio DEUM decet quàm maximè. Major patet. Quia Deum decet omnis perfectio sinè imperfectione; talis verò actus est, qui nulli præjudicat perfectioni, multas verò perfectiones infert, vel supponit. Minor quoad primam partem probatur. Quia nulla est perfectio Divina, quam reprobatio excludat, vel cui repugnet, ùt patebit ex his, quæ dicentur numero sequenti. Secunda pars Minoris probatur. Tum quia perfectio Divina est, quòd DEUS possit pluribus modis exercere suam providentiam, eámque exerceat. Sed hanc exercet non solùm per prædestinatione justorum, verùm etiam per reprobationem impiorum. Quia exercet suam providentiam etiam per hoc, quòd aliquos permittat deficere à suo fine, ùt docet S. Thomas hìc Quæst. 23. Art. 3. in ☉. ubi dicit: *Cùm per Divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad eandem providentiam, ut permittat aliquos ab isto fine deficere.* Cùm ergo reprobatio sit permissio, ut aliqui à fine vitæ æternæ deficiant, per reprobationem DEUS exercet suam providentiam. Tum quia reprobatio infert, vel supponit Omniscientiam DEI, summam Omnipotentiam ejusdem, Justitiam, Misericordiam, & alias similes perfectiones. Nam imprimis præscientia Divina, quam dicit reprobatio adæquatè sumpta, infert, vel supponit, DEUM esse omniscium, darique in eo triplicem Scientiam, nimirum Scientiam simplicis Intelligentiæ, Scientiam mediam, & Scientiam visionis. Infert, DEUM scire, & cognoscere infallibiliter quosvis actus creaturæ rationalis liberos, salva, & illæsa libertate eorundem. Deinde permissio peccati, quam dicit, in suóque conceptu includit reprobatio, infert, vel supponit Omnipotentiam DEI, seu omnipotentissimam DEI virtutem, extendentem se ad quosvis creaturarum actus, sive bonos, sive malos, hos permittendo, illos etiam approbando, & cum inclinatione, ac etiam per auxilia gratiæ suæ producendo. Infert itèm, convenire DEO rationem causæ primæ, & universalissimæ; infert adhuc in DEUM perfectissimum dominium, & perfectissimam gubernativam potestatem in creaturas, de quibus pro suo placito, & arbitrio disponit. Tandem præparatio damnationis æternæ, seu decretum, quô DEUS statuit, & decernit pœnas impiis, quale decretum dicit itidèm reprobatio, infert, vel supponit Justitiam Divinam retribuentem unicuique secundùm vias suas; infert Justitiam vindicativam, quâ DEUS vindicat suas injurias, & se ulciscitur de inimicis suis; infert etiam suam Misericordiam in electos, & prædestinatos, quæ in eo maximè elucet: quòd beneficium prædestinationis non sit omnibus commune, sed aliquibus nonnisi concessum; quòd non conferatur ex necessitate, sed pro libero placito miserentis.

Pro solvendis Objectionibus.

83. Noto primò. Reprobationem impii non præjudicare Summæ Sanctitati DEI, in tantùm enim huic præjudicaret, in quantùm reprobatio esset permissio peccati,

cati, sed in tantùm non præjudicat. Quia ipsa permissio peccati non præjudicat summæ sanctitati DEI. Ità enim DEUS permittit peccatum, ut antecedenter deterreat à peccato, comminatione pænarum retrahat ab eodem, per internas, & subinde etiam externas suasiones, conferat gratiæ suæ auxilia sufficientia ad vincendas tentationes, & ad evitandum peccatum, ad illúdque concurrat ùt determinatus à creatura, ex ratione causæ primæ & universalissimæ, obligatus ad concurrendum ad quosvis ipsius actus. Neque per hoc derogatur Sanctitati Divinæ, quòd DEUS illa conferat auxilia, quæ prævidit non obtentura felicem eventum, sed potiùs conjungenda cum peccato, non derogatur inquam. Cùm enim auxilia ipsa sint de se sufficientia, ut per illa evitetur peccatum, quòd defacto conjungantur cum peccato, fit vitio illius, cui conferuntur, à DEO certè non dantur ex aliquo affectu & inclinatione ad peccatum, sed ex altissimis rationibus, DEO visis & placitis. Quare illud hic repeti potest, quod ex S. Augustino adductum est: *Miseretur DEUS magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis, conqueratur.*

Noto secundò. Reprobationem Divinæ misericordiæ & bonitati non præjudicare. Tum quia non alia misericordia in DEO admitti debet, nisi perfectissima, perfectissima verò non est, si non componatur cum summa libertate DEI, ex vi cujus DEUS non necessitetur ad miserendum cuiquam, sed illi misereatur, cui vult misereri, & induret, quem vult indurare. Non est itèm perfectissima misericordia, si non compatiatur justitiam, sed illam excludat, quam scripturæ tam exaggeratè commendant. Porrò si DEUS nulla mala deberet permittere, ejúsque bonitati ac misericordiæ repugnaret permissio peccati, misericordia DEI DEUM impotentem faciens ùt permittat peccatum, non esset conjuncta summæ Divinæ libertati, non compateretur etiam Divinam justitiam, sed eam excluderet, si enim nulla peccata posset permittere, nulla posset vindicare, adeóque non posset exercere justitiam vindicativam. Tum quia Major est misericordia, quæ non solùm in præservando homine à peccato, sed etiam in remissione peccati elucet. Atqui si DEUS non posset permittere peccatum, non posset ab ipso remitti peccatum. Cùm remissio peccati supponat essentialiter permissionem ejusdem. Ergo. Tum quia permissio peccati, occasio exstitit manifestandæ misericordiæ Divinæ, eo modo, quo perfectiùs manifestari non potuit, idque misericordiæ conjunctæ cum Justitia, nimirum per Incarnationem Filii DEI factam in remedium peccati, & in remedio allato per passionem, & mortem acerbissimam Filii DEI, hoc modo pro peccatis nostris satisfacientis ipsi Justitiæ Divinæ. Ergo permissio peccati non repugnat misericordiæ DEI, sed occasio exstitit manifestandæ ejusdem misericordiæ modo perfectissimo.

Noto tertiò. Reprobationem prout hæc dicit præparationem damnationis æternæ, nullam sapere crudelitatem. Tum quia non est crudelitas eum damnare ad pœnam, qui meruit pœnam; per reprobationem autem, si præsertim hæc fiat post prævisa absolutè demerita, is damnatur ad pœnam, qui meruit pœnam. Ergo. Tum quia is, qui reprobatur, multa benignitatis, & bonitatis Divinæ in se experitur documenta; non solùm enim accipit à DEO auxilia sufficientia, per quæ consequi potuit, ut non peccaret, sed etiam ut post commissum peccatum pœnitentiam ageret, & peccatum deleret. Prætereà punitur pœna minore, quam meruit, seu infra condignum, taliter pœnas taxante Justitia Divina, ut minores infligantur, quàm potuerint infligi, gravitate peccati à nullis pœnis adæquabili, exigente pœnas graviores, & graviores. Quomodo ergo taliter facta damnatio impii sapit crudelitatem? Neque valet, si dicas: est crudelitas creare hominem, qui morte æterna est puniendus. Non valet, inquam. Nulla enim crudelitas est, creare hominem, qui nocens factus ob sua delicta, morte æterna est puniendus. Etiamsi esset aliqua crudelitas, si innocens morte æterna puniretur, attestante D. Augustino Epist. 106. *Nam quenquam immeritum, & nulli obnoxium peccato, si DEUS damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.*

Noto quartò. Quòd DEUS non sit censendus acceptor Personarum per hoc, quòd uni conferat auxilia, quæ prævidit fu-

futura efficacia, alteri verò conferat præviſa futura purè ſufficientia, & inefficacia. Quòd enim hæc ſint inefficacia, non eſt ex parte DEI, ſed eſt ex parte hominis accipientis, qui illa reddit inefficacia. Eſſet acceptor Perſonarum Deus, ſi v. g. auxilia gratiæ ſuæ daret uni, negaret alteri, illum præteriret, vel utrique daret congrua, & utroque cooperante datis ſibi auxiliis, unum ſalvaret, damnaret alterum, vel neutro cooperante gratiæ ſibi datæ, ſed utroque peccante, uni vitam æternam conferret, alterum ad mortem æternam damnaret.

Noto quintò. Reprobationem impii non derogare quidquam infinitudini, ac ſuperabundantiæ ſatisfactionis, & meritorum Chriſti. Quòd enim ſatisfactio Chriſti unum liberet à peccatis, & morte æterna, alterum non liberet, hoc provenit non ex eo, quòd ſatisfactio, & merita Chriſti non ſint ſufficientia ad quoſcunque liberandos, ſed liberatione aliquorum exhauriantur; verùm provenit ex eo, quòd unus ſatisfactionem, & merita Chriſti ſibi applicet, iiſque utatur ad ſuam ſalutem, alter non utatur, nec ſibi applicet. Cùm tamen Chriſtus ſuam ſatisfactionem, & merita non aliter nobis prodeſſe voluerit, niſi dependenter à noſtra eorundem meritorum applicatione per uſum Sacramentorum, & per frequentationem bonorum operum. Chriſtus poſitus eſt non ſolùm in reſurrectionem his, qui cum ipſo conſurgunt, moriuntur vitiis, & DEO vivunt, & quidquid ipſis deeſt, uſurpant ſibi ex vulneribus Chriſti. Eſt Chriſtus in ruinam illis, qui ipſum ſibi ſtatuunt in ſignum, cui contradicant, per vitam ſuam flagitioſam & neglectum, ac contemptum remediorum, per quæ à Chriſto ſibi proviſa, ſalvari debuerant.

Quæritur quintò. Quinam ſunt effectus Reprobationis?

Cùm DEUS ad noſtram perditionem habeat ſe permiſſivè, & quodammodo invitus ad homines condemnandos deſcendat; ſæpiùs enim id teſtatur: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat.* Et iterum: *Perditio tua ex te Iſraël, ex me tantummodo auxilium tuum.* Cùm itèm Patres reprobationem magis ad præſcientiam revocent, quàm ad ordinationem voluntatis Divinæ, ità ut etiam reprobi dicantur præſciti, & non ordinati ad pœnam; præſcientia verò non ſit cauſa effectiva, ſicut eſt talis cauſa voluntas Divina ordinativa hominis ad certum finem, minùs neceſſarium videri poteſt, quærere, qui ſint effectus Reprobationis.

84. Reſpondeo: Nihilominus effectum, quamvis minùs propriè dictum reprobationis, eſſe damnationem, & mortem æternam. Ratio eſt. Ille effectus dicitur eſſe effectus alicujus cauſæ, qui ità à cauſa provenit, ut eidem attribuatur. Sed mors æterna, & damnatio impii ità provenit à reprobatione, ut ei attribuatur tanquam cauſæ. Hæc enim attribuitur præparationi damnationis, & mortis æternæ, quam dicit reprobatio poſitiva. Quia tamen mors æterna impii non aliter attribuitur DEO, & præparationi damnationis, niſi dependenter à ſuppoſitione peccati, tanquam cauſæ demeritoriæ mortis æternæ, quam ipſam ſuppoſitionem peccati, & cauſæ demeritoriæ dari DEUS non vult; ideò mors æterna impii non eſt effectus propriè dictus reprobationis. Quia non eſt effectus abſolutè, & cum inclinatione intentus, & volitus.

85. Peccatum, ejúſque permiſſionem putant aliqui eſſe effectum reprobationis. Cæterùm etiam hoc eſt effectus reprobationis minùs propriè dictus. Ratio eſt. Quia effectus reprobationis propriè dictus deberet eſſe effectus condemnationis activæ impii ad mortem æternam. Hæc enim utpote ratio ultimò determinativa aliorum actuum Divinorum ad eſſe reprobationis, venit principaliter nomine reprobationis. Sed peccatum, ejúſque permiſſio non eſt effectus condemnationis activæ impii ad mortem æternam. Tum quia potiùs peccatum eſt cauſa demeritoria condemnationis ad mortem æternam, quatenus eſt cauſa demeritoria ipſius mortis æternæ. Tum quia peccatum eatenus eſſet effectus condemnationis ad pœnam, quatenus ex fine condemnationis permitterentur peccata. Sed eatenus peccatum non eſt effectus condemnationis. Condemnatio enim ad pœnam non eſt finis, nec peccata ſunt media ad talem finem ordinata, ùt dictum eſt num. 81. Ergo.

86. Alii putant, auxilia gratiæ Divinæ purè ſufficientia debere eſſe effectum re-

reprobationis. Sed neque hæc ſunt talis effectus.

Ratio eſt. Tum quia auxilia hujuſmodi non conferuntur ex fine damnationis æternæ, aut ex fine permiſſionis peccati. Cùm potiùs auxilia hæc ex natura ſua ordinentur ad retrahendum hominem à peccato, & morte æterna, eúmque per opera ſalutaria ad ſalutem æternam perducendum. Tum quia auxilia ſufficientia ſunt DEI beneficia, ordinis ſupernaturalis, collata cum ſeria voluntate obtinendi per illa, actûs ſalutaris. Licèt verò hæc auxilia non obtineant finem per ordinem, ad quem conferuntur, hoc provenit ex vitio, & culpa illius, cui conferuntur dicta auxilia, non autem provenit ex natura eorundem, aut ex intentione conferentis. Ergo non apparet, ex quanam ratione hæc auxilia deberent eſſe cauſa reprobationis impii.

Dices: Ipſa beneficia à DEO accepta condemnabunt impios, juxta illud: *Si non veniſſem, non haberent peccatum, &c.* Reſpondeo: quòd non ipſa DEI beneficia ſecundùm ſe, ſed neglectus, contemptus, aut etiam abuſus beneficiorum Dei, ac ingratitudo pro acceptis beneficiis ſint punienda, & hæc ſint condemnatura impium, non autem ipſa beneficia.

Quæritur quintò. In Reprobatione impii adulti, qui actus Divini interveniant?

87. Reſpondeo: In dicta reprobatione hos actus Divinos intervenire. Primò: Scientiam ſimplicis Intelligentiæ. Secundò: Scientiam mediam, non minùs atque hæ duæ Scientiæ interveniunt in prædeſtinatione ad gloriam ùt coronam. Tertiò: Intervenit collatio auxiliorum gratiæ ſufficientium ad facienda opera ſalutaria, præcipuè verò ad faciendam pœnitentiam finalem, quæ auxilia prævidit DEUS per Scientiam mediam futura inefficacia. Quartò: Intervenit permiſſio peccati, & impœnitentiæ finalis. Quintò: Scientia viſionis, quâ videt peccatum, & impœnitentiam finalem, abſolutè futura. Sextò: Tandem decretum Divinum addicens morti æternæ impium propter ejus peccata, & impœnitentiam finalem.

Ratio eſt. Quia ſi hi actus intelligantur venire in reprobatione impiorum adultorum, ſalvantur omnia, quæ de reprobatione impii ſecundùm fidem, definitiones Conciliorum, doctrinam Patrum, & rationem Theologicam dici debent.

88. In reprobatione parvulorum ſinè Baptiſmo decedentium hi actus Divini interveniunt. Primò: Scientia ſimplicis Intelligentiæ. Secundò: Scientia media non circa actus ipſius parvuli conditionatè futuros, hæc enim eſt impertinens ad reprobationem parvuli, ſed circa actus conditionatè futuros Parentum parvuli, aut aliorum, qui parvulo poſſunt, aut tenentur applicare remedium contra originale, nimirum Baptiſmum providere. Tertiò: Decretum, quô DEUS decernit, proviſurum ſe aliquas commoditates, occaſiones, aliáque requiſita, ut infanti poſſit applicari remedium, &c. & conferri Baptiſmus. Quartò: Permiſſio, quâ Deus permittit, ut ii, ad quos id ſpectat, non utantur occaſionibus, & commoditate perducendi infantem ad gratiam Baptiſmi. Quintò: Decretum, quô parvulus propter originale peccatum, à ſe abſolutè contractum, nec deletum, addicitur morti æternæ.

Quæritur ſextò. Quid ſit obduratio peccatoris, prout hæc ſe tenet ex parte DEI, & qua ratione DEUS obduret peccatorem?

89. Reſpondeo: Obdurationem quaſi activam eſſe permiſſionem obſtinatæ in malo voluntatis cum reſiſtentia quibuſvis gratiæ Divinæ auxiliis, à malo retrahentibus, & ad pœnitentiam adducentibus. Obduratio quaſi paſſiva eſt voluntas, prout in malo obſtinata, reſiſtens quibuſvis gratiæ Divinæ auxiliis. Hanc, id eſt, obdurationem paſſivam cauſat DEUS non poſitivè, ſed negativè. Per hoc nimirum, non quòd DEUS cauſet aliquid poſitivum, quô impius deterior fiat, ſed quòd non conferat, nec tribuat id, quô melior fiat: hoc eſt, ea nonniſi auxilia conferendo, quæ per Scientiam mediam prævidit à voluntate impii reſpuenda, & abjicienda, & permittendo, ut ea abjiciat, & reſpuat.

Ratio eſt. Tum ab Authoritate Patrum, præcipuè verò S. Auguſtini, qui Tract. 53. in Joannem dicit: *DEUM indurare aliquem non impertiendo malitiam, ſed ſolùm ſubtrahendo miſericordiam.* Itèm, ùt ait lib. 1. ad Simplic. Quæſt. 2. *Obduratio ſit, ut non ab illo* (id eſt DEO) *ira-*

rogetur aliquid, quô homo sit deterior, sed tantùm quô sit melior, non erogetur. Et iterum lib. de Prædest. & gratia cap. 4. dum dicitur: *Quem vult, indurat, non ità intelligendum est, quòd DEUS in homine ipsam duritiam cordis operetur, &c. sed indurare dicitur, cùm quem mollire noluerit.* Tum quia si hac ratione explicetur obduratio, nulla in DEUM invehitur imperfectio; salvatúrque illæsa libertas hominis obdurati. Licèt enim de tali homine verificetur illud Apostoli dictum: *Considera opera hominis, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Tamen impotentia hæc correctionis solùm provenit ex suppositione consequente, non ex antecedente. Itèm hæc impotentia est solùm in sensu composito obdurationis, prout volitæ à reprobo, non in sensu diviso ejusdem; quem sensum divisum potest facere impius, si velit, quamvis non sit eundem facturus, quia facere nolet.

QUÆSTIO III.

De reliquis in specie actibus liberis Voluntatis Divinæ.

OMissis aliis minùs controversis; in præsenti de his agetur: De pura omissione libera, an hæc in Deo dari possit? De Decreto DEI in actu primo indifferente, quod DEUS habet de exhibendo suo concursu causis secundis liberis, & de Decreto prædefinitivo actûs creati liberi.

PUNCTUM I.

De pura omissione libera Dei, & de Decreto, indifferentem in actu primo concursum offerente causis secundis liberis.

§. I.

An detur, aut possibilis sit in Deo pura omissio libera?

90. Respondeo, & dico: Non dari in DEO, nec possibilem esse puram omissionem liberam, consistentem in negatione omnis actûs Divini positivi, sive volitivi, sive nolitivi circa objectum contingens. Possibilem tamen esse, imò dari omissionem liberam, per hanc intelligendo determinationem purè negativam libertatis Divinæ in actu primo.

Ratio primi est. Quia implicat non identificari DEO volitionem positivam, ex vi cujus DEUS est determinatus ad volendum omne id, quidquid contingenter existit. Implicat itèm non identificari DEO nolitionem positivam, ex vi cujus DEUS est determinatus ad nolendum omne id, quidquid contingenter non existit. Talis enim volitio, & nolitio sunt perfectiones simpliciter simplices. Quia potentia volitiva, & nolitiva, indistinctæ ab ipso actu volendi, & nolendi sunt perfectiones hujusmodi. Ergo implicat dari in DEO puram omissionem liberam consistentem in negatione omnis actûs volitivi, & nolitivi circa objectum aliquod contingens. Hoc ipso enim posset non identificari DEO volitio, & nolitio determinata ad volendum, vel nolendum, quidquid contingenter existit, vel non existit.

91. Ratio secundi est. Quia dum Deus liberè non vult existentiam alterius mundi, exercet tunc puram omissionem liberam, per hanc intelligendo determinationem purè negativam libertatis Divinæ in actu primo; tunc enim non est ulla determinatio dictæ libertatis in actu primo, sed hæc libertas præcisè determinatur per negationem omnis actionis productivæ alterius mundi, quæ determinatio est purè negativa.

§. II.

An detur in DEO Decretum in actu primo indifferens de exhibendo concursu cum causis secundis liberis, & quomodo hoc Decretum explicetur?

92. Respondeo primò: Dari in Deo Decretum indifferens in actu primo de exhibendo suo concursu causis secundis liberis.

Ratio est. Quia nisi daretur tale decretum, causa creata libera non esset com-

pleta in actu primo, vel certè dum esset completa in actu primo, per hoc ipsum non posset esse libera. Ergo.

93. Respondeo secundò: Dictum decretum indifferens per hoc explicari, quòd sit absolutum, & aliquomodo disjunctivū, ità ut DEUS per illud dicat: In hoc, & pro hoc instanti, & circumstantiis volo addicere potentiam meam Petro, ut is illâ utatur vel ad actum amoris A, vel ad actum B odii eliciendum, vel ad omissionem utriusque.

Ratio est. Quia taliter explicatum decretum neque DEUM dedecet, neque est læsivum libertatis creatæ; & insuper commodè explicatur exhibitio concursûs in actu primo indifferentis, cum determinatione ad individuum actûs.

Existimant aliqui, decretum hujusmodi debere esse conditionatum, sic explicabile: volo concurrere cum voluntate creata libera, si illa determinaverit se ad agendum.

Noto: Duplicem esse concursum Dei cum causa secunda libera, alium concursum in actu primo, alium concursum in actu secundo. Concursus Divinus in actu primo spectatus, consistit principaliter in virtute, & potentia DEI per decretum indifferens applicata ad concurrendum cum causâ secunda libera in actu primo indifferente ad eum actum, ad quem se illa causa secunda determinaverit. Concursus in actu secundo est actio, quâ Deus simul cum creatura operatur; actio, inquam, indistincta ab actione creaturæ. Prior concursus etiamsi non sit indifferens in essendo, spectatus saltem quoad rectum Decreti Divini, est tamen indifferens in operando. Posterior concursus est ipsa operatio utriusque causæ tam primæ, quàm secundæ, ex suppositione consequente, determinata à causa secunda libera.

Noto secundò: Decretum DEI indifferens, de prohibendo concursu causæ secundæ liberæ, non esse oblativum concursûs, qui in actu secundo sit indifferens. Talis enim concursus est chimæricus, nec in actu secundo est ulla indifferentia, sed in tantum decretum illud est indifferens, in quantum DEUS offert causæ secundæ liberæ concursum in actu primo indifferentem, seu in quantum causæ secundæ liberæ offert, concursum sub disjunctione multiplicem, ità exhibendum, ut determinatio, ratione cujus ad hunc potiùs in specie actum concurrat causa prima, & secunda, quàm ad alium, sit penès causam secundam liberam, seu penès voluntatem creatam, & in potestate ejus posita.

PUNCTUM II.

De Decreto prædefinitivo actûs creati liberi.

§. I.

Quid sit, & an detur prædefinitio, seu Decretum prædefinitivum?

94. Respondeo primò, & dico: Prædefinitionem, seu Decretum prædefinitivum actûs creati liberi est illud, quô Deus complacendo sibi in actu creato libero decernit ejusdem actûs existentiam. Ex qua definitione patet, non posse à DEO prædefiniri actus creatos liberos, nisi bonos, & honestos. Quia DEUS non potest complacere, nisi in actibus bonis, & honestis; In actibus verò inhonestis, & malis, cùm DEUS necessariò sibi displiceat, tales actus prædefinire non potest, sed eos nonnisi permittit. Unde ulteriùs habetur, permissionem esse speciem correlativam prædefinitionis illi ipsi oppositam.

95. Respondeo secundò, & dico: Dari in DEO prædefinitiones actuum bonorum, & salutarium voluntatis creatæ liberæ.

Ratio est. Tum ab Authoritate S. Augustini lib. de Prædest. cap. 10. dicentis: *Fidei, & charitatis opera, quæ per DEI gratiam fuerunt prædestinata, rectè prædefinita dicuntur.* Tum quia decretum prædefinitivum dari in DEO postulat summa DEI perfectio, postulat enim summa ejus Sanctitas, ut complaceat in actibus creaturæ honestis. Postulat itèm virtus Dei dominativa, ut, quidquid creatum contingenter existit, existat dependenter à voluntate DEI, sitque à DEO volitum; proindéque perfectio DEI exigit, ut actus salutaris, & honestus non aliter existat, nisi prout volitus à DEO complacente sibi in tali actu; adeóque nisi prædefinitus. Sicut è contra summa Sanctitas Dei, ejus-

ejusdémque virtus suprema dominativa exigunt, ut malum, & inhonestum, quod contingenter existit, sit permissum à Deo displicente sibi in tali malo. Tum quia, si quid obstaret, quò minùs daretur Decretum prædefinitivum actûs salutaris, obstaret id, quòd in prædefinitione talis actûs non possent conciliari infrustrabilitas, & efficacia Decreti prædefinitivi cum libertate actûs salutaris prædefinitivi. Sed hæc optimè conciliantur. Licèt enim prædefinitiones quædam, prout à nonnullis Theologis explicantur, evertant, & tollant libertatem creatam, ùt dicetur inferiùs, prædefinitio tamen, prout à nobis explicabitur, non tollit libertatem creatam, sed potiùs hanc supponit, & infert. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

96. Objicitur primò. Prædefinitio tollit rationem actûs salutaris in actu prædefinito. Ergo non datur. Antecedens probatur. Prædefinitio tollit in actu salutari rationem meriti, quatenus tollit rationem liberi, quam ipsam tollit. Tum quia posita prædefinitione actûs, actus prædefinitus non potest non poni, sed necesse est illum poni. Voluntas enim creata sub prædefinitione posita non est indifferens ad ponendum, vel non ponendum actum salutarem, sed est determinata ad eundem ponendum. Ergo. Tum quia prædefinitus ad amorem, non est liber ad ponendum amorem, vel odium. Non potest enim ponere odium, siquidem prædefinitus ad carentiam odii non potest ponere odium; qui autem est prædefinitus ad amorem, est simul prædefinitus ad carentiam odii. Cùm esse amoris, inferat necessariò non esse odii, seu carentiam odii. Tum quia, qui habet prædefinitionem ad amorem, neque est liber ad odium posita prædefinitione amoris; & in sensu composito talis prædefinitionis, neque est liber, ut non habeat prædefinitionem ad amorem, faciatque sensum divisum talis prædefinitionis. Non est imprimis liber ad odium posita prædefinitione amoris, cùm tali prædefinitioni repugnet odium. Non est etiam liber, ut habeat vel non habeat prædefinitionem ad amorem. Quia hæc est plenè libera DEO, nec est impedibilis à creatura. Etiamsi enim Scientia media sit indirectè impedibilis à voluntate creata, tamen decreta Divina non sunt impedibilia à creaturis, utpote DEO plenè libera.

97. Objicitur secundò. Prædefinitio tollit libertatem DEI. Tum quia si detur, non potest esse libera DEO, sed debet esse libera creaturæ. Si enim huic non sit libera, tollitur libertas ejusdem. Tum quia prædefinitio si daretur, deberet esse libera & DEO, & creaturæ, ídque deberet esse libera immediatè utrique. Sed prædefinitio non potest esse immediatè libera & DEO, & creaturæ. Unum enim, idémque non potest esse duobus immediatè liberum. Ergo.

98. Objicitur tertiò. Implicat, prædefinitionem Divinam esse frustrabilem à voluntate creata. Sed si daretur dicta prædefinitio ad actus salutares, esset hæc frustrabilis à voluntate creata. Ergo. Minor probatur. Tum quia voluntas creata eò ipso, quòd sub prædefinitione ponat liberè actum salutarem, habet libertatem non frustrandi decretum prædefinitivum. Ergo eò ipso habet libertatem frustrandi idem decretum. Libertas enim ad unum ex oppositis est simul libertas ad aliud oppositum. Sed si voluntas creata habet libertatem frustrandi decretum Divinum, idem decretum est frustrabile à voluntate creata. Ergo. Tum quia decretum prædefinitivum est impedibile à voluntate creata. Ergo est frustrabile. Impedibilitas enim decreti est formalissimè frustrabilitas ejusdem. Per id enim debet impediri decretum, per quod si frustrabile esset, deberet frustrari. Nimirum prædefinitio debet impediri, si est impedibilis, per non positionem actûs salutaris prædefiniti, per quam etiam frustraretur, si esset frustrabilis.

99. Objicitur quartò. Si daretur prædefinitio, deberet posse per illam prædefiniri pœnitentia, & similes actus supponentes peccatum, sed hi prædefiniri non possunt. Quod enim prædefinitur à Deo, debet amari, debétque intendi efficaciter. Pœnitentia verò non potest amari, nec intendi efficaciter. Tum quia si pœnitentia amaretur, & efficaciter intenderetur à DEO, deberet etiam intendi à DEO, & efficaciter amari peccatum. Qui enim amat, & efficaciter intendit consequens, debet amare, & intendere efficaci-

citer etiam antecedens. Cùm ergo pœnitentia sit consequens, peccatum sit antecedens, idq; tale, sinè quo non potest esse consequens, nimirum pœnitentia; sequitur, si DEUS amat, & efficaciter intendit pœnitentiam, debet quoque ipsum amare, & efficaciter intendere peccatum. Tum quia DEUS prædefinitâ pœnitentia, debet non odisse efficaciter peccatum, debet enim illud permittere; implicat verò DEUM odisse efficaciter peccatum, quod permittit. Sed implicat, ut DEUS non oderit efficaciter peccatum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

100. Respondeo: Negato primo, & secundo Antecedente, ulteriorem primam Probationem distinguo: Posita prædefinitione actûs salutaris, hic ipse actus non potest non poni, impotentiâ ortâ ex suppositione antecedente. Nego Probationem. Non potest non poni impotentiâ ortâ ex suppositione consequente. Concedo Probationem. Similiter distinguo & alteram ejusdem Probationis partem: Voluntas creata constituta sub prædefinitione actûs, non est indifferens ad ponendum, vel non ponendum actum, sed est determinata ad ponendum determinatione antecedente. Nego. Est determinata determinatione consequente. Concedo hanc partem distinctæ Probationis.

Dices: Posita prædefinitione, actus prædefinitus non potest non poni ex suppositione prædefinitionis. Ergo non potest non poni ex suppositione antecedente. Cùm ipsa prædefinitio sit suppositio antecedens. Respondeo, negando Consequentiam, & dico: Prædefinitionem, cùm debeat fieri ex directione Scientiæ mediæ; adeóque ex suppositione futuritionis conditionatæ actûs salutaris, prædefinitionem, inquam, prout illativam infallibiliter actûs salutaris, non esse saltêm adæquatè suppositionem antecedentem, sed esse suppositionem consequentem, aut dicere saltèm hanc suppositionem. Cùm dicat vel præsuppositivè, vel constitutivè liberam futuritionem conditionatam actûs salutaris.

Ad secundam Probationem respondeo cum eadem licèt aucta distinctione: Prædefinitus ad amorem non est liber ad ponendum odium ex suppositione antecedente, & in sensu diviso amoris. Nego Antecedens. Non est liber ad ponendum odium ex suppositione consequente positi liberè amoris, & in sensu composito dicti amoris, omitto hanc partem distinctionis.

Ad tertiam Probationem dico: Eum, qui est prædefinitus ad amorem, esse liberum tam ad hoc, ut posita prædefinitione ponat liberè amorem, quàm etiam ad hoc, ut DEUS non habeat prædefinitionem talis amoris, vel ut non habuerit. Imprimìs is, qui est prædefinitus ad amorem, est liber ad hoc, ut posita prædefinitione ponat liberè amorem. Quia ex parte actûs primi proximi liberi nullum est principium, aut requisitum infallibiliter ex suppositione antecedente inferens amorem. Prædefinitio enim amoris, aut non tenet se ex parte actûs primi, ùt quidam docent, aut tenet se quidem ex parte actûs primi, & antecedit ipsum amorem, ùt alii volunt. Secundùm quod tamen antecedit, non infert infallibiliter amorem, sed infert illum ex suppositione consequente. Quia infert illum ex suppositione Scientiæ mediæ de futuro conditionatè amore, & ex suppositione conditionatæ futuritionis amoris, quod quomodo fiat, dicetur inferiùs. Deinde, qui est prædefinitus ad amorem, eatenus est liber, quatenus potest indirectè impedire, nè fuerit in DEO prædefinitio. Cùm enim possit indirectè impedire Scientiam mediam, ùt dictum est num. 179. Disp. 4. potest etiam impedire prædefinitionem actûs ab hac Scientia dependentem, & ex ejus directione formatam.

101. Ad secundum respondeo, negando assumptum. Ad Probationem primam dico: Prædefinitionem Divinam esse & DEO, & creaturæ liberam. Aliter tamen est DEO libera, aliter est libera creaturæ. DEO est libera directè, creaturæ est libera indirectè, & mediatè. Taliter enim prædefinitio est libera creaturæ, qualiter est ab ea impedibilis. Sed est impedibilis indirectè, & mediatè, quatenus est impedibile objectum Scientiæ mediæ. Ergo eadem prædefinitio est libera indirectè, & mediatè ipsi creaturæ.

Ad secundam Probationem quid dici debeat, patet ex data immediatè Responsione. Pro pleniori utriusque hujus

Pro-

Probationis solutione dici potest: In Sententia DEO adæquatè identificante actus ipsius liberos: Prædefinitio est DEO libera quoad entitatem actûs, creaturæ verò est libera quoad dependentiam talis actûs à Scientia media, & à futuritione conditionata actûs salutaris; si enim non fuisset futuritio conditionata actûs salutaris sub auxilio A, non fuisset hæc in DEO Scientia media, quodsi hæc non fuisset, non fuisset prædefinitio actûs salutaris sub auxilio A. Licèt verò & futuritio conditionata actûs salutaris sub auxilio A fuisset, fuisset itèm Scientia media de tali futuritione, potuit tamen adhuc non extitisse prædefinitio. Quia potuit DEUS non auxilium A decernere, sed aliud auxilium, sub quo non esset futurus actus salutaris. Unde prædefinitio debet esse libera DEO, licèt sit aliquo modo libera creaturæ. In Sententia complente actus DEI liberos per aliquid Deo extrinsecum, Prædefinitionem actûs salutaris esse, & posse esse liberam tam ipsi DEO, quàm etiam creaturæ, clariùs adhuc patet. Si enim actus DEI liber pluribus constituatur, & plura ex parte ipsius complementi dicat, quoad unum ex his potest esse DEO liber, quoad aliud potest esse liber creaturæ. Porrò prædefinitio actûs salutaris plura dicit constitutivè, etiam ex parte complementi; dicit enim pro complemento & entitatem auxilii A secundùm se, & efficaciam ejusdem auxilii; seu dicit id, quod supra entitatem auxilii superaddit efficacia ejusdem auxilii. Ex quibus entitas auxilii A secundùm se, est libera, ídque immediatè DEO, quatenus DEO fuit liberum, conferre v. g. Petro vel auxilium A, vel aliud quodvis. Id verò, quod supra entitatem auxilii superaddit efficacia ejusdem, est liberum voluntati creatæ Petri; id enim, quod efficacia dicta superaddit, est futuritio conditionata actûs salutaris sub auxilio A, per Scientiam mediam prævisa; quæ futuritio actûs est libera voluntati creatæ Petri.

102. Ad tertium Respondeo, negando Minorem. Primæ Probationis nego Majorem, & dico: Cùm voluntas creata libera sit essentialiter ex se determinata ad non frustrandum decretum Divinum, non est, nec potest esse libera ad ullius decreti frustrationem. Tum quia voluntas creata est essentialiter determinata ad non tollendam ullam perfectionem Divinam, nec DEUM faciendum impossibilem, & chimæram. Sed frustrare decretum Divinum, est tollere aliquam perfectionem DEI, éstque facere Deum impossibilem, & chimæram. Ipsa enim infrustrabilitas decretorum Divinorum à Scripturis asserta: *Voluntati ejus quis resistet, &c.* est perfectio DEI, & sinè hac DEUS est impossibilis, & chimæra. Ergo. Tum quia in tantùm voluntas creata posset frustrare decretum Divinum, in quantùm posset facere, ut aliquid contingenter non existat, quod voluntas Divina vult existere, ídque stante tali decreto, vel in quantùm posset facere, ut aliquid contingenter existat, quod voluntas Divina non vult existere, ídque stante tali nolitione. Sed voluntas creata non potest facere, ut non existat contingenter, quod voluntas Divina vult existere, stante tali ejusdem volitione, neque potest facere, ut contingenter existat, quod voluntas Divina non vult existere, stante tali nolitione. Etiamsi voluntas creata possit facere, ut hæc determinatè Divina volitio, vel nolitio non exstiterit in DEO, quatenus potest indirectè impedire Decretum Divinum, tamen voluntas creata non potest facere, ut aliquid, quod DEUS vult existere, stante hac ejus volitione, non existat; neque potest facere, ut id, quod DEUS non vult existere, stante hac volitione existat.

Dices: Ad quid ergo voluntas creata est libera, si non est libera ad frustrandum decretum Divinum. Respondeo, esse liberam, ut ponat, vel non ponat suum actum, & positione actûs, faciat, ut DEUS hoc potiùs, quàm oppositum decretum habeat. Non est verò libera ad hoc, ut stante volitione Divina, quâ vult existentiam alicujus rei, res talis non existat, quod esset frustrare decretum Divinum.

Ad Probationem secundam dico: Diversa hæc esse, impedibilitatem indirectam Decreti Divini, & frustrabilitatem ejusdem. Impedibilitas indirecta decreti Divini consistit in potentia ad non esse hujus determinatè decreti, v. g. prædefinientis actum, quod non esse haberetur, si voluntas creata pro statu conditionato, non poneret actum, qui ex sup-

positione suæ futuritionis conditionatæ, prædefinitur à DEO. Si enim pro statu conditionato non poneretur actus salutaris sub auxilio, v. g. A, DEUS non haberet Decretum prædefinitivum ejusdem actûs, ipsa non positione, seu negatione actûs impediente existentiam dicti Decreti. Frustrabilitas verò Decreti, deberet consistere in potentia Decreti Divini hujus determinatè, ad existendum, supposita non existentia objecti seu termini efficaciter voliti, per ipsum Decretum. Quare non per idem adæquatè debet impediri prædefinitivum Decretum, per quod deberet frustrari, si esset frustrabile. Impeditur enim formaliter Decretum per ipsum non esse ejusdem Decreti. Non esse inquam subsecutum ex non positione conditionata actûs, qui si est conditionatè futurus potest prædefiniri; non potest autem prædefiniri, si non est futurus conditionatus. Frustrari autem deberet Decretum prædefinitivum per esse ejusdem Decreti, seu volitionis Divinæ, prout conjunctum cum non existentia actûs prædefiniti & efficaciter voliti.

103. Ad quartum Respondeo: Concessâ sequelâ, quam aliqui negant. Nego Minorem. Primæ Probationis Nego illam sequelam: quòd DEUS amando & intendendo pænitentiam, debeat intendere & velle peccatum. Probationis ulterioris Nego Majorem illam universalem. Qui vult efficaciter & amat consequens, amat & vult efficaciter ipsum etiam Antecedens. DEUS enim amat & vult efficaciter satisfactionem Christi pro peccatis nostris, vult efficaciter, intendit, & amat Incarnationem Verbi Divini in remedium peccati, non vult tamen, nec intendit, nec amat peccatum, quod tamen est antecedens respectu satisfactionis Christi, Incarnationis Verbi Divini, ac respectu remedii per Incarnationem afferendi, ídque peccatum est tale antecedens, sinè quo non fuisset consequens, nimirum non fuisset decreta Incarnatio in remedium peccati, nec satisfactio Christi. Distingui etiam potest eadem Major. Qui amat efficaciter consequens, amat & ipsum Antecedens, quod est causa verè & propriè talis respectu consequentis. Concedo Majorem. Qui amat efficaciter consequens, is amat antecedens etiam illud, quod se habet per modum occasionis præsuppositæ ad existentiam consequentis, quod itèm se habet per modum objecti tollendi & improbandi per Consequens. Nego Majorem. Porrò peccatum est antecedens respectu Pœnitentiæ, sed non tale, quòd sit causa vera & propriè dicta respectu ejusdem pœnitentiæ, quæ est quid consequens. Peccatum enim neque est causa physica, neque est causa moralis pœnitentiæ, sed est nonnisi occasio pœnitentiæ & objectum ipsius, quod illa intendit destruere quoad suum esse morale.

Ad secundam Probationem dico Prædefinitionem Pœnitentiæ stare cum efficaci odio Divino ipsius peccati, DEUMque ità velle pœnitentiam, ut odio efficaci feratur adversùs peccatum. Hoc enim odium consistit in displicentia peccati, ejúsque prohibitione, ac pœnarum in transgressores legum seu committentes peccatum, constitutione, quæ possunt stare cum amore & prædefinitione pœnitentiæ. Ubi adverto diversa hæc esse: DEUM prædefinitâ pœnitentiâ non posse nolle efficaciter peccatum, Et: DEUM prædefinitâ pœnitentiâ non posse odisse peccatum. Prius est verum, alterum falsum. Nolle enim efficaciter peccatum excludit permissionem peccati, nec potest cum illa stare. Odisse autem efficaciter, nec ipsum peccatum ejúsque permissionem excludit, sed cum illa stare potest, nec excludit pœnitentiam, ipsiúsque prædefinitionem.

§. II.

Prædefinitio actûs salutaris an sit, aut possit esse independens à Scientia Media?

Prædefinitionem se ipsa efficacem, & infallibiliter inferentem actum salutarem, cum eóque connexam, independentem à scientia Media, defendunt plures Theologi, ex illis potissimùm, qui non admittunt scientiam Mediam. Subtilis Doctoris Schola Prædefinitionem vult esse taliter independentem à Scientia Media, ut & ipsa Prædefinitio secundùm se sit independens, & selectio seu determinatio auxiliorum, sinè quibus non ponitur actus, sit pariter independens ab eadem Scientia Media ejúsque

júſque directione. Talem prædefinitionem aliqui dicunt eſſe antecedentem reſpectu actûs ſalutaris; alii volunt eſſe concomitantem. Quidam è noſtris Theologis docent ipſam quidem Prædefinitionem ſe ipſa efficacem, & ratione ſui illativam conſensûs ſalutaris eſſe independentem à Scientia media, ejúſque directione, ſelectionem tamen auxiliorum indifferentem, à prædefinitione imperatam, eſſe dependentem à Scientia media, ejúſque directione. Seu, ùt iidem loquuntur, Prædefinitionem actûs ſalutaris ſe ipſâ efficacem eſſe independentem in eſſendo à Scientia media, ejúſque directione; eſſe verò dependentem in operando à tali Scientia, ejúſque directione.

104. Reſpondeo, & dico primò: Prædefinitionem actûs ſalutaris non eſſe, nec poſſe eſſe intrinſecè efficacem, & ratione ſui infallibiliter connexam cum actu ſalutari, independentem à Scientia media, tam quoad ſuam entitatem, quàm quoad decretum ſelectivum, ac determinativum auxilii, ſub quo ponendus eſt actus ſalutaris.

Prædefinitio hæc impugnata eſt num. 109. Diſp. 4. dum ageretur: An DEUS per Scientiam viſionis videat actus ſalutares abſolutè futuros in decreto prædefinitivo. Ultra illic dicta impugnatur ampliùs eadem prædefinitio, &

Probatur Concluſio. Prædefinitio ſe ipſa efficax, & connexa cum actu ſalutari, independens tam quoad ſuam entitatem, quàm quoad ſelectionem auxiliorum à Scientia media, tollit, ac deſtruit rationem actûs ſalutaris, quam ſupponitur inferre. Ergo talis prædefinitio non datur, nec poteſt dari. Antecedens probatur. Dicta prædefinitio tollit, ac deſtruit libertatem actûs ſalutaris. Id enim tollit libertatem actûs ſalutaris, ratione cujus idem actus non ponitur à voluntate, tanquam potentia in actu primo proximo indifferente, & ſe ipſam in actu ſecundo determinante ad actum per ipſiuſmet ejuſdem actûs poſitionem, ſed potiùs ponitur à potentia aliunde prædeterminata. Sed ratione prædefinitionis efficacis, & independentis à Scientia media actus ſalutaris non ponitur à voluntate, ùt potentia in actu primo proximo indifferente ad actum, & ſe ipſam determinante, ſed potiùs ponitur à potentia aliunde determinata. Ergo. Major imprimis probatur. Quia ut aliquis actus ſit liber voluntati creatæ, debet eſſe in poteſtate ejuſdem voluntatis, debétque ſubeſſe poteſtati dominativæ, ſeu electivæ, ac determinativæ actûs, eidem voluntati convenienti, ità, ut voluntas pro ſuo arbitrio ponat, vel non ponat actum. Porrò voluntas creata non habet in ſua poteſtate actum, ità, ut poſſit pro libitu, & arbitratu ſuo ponere actum, vel non ponere, ſi non ipſa ſe determinat ad actum, ſed ad hunc eſt aliunde determinata. Ergo. Probatur deinde Minor. Tum quia voluntas prædefinita prædefinitione independente à Scientia media eſt determinata ad actum non à ſe ipſa, ſed eſt determinata per ipſam prædefinitionem, utpote metaphyſicè connexam cum actu, eundémque infallibiliter inferentem. Ergo. Tum quia voluntas eſſentialiter impedita, quò minùs poſſit ſe determinare ad oppoſitum actûs ſalutaris, eſt aliunde, & non à ſe ipſa determinata ad actum ſalutarem. Ut enim ipſa ſe determinare cenſeatur, præciſa ſua tali determinatione debet eſſe indifferens ad utrumlibet ex his, ad quæ eſt libera. Porrò dum voluntas hæc eſt eſſentialiter impedita ad unum, non poteſt ſimul eſſe indifferens ad utrumlibet. Sed voluntas prædefinita, v. g. ad amorem, prædefinitione explicata, eſt voluntas eſſentialiter impedita, quò minùs poſſit ponere oppoſitum amoris, v. g. odium. Sub prædefinitione enim efficaci amoris impoſſibile eſt poni odium; aliàs poſſet fruſtrari, & falli decretum efficax prædefinitivum amoris. Ergo. Tum quia voluntas prædefinita ad amorem non poteſt non ponere amorem. Neque enim illum poteſt non ponere poſita, & ſtante prædefinitione ad amorem; neque poteſt facere, ut non habeat, vel non habuerit prædefinitionem, hac verò non habitâ non ponat actum. Cùm enim prædefinitio dicta ſit independens à Scientia media, voluntas creata non poteſt ullatenus impedire prædefinitionem; adeóque non poteſt facere, ut DEUS non habuerit prædefinitionem. Certè etiamſi intelligatur, quomodo, ſi prædefinitio dependeat à Scientia media de futuritione conditionata actûs; quomodo, inquam, voluntas creata poſſit facere, ut DEUS non habuerit prædefinitio-

tionem ad amorem, impediendo indirectè Scientiam mediam, tamen non potest intelligi, si prædefinitio, & selectio auxiliorum non dependeant à Scientia media, quomodo voluntas creata possit facere, ut prædefinitio sui actûs non fuerit.

105. Neque valet, si dicas: Prædefinitionem actûs salutaris se ipsa efficacem, independentem à Scientia media, tollere libertatem actûs, si prædefinitio dicta sit antecedens, & teneat se ex parte actûs primi liberi. Secùs si prædefinitio sit concomitans, qualis esse asseritur à plerisque, præcipuè recentioribus Scotistis. Non valet, inquam, sive enim prædefinitio asserta dicatur esse antecedens, sive concomitans, adhuc actus salutaris posita tali prædefinitione non est liber. Quia talis actus non est in potestate voluntatis creatæ, nec eadem voluntas habet plenum dominium se ipsam determinandi ad actum, potiúsque eligendi actum salutarem, quàm ipsius oppositum, itá ut voluntas creata ipsa se determinet ad actum, non sit verò aliunde determinata. Cùm potiùs per prædefinitionem sit determinata ad unum, nimirum ad actum salutarem, & per eandem sit impedita ad oppositum ipsius actûs salutaris.

Confirmatur. Si duo aliqua sint secum taliter connexa, ut unum inferat infallibiliter aliud, nec illud, quod itá infert aliud, sit in potestate voluntatis creatæ, etiam illud aliud, non est in potestate ejusdem voluntatis. Quomodo enim potest esse id in potestate voluntatis creatæ, quod ad positionem alterius inevitabilis voluntati, nec positi in potestate ejusdem, sequitur infallibiliter, ab eóque infertur. Sed prædefinitio actûs salutaris, & ipse actus salutaris sunt duo taliter connexa, ut prædefinitio inferat infallibiliter actum salutarem, nec tamen eadem prædefinitio sit in potestate voluntatis creatæ. Ergo & illud alterum ex connexis, quod infertur, à prædefinitione nimirum actûs salutaris non est in potestate ejusdem.

106. Respondeo, & dico secundò: Non dari, imò implicare prædefinitionem se ipsa efficacem independentem ratione sui à Scientia media, etiam supposito, quòd selectio auxiliorum sit dependens à Scientia media. Seu implicare prædefinitionem se ipsa efficacem independentem in essendo à Scientia media, dependentem in operando.

Probatur primò. Tali prædefinitione admissa sequitur, actum salutarem sic prædefinitum non esse liberum. Quia sequitur supposita dicta prædefinitione actum salutarem poni à voluntate creata ùt determinata ad unum, aliunde, & ab extrinseco, non verò ex propria ejusdem voluntatis determinatione, ac electione, neque ex potestate alterutrum ponendi. Actus enim ille salutaris ponitur à voluntate prædefinita ad eundem actum, voluntas verò prædefinita prædefinitione explicata est voluntas non à se, sed aliunde determinata, nimirum à DEO prædefiniente. Præterea idem actus ponitur à voluntate creata impotente ponere oppositum, & impedita efficaciter impedimento inauferibili per actum secundum, quò minùs possit ponere actum oppositum. Ergo.

107. Neque valet, si dicas: Selectio auxiliorum est dependens à Scientia media, quamvìs ipsa prædefinitio non sit ab hac dependens. Ergo voluntati creatæ est liber actus taliter prædefinitus. Non valet, inquam. Etiamsi enim alia principia actûs sint indifferentia, si tamen his omnibus addatur aliquid essentialiter connexum cum actu, eúmque infallibiliter inferens, nullatenus constitutum in potestate voluntatis creatæ, eadem voluntas non habet in sua potestate suum ipsum eundem actum, nec illum ponit ex propria determinatione, sed potiùs ùt determinata aliunde. Quia est defacto determinata ad talem actum per illud superadditum connexum, in sua potestate non constitutum. Ergo licèt ratione selectionis auxiliorum, dependentis à Scientia media habeantur principia indifferentia ad actum; quia tamen his superadditur prædefinitio independens à Scientia media, connexa essentialiter cum actu salutari, & nullatenus constituta in potestate voluntatis creatæ; etiam ipse actus salutaris, quem infallibiliter infert prædefinitio, non est in potestate ejusdem voluntatis, nec ponitur ex propria ipsius determinatione, quà se ipsum determinet, sed ex determinatione aliunde supervenien te.

108. Neque iterum valet dicere: Decre-

cretum prædefinitivum actûs ſalutaris, in exiſtendo independens à ſcientia Media, dependens in operando, quatenus imperat Decretum ſelectivum auxilii, dependens à ſcientia Media. Tale inquam Decretum prædefinitivum actûs ſalutaris, eſt nonnisì principium remotum & mediatum actûs ſalutaris, non neceſſariò requiſitum ad actum, & involvens ſuppoſitionem conſequentem. Ergo hoc Decretum non tollit libertatem actûs ſalutaris. Non valet inquam dicere. Sive enim dictum decretum prædefinitivum ſit principium proximum, ſive ſit remotum & mediatum, ſive neceſſariò requiſitum, ſive non; etiamſi itèm dicat aliquam ſuppoſitionem conſequentem, quia tamen eſt aliquid connexum & infallibiliter inferens actum ſalutarem, nec eſt ſecundùm ſe conſtitutum in poteſtate voluntatis creatæ, ab eáque impedibile, tollit adhuc libertatem actûs ſalutaris. Quia in voluntate creata tollit potentiam ad oppoſitum, facit illam eſſentialiter impeditam, quo minùs poſſit facere oppoſitum actûs ſalutaris; facit aliunde determinatam, nec ex propria determinatione elicientem actum. Ergo.

109. Probatur ſecundò. Implicat prædefinitio Divina quæ ſit fruſtrabilis & fallibilis. Talis enim prædefinitio DEUM dedecet & invehit in DEUM imperfectionem. Sed prædefinitio actûs ſalutaris ratione ſui independens à ſcientia Media, dependens quoad ſelectionem auxiliorum eſt fruſtrabilis & fallibilis. Tum quia talis prædefinitio eſt prædefinitio efficax actûs ſalutaris meritorii & liberi, & tamen vi illius non ponitur actus ſalutaris meritorius & liber, ſed potiùs ponitur actus neceſſarius. Adeóque non meritorius nec ſalutaris. Ergo, Tum quia ſi DEUS prædefiniat actum ſalutarem Antichriſti prædefinitione efficaci, & quoad ſuam entitatem independente à ſcientia Media, velítque deinde dependenter à ſcientia Media ſeligere auxilium aliquod efficax, & per ſcientiam Mediam non inveniat reſpectu Antichriſti ullum tale futurum, ſed potiùs videat voluntatem Antichriſti omnibus auxiliis diſſenſuram (cujus nulla aſſignabitur metaphyſica implicantia) hujuſmodi prædefinitio actûs ſalutaris erit ſimpliciter & abſolutè fallibilis. Quia non poterit ſimpliciter obtinere actum, quem prædefinit. Quia non habebuntur media indifferentia per quæ obtineatur. Talia enim deberent eſſe auxilia, quæ per ſcientiam Mediam præviderentur ſortitura effectum, qualia nulla eſſent. Ergo.

Proponuntur Objectiones contra Concl. num 104.

110. Objicitur primò. Decretum prædefinitivum independens à ſcientia Media, docetur à Sacra Scriptura & S. Auguſtino. Ergo tale Decretum datur & admitti debet. Antecedens probatur. Secundùm doctrinam Scripturæ & Auguſtini, Decretum prædefinitivum debet eſſe inimpedibile à voluntate creata ſed ſolum Decretum independens à ſcientia Media eſt inimpedibile à voluntate creata, cùm è contra Decretum dependens à tali ſcientia ſit impedibile à dicta voluntate. Quia & ipſa ſcientia Media ab eadem voluntate eſt indirectè impedibilis. Ergo. Major probatur. Pſal. 113. dicitur. *DEUS autem noſter in cælo omnia quæcunque voluit, fecit;* quem locum exponens S. Auguſtinus Enchyr. cap. 95. dicit: *Quod utique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit, & quod indignius eſt, ideò non fecit, quoniam nè fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominum impedivit.* Et iterum cap. 96. *Neque enim ob aliud veraciter Omnipotens, nisì quia quidquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Ergo.

111. Objicitur ſecundò. Si non daretur Decretum prædefinitivum independens à ſcientia Media, non daretur ex eo, quòd per tale Decretum læderetur libertas actûs ſalutaris & voluntatis creatæ. Sed non læditur. Ergo. Minor probatur. Tum quia etiamſi fortè Decretum prædefinitivum antecedens ſimúlque independens à ſcientia Media, læderet libertatem creatam, tamen non lædit Decretum concomitans. Neque enim lædit libertatem creatam in actu primo. Quia quod non tenet ſe ex parte actûs primi, non poteſt lædere libertatem actûs primi. Sed Decretum prædefinitivum concomitans non ſe tenet ex parte actûs primi. In tantum enim dicitur concomitans, in quantum concomitatur ipſum actum ſecundum. Ergo. Neque etiam idem Decre-

tum lædit libertatem actûs ſecundi. Si enim non lædit libertatem actûs primi, neque lædit libertatem actûs ſecundi. Quia ſi non lædit libertatem actûs primi, nullatenus impedit, quò minùs actus ſecundus, v. g. ſalutaris, dependeat ab actu primo libertatis, à quo ſi dependet, habetur libertas in actu ſecundo, actûs ſalutaris. Cùm ipſa dependentia actûs voluntatis ab actu primo libertatis, ſit libertas actûs ſecundi. Porrò decretum prædefinitivum actûs ſalutaris independens à Scientia media ſecundùm plures ſuos propugnatores, eſt decretum concomitans, non verò antecedens. Tum quia decretum determinativum actûs, quoad individuum non lædit libertatem, quamvìs hoc decretum formetur independenter à Scientia media. Ergo neque lædit eandem libertatem decretum prædefinitivum actûs quoad ſpeciem, etiamſi hoc ſupponatur formari independenter à Scientia media. Tum quia pro ſtatu conditionato decretum ex parte hypotheſis conditionatè præſuppoſitum ad conditionatam poſitionem actûs ſalutaris, eſt independens à Scientia media. Aliàs ante Scientiam mediam deberet præſupponi Scientia media. Ergo etiam pro ſtatu abſoluto decretum abſolutè præſuppoſitum ad poſitionem abſolutam actûs ſalutaris erit formatum independenter à Scientia media. Conſequentia probatur. Quia illud ipſum decretum debet abſolutè præſupponi ad abſolutam poſitionem actûs ſalutaris, quod pro ſtatu conditionato præſupponebatur conditionatè ad poſitionem conditionatam ejuſdem actûs. Ergo ſi hoc decretum conditionatum eſt independens à Sciéntia media, etiam decretum in ſtatu abſoluto prædefinitivum actûs ſalutaris debet eſſe independens à Scientia media. Confirmatur hæc Ratio. Dum DEUS habet hanc Scientiam: Si auxilium A. decernerem Petro, illúdque eidem conferrem, Petrus converteretur. Non poteſt dici: quòd ex parte hypotheſis veniat decretum dependens à Scientia media. Aliàs Scientiæ illius conditionatæ ſenſus eſſet: ſi ex directione Scientiæ mediæ, & ex præviſione futuræ conditionatè converſionis Petri ſub auxilio A, decernerem Petro auxilium A, Petrus converteretur. Quo ſenſu accepta, & intellecta Scientia, non eſt Scientia media, nec eſt utilis, aut pertinens ad directionem decretorum DEI. Reſtat igitur dicere, quòd ex parte hypotheſis illius Scientiæ veniat decretum independens à Scientia media. Neque tale decretum eſt impoſſibile, vel repugnans libertati creatæ, vel alicui perfectioni Divinæ. Ergo idem decretum debet eſſe poſſibile pro ſtatu abſoluto, nec debet repugnare libertati creatæ, aut cuipiam perfectioni Divinæ. Ergo ulteriùs DEUS per tale decretum, hoc eſt, independens à Scientia media, poterit in ſtatu abſoluto prædefinire actum ſalutarem ſinè læſione libertatis, & ſinè ulla ſua imperfectione. Tum quia poteſt talis ſeries, & categoria actuum Divinorum cogitari: In primo ſigno per Scientiam ſimplicis Intelligentiæ ſcit, & cognoſcit DEUS auxilia poſſibilia indifferentia conferribilia Petro, quibus Petrus poteſt cooperari, & converti; & inter alia cognoſcit etiam auxilium A, ad converſionem Petri conducens. In ſecundo ſigno non habitâ Scientiâ mediâ, nec illâ præconſultâ, decernit immediatè DEUS auxilium A. In hoc ipſo vel tertio ſigno per Scientiam viſionis videt DEUS Petrum habentem auxilium A, ſub eodem auxilio convertendum. Hoc viſo: in quarto ſigno decernit concomitanter, quaſi approbativè, ſeu prædefinit converſionem Petri. Taliter ordinata, & conſtituta ſerie actuum Divinorum, decretum prædefinitivum converſionis eſt independens à Scientia media. Quia hæc in nullo ſigno intelligitur. Idem decretum eſt concomitans. Non enim hoc decretum priùs eſſe intelligitur, quàm ipſa converſio Petri. Ex nullo etiam capite eſt ſublativum libertatis, cùm ſit indirectè impedibile à voluntate creata per hoc, quòd ſit impedibilis indirectè Scientia viſionis. Ergo.

Solvuntur Objectiones contra Concl. num. 104.

112. Ad primum Reſpondeo negando Antecedens. Probationis ulterioris nego Majorem in ſenſu proximè explicando. Ad Authoritatem Scripturæ dico: Deum omnia, quæcunque in cælo voluit, facere accomodatè ad naturam ſive neceſſariorum, ſive alicui creaturæ liberorum. Porrò per decretum prædefinitivum forma-

matum independenter à Scientia media, non poteſt DEUS actum voluntati creatæ liberum velle accomodatè ad naturam talis actûs, cùm hujus libertas tollatur per ejuſmodi decretum. Ad Authoritatem S. Auguſtini dico: Voluntatem Omnipotentis non poſſe impediri à voluntate hominum in ſeligendis auxiliis, nimirum non poteſt impediri, quò minùs DEUS ſeligat, & decernat auxilia, quæ per Scientiam mediam providit ſortitura, vel non ſortitura eventũ. Non poteſt itèm voluntas hominũ impedire voluntatem Omnipotentis, faciendo, ut pro ſtatu abſoluto non ponatur abſolutè actus, ſub aliquo auxilio abſolutè collato, ſub quo conditionatè præſuppoſito pro ſtatu conditionato prævisus eſt conditionatè futurus. Ex cujus actus abſolutè ponendi fine, tale auxilium confertur abſolutè. Non eſt verò taliter intelligendus S. Doctor, quòd voluntas DEI non ſit impedibilis indirectè per indirectam impeditionem Scientiæ mediæ, quâ DEUS dirigitur in ſuis decretis, circa actus liberos creaturarum, & dependenter à qua Scientia talia decreta formantur. Ratio ſic explicandi ſanctum Doctorem eſt: Tum ex eo: quia eo modo voluntas Omnipotentis impediri non poteſt à voluntate hominum, quatenus fruſtrari non poteſt effectus miſericordiæ DEI. Hic autem eatenus non poteſt fruſtrari è mente S. Doctoris, quatenus DEUS ità miſeretur, cui vult miſereri, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat, hoc eſt, quatenus ea ſeligit auxilia, quæ prævidit ſortitura eventum. Ergo. Tum quia S. Doctor Enchyr. cap. 100. explicans, quomodo voluntas Omnipotentis non impediatur à voluntate creata, dicit: *Eatenus non impediri voluntatem DEI, quatenus DEUS facit per voluntatem creaturæ impleri, quod ipſe voluit, bene utens & malis ad eorum damnationem, quos juſtè prædeſtinavit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinavit ad gratiam.* Quod ipſum fieri debet ex directione Scientiæ mediæ. Tum quia voluntas Omnipotentis non poteſt impediri à voluntate hominum, ſalva, & illæſa libertate eorundem. Voluntas autem prædefinitiva actûs, independens à Scientia media, eſt quidem inimpedibilis à voluntate hominum, ſed inimpedibilitate læſiva libertatis creatæ eorundem hominum.

113. Ad ſecundum Reſpondeo, negando Minorem. Primæ Probationis nego Antecedens, & dico: Per decretum concomitans tolli libertatem creatam. Tale enim decretum eſt nominetenus concomitans, re autem ipſa eſt antecedens. Tum quia ſi detur, debet eſſe applicativum Omnipotentiæ Divinæ, ejúſque determinativum, ut concurrat nonniſi ad actum prædefinitum. Applicatio verò Omnipotentiæ Divinæ ad agendum, debet eſſe antecedens. Quia debet ſe tenere ex parte actûs primi. Tum quia hoc decretum eſt impedimentum carentiæ actûs prædefiniti, inauferibile per actum ſecundum. Tale autem impedimentum, cùm ſit ſublativum alicujus requiſiti, conſtituentis actum primum proximum libertatis; nimirum cùm ſit ſublativum negationis impedimenti inauferibilis per actum ſecundum, quæ negatio eſt requiſitum, conſtituens actum primum proximum libertatis, habetur hinc, quòd etiam ipſum impedimentum debeat ſe tenere ex parte actûs primi, adeóque debeat eſſe antecedens. Quodſi verò decretum prædefinitivum independens à Scientia media eſt decretum antecedens, idem decretum lædit libertatem actûs primi. Omne enim, quod ſe tenet ex parte actûs primi, & infert infallibiliter actum ſecundum, eſtque inauferibile à voluntate creata, lædit libertatem creatam. Sed decretum prædefinitivum actûs ſalutaris, independens à Scientia media, eſt, & debet eſſe antecedens, ut probatum eſt; infert etiam infallibiliter actum ſalutarem prædefinitum, & eſt inauferibile per actum ſecundum. Ergo dictum decretum lædit libertatem creatam actûs primi. Lædit etiam libertatem actûs ſecundi. Tum quia actus ſecundus libertatis non poteſt haberi ſinè actu primo libertatis. Læſo igitur, & ſublato actu primo libertatis, neceſſe eſt tolli, & lædi etiam actum ſecundum. Tum quia etiamſi decretum prædefinitivum, independens à Scientia media, diceretur concomitans, nec læderet libertatem actûs primi, tamen hoc ipſum decretum tollit libertatem actûs ſecundi. Actus enim, qui ponitur à voluntate creata aliunde deter-

terminata, & non ex propria ejusdem voluntatis determinatione, non est, nec potest esse voluntati creatæ liber in actu secundo. Itèm actus infallibiliter futurus infallibilitate aliunde proveniente, & non ex suppositione consequente, non est liber in actu secundo. Sed admissô decretô prædefinitivo independente à Scientia media, actus salutaris prædefinitus ponitur à voluntate creata aliunde determinata, & non ex propria sui ipsius determinatione. Idem prætereà actus est metaphysicè infallibiliter futurus infallibilitate aliunde proveniente, & non ex suppositione consequente exercitium libertatis creatæ. Ergo actus prædefinitus dicta prædefinitione non est liber in actu secundo.

Secundæ Probationis transito Antecedente, nego Consequentiam. Disparitas est. Quia decretum determinativum individuationis actûs neque tollit libertatem ad hoc potiùs individuum actûs, quàm ad aliud. Hæc enim libertas nec fuit unquam in voluntate creata, nec debuit esse, idque propter defectum cognitionis discernentis individua inter se. Ergo per decretum determinativum individui non tollitur libertas. Neque idem decretum tollit libertatem ad hunc potiùs in specie actum, quàm ad alium. Cùm enim decretum illud sit determinativum solius individuationis, non potest libertatem tollere ad speciem actûs, quâ enim ratione illam tolleret. E contra decretum prædefinitivum, independens à Scientia media, tollit libertatem ad speciem actûs. Quia tollit aliquod constitutivum actûs primi proximi libertatis, cùm sit impedimentum carentiæ actûs inauferibile per actum secundum. Quia prætereà facit, ut actus tali decreto prædefinitus ponatur à voluntate creata aliunde determinata, non verò ex propria ejusdem determinatione; facit itèm, ut idem ipse actus sit infallibiliter futurus infallibilitate aliunde proveniente, & non ex suppositione consequente.

Tertia Probatio non evincit, debere dari Decretum Scotisticum prædefinitivum actûs, independens à Scientia media; sed si aliquid evinceret, ad summum evinceret decretum collativum auxilii indifferentis pro statu absoluto, debere esse independens à Scientia media. Porrò hoc decretum est distinctum à decreto prædefinitivo actûs. Tum quia decreta hæc sunt à se separabilia. Potuit enim dari in DEO decretum collativum auxilii A, absque eo, quòd in DEO fuisset decretum prædefinitivum actûs; si scilicet DEUS per Scientiam mediam non prævidisset sub auxilio A actum salutarem conditionatè futurum. Tum quia his decretis conveniunt prædicata contradictoria. Decreto enim collativo auxilii convenit hoc prædicatum, quòd sit necessariò requisitum ad operandum; decreto autem prædefinitivo actûs convenit, quòd non sit necessariò requisitum ad operandum. Si enim esset tale requisitum, sequeretur, quòd is, cujus non prædefiniretur actus, non haberet gratiam proximè sufficientem. Quia non haberet gratiam completam per omnia necessariò requisita ad operandum. Directè omisso Antecedente, nego Consequentiam. Probationis ulterioris distinguo Antecedens. Illud ipsum decretum (intellige collativum auxilii) idem tam intrinsecè, quàm extrinsecè præsupponitur conditionatè ad positionem conditionatam actûs salutaris, quod debet supponi absolutè ante positionem absolutam ejusdem actûs. Nego Antecedens. Idem ipsum decretum intrinsecè, non tamen idem extrinsecè debet esse pro statu absoluto, quod præsupponitur conditionatè pro statu conditionato. Concedo Antecedens, & dico: Decretum conditionatè præsuppositum ad conditionatam positionem actûs salutaris esse idem intrinsecè cum decreto absolutè præsupposito ad positionem absolutam ejusdem. Utrumque enim idem objectum respicit, eodémque modo in illud tendit pro suo statu. Non sunt tamen hæc decreta eadem extrinsecè; prius enim est independens à Scientia media, posterius autem dependet ab eadem. Si enim sub hoc auxilio absolutè omitteretur actus, sub quo est ponendus, decretum pro statu absoluto collativum hujus auxilii non haberet eam dependentiam à Scientia media, quam Scientiam DEUS nunc habet. Quia in tali suppositione neque esset hæc Scientia, quæ nunc est. Porrò decretum collativum auxilii, conditionatè præsuppositum ad positionem conditionatam actûs salutaris, non debet esse idem etiam ex-

extrinsecè cum decreto collativo auxilii, absolutè præsupposito ad absolutam positionem ejusdem actûs. Tum quia decretum conditionatum non debet dependere à Scientia media, cùm illam adhuc non supponat; potest autem ab eadem Scientia dependere decretum absolutum, cùm jam talem Scientiam supponat. Tum quia directio Scientiæ mediæ pro illo nonnisi statu debet haberi, pro quo exercetur Providentia Divina ordinans media idonea ad certos fines. Hæc autem exercetur pro statu absoluto, non exercetur verò, nec exerceri potest pro statu conditionato, præsertim ex parte hypothesis. Dici enim potest ex parte conditionati, quod ex hypothesi infertur, posse intelligi conditionatam directionem Scientiæ mediæ.

Ad Confirmationem dico: Dum Deus habet hanc Scientiam: si decrevero dare Petro auxilium A, Petrus convertetur, ex parte hypothesis venire decretum nullam adhuc dependentiam dicens à Scientia media; & hoc decretum est possibile. Nulla enim implicantia in eo ostendi potest. Non repugnat quoque libertati creatæ, cùm sit collativum auxilii indifferentis, nec ratione sui sit illativum infallibiliter conversionis. Hoc ipsum decretum pro statu absoluto, si non diceret dependentiam à Scientia media, repugnaret alicui perfectioni Divinæ, quatenus DEUS pro hoc statu non exerceret, nec posset exercere suam providentiam, & specialem in quosdam benevolentiam. nec posset misereri, cui vellet. Addo: etiamsi decretum conditionatum, secundùm quod venit ex parte hypothesis, non dicat ullam dependentiam à Scientia media, videtur tamen eam dicere ex parte illati conditionati, quatenus Scientia media sic est explicabilis: si decernerem Petro auxilium A, Petrus converteretur, deberémque ex fine volitæ conversionis conferre absolutè auxilium A, ex directione hujus ipsius Scientiæ. Vel si vellem efficaciter Petrum converti, decretum, quô decernerem ei dare auxilium, deberem formare ex directione Scientiæ mediæ, quâ prævideo sub tali auxilio futuram conditionatè conversionem Petri. Ratio est. Quia cùm ex parte hypothesis non habeatur adhuc prævisio futuræ conversionis Petri, adeóque nec Scientia media; ex parte hypothesis non potest intelligi directio Scientiæ mediæ, potest autem intelligi ex parte illati conditionati. Quia ex parte hujus, cùm intelligatur jam futura conditionatè conversio, habetur jam Scientia media, potéstque prævideri ejus directio.

Ad quartam Probationem dico: Seriem, & categoriam Actuum Divinorum, conformiter ad doctrinam subtilis Scholæ, non posse esse talem, qualis in objectione statuitur. Tum quia secundùm talem seriem facta prædefinitio actûs salutaris, non est se ipsa efficax; quam tamen efficacem ex se volunt esse Scotistæ, non tam enim ipsa infert infallibiliter actum, quàm potiùs infertur infallibiliter ab actu. Non est itèm independens à voluntate creata, ejúsque determinatione. Licèt enim à tali determinatione non dependeat mediante directione Scientiæ mediæ, dependet tamen mediante directione Scientiæ visionis. Non est prætereà prædefinitio per talem seriem explicata decretum concomitans, sed est decretum consequens. Consequitur enim Scientiam visionis, & hac mediante consequitur determinationem voluntatis creatæ. Tum quia talis series DEUM dedecet, & præjudicat perfectioni Divinæ. Imprimis enim DEUS per Scientiam simplicis Intelligentiæ non habet sufficientem directionem, ex vi cujus modo ipsum decente, possit formare decretum collativum auxilii, quod dicitur habere in secundo signo. Etiamsi enim per hanc Scientiam DEUS sciat, & intelligat, quid fieri possit à creatura, si tale vel tale auxilium illi conferat, non scit tamen, quid fiet, & quid futurum est, sed hoc deberet cognoscere per Scientiam mediam, præconsulta per illam voluntate creata; adeóque dum ex directione solius Scientiæ simplicis Intelligentiæ decernit DEUS dare certum auxilium, decernit illud modo imperfecto. Quia incertus, & inscius, quem eventum sortietur auxilium à se conferendum. Cùm tamen DEUS effectuum non liberorum comprincipia decernat cum certa notitia, quem effectum talia principia sint habitura. Deinde series hæc est præjudiciosa Providentiæ Divinæ, facit enim, ut DEUS non possit in aliquos exercere specialem benevolentiam, ut non habe-

at potentissimam inclinandorum, quò vult, cordium humanorum potestatem, ut non possit misereri, cui vult misereri. Siquidem hanc benevolentiam debet exercere, & effectus suæ misericordiæ præstare, unumquemque sic vocando, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, quod ipsum scit per Scientiam mediam.

Proponuntur Objectiones contra Concl. num. 106.

114. Objicitur primò. Si Prædefinitio actûs salutaris independens à Scientia media in essendo, dependens in operando, seu quoad selectionem auxilii, ex aliqua ratione repugnaret, ex hac potissimùm ratione repugnaret; quia læderet libertatem creatam, quam inferre supponitur. Sed non lædit ejusmodi libertatem. Ergo. Minor probatur. Tum quia etiamsi prædefinitio Scotistica tam in essendo, quàm in operando independens à Scientia media, lædat libertatem creatam, tamen illam non lædit prædefinitio independens in essendo, dependens in operando, seu in seligendo auxilio efficaci à Scientia media, idque ex eo illa lædit, hæc non lædit; quia si prædefinitio actûs salutaris sit independens tam in essendo, quàm in operando, actus salutaris est infallibiliter futurus infallibilitate antecedente, si verò sit dependens à Scientia media in operando, actus prædefinitus est infallibiliter futurus ex suppositione consequente. Quia est infallibiliter futurus ex suppositione auxilii prævisi per Scientiam mediam futuri efficacis, quæ suppositio, & infallibilitas est consequens. Ergo. Tum quia causa remota, & mediata actûs, præparans auxilia indifferentia, adhibénsque causas proximas in actu primo indifferentes, & requisita ex parte actûs primi, pariter indifferentia, seu causa, quæ in tantùm nonnisi causat actum salutarem, in quantùm causat, & præparat actum primum proximum libertatis; talis, inquam, causa non lædit libertatem, aliàs DEUS per hoc, quòd hominem velit esse liberum, eúmque instruat omnibus principiis, & requisitis indifferentibus, esset causa sublativa libertatis creatæ. Sed prædefinitio independens in existendo, dependens in operando à Scientia media, est causa remota, & mediata actûs salutaris, in tantùm eundem causans, in quantum præparat auxilia indifferentia, omniáque comprincipia, & requisita complentia actum primum proximum, pariter indifferentia. Talia enim auxilia, omniáque comprincipia, & requisita præparat, illáque ad operandum applicat per decretum selectivum auxilii, dependens à Scientia media. Ergo. Confirmatur primò. Actus salutaris quoad suam libertatem sequitur conditionem causæ proximæ, non verò causæ remotæ, universaliter enim effectus quoad contingentiam sequitur conditionem causæ proximæ, & non remotæ. Et sic planta, quoad contingentiam, sequitur conditionem seminis, in existendo contingentis, quod semen est causa proxima plantæ, non verò sequitur conditionem solis, qui est causa remota plantæ, & est causa necessariò quodammodo præsupposita, & existens. Ergo. Confirmatur secundò. Implicat actum voluntatis procedere à voluntate creata in actu primo proximo indifferente, & tamen talem actum non esse liberum. Cùm actus liber per hoc definiatur, quòd procedat à potentia libera in actu primo proximo indifferente ad actum. Sed admissa, & supposita prædefinitione actûs, in operando nonnisi dependente à Scientia media, actus prædefinitus procedit à voluntate in actu primo proximo indifferente. Ex parte enim actûs primi proximi nullum principium est determinatum. Quodsi prædefinitio est determinata ad actum, hæc non tenet se ex parte actûs primi proximi, sed spectat ad actum remotum. Ergo. Tum quia eô ipso, quòd prædefinitio sit dependens in operando à Scientia media, actus salutaris pro statu absoluto sequitur conditionem sui ipsius, quam habet pro statu conditionato. Idem enim est actus pro statu absoluto, qui fuit pro statu conditionato. Ergo cùm pro statu conditionato actus salutaris fuerit liber, etiam pro statu absoluto erit liber. Tum quia dicta prædefinitio in tantùm læderet libertatem creatam, in quantùm inferret causam aliquam immediatam determinativam voluntatis creatæ ad actum salutarem. Sed non infert ullam talem causam. Cùm potiùs omnes causas proximas, & immediatas præparet indifferentes. Ergo. Tum

quia etiamsi prædefinitio dicta connectatur cum actu salutari, non connectitur tamen independenter ab actu primo proximo libertatis, sed potiùs taliter connectitur, ut actum salutarem causet mediis auxiliis, & principiis indifferentibus. Ergo non tollit libertatem talis actus. Tum quia prædefinitio per hoc, quòd impediat carentiam actûs salutaris, non lædit libertatem talis actus. Etiamsi enim, quod impedit ipsum actum salutarem, est sublativum libertatis ad actum, tamen id, quod impedit carentiam actûs, non est sublativum libertatis ad actum, si præcipuè hujusmodi impeditivum non veniat ex parte causæ proximæ, sed sit causa remota actûs. Sed prædefinitio dicta non impedit ipsum actum salutarem, solúmque impedit carentiam actûs, idque impedit ùt causa remota actûs, non verò ùt causa proxima. Ergo.

115. Objicitur secundò. Dum Deus prædefinit actum salutarem, hæc intervenit series actuum Divinorum: In primo signo per Scientiam simplicis Intelligentiæ agnoscit hanc veritatem: quòd per auxilia indifferentia possit movere cor hominis ad actus salutares, ad quos voluerit; cognoscit itèm per eandem Scientiam auxilia indifferentia possibilia, per quæ movere potest. In secundo signo habitâ tali Scientiâ decernit: Volo, ut Petrus liberè convertatur, habeátque potentiam proximam liberam se convertendi, vel non convertendi, & ideò volo illi dare tale auxilium, cum quo per Scientiam mediam videro illum convertendum. In tertio signo per Scientiam mediam videt DEUS Petrum sub auxilio A convertendum. In quarto signo seligit DEUS dictum auxilium A, decernítque illud conferre Petro. Atqui hæc series nullam in DEUM invehit imperfectionem, nullámque infert læsionem libertatis creatæ; & si talis actuum Divinorum series dari intelligatur, prædefinitio actûs secundùm se est independens à Scientia media, est verò ab eadem dependens selectio auxilii. Ergo.

116. Objicitur tertiò. Si non deberet admitti decretum prædefinitivum ità secundùm se independens à Scientia media, ut ab eadem deberet dependere selectio auxilii, non deberet admitti ex eo, quia si non esset læsivum libertatis creatæ, certè esset frustrabile, & fallibile. Sed non sequitur tale decretum esse frustrabile. Ergo. Minor probatur. Etiamsi decretum prædefinitivum actûs, de quo agitur, in quantùm esset absolutum, & determinatum, deberet esse frustrabile, & libertatis creatæ læsivum, tamen decretum prædefinitivum, quod esset conditionatum sic explicabile: Prædefinio conversionem Petri, si per Scientiam mediam prævidero eundem Petrum sub aliquo auxilio convertendum; hoc, inquam, decretum neque est frustrabile, neque læsivum libertatis creatæ, neque præjudicat ulli perfectioni Divinæ. Similiter decretum prædefinitivum æquivalenter disjunctivum sic explicabile: Prædefinio conversionem Petri ponendam, vel ex vi auxilii indifferentis, si aliquod fore congruum, & efficax prævidero, vel vi auxilii prædeterminativi, si nullum futurum efficax prævidero. Hoc, inquam, decretum neque est frustrabile, neque læsivum libertatis creatæ, nec præjudiciosum ulli perfectioni Divinæ. Ergo.

Solvuntur Objectiones contra Concl. num. 106.

117. Respondeo ad primum negando Minorem. Primæ Probationis nego Antecedens, & dico: Tam Prædefinitionem Scotisticam à Scientia media independentem, sive in essendo, sive in operando, quàm etiam prædefinitionem ab eadem Scientia independentem in essendo, dependentem in operando lædere libertatem creatam, ùt patet ex rationibus pro utraque Conclusione allatis. Ad ulteriorem Probationem dico: Quòd etiam actus voluntatis creatæ prædefinitus prædefinitione in essendo independente à Scientia media, dependente in operando, sit infallibiliter futurus infallibilitate antecedente, non consequente. Quia est infallibiliter futurus ex suppositione prædefinitionis, quæ suppositio est antecedens, & infallibiliter inferens actum. Nec suppositio prævisionis per Scientiam mediam, quòd auxilium est futurum efficax, & selectio auxilii efficacis dependens à Scientia media facit, ut pro statu absoluto actus sit infallibiliter futurus ex suppositione consequente. Cùm pro hoc statu ab aliis principiis dependeat actus, ab ali-

aliis verò dependeat pro statu conditionato. Pro statu enim conditionato dependet à principiis in actu primo proximo indifferentibus. Pro statu verò absoluto dependet à principiis determinatis, determinatis, inquam, per prædefinitionem ex se efficacem.

Secundam Probationem distinguo: Causa remota, & mediata actûs, præparans causas proximas indifferentes, &c. dum ipsa non infert infallibiliter actum, non lædit libertatem actûs creati. Concedo Majorem. Causa remota, & mediata præparans causas proximas indifferentes, si ipsa ratione sui inferat infallibiliter actum, non lædit libertatem actûs creati. Nego Majorem. Simili modo distincta Minore, nego Consequentiam, & dico: Quòd causa remota, & mediata, quæ ratione sui est efficax, & infert infallibiliter actum, etiamsi præparet causas proximas indifferentes, quòd, inquam, talis causa lædat libertatem creatam, quam tunc nonnisi non lædit, dum ita præparat causas proximas indifferentes, ut ipsa ratione sui non sit efficax, nec ratione sui inferat infallibiliter actum. Hinc etiam DEUS causando libertatem creatam, eámque principiis, & requisitis indifferentibus complendo; in tantùm eandem libertatem non lædit, quòd ratione sui non inferat ullum determinatè actum voluntatis creatæ. Porrò prædefinitio, de qua agitur, est causa præparans causas proximas indifferentes, talis, quæ ratione sui infert infallibiliter actum determinatum voluntatis creatæ, siquidem ratione sui dicitur esse efficax, quæ ejus efficacia consistit in infallibilitate inferendi actum. Potest etiam omissa Majore negari simpliciter Minor. Cùm enim Prædefinitio dicta ratione sui inferat infallibiliter actum, non potest præparare auxilia, & causas proximas indifferentes, sed potiùs præparat causas proximas determinatas. Omnes enim illas causas ex indifferentibus reddit se ipsa formaliter determinatas ad unum. Quia hæc est ratio, & natura principii præsuppositi ad actum, inferentis se ipso infallibiliter actum, ut causas proximas ex se indifferentes ad actum reddat formaliter determinatas ad actum. Ad Confirmationem primam dico: Actus sequitur conditionem causæ proximæ, non remotæ, si per causam remotam non immutetur conditio causæ proximæ. Secùs si mutetur. Porrò per Prædefinitionem se ipsa efficacem mutatur conditio causæ proximæ. Hæc enim posita prædefinitione efficaci non est, nec potest esse indifferens, sed per talem prædefinitionem redditur formaliter determinata ad unum. Secundæ Confirmationis nego Minorem. Actus enim primus proximus causæ sub prædefinitione ex se efficaci non potest esse indifferens, sed est determinatus ad unum. Addo: quòd prædefinitio se ipsa efficax, etiamsi in ratione causæ sit remota, & mediata, non est tamen remota, & mediata in ratione principii infallibiliter inferentis actum, sed in hac ratione est proxima, & immediata. Quia non aliquo mediante, seu non per aliquid aliud à se distinctum, sed per se ipsam immediatè infert infallibiliter actum salutarem prædefinitum.

Tertiæ Probationis nego Antecedens. Itèm nego simpliciter ulteriorem Probationem. Actus enim ab aliis principiis dependet pro statu absoluto supposita prædefinitione, contra quam agitur, & non ab iis, à quibus dependere pro statu conditionato est prævisus. Nimirum pro statu absoluto dependet à principiis determinatis ad unum, pro statu conditionato dependet, vel supponitur dependere ab omnibus principiis in actu primo proximo indifferentibus. Talis verò actus non potest esse unus, idémque pro utroque hoc statu. Porrò supposita prædefinitione de se efficaci, de qua agitur, actus salutaris pro statu conditionato dependet ab omnibus principiis proximis indifferentibus. Cùm pro hoc statu non intelligatur prædefinitio ex parte causæ; quæ si etiam pro illo statu intelligeretur, etiam pro hoc statu actus salutaris non dependeret à causis proximis indifferentibus, nec ab actu primo proximo adæquatè sumpto indifferente. Pro statu verò absoluto, pro quo jam habetur, & supponitur prædefinitio ex se efficax, actus, qui dicitur salutaris, dependet à principiis proximis, per prædefinitionem efficacem determinatis ad unum. Quare dictus actus salutaris pro utroque hoc statu non est unus, idémque. Eadem ulterior Probatio potest sic distingui: Idem est actus pro statu absoluto, qui fuit conditionatè fu-

futurus; idem, inquam tam intrinsecè, quàm extrinsecè. Nego. Idem est intrinsecè, sed non extrinsecè. Concedo. Siquidem pro statu conditionato non habet ullum principium sui infallibiliter illativum, habet verò tale principium pro statu absoluto. Adeóque licèt hic actus pro statu conditionato fuerit liber, pro statu tamen absoluto non potest esse liber.

Quartæ Probationis nego Causalem Majoris, & dico: quòd prædefinitio asserta in tantùm potiùs lædat libertatem, in quantùm se ipsa infert infallibiliter actum salutarem infallibilitate antecedente. Potest etiam transita Majore negari Minor, potéstque dici: quòd prædefinitio, qualis adstruitur, præparet omnes causas proximas determinatas ad unum. Licèt enim omnes illæ causæ proximæ secundùm se sint indifferentes, tamen prout conjunctæ prædefinitioni efficaci, sunt determinatæ ad actum salutarem. Cùm ipsa prædefinitio ratione suæ efficaciæ antecedentis, quâ infert infallibiliter actum, causas proximas actûs, reddat formaliter determinatas ad actum. Quia facit, ut illis prout conjunctis cum prædefinitione sit impossibilis carentia actûs, nec sit in potestate voluntatis creatæ prout completæ per causas proximas, à prædefinitione se ipsa efficaci prædefinitum, ponere, vel non ponere actum, sed sit essentialiter necessitata ad ponendum actum.

Quintæ Probationis omisso Antecedente, quod simpliciter falsum, & negabile est; potiùs enim prædefinitio coñectitur cum actu dependente ab actu primo, determinato ad unum, seu ità connectitur, ut illum causet mediis auxiliis, & principiis per illam ipsam determinatis, nec ampliùs indifferentibus. Omisso, inquam, antecedente, nego Consequentiam, & dico: Prædefinitionem connexam cum actu salutari causativam ejusdem mediis auxiliis, & causis secundùm se indifferentibus tollere libertatem actûs. Tum quia infert unam determinatè oppositionis partem, nimirum actum salutarem, idque infert infallibiliter, & inimpedibiliter à voluntate creata, cùm talis prædefinitio secundùm se sit independens à Scientia media. Tum quia prædefinitio taliter connexa ponit impedimentum carentiæ actûs, tollitque negationem talis impedimenti, quatenus ipsa prædefinitio est tale impedimentum, illúdque inauferibile per actum secundum. Siquidem cum prædefinitione inimpedibili à voluntate creata non potest poni carentia actûs. Ergo tollit aliquod constitutivum actûs primi proximi libertatis. Hic enim constituitur negatione impedimentorum tam actûs, quàm ipsius carentiæ actûs, inauferibilium per actum secundum. Adeóque tollit & ipsum actum proximum libertatis.

Sextæ Probationis nego Antecedens. Ad ulteriorem Probationem dico: Quòd non solùm impeditivum actûs, sed etiam impeditivum carentiæ actûs, si antecedens sit, sit sublativum libertatis creatæ. Quod enim est sublativum indifferentiæ voluntatis creatæ in actu primo proximo, ad ponendum, vel non ponendum actum, illud est sublativum actûs primi proximi libertatis. Cùm libertas actûs primi proximi sit ipsa indifferentia potentiæ volitivæ in actu primo proximo ad ponendum, vel non ponendum actum. Atqui non solùm impeditivum actûs, verùm etiam impeditivum carentiæ actûs tollit indifferentiam ad ponendum, vel non ponendum actum. Indifferentia enim hæc non potest stare cum impossibilitate sive actûs, sive carentiæ actûs, sed possibilitatem utriusque supponit, vel infert. Dum verò est impedimentum alterutrius, est impossibilitas vel ipsius actûs, vel carentiæ actûs. Siquidem impossibile est, hæc cum suis impedimentis componi, nimirum est impossibile actum componi cum impedimento essentiali actûs. Pariter est impossibile componi carentiam actûs cum impedimento talis carentiæ. Ad illud, quod additur: Si præcipuè impeditivum carentiæ actûs non veniat ex parte causæ proximæ, sed sit causa remota actûs, quid debeat dici, patet ex Responsione ad secundam Probationem. Hic insuper addo: Impeditivum carentiæ actûs tenere se ex parte causæ proximæ, & non præcisè esse causam remotam. Tum quia hujusmodi impeditivum ratione sui immediatè infert infallibiliter positionem actûs, & ratione sui cum ea connectitur, causámque proximam ratione sui determinat ad actum, & reddit illam formaliter ex indifferente determinatam, ità ut causa proxima hoc, quòd sit in actu primo proximo determinata ad actum, non ha-

beat aliunde, nisi ab impeditivo carentiæ actûs. Ergo dictum impeditivum carentiæ actûs tenet se ex parte causæ proximæ, & ex parte actûs primi proximi. Tum quia negatio impedimenti impedientis sive ipsum actum, sive carentiam actûs, constituit actum primum proximum libertatis. Cùm hoc solô ablatô non habeatur hujusmodi actus primus proximus. Ergo impedimentum actûs, vel carentiæ actûs tenet se ex parte actûs primi proximi determinati ad unum, cùm ratione hujus solius, causæ proximæ secundùm se indifferentes reddantur causæ determinatæ ad actum, & sint actus primus proximus determinatus ad unum. Et è contra hoc solô impedimentô ablatô causæ eædem non sunt determinatæ. Ergo idem impedimentum tenet se ex parte actûs primi proximi, & non est præcisè causa remota.

118. Ad secundum Respondeo: Prædefinitionem à Scientia media independentem in essendo, dependentem in operando, non posse fieri eo modo, ut talis actuum Divinorum series interveniat, qualis in secunda Objectione asseritur. Primò ex eo: Quia ante decretum Divinum, quod in signo secundo ponitur, non supponitur Scientia sufficiens ad directionem voluntatis Divinæ. Ut enim hæc voluntas aliqua decreta formet circa actus creaturæ liberos, directio non potest esse sufficiens, nisi per duplicem Scientiam, nimirum per Scientiam simplicis Intelligentiæ, & per Scientiam mediam, per quarum primam DEUS cognoscat, quid creatura libera possit facere, & ad ejus actum bonum liberum, quæ auxilia possint esse sufficientia; per alteram cognoscat, quæ auxilia respectu voluntatis creatæ hujus determinatè sint futura efficacia, quæ inefficacia? Quia universaliter DEUS ante decretum, quô decernit effectum creaturæ, non solùm debet scire, quid creatura prout completa per principia, & requisita ad positionem effectûs; quid, inquam, possit facere, sed etiam quid factura sit? ùt de actibus creaturæ necessariis, certum est apud omnes. Secundò: Quia decretum prædefinitivum actûs, quale in secundo signo ponitur, sibi ipsi contradicit, suúmque, quod vult objectum, tollit, ac destruit. Vult enim, ut liberè convertatur DEUS, quia verò vult efficaciter voluntate infallibiliter illativa conversionis independente à Scientia media; adeóque inimpedibili à voluntate creata Petri, facit per hoc ipsũ, ut non liberè convertatur Petrus; adeóque destruit suum objectum. Idem decretum vult, ut Petrus habeat potentiam proximam liberè se convertendi, & tamen non indifferentem in actu primo proximo, sed determinatam ad unum. Vult itèm, potentiam proximam esse liberam sinè sui constitutivo, quia sinè negatione impedimenti carentiæ actûs, sed potiùs cum impedimento talis carentiæ. Certè si Princeps aliquis terrenus cuipiam communitati sibi subjectæ dicat: volo, ut hunc determinatè v.g. Petrum, & non alium liberè, ídque plena libertate eligatis in Præsidem civitatis N. eámque electionem quàmprimùm perficiatis juxta mentem meam, in quem finem, quantùm in me est, volo vos habere omnia præsidia, principia, & requisita indifferentia, ad hoc ipsum conducentia. Talis Princeps hujusmodi volitione nónne contradicere sibi censebitur? Nónne itèm libertas hujusmodi eligentium ridicula existimabitur? Tantò magìs DEUS, cujus decreta majoris longè sunt efficaciæ, suntque infrustrabilia, & infallibilia, si dicat: volo, ut Petrus liberè ponat suam nonnisi conversionem, & non alium actum, nec conversionis omissionem, eandémque conversionem prædefinio, ad quam ipsam ponendam præparo eidem Petro auxilia, & omnia principia in actu primo indifferentia, ac eidem conferenda decerno. Tali suo decreto censendus est sibi contradicere, libertásque conversionis Petri videtur esse risu digna. Tertiò: Quia Scientia media, quâ Deus videt Petrum sub auxilio A, convertendum, dicitur esse in tertio signo. Quæ tamen Scientia non est, nec potest esse Scientia media. Hæc enim debet esse circa objectum creaturæ liberum; conversio verò Petri sub auxilio A, in tertio signo non potest intelligi libera Petro. Quia non potest intelligi libera sub prædefinitione ex se efficaci, sub qua deberet intelligi in tertio signo. Debet enim intelligi talis, qualis est in signo antecedente, nimirum in signo secundo, in quo intelligitur esse prædefinitio. Potest quidem Petrus intelligi in tertio signo

gno convertendus, ſed non poteſt intelligi liberè convertendus. Cùm debeat intelligi convertendus infallibiliter infallibilitate antecedente, & non evitabili Petro. Quartò: Quia ſuppoſita hac ſerie, & coordinatione actuum Divinorum, DEUS in quarto ſigno dicitur ſeligere, & decernere auxilia quædam indifferentia, cùm tamen ſuppoſita in ſecundo ſigno prædefinitione nullus ampliùs ſit locus ſelectioni. Per hanc enim ſelectionem deberent in finem prædefinitionis intentum ſeligi auxilia efficacia relictis inefficacibus, cùm tamen ſuppoſita prædefinitione omnia auxilia debeant eſſe efficacia. Ex his patet, quæ imperfectiones in DEUM invehantur, ſi actuum Divinorum ſeries, quæ in Objectione proponitur, admittatur. Quòd itèm lædatur libertas actûs prædefiniti per prædefinitionem tali ſerie explicatam.

119. Ad tertium Reſpondeo negando Minorem. Ad Probationem ulteriorem dico: Decretum prædefinitivum non ſolùm abſolutum, ſed etiam conditionatum independens in eſſendo à Scientia media, eſſe fruſtrabile. Quia fruſtratur per hoc, quòd velit actum liberum creaturæ, quem tamen non obtinet, cùm ejus libertatem deſtruat. Eſt præterea tale decretum ratione ſui inefficax. Cùm ejus efficacia pendeat ab impletione conditionis, eáque non DEO, ſed creaturæ libera, & inſuper habet modum imperfectum decernendi, decernit enim conditionatè effectum, qui poteſt decerni abſolutè; decernit ante prævisam depurationem conditionis. Cùm tamen poſt hanc decerni poſſit, imò iterum decerni, & prædefiniri debeat, ut prædefinitio ſit efficax, nec læſiva libertatis. Idem decretum prædefinitivum non poteſt eſſe disjunctivum, tum propter adductas immediatè rationes, tum quia decretum disjunctivum, prout in Objectione explicatur, æquivalet decreto ſic explicabili: Prædefinio converſionem Petri, vel quæ ſit libera, vel quæ non ſit libera Petro, qualis prædefinitio clarè, & expresſè lædit libertatem creatam.

§. III

An Prædefinitio in eſſendo dependens à Scientia media ſuppoſitâ tali ſuâ dependentiâ poſſit eſſe antecedens, & ratione ſui intrinſecè efficax?

Cùm Prædefinitio actuum ſalutarium detur, ùt deciſum eſt § 1. nec ſit in eſſendo independens à Scientia media, non aliud reſtare videtur, quàm id, quòd ſit, debeátque eſſe dependens in eſſendo ab eadem Scientia. Verùm ſupereſt adhuc difficultas reſolvenda: An ſuppoſitâ dependentiâ in eſſendo prædefinitionis à Scientia media, dicta prædefinitio ſit antecedens, & ſe ipſa infallibiliter inferens actum ſalutarem. Plures Theologi, qui docent prædefinitionem eſſe dependentem à Scientia media; volunt eandem eſſe antecedentem, quatenus dicunt ipſam eſſe cauſam remotam, & mediatam actûs ſalutaris: volunt itèm, illam eſſe ex ſe efficacem, hoc eſt, ratione ſui infallibiliter illativam actûs, putántque, admiſſa cum talibus prædicatis prædefinitione, non lædi libertatem creatam. Sed hanc ſufficienter ſalvari per hoc, quòd talis prædefinitio ſit in eſſendo dependens à Scientia media, & ex ejus directione formetur.

120. Reſpondeo, & dico primò: Prædefinitionem in eſſendo dependentem à Scientia media, non poſſe eſſe ratione ſui ità antecedentem, ut ſimul ſit ratione ſui efficax, hoc eſt, infallibiliter infallibilitate antecedente ſibi adæquatè intrinſecâ, illativa actûs ſalutaris.

Probatur primò. Non ſolùm illa prædefinitio actuum ſalutarium admittenda non eſt, quæ lædit, & tollit omnem eorundem actuum libertatem, ſed etiam non eſt admittenda prædefinitio, quæ lædit eorundem actuum libertatem immediatam, licèt ſtet cum mediata libertate ipſorum. Siquidem actus noſtri ſalutares ſunt liberi non ſolùm mediatè, ſed etiam immediatè. Debent enim ratione ſui & immediatè eſſe meritorii, quales certè non ſunt, ſi non ſunt immediatè, & ratione ſui liberi. Sed Prædefinitio à Scientia media dependens in eſſendo, antecedens actum, eúmque ratione ſui infallibiliter inferens infallibilitate antecedente ſibi adæquatè intrinſeca, lædit libertatem immediatam actuum, qui prædefiniuntur. Ergo. Minor probatur Actus, qui non provenit à cauſa in actu

 pri-

primo proximo indifferente ad utrumlibet ex oppositis, sed provenit à causâ per aliquod principium determinata ad unum, quod principium est evitabile voluntati creatæ, est actus liber libertate solùm mediata. Sed actus sub prædefinitione explicata positus est actus, qui non provenit à voluntate in actu primo proximo indifferente ad utrumlibet, sed potiùs provenit à voluntate in actu primo proximo determinata ad unum, nimirum ad actum salutarem; determinata, inquam, per prædefinitionem antecedentem, & efficacem. Cùm impossibile sit posita hac prædefinitione non poni dictum actum; quamvis eadem prædefinitio sit evitabilis voluntati creatæ, quatenus impeditâ indirectè Scientiâ mediâ, à qua prædefinitio dependet, etiam hæc ipsa est impedibilis indirectè à voluntate creata. Ergo talis actus non est liber libertate immediata, sed ad summum est liber libertate mediata, consequenter dicta prædefinitio tollit libertatem actûs salutaris. Major immediati Argumenti probatur. Tum quia ad libertatem actûs immediatam, & propriè dictam requiritur, ut actus, qui est liber, dependeat à voluntate in actu primo proximo indifferente ad quamcunque oppositionis partem. Cùm per hoc ipsum definiatur actus propriè, & immediatè liber, quæ definitio libertatis non solùm admittitur ab omnibus Societatis Theologis, sed habetur pro basi, & fundamento impugnationum Prædeterminationis physicæ. Tum quia eatenus actus aliquis est liber, quatenus in actu primo est in potestate voluntatis creatæ, & sub facultate dominativa ejusdem, & in manu consilii, scilicet si actus secundùm se, & ratione sui est in potestate voluntatis, actus ille secundùm se, & ratione sui est liber, seu est liber immediatè. Si actus est in potestate dictæ voluntatis ratione alterius, v. g. ratione alicujus sui principii, idem actus est liber ratione alterius; adeóque est mediatè liber. Neque alia est differentia inter libertatem immediatam actûs, & inter libertatem mediatam, nisi ea, quæ hìc assignatur. Sed actus qui eatenus nonnisi est liber, quatenus aliquod principium infallibiliter connexum cum actu, est evitabile, & impedibile à voluntate creata; talis, inquam, actus secundùm se, & ratione sui non est in potestate voluntatis creatæ, sed solùm est in potestate dictæ voluntatis, ratione certi principii actûs, eundem infallibiliter inferentis, quatenus est in hujus potestate evitare, vel non evitare dictum principium. Ergo hujusmodi actus solùm est liber ratione alterius, consequenter solùm est liber mediatè. Tum quia non ob aliam rationem actus efficaciter imperatus ab alio actu, est solùm mediatè, & denominativè liber, nisi ob hanc, quòd sit à potentia in actu primo proximo determinata ad unum; determinata, inquam, per actum efficaciter imperantem, & quòd actus imperans, qui est causa actûs imperati, sit evitabilis voluntati creatæ.

121. Probatur secundò. Prædefinitio, quæ ità lædit libertatem actûs salutaris pro statu absoluto, & propriam hujus statûs, ut solùm relinquat libertatem statûs conditionati, & propriam eidem statui, admitti nec debet, nec potest. Sed prædefinitio à Scientia media dependens, antecedens actum, eúmque infallibiliter infallibilitate antecedente inferens, est talis, quæ lædit libertatem actûs salutaris pro statu absoluto, & propriam talis statûs, solúmque relinquit, & salvat libertatem statûs conditionati, & eidem statui propriam. Ergo. Major probatur. Quia si talis prædefinitio admitteretur, & admitti posset, actus nostri solùm essent liberi libertate propria statûs conditionati, & per denominationem à tali libertate. Iidem actus, cùm libertas sit fundamentum omnis meritorietatis, & præmiabilitatis, essent solùm meritorii, & præmiabiles ratione statûs sui conditionati, consequenter DEUS in actibus nostris unicè præmiaret absolutè ipsum esse conditionatum eorundem actuum; quod tamen repugnat fidei, quæ contra Semipelagianos docet, DEUM non præmiare actus nostros conditionatè futuros, seu actus, qui essent, si. Minor probatur. Tum quia pro illo statu actus est liber libertate propria talis statûs, pro quo statu dependet à voluntate in actu primo proximo indifferente, ponitúrque ab eadem voluntate non determinata aliunde, sed se ipsam determinante. Atqui admissa prædefinitione dependente à Scientia media se ipsa efficaci, actus prædefinitus pro statu absoluto non dependet à voluntate in actu primo proximo indifferente, & se

ſe ipſum determinante, nec aliunde determinata; potiùs enim pro hoc ſtatu actus ponitur à voluntate in actu primo proximo per prædefinitionem determinata; ſolúmque idem actus pro ſtatu conditionato intelligitur dependere à voluntate indifferente in actu primo proximo. In hoc enim ſtatu cùm ex parte actûs primi non intelligatur prædefinitio, non intelligitur in hoc ſtatu ullum determinativum, ſublativum indifferentiæ actûs primi proximi, quòd ipſum determinativum ſit ex parte actûs primi. Ergo admiſſa prædefinitione actus prædefinitus pro ſtatu abſoluto non eſt liber libertate propria hujus ſtatûs, ſed itâ hunc infallibiliter pro eodem ſtatu infert, ut actus dictus ad ſummum ſit liber libertate propria ſtatûs conditionati. Tum quia: quando prædefinitio explicata facit, ut nec ipſe actus ſalutaris pro ſtatu abſoluto ſit evitabilis voluntati creatæ, nec etiam pro eodem ſtatu ſit evitabilis voluntati eidem prædefinitio, ſed ſolùm eſt evitabilis pro ſtatu conditionato, tunc dicta prædefinitio lædit libertatem actûs ſalutaris pro ſtatu abſoluto, propriam talis ſtatûs, ſolámque relinquit libertatem ſtatûs conditionati. Lædit enim tam libertatem immediatam, abſolutam actûs ſalutaris, quàm libertatem abſolutam mediatam. Sed itâ eſt, quòd poſita prædefinitione explicata actus ſalutaris non ſit pro ſtatu abſoluto evitabilis voluntati creatæ, nec etiam pro eodem ſtatu abſoluto prædefinitio eſt evitabilis voluntati creatæ, cùm hæc à tali ſtatu nullatenus dependeat, ſed unicè dependeat à ſtatu conditionato mediante Scientia media, ſitque nonniſi evitabilis per evitabilitatem actûs pro ſtatu conditionato.

Confirmatur. DEUS non præmiat actus noſtros liberos bonos conditionatè futuros, ſed admiſſa prædefinitione aſſertâ DEUS præmiaret, ídque hos nonniſi actus noſtros bonos conditionatè futuros. Ergo non eſt admittenda talis prædefinitio. Minor probatur. DEUS non præmiat niſi actus illos bonos, qui ſunt in poteſtate voluntatis creatæ, ab illáque itâ ponuntur, ut fuerint illi evitabiles. Sed admiſſa prædefinitione aſſertâ, actus nonniſi conditionatè futuri ſunt in poteſtate voluntatis creatæ; actus enim abſolutè futuri, cùm fiant ex prædefinitione, non ſunt in poteſtate voluntatis creatæ. Quia hæc, data prædefinitione, non eſt ampliùs ad ipſos indifferens. Quodſi hi actus ſunt, & dicuntur eſſe in poteſtate voluntatis, non ſunt in poteſtate ratione ſui, ſed ratione ſuæ futuritionis conditionatæ, & ſecundùm eſſe, quod habent pro ſtatu conditionato. Unde ſequitur, quòd actus boni abſolutè futuri, non ratione eſſe ſui abſoluti, ſed ratione eſſe, quod habent pro ſtatu conditionato, ſint liberi, & præmiabiles.

122. Probatur tertiò. Si actus voluntatis creatæ ſub prædefinitione efficaci ponendus, eſſet liber, eſſet liber ex eo, quòd prædefinitio dependeat à Scientia media, ex ejúſque directione formetur. Sed hoc ſtante non eſt liber. Ergo. Minor probatur. Directio Scientiæ mediæ tunc confert ad ſalvandam libertatem, quando ex vi talis directionis, ultra principia, & requiſita tenentia ſe ex parte actûs primi proximi pro ſtatu conditionato, reſpectu actûs conditionatè futuri, nihil pro ſtatu abſoluto ponitur, quòd ſe ipſo inferat actum. Quodſi ponatur aliquid pro ſtatu abſoluto inferens actum, quod non intelligebatur pro ſtatu conditionato, directio Scientiæ mediæ eſt impertinens ad ſalvandam libertatem pro ſtatu abſoluto, nec illam ſalvat. Atqui admiſſa prædefinitione antecedente, & ex ſe, ſeu intrinſecè efficaci, dependente à Scientia media, actus ſalutaris non ab iiſdem omnino principiis dependet pro ſtatu abſoluto, à quibus dependebat pro ſtatu conditionato; verùm pro ſtatu abſoluto eſt aliquod principium ex parte actûs primi proximi, infallibiliter inferens actum, quod principium non intelligebatur pro ſtatu conditionato; nimirum pro ſtatu abſoluto eſt prædefinitio de ſe adæquatè efficax, & inferens infallibiliter actum, quæ prædefinitio non intelligitur eſſe pro ſtatu conditionato, imò eſſentialiter pro hoc ſtatu debet intelligi carentia, & negatio prædefinitionis, ut in hoc ſtatu ſit actus liber, & in poteſtate voluntatis creatæ poſitus. Ergo. Major probatur. Tum quia directio Scientiæ mediæ tunc nonniſi confert ad ſalvandam libertatem actûs pro ſtatu abſoluto, quando hoc præſtat, ut actus liber pro ſtatu abſoluto dependeat à voluntate in actu primo proximo indifferente ad ponendum, vel non po-

ponendum actum, quando itèm facit, ut actus ponatur ex determinatione voluntatis, quâ voluntas, non determinata aliunde, se ipsam determinat ex facultate dominativa, & electiva. Quia tunc directio Scientiæ salvat libertatem, quando facit, ut ponatur essentia libertatis; libertas enim salvari non potest sinè essentia libertatis. Porrò essentia libertatis actûs secundi est, actum dependere à voluntate in actu primo proximo indifferente. Esse itèm determinationem, quâ voluntas, aliunde non determinata, se ipsam determinat, eligendo unum ex oppositis, ídque ex potestate dominativa, & electiva, siquidem per esse talis actûs definitur libertas actûs. Atqui, quando ex directione Scientiæ mediæ ultra principia, & requisita indifferentia, à quibus pro statu conditionato intelligebatur dependere actus, pro statu absoluto superadditur aliquid se ipso inferens infallibiliter actum, actus salutaris non dependet à voluntate in actu primo proximo indifferente, nec voluntas, aliunde non determinata, per actum se ipsam determinat ex facultate electiva, & dominativa, sed potiùs actus dependet à voluntate in actu primo proximo determinata ad unum; determinata, inquam, per principium pro statu absoluto superadditum, inferens infallibiliter actum. Tali enim principio superaddito non est ampliùs voluntas indifferens, cùm sit illi impossibilis carentia actûs. Ergo. Tum quia ex directione Scientiæ mediæ ultra principia indifferentia pro statu conditionato præsupposita ad actum, superaddi in statu absoluto principium infallibiliter se ipso inferens actũ, est ex directione Scientiæ mediæ poni impedimentum carentiæ actûs. Ipsum enim illud principium est tale impedimentum. Cùm impossibile sit cum dicto principio componi carentiam actûs. Sed implicat, positô ex directione Scientiæ mediæ impedimentô carentiæ actûs salvari libertatem actûs. Quia implicat, hanc salvari per sui sublativum, & positô tali sublativô. Impedimentum verò carentiæ, actûs si hoc sit inauferibile per actum secundum, quale hic esse supponitur, est sublativum libertatis actûs. Quia est sublativum alicujus constitutivi dictæ libertatis, nimirum est sublativum negationis impedimenti carentiæ actûs, quæ negatio est constitutivum libertatis actûs. Ergo ex directione Scientiæ mediæ posito, & superaddito in statu absoluto principio se ipso infallibiliter inferente actum, implicat salvari libertatem actûs; adeóque directio Scientiæ mediæ non confert ad salvandam libertatem, si ex tali directione superaddatur in statu absoluto principium infallibiliter se ipso inferens actum. Tum quia principium, quod in statu absoluto independenter à Scientia media superadditum voluntati creatæ, tollit libertatem actûs, etiamsi hoc ipsum ex directione Scientiæ mediæ superaddatur eidem voluntati, tollit eandem libertatem. Et sic Prædeterminatio physica se ipsa inferens infallibiliter actum, non minùs tollit libertatem, si detur ex directione Scientiæ mediæ, atque illam tollit, dum datur independenter à tali directione. Gratia etiam ex se efficax necessitans ad actũ, perinde tollit libertatem, sive dicatur conferri independenter à directione Scienentiæ mediæ, sive intelligatur conferri ex directione ejusdem Scientiæ. Compedes etiam, & vincula Petro imposita, sicut tollunt libertatem, quò minùs Petrus liberè non currat, dum hæc injiciuntur independenter à Scientia media, ità tollunt eandem libertatem, si injiciantur ex directione Scientiæ mediæ de omissione cursûs sub principiis indifferentibus, & sic de cæteris omnibus. Et Ratio ulterior est: Quia directio Scientiæ mediæ addita principio ex se efficaci, & infallibiliter inferenti actum. Adeóque determinato ad actum, non mutat naturam, & essentiam dicti principii, nec facit ex determinato indifferens, ex efficaci, & infallibiliter inferente actum, non facit principium componibile cum carentia actûs. Licèt verò directio Scientiæ mediæ faciat, ut à voluntate creata sit evitabile principium efficax ex directione talis Scientiæ collatum, hinc tamen solùm habetur, quòd ratione talis evitabilitatis principii voluntas creata sit libera ad actum nonnisi mediatè, impropriè, & solùm pro statu conditionato, & per libertatem talis statûs, non facit verò dicta directio, ut voluntas creata pro statu absoluto sit libera immediatè, propriè, & libertate propria statûs absoluti. Sed principium se ipso infallibiliter inferens actũ, si detur independenter à directione Scien-

entiæ mediæ, tollit libertatem actûs, ùt volunt Oppoſiti. Ergo idem principium pro ſtatu abſoluto, voluntati creatæ ſuperadditum ex directione Scientiæ mediæ, tollit adhuc libertatem actûs propriè dictam, & propriam ſtatûs abſoluti; adeóque ſicut prædefinitio ſe ipſa efficax independens à Scientia media tollit libertatem, ùt cenſent Adverſarii; ità prædefinitio ſe ipſa efficax, formata ex directione Scientiæ mediæ, tollit libertatem.

123. Infero: quòd prædefinitio ſe ipſa efficax, quantumvis dependeat à directione Scientiæ mediæ, tollat libertatem actûs creati, non ſolùm in Sententia realiter adæquatè identificante DEO actus ejus liberos, eóſque virtualiter ſolùm, ſeu reſpectivè à DEO diſtinguente, ſed etiam in Sententia complente actus DEI liberos per aliquid contingens DEO extrinſecum. Tollit libertatem prædefinitio dicta in Sententia, actus DEI liberos adæquatè realiter DEO identificante, ùt patet ex rationibus præſenti §. adductis, quæ vel maximè, & principaliter impugnant dictam prædefinitionem, juxta hanc Sententiam explicatam. Tollit etiam libertatem creatam prædefinitio ſe ipſa efficax, prout completa per aliquid extrinſecum, quamvìs dependens à directione Scientiæ mediæ. Talis enim prædefinitio è mente ſuorum propugnatorum, per hoc dicitur efficax, & infallibiliter inferens actum, quòd ſuam efficaciam non deſumat ab ipſo actu libero creaturæ, eandem complente, ſed deſumat ab aliquo alio, quòd ſit diverſum ab exercitio libertatis creatæ, antecedente id ipſum exercitium, tanquam completivo actûs Dei liberi, ſicut in eſſe prædefinitionis hujus actûs ſalutaris, ità & in eſſe infallibiliter inferentis actum infallibilitate antecedente; ſed taliter completa prædefinitio tollit libertatem actûs creati. Eſt enim principium infallibiliter inferens actum prædefinitum, infallibilitate antecedente, & adæquatè diſtincta ab ipſo exercitio libertatis creatæ. Ergo.

124. Reſpondeo, & dico ſecundò: Prædefinitionem in eſſendo, dependentē à Scientia media, eſſe efficacem efficaciâ ſemiextrinſecâ actui Divino, eandémque in ratione efficacis, ſeu infallibiliter inferentis actum, compleri per auxilium indifferens, ſub præviſione actûs ſalutaris conditionatè futuri, collatum.

Probatur. Prædefinitio actûs ſalutaris taliter conſtitui, & explicari debet, quomodo explicata habeat hæc quatuor prædicata. Primò: Quòd ſit antecedens actum. Secundò: Quòd actum prædefinitum infallibiliter inferat. Tertiò: Quòd non ſit læſiva libertatis creatæ, quæ, & qualis actui ſalutari convenire debet. Quartò: Quòd nullam in DEUM invehat imperfectionem. Hæc enim prædicata tribuuntur communiter prædefinitioni, quamvìs aliqui Theologi exiſtiment, non eſſe neceſſe, ut prædefinitio ſit antecedens actum ſalutarem, ſed poſſe eſſe concomitantem, aut etiam conſequentem. Sed prædefinitio in ratione infallibiliter inferentis actum, completa per auxilium indifferens collatum creaturæ ſub præviſione actûs ſalutaris conditionatè futuri, habet quatuor illa prædicata. Ergo.

Minor probatur per partes Et imprimis probatur, quòd prædefinitio, prout hac Concluſione explicatur, ſit antecedens actum ſalutarem. Prædefinitio dicta antecedit actum ſalutarem prædefinitum tum ratione ipſius voluntatis Divinæ, DEO realiter adæquatè identificatæ, quæ non minùs eſt cauſa actûs ſalutaris, atque ipſe DEUS, & virtus ejus effectiva quorumvis effectuum creatorum eſt cauſa talis actûs. Tum etiam ratione auxilii indifferentis ad actum, quòd cùm ſit cauſa effectiva actûs ſalutaris, etiam prædefinitio tali auxilio completa eſt cauſa ejuſdem actûs; adeóque antecedit actum. Tum denique ratione futuritionis conditionatæ actûs ſalutaris ſub tali auxilio, quæ futuritio licèt non ſit ulla cauſa phyſica aut moralis reſpectu actûs ſalutaris abſoluti, antecedit tamen actum abſolutum prioritate Logica, quatenus eſſe conditionatum effectûs liberi, objectivè ſupponitur ante eſſe abſolutum ejuſdem, valétque illatio ab eſſe abſoluto, ad eſſe conditionatum, hoc v. g. modo: *Petrus ſub auxilio A, ſibi abſolutè collato, convertetur abſolutè. Ergo convertendus erat, ſi illi tale auxilium conferretur.* Ergo.

125. Eadem Minor primi Argumenti quoad ſecundam partem, nimirum quòd prædefinitio, prout hìc explicatur, ſit infal-

fallibiliter illativa actûs salutaris pro statu absoluto, probatur: Prædefinitio, prout explicatur, dicit auxilium absolutè collatum sub prævisione futuritionis conditionatæ actûs salutaris. Sed tale auxilium infert infallibiliter actum salutarem pro statu absoluto. Ergo. Minor probatur. Tum quia quando quæpiam præmissæ inferunt infallibiliter aliquam Conclusionem, etiam objectum præmissarum infert infallibiliter objectum Conclusionis. Sed auxilium absolutè collatum sub prævisione futurititionis conditionatæ actûs salutaris sub tali auxilio, est objectum præmissarum infallibiliter inferentium Conclusionem, ipse verò actus salutaris absolutè ponendus, est objectum conclusionis, quam illæ præmissæ inferunt, nimirum suppositô hoc syllogismô: *Si Petro collatum fuerit auxilium A, Petrus convertetur, Sed Petro conferendum est absolutè auxilium A. Ergo Petrus absolutè convertetur.* In quo syllogismo præmissæ inferunt infallibiliter conclusionem. Suppositô, inquam, hoc syllogismô, objectum præmissarum sunt: *Futuritio conditionata actûs salutaris sub auxilio A, & absoluta collatio auxilii A.* Quia futuritio conditionata actûs est objectum Majoris, jam verò absoluta collatio auxilii A, est objectum Minoris. Jam verò objectum Conclusionis est *conversio Petri absoluta*, hoc est, absolutè ponenda. Ergo futuritio conditionata conversionis sub auxilio A, & collatio absoluta auxilii A, inferunt infallibiliter conversionem Petri absolutè ponendam; adeóque infert illam auxilium absolutè collatum sub prævisione futuritionis conditionatæ actûs salutaris. Tum quia ex veritate objectiva propositionis conditionalis, & depuratione conditionis, seu absoluta adimpletione conditionis, infertur absoluta positio conditionati. Sed hoc fit, dum auxilium absolutè confertur, sub quo conditionatè futurus erat actus salutaris, v. g. conversio Petri. Per collationem enim absolutam auxilii habetur *depuratio, & adimpletio conditionis.* Ratione verò futuritionis conditionatæ conversionis Petri sub auxilio A, & ratione Scientiæ mediæ, hanc repræsentantis, habetur veritas conditionalis propositionis: *Si Petro dedero auxilium A, Petrus convertetur.* Ergo ex collatione absoluta auxilii A, & futuritione conditionata conversionis sub tali auxilio, rectè, & infallibiliter infertur absoluta positio conversionis Petri; adeóque hæc infallibiliter infertur ex decreto DEI, completo per auxilium A, absolutè collatum sub prævisione conditionatè futuræ conversionis, sub tali auxilio.

126. Tertia pars Minoris, nimirum quòd taliter explicata prædefinitio non tollat libertatem creatam, probatur. Tum quia prædefinitio dicta in tantùm læderet libertatem, in quantùm esset causa actûs infallibiliter inferens eundem, & inevitabilis voluntati creatæ. Sed in tantùm non lædit. Sicut enim gratia efficax in Sententia, quæ docet, efficaciam gratiæ esse semiextrinsecam entitati auxilii efficacis, sicut, inquam, hæc gratia ùt efficax, non est causa actûs salutaris inferens infallibiliter actum, inevitabilis voluntati creatæ; ità prædefinitio, quæ similiter explicatur, non est causa actûs salutaris infallibiliter inferens actum, inevitabilis voluntati creatæ, siquidem secundùm quod est causa, non est infallibiliter connexa, sed est infallibiliter connexa secundùm complexum ex causa absolutè posita, & ex esse conditionato actûs, quod complexum totaliter, & adæquatè sumptum, non est causa actûs salutaris. Est præstereà talis prædefinitio evitabilis voluntati creatæ, tum propter dependentiam à Scientia media, tum quòd in ratione efficacis constituatur per esse conditionatum actûs. Multò magis actus ipse ex vi prædefinitionis absolutè futurus, est evitabilis eidem voluntati. Cùm ex parte actûs primi nullum supponat principium, aut requisitum inferens infallibiliter actum. Tum quia prædicta prædefinitio neque tollit libertatem immediatam actûs, neque tollit libertatem absolutam, seu propriam statûs absoluti. Non tollit libertatem immediatam. In tantùm enim hanc tolleret, in quantùm actus absolutè futurus inferretur infallibiliter ex prædefinitione, sed in tantùm non tollitur. Licèt enim actus inferatur ex prædefinitione, non infertur tamen ex illa, secundùm quod prædefinitio est causa, vel principium actûs, aut aliquid adæquatè distinctum ab actu. Quia ex hoc prædicato, suíque constitutivo, non habet vim inferendi actum, sed eam vim in-

inferendi habet ex ſuppoſitione conſequente, ſeu ex ſuppoſitione actûs. Quia ex ſuppoſitione futuritionis conditionatæ actus, quâ in eſſe infallibiliter inferentis actum, conſtituitur, & prædefinitio completur. Porrò ſuppoſitio conſequens non tollit libertatem actûs; actum enim eſſe infallibiliter futurum, quia eſt futurus, non tollit libertatem, ſed ſupponit, & formaliter dicit, eámque immediatam. Non tollit etiam prædefinitio explicata libertatem abſolutam actûs, & propriam ſtatûs abſoluti. Quia ex parte actûs primi pro hoc ſtatu nullum eſt principium infallibiliter inferens actum, nullúmque ex parte actûs primi determinativum actûs, faciens, ut voluntas aliunde, & non à ſe ipſa determinata ponat actum. Licèt enim dicatur voluntas eſſe determinata per eſſe conditionatum actûs, tamen eam ſic eſſe determinatam, non eſt ipſam eſſe determinatam aliunde, & non à ſe ipſa. Quia eſt illam eſſe determinatam per actum ex propria determinatione poſitum in ſtatu conditionato. Nullum etiam eſt pro ſtatu abſoluto ex parte actûs primi impeditivum carentiæ actûs, inauferibile per actum ſecundum. Tale enim impeditivum deberet eſſe futuritio conditionata, quæ cùm ſit actus ſecundus, non eſt impeditivum carentiæ actûs tenens ſe ex parte actûs primi, & inſuper eſt impedimentum auferibile per actum ſecundum oppoſitum, in quantùm potuit, non actus ſalutaris, ſed ejus carentia poni. Ergo.

127. Ejuſdem primæ Minoris quarta pars probatur: Nimirum quòd prædefinitio explicata non tollat ullam perfectionem Divinam. Quam enim perfectionem tollit? Certè ſi tolleret aliquam, tolleret infruſtrabilitatem prædefinitionum Divinarum. Sed hanc non tollit. Tum quia prædefinitiones hæ ſunt infruſtrabiles. Cùm poſita prædefinitione completè accepta, impoſſibile ſit poni carentiam actûs. Tum quia infruſtrabilitas prædefinitionum Divinarum conſiſtit in earum efficacia, & infallibilitate inferendi actum. Sed prædefinitiones per concluſionem aſſertæ habent efficaciam, & infallibilitatem inferendi actum. Licèt enim non habeant efficaciam, & infallibilitatem inferendi DEO adæquatè identificatam, ſublativam libertatis creatæ, & ſui objecti deſtructivam, habent tamen infallibilitatem ſemiextrinſecam componibilem cum libertate creata, ejúſque illativam, ùt oſtenſum eſt num. 125. Deinde admiſſa prædefinitione explicata dici poſſet, tolli in DEO perfectiſſimum dominium, & pleniſſimam poteſtatem inclinandarum voluntatum creatarum ad actus, ad quos voluerit, ità, ut voluntas creata Divinam impedire non poſſit; qualem poteſtatem in DEO agnoſcit, ſæpiúſque profitetur D. Auguſtinus. Sed tale dominium, & poteſtatem inclinandorum cordium non tollit prædefinitio explicata. Hac enim admiſſa DEUS pleniſſimam adhuc poteſtatem habet inclinandorum cordium, ídque per media libertati creatæ proportionata, & accomodata, ità ut voluntas creata ex ſuppoſitione conſequente ſuæ determinationis non poſſit impedire voluntatem Divinam. Licèt non habeat pleniſſimam poteſtatem inclinandorum cordium per media improportionata, & ſublativa libertatis creatæ, dum hanc vult illæſam manere, ità ut voluntas creata ex ſuppoſitione antecedente non poſſit impedire voluntatem Divinam. Ergo.

Proponuntur Objectiones contra Concl. num. 120.

128. Objicitur primò. Si prædefinitio actuum ſalutarium dependens à Scientia media, & infallibiliter inferens actum infallibilitate aliunde proveniente, & non ex futuritione actûs implicaret, implicaret ex eo, quia inferendo actum impediret libertatem actûs. Sed non impedit. Ergo. Minor probatur. Tum quia in tantùm dicta prædefinitio impediret libertatem actûs, quam infert, in quantùm hæc eſſet antecedens inimpedibile omnino à voluntate creata, ſed in tantùm non impedit. Prædefinitio enim, quamvis ſit antecedens mediatum inferens infallibiliter actum ſalutarem, non eſt tamen antecedens inimpedibile à voluntate creata. Nam ab hac voluntate ſub tali auxilio conſtituta, eſt impedibilis Scientia media de futura converſione Petri, ſub eodem auxilio; eſt, inquam, impedibilis per carentiam exiſtentiæ ejuſdem converſionis ſub tali auxilio Ergo ſimiliter eſt impedibilis & prædefinitio de-

dependens à Scientia media. Entitas enim essentialiter connexa cum aliquo termino est consequenter impedibilis, quando est impedibilis terminus connexionis. Atqui à voluntate creata constituta sub prædicto auxilio est simpliciter impedibilis conversio, quæ est terminus Scientiæ mediæ, affirmantis futuram conditionatè conversionem. Eadem verò Scientia est terminus connexionis relucentis in prædefinitione, penitùs pendente à Scientia media. Ergo ab eadem voluntate est impedibilis & Scientia media, & prædefinitio pendens à Scientia media. Tum quia Prædeterminatio physica Thomistica ex hac ratione tollit libertatem creatam actûs, quòd hæc sit inevitabilis. Ergo è contrario prædefinitio efficax dependens à Scientia media, cùm sit evitabilis à voluntate creata, ab eáque indirectè impedibilis, non tollit libertatem creatam. Tum quia prædefinitio, de qua agitur, etiamsi sit necessitas antecedens, non est tamen necessitas antecedens simpliciter talis. Deberet enim esse independens à suppositione consequente. Non est autem independens à tali suppositione, cùm sit dependens à Scientia media; adeóque à futuritione conditionata actûs, quæ est suppositio consequens. Deinde prædefinitio, etiamsi sit necessitas antecedens antecedentiâ causalitatis, non est tamen antecedens antecedentiâ inevitabilitatis. Est tandem antecedens physicè, & in genere causæ, non est verò antecedens intentionaliter, & in genere objecti. Cùm actus salutaris conditionatè futurus, antecedendo intentionaliter, & in genere objecti Scientiam mediam, hac ipsa ratione antecedat prædefinitionem à Scientia media dependentem. Ergo eadem prædefinitio non lædit libertatem creatam. Hanc enim lædit nonnisi necessitas antecedens simpliciter talis. Necessitas antecedens non solùm antecedentiâ causalitatis, sed etiam antecedentiâ inevitabilitatis, & necessitas antecedens non solùm physica, & in genere causæ, sed etiam intentionalis, & in genere objecti. Tum quia in tantùm prædefinitio, de qua agimus, læderet libertatem, in quantùm eandē debet lædere collatio auxilii necessitantis, aut prædeterminantis physicè, dum tale auxilium conferretur ex directione Scientiæ mediæ, & ex prævisione actûs, sub auxiliis indifferentibus conditionatè futuris. Sed in tantùm non lædit; Prædefinitio enim physica, & auxilium necessitans ideò lædunt libertatem, quia tollunt in actu primo proximo indifferentiam voluntatis creatæ. Prædefinitio verò non tollit indifferentiam in actu primo proximo ejusdem voluntatis; quia prædefinitione prædefinitus actus, v. g. conversio Petri, sub auxiliis indifferentibus, & entitativè conponibilibus cum omissione conversionis ponitur, & poni debet. Ergo. Tum quia evidens est: DEUM non impedire effectum sibi possibilem, quando voluntate proportionata vult illum fieri. Similiter evidens est, DEUM potentem donare, non impedire donum, quando vult præstare tale donum. Atqui DEUS, quando formali, & efficaci prædefinitione conversionis liberæ, penitùs pendente à Scientia media de eadem conversione, sub auxilio indifferente, vult fieri eandem conversionem, vúltque eam donare creaturæ, tunc vult voluntate proportionata fieri effectum sibi possibilem, & vult præstantissimum donum à se donabile donare creaturæ. Nulla enim improportio ostendi potest in ratione volentis, & voliti, inter prædefinitionem, efficacem quidem illam, sed simpliciter à voluntate creata impedibilem, & inter conversionem liberam. Ergo tali prædefinitione DEUS neque impedit liberæ conversionis effectum, neque suum conversionis donum; adeóque non lædit libertatem creatam.

129. Objicitur secundò. DEUS actus nostros salutares, quos elicimus, vult voluntate, & prædefinitione efficaci, sed non vult illos prædefinitione efficaci independente à Scientia media. Talis enim prædefinitio læderet libertatem dictorum actuum. Ergo vult dictos actus prædefinitione efficaci dependente à Scientia media; adeóque talis prædefinitio datur. Major probatur. Tum quia DEUS actus nostros salutares, quos elicimus, non solùm vult ex complacentia in talibus actibus, sed etiam ex amore efficaci. Quidquid enim ad salutem æternam conducentis habemus, id nobis DEUS tribuit, & confert exercendo formaliter misericordiam, suámque benevolentiam, quod exercitium sinè amore, eóque efficaci, quô

quô tale bonum nobis vult, & amat, haberi non potest. Ergo si actus salutares, quos elicimus, nobis tribuit, vult illos non ex qualicunque in ipsis complacentia, sed vult ex amore efficaci; adeóque illos prædefinit prædefinitione efficaci. Cùm prædefinitio sit voluntas, & amor efficax, quô DEUS ità sibi complacet in actibus salutaribus, ut eosdem actus efficaciter velit. Tum quia DEUS vult voluntate efficaci auxilia congrua, & efficacia, dependenter à quibus ponitur actus salutaris. Ergo etiam vult voluntate; adeóque prædefinitione efficaci ipsum actum salutarem. Qui enim vult efficaciter media, per quæ obtinetur finis, idque vult media sub Scientia, quòd per illa obtinendus sit finis, is ipse vult efficaciter & ipsum finem. Sed auxilia gratiæ, per quæ obtinetur actus salutaris, sunt media, ipse verò actus salutaris est finis. Ergo DEUS si vult voluntate efficaci auxilia congrua, & efficacia, sub quibus ponendus est actus salutaris, sub Scientia, quâ videt hæc auxilia futura efficacia, respectu actûs salutaris, id est, dependenter à Scientia media; vult etiam efficaciter & ipsum finem, nimirum vult efficaciter actum salutarem; adeóque ipsum prædefinit prædefinitione efficaci dependente à Scientia media.

Solvuntur Objectiones.

130. Respondeo ad primum, negando Minorem, & dico: Quòd prædefinitio, qualis ab oppositis defenditur, impediat eam libertatem actûs, quam, & qualem hic habere debet. Primæ Probationis nego Causalem, aliámque assigno: Prædefinitionem ideò impedire libertatem actûs, qualem hic habere debet. Quia licèt dependeat à Scientia media; adeóque sit evitabilis voluntati creatæ, tamen actum prædefinitum infert infallibiliter infallibilitate proveniente ab ipsa prædefinitione secundùm se, hoc est, secundùm quod distinguitur ab actu prædefinito; eúmque physicè antecedit. Porrò principium taliter inferens actum, licèt dici possit aliquam reliquere libertatem actûs, v. g. libertatem mediatam, tollit tamen libertatem immediatam ejusdem, ùt probatum est num. 120. Tollit itèm libertatem absolutam, & propriam statûs absoluti, & solùm relinquit libertatem conditionatam, & propriam statûs conditionati. Actus verò salutaris debet esse liber libertate immediata. Quia debet esse liber libertate propriè tali, & ratione cujus secundùm se sit præmiabilis. Debet etiam esse liber libertate absoluta, & propria statûs absoluti. Quia talis libertas requiritur, nec sufficit libertas statûs conditionati, ut opera salutaria præmiari possint.

Neque valet, si dicas: Prædefinitio in statu absoluto, secundùm suum esse absolutum, est evitabilis. Ergo actus prædefinitus est liber libertate absoluta. Non valet, inquam. Licèt enim prædefinitio sit impedibilis, & evitabilis, secundùm suum esse absolutum, tamen est evitabilis ratione actûs voluntatis creatæ, conditionatè futuri. Porrò libertas non debet spectari penès id, quod impeditur, sed penès id, ratione cujus impeditur; hoc enim est exercitium libertatis creatæ, non illud.

Secundæ Probationis vel nego simpliciter, vel distinguo Causalem: Prædeterminatio physica Thomistica ex hac ratione tollit libertatem mediatam actûs, quòd hæc sit inimpedibilis à voluntate creata. Concedo causalem. Ex hac ratione tollit libertatem immediatam actûs; quòd sit inimpedibilis. Nego Causalem. Simili modo distinguo Consequens, & dico: Prædeterminationi physicæ tria potissimùm tribui prædicata, ex quibus deducitur, quòd tollat libertatem actûs. Primum prædicatum tribuitur prædeterminationi, quòd sit antecedens, infallibilitérque inferat operationem, sitque essentialiter connexa cum eadem, ità, ut cum prædeterminatione voluntas creata non possit componere carentiam operationis. Secundum prædicatum prædeterminationis est: quòd sit inevitabilis voluntati creatæ, hoc est, quòd non sit in potestate dictæ voluntatis, prædeterminationem vel nondum habitam acquirere, vel impedire, nè sibi detur, vel postquam data est, eam depellere, & deperdere. Tertium prædicatum est: quod prædeterminatio ità sit necessaria ad actum, ut voluntas creata cum ejus carentia non possit componere operationem: seu ut non possit operari non habita prædeterminatione. Ratione trium horum prædica-

torum tollitur omnis omnino libertas actûs creati tam immediata, quàm mediata: imò etiam tollitur possibilitas libertatis in actu creato. Per primum prædicatum prædeterminationis tollitur libertas immediata actûs voluntatis creatæ. Hæc enim debet esse evitabilitas ipsius actûs secundùm se sub omnibus principiis actûs; adeóque & sub prædeterminatione physica. Per secundum prædicatum prædeterminationis tollitur libertas mediata, & remota actûs. Hæc enim debet esse evitabilitas principii inferentis actum, quæ non habetur, si prædeterminatio est inevitabilis voluntati creatæ. Per tertium prædicatum prædeterminationis tollitur possibilitas libertatis in actu voluntatis creatæ. Cùm enim impossibile sit poni actum voluntatis creatæ sinè prædeterminatione physica, quæ ex duobus prioribus suis prædicatis est sublativa libertatis actûs tam immediatæ, quàm mediatæ, impossibile est actum voluntatis creatæ poni, & esse liberum. Ex his tribus prædicatis, cùm primum prædicatum conveniat prædefinitioni antecedenti ex se efficaci, nimirum illud, quòd prædefinitio dicta inferat infallibiliter actum, sitque essentialiter connexa cum actu, ità, ut cum prædefinitione efficaci voluntas creata non possit componere carentiam actûs, ratione hujus prædicati convenit prædefinitioni, quòd tollat libertatem immediatam actûs. Quia verò eadem prædefinitio secundùm se est impedibilis à voluntate creata, sequitur, quòd actus voluntatis creatæ prædefinitus habeat libertatem mediatam, & remotam, quæ tamen sola non est sufficiens libertas actûs. Cùm præsertim hæc, qualis admittitur, sit libertas conditionata, & propria statûs conditionati. Eadem prædefinitio, quia non habet tertium prædicatum, ùt quidam ejus propugnatores volunt, nimirum, quia non est necessaria ad actum salutarem, sequitur, quòd non tollat possibilitatem libertatis in actu, si enim non prædefiniatur actus, ùt potest non prædefiniri, talis actus potest poni sub principiis omnibus indifferentibus. Et si taliter ponatur, est futurus immediatè liber.

Tertiæ Probationis omisso Antecedente, nego Consequentiam, & dico: Necessitatem antecedentem ex prædefinitione efficaci habitam, quomodocunque illa vocetur, & explicetur, esse sublativā libertatis im̄ediatæ absolutæ, & propriè talis in actu, idque ex eo, quòd hæc necessitas sit necessitas antecedens, necessitas efficaciæ intrinsecæ, & infallibilis illationis actûs salutaris; seu est necessitas connexionis essentialis cum actu prædefinito. Hinc ulteriùs falsa, & simpliciter neganda est Probatio Consequentiæ.

Quartæ Probationis omissa Causali, nego Minorem, & dico: Sicut prædeterminatio, & auxilium necessitans, addita aliis principiis secundùm se indifferentibus, tollunt indifferentiam voluntatis creatæ in actu primo proximo, ità & prædefinitio se ipsa efficax, addita principiis aliis actûs entitativè indifferentibus, tollit indifferentiam actûs primi proximi voluntatis creatæ. Non minùs enim prædefinitio, ac prædeterminatio, aut auxilium necessitans est impedimentum carentiæ actûs cum eadem incomponibile, nec auferibile per actum secundum. Neque juvat, si dicas: quòd auxilia, sub quibus ponitur actus prædefinitus, sint entitativè indifferentia. Non juvat, inquam. Licèt enim secundùm suam entitatem sint talia, tamen per superadditam prædefinitionem redduntur determinata ad unum. Nec actus sub prædefinitione ponitur à voluntate ex propria sui ipsius determinatione, sed potiùs ponitur à voluntate aliunde determinata.

Quintæ Probationis nego Minorem, & dico: Voluntatem DEI prædefinientem actum salutarem, sub auxilio indifferente, non esse voluntatem proportionatam actui volito. Voluntas enim essentialiter connexa cum actu salutari volito, illúmque infallibiliter inferens est improportionata actui salutari. Quia est improportionata actui voluntatis creatæ libero ùt tali. Hic enim ex ratione actûs liberi postulat, ut sit à voluntate se ipsam determinante, non verò ex ulla necessitate antecedente, nec ex vi ullius connexionis essentialis, aut infallibilis illationis ipsius actûs, per aliquid ab actu distinctum. Actus autem salutaris debet esse liber. Quia debet esse meritorius vitæ æternæ. Sed voluntas Divina prædefiniens efficaciter actum salutarem, est essentialiter connexa cum eodem actu, ipsum ratione sui infallibiliter inferens. Ergo hæc voluntas est improportionata actui

actui ſalutari, idque eſt improportionata in ratione cauſæ talis actûs, & improportione tollente libertatem actûs prædefiniti.

131. Ad ſecundum Reſpondeo negando Majorem in ſenſu Concluſionis; nimirum nego, quòd DEUS actus noſtros bonos, quos elicimus, velit voluntate, & prædefinitione efficaci, efficaciâ aliunde habitâ, & non ab actu prædefinito. Primæ Probationis diſtinguo Antecedens: DEUS actus, quos elicimus, bonos, vult ex amore efficaci in ratione efficacis completo per ipſummet actum conditionatè futurum. Concedo Antecedens. Vult ex amore efficaci, efficaciâ aliunde habitâ, & non ab ipſo actu. Nego Antecedens. Ulterior Probatio eadem diſtinctione diſtinguenda erit.

Secundæ Probationis tranſito Antecedente, ſiquidem etiam voluntas efficax, quâ DEUS vult dare auxilium congruum, ſeu efficax, in ratione voluntatis talium auxiliorum, completur efficaciâ eorundem, quæ efficacia dicit futuritionem conditionatam actûs ſub tali auxilio. Tranſito, inquam, Antecedente diſtinguo Conſequens: Ergo etiam DEUS ipſum actum ſalutarem vult voluntate, & prædefinitione efficaci in ratione efficacis completa per ipſum actû ſalutarem conditionatè futurum. Concedo Conſequentiam. Vult actum ſalutarem prædefinitione efficaci in ratione efficacis, non completa per actum ſalutarem. Nego Conſequentiam. Libertas enim actûs ſalutaris non ſalvatur, niſi prædefinitio efficax in ratione efficacis compleatur per ipſummet actum. Siquidem aliter conciliari non poteſt efficacia prædefinitionis Divinæ cum libertate actûs ſalutaris. Adverto: Scientiam mediam non ſolùm habere ſe directivè reſpectu prædefinitionis, ſed etiam completivè, ità ut prædefinitio ſuam efficaciam non habeat aliunde, niſi à futuritione conditionata actûs ſalutaris ſub tali auxilio, prout per Scientiam mediam prævisâ; adeóque à Scientia media.

Proponuntur Objectiones contra Concl. num. 124.

132. Objicitur primò. Decretum ſelectivum auxilii efficacis, & prædefinitio actûs ſalutaris ſunt decreta diverſa. Prius enim verſatur circa media, hoc eſt, circa auxilia gratiæ ad actum ſalutarem; alterum decretum verſatur circa finem, quia circa actum ſalutarem, propter quem tanquam finem ſeliguntur auxilia. Decretum prædefinitivum eſt prius, decretum ſelectivum auxilii eſt poſterius; cùm finis prior ſit in intentione, quàm media. Sed ſi prædefinitio in ratione efficacis compleatur per auxilium, ſub quo prævidetur actus, qui dicitur prædefiniri, decretum ſelectivum auxilii efficacis, & decretum prædefinitivum actûs ſalutaris, non ſunt diverſa decreta, ſed unum, idémque omnino. Siquidem hæc decreta unum, idémque dicunt, ſive quoad rationem volitionis Divinæ, ſive quoad terminationem. Quia utrumque complectur per auxilium prout efficax, ſeu per auxilium conſtitutum ſub præviſione actûs ſalutaris, conditionatè ex vi talis actûs futuri. Ergo.

133. Objicitur ſecundò. Si prædefinitio in eſſe efficacis compleretur per auxilium abſolutè collatum, & futuritionem conditionatam actûs ſalutaris ſub tali auxilio, doctrina, & reſolutio Quæſtionis circa efficaciam prædefinitionis alligaretur ad Sententiam complentem actus Dei liberos per aliquid extrinſecum, nec haberet locum in Sententia realiter adæquatè identificante DEO actus ejus liberos, ſolúmque eos virtualiter diſtinquente à DEO, quoad ſuum eſſe reſpectivum. Atqui hæc alligatio non videtur debere fieri. Ergo.

134. Objicitur tertiò. Etiam per prædefinitionem in ratione efficacis completam auxilio efficaci, ſub quo eſt futurus conditionatè actus ſalutaris, non ſalvatur libertas ejuſdem actûs; libertas, inquam, immediata, & propria ſtatûs abſoluti. Ergo. Antecedens probatur. Tû quia actus, qui pro ſtatu abſoluto ità ponitur, ut pro hoc ſtatu non poſſit non poni, ad quem etiam voluntas creata in actu primo proximo non eſt indifferens, ille actus non eſt liber. Sed admiſſa prædefinitione in ratione efficacis completa, &c. actus ſalutaris pro ſtatu abſoluto ità ponitur, ut pro eodem ſtatu non poſſit non poni. Voluntas enim in actu primo proximo non eſt ad eundem actum indifferens; poſita enim futuritione condi-

ditionata actûs salutaris sub auxilio A, & posita depuratione conditionis, hoc est, collato absolutè auxilio A, non potest non poni in statu absoluto actûs salutaris, & voluntas creata pro statu absoluto non est indifferens ad ponendum dictum actum. Ergo. Tum quia actus, qui pro statu absoluto non ponitur ex determinatione voluntatis creatæ se ipsam determinantis, sed potiùs ponitur ex vi connexionis essentialis, & infallibilis illationis, quâ prædefinitio explicata infert actum salutarem absolutum, non est actus immediatè liber. Sed admissa prædefinitione in ratione efficacis completa per auxilium efficax, actus salutaris pro statu absoluto non ponitur ex determinatione voluntatis se ipsam determinantis, sed potiùs ponitur ex vi connexionis essentialis, & infallibilis illationis, quâ prædefinitio infert actum salutarem. Ergo. Tum quia impeditivum carentiæ actûs tollit libertatem actûs. Sed prædefinitio in ratione efficacis completa per auxilium efficax, est impeditivum carentiæ actûs salutaris. Impossibile enim est cum tali prædefinitione componi carentiam actûs. Ergo Tum quia actus, qui in tantùm est liber, in quantùm pro statu conditionato nullum datur illativum sui infallibiliter, ipse verò prout futurus pro tali statu infert suum esse pro statu absoluto, habet solùm libertatem conditionatam, non habet verò libertatem propriam statûs absoluti. Sed actus salutaris, qui prædefinitur prædefinitione explicata, in tantùm nonnisi est liber, in quantùm pro statu conditionato nullum datur illativum sui infallibiliter, ipse verò per suum esse conditionatum infert esse illud, quod habet pro statu absoluto. Ergo talis actus habet solùm libertatem conditionatam, non habet verò libertatem propriam statûs absoluti.

Solvuntur Objectiones.

135. Respondeo ad primum negando Majorem, & dico: Decretum selectivum auxilii efficacis, & decretum prædefinivum actûs salutaris non debere esse decreta realiter, aut virtualiter distincta. Non debent esse distincta realiter etiam adæquatè, idque in Sententia complente actus DEI liberos per aliquid extrinsecum. In tantùm enim sic deberent distingui, in quantùm deberent habere distincta realiter complementa. Sed hæc non debent habere distincta. Complementum enim decreti prædefinitivi debet esse infallibiliter illativum actûs, salva ejusdem libertate, aliquomodo antecedens hunc ipsum actum. Decreti verò selectivi auxilii efficacis complementum debet esse auxilium efficax, talisque auxilii collatio; efficax, inquam, sinè læsione libertatis creatæ, aliquomodo itèm antecedens actum. Sed hæc sunt unum, idémque realiter adæquatè complementum, neque enim est, aut potest esse aliud infallibiliter illativum actûs salutaris salva libertate ejusdem, nisi auxilium efficax, quomodo illud explicatur in Sententia Societatis. Ergo. Non debent etiam hæc decreta esse distincta virtualiter in Sententia eorum, qui actus DEI liberos a DEO, & inter se virtualiter distinguunt. Tum quia DEUS utpote perfectissimum volitivum, quæcunque vult secundùm hanc Sententiam, prout à pluribus Theologis defenditur, vult unico virtualiter decreto; adeóque DEUS vult unico actu & finem, & media. Cùm præsertim cognoscat perfectissimè, quæ media conducant ad aliquem finem, & quæ sunt futura efficacia respectu finis obtinendi. Tum quia etiamsi decreta à se separabilia deberent inter se distingui saltèm virtualiter, tamen decreta, quæ sunt inseparabilia, non debent sic distingui. Sed decretum prædefinitivum actûs salutaris efficax, & decretum selectivum auxilii efficacis ad eundem actum salutarem, non sunt decreta à se separabilia. Cùm se mutuò inferant infallibiliter, nimirum decretum prædefinitivum efficax ùt tale, infert decretum selectivum auxilii, & è converso. Tum quia hæc decreta sunt circa unum, idémque omnino objectum. Decretum prædefinitivum, si est efficax, vult media, per quæ infallibiliter obtineatur actus salutaris; adeóque vult auxilia efficacia. Decretum etiam selectivum auxilii efficacis ùt tale, vult auxilium, illúdque non aliud nisi efficax, hoc est, nisi illativum infallibiliter actûs salutaris, seu vult auxilium, per quod infallibiliter talis actus obtinetur. Ergo hæc decreta non debent virtualiter distingui. Ad summum igitur hæc decreta debent distin-

ſtingui per rationem, & ex modo noſtro concipiendi, idque etiam hoc modo debent diſtingui dicta decreta, prout ſpectantur, unum ùt decretum prædefinitivum, alterum ùt collativum auxilii, non verò prout ſpectantur, ùt prædefinitivum efficax, & ùt ſelectivum auxilii efficacis. Tali verò modo per rationem dicta decreta diſtinguntur, quatenus cognoſcuntur adinſtar volitionum creatarum, quarum una vellet finem, altera vellet, & eligeret media ad finem. Ad Probationes Majoris dico: Ad primam, tam decretum definitivum efficax, quàm decretum ſelectivum auxilii efficacis, unumquódq; illorum verſari, & circa finem, & circa media: ſiquidem qui vult efficaciter finem, vult etiam efficaciter media inferentia exiſtentiam finis. Qui etiam vult medium efficax ad aliquem finem, vult efficaciter, & ipſum finem. Ad ſummum itaque hæc differunt ex modo noſtro concipiendi per hoc, quòd prædefinitio cenſeatur principaliter reſpicere actum ſalutarem, tanquam finem, ſelectio verò auxilii directè, & principaliter reſpicit auxilium, tanquam medium ad actum ſalutarem. Ad ſecundam Majoris Probationem dico: Decretum prædefinitivum actûs ſalutaris, non eſſe prius realiter, aut virtualiter, quàm decretum ſelectivum auxilii. Ad ulteriorem Probationem dico: finem eſſe priorem in intentione imperfectè volentis, quàm media; non autem in intentione volentis perfectiſſimi. Quodſi etiam in hujus intentione eſt prior finis, quàm media, eſt prior hac prioritate, quòd finis ſit id, propter quod intenduntur media. Addo decretum prædefinitivum actûs ſalutaris poſſe etiam explicari per hoc, quòd ſit decretum volens immediatè ipſum in ſe ipſo actum ſalutarem, dependenter ab auxilio efficaci, prout hoc explicatur per ſententiam Societatis ponendum, itá ut hoc decretum neque ſe ipſo, hoc eſt, ſecundùm quod diſtinguitur ab actu ſalutari, inferat infallibiliter eundem actum, neque quidquam dicat ex parte actûs primi, infallibiliter inferens actum, ſed in eſſe efficacis compleatur per ipſummet actum ſalutarem, poſitum à voluntate in actu primo proximo indifferente, nec aliunde determinata, ſed ſe ipſam determinante. Tale tamen decretum prædefinitivum non tam infert, quàm potiùs affert actum ſalutarem, éſtque efficax in actu ſecundo, non in actu primo.

136. Ad ſecundam reſpondeo nihil inconvenientis apparere in eo, quòd explicatio prædefinitionis efficacis alligetur ad unam ſententiam circa actus DEI liberos, nimirum ad ſententiam complentem eoſdem actus per aliquid extrinſecum. Tum quia hæc alligatio doctrinæ circa prædeſtinationem, eſt alligatio ad ſententiam à nobis ſuperiùs propugnatam, eámque aliis probabiliorem. Tum quia decreta Divina efficacia circa actus creaturæ liberos, non videtur poſſe aliter explicari ſalva libertate creata, niſi compleantur per aliquid conſtitutum futuritione conditionata actûs creati liberi. Cæterùm hæc explicatio videtur etiam locum habere in ſententia, DEO realiter adæquatè identificante actûs ipſius liberos, ſi in decreto prædefinitivo duo hæc diſtinguantur: Ratio actûs Divini liberi terminati ad auxilium A, & ratio decreti efficacis, ac infallibiliter inferentis actum ſalutarem; illáque prior ratio realiter adæquatè identificetur DEO, ſolúmque ab eo quoad eſſe reſpectivum diſtinguatur virtualiter. Altera verò ratio decreti prædefinitivi, nimirum ratio efficacis, & infallibiliter inferentis actum creaturæ liberum, & ſalutarem, ſupra priorem rationem ſuperaddat futuritionem conditionatam actûs ſalutaris ſub auxilio A, completivam prioris rationis in eſſe decreti prædefinitivi efficacis.

137. Ad tertium reſpondeo negando Antecedens. Primæ Probationis diſtinguo Majorem: Actus, qui pro ſtatu abſoluto itá ponitur, ut pro hoc ſtatu non potuerit non poni ex ſuppoſitione conſequente, ille actus non eſt liber. Nego Majorem. Actus, qui pro ſtatu abſoluto itá ponitur, ut pro hoc ſtatu non potuerit non poni ex ſuppoſitione Antecedente, ille actus non eſt liber libertate immediata. Concedo Major. Diſtinguo deinde Minorem. Sed admiſſa prædefinitione explicata per Concl. num. 124. Actus ſalutaris itá ponitur pro ſtatu abſoluto, ut pro hoc ſtatu non potuerit non poni ex ſuppoſitione antecedente. Nego Minorem. Itá ponitur, ut non potuerit non poni ex ſuppoſitione conſequente. Concedo Minorem, & nego Conſequentiam. Ad ulteriorem probationem dico: Poſita futuritione actûs ſalutaris con-

conditionata sub auxilio A, & posito absolutè auxilio A, actus salutaris non potest non poni ex suppositione consequente, hoc est, ex suppositione, quia ponetur actus; potest tamen non poni ex suppositione antecedente, cùm enim ex parte actûs primi, nihil ponatur diversum, & distinctum ab actu salutari, inferens talem actum, ex vi actûs primi proximi indifferentis, potest non poni actus salutaris, adeóque potest non poni ex suppositione antecedente. Alteram illam partem Minoris, nimirùm: Voluntas in actu primo proximo, posita prædefinitione completa,&c. non est indifferens ad actum salutarem. Nego simpliciter. Cùm enim voluntas in actu primo proximo habeat omnia principia, & requisita ad actum indifferentia, nullúmque sit impeditivum carentiæ actûs inauferibile per actum secundum, voluntas in actu primo proximo, est indifferens. Futuritio enim actûs sicut absoluta, ità & conditionata, tenet se ex parte actûs secundi, non ex parte actûs primi.

Secundæ Probationis nego Minorem, & dico: Admissa prædefinitione per auxilium efficax completa, actum salutarem in statu absoluto poni, ex vi determinationis, quâ voluntas creata se ipsam determinat. Licèt verò ponatur ex vi connexionis essentialis, & ex vi illationis infallibilis, quâ auxilium efficax infert actum; Quia tamen non ponitur ex vi connexionis propriè dictæ, quâ unum adæquatè distinctum connectitur cum alio itidem adæquatè distincto, nec ponitur ex vi illationis, qua itidem unum infert aliud à se adæquatè distinctum: sed potiùs ponitur ex vi connexionis minùs propriè dictæ, & ex vi illationis, quâ aliquid infertur ex se ipso, nimirum actus absolutè futurus infertur, ex se ipso conditionatè futuro, & ex depuratione conditionis; ideo adhuc stante tali connexione, & illatione, actus salutaris ponitur ex determinatione, quâ voluntas se ipsam determinat ad actum. Talis enim connexio, & illatio, cùm non tollat indifferentiam actûs primi proximi, non inducit determinationem antecedentem voluntatis, sed solùm determinationem consequentem, adeóque determinationem, quâ voluntas se ipsam determinat, suámque exercet libertatem.

Tertiam Probationem distinguo: Impeditivum carentiæ actûs inauferibile per actum secundum tollit libertatem actûs. Concedo Majorem. Impeditivum carentiæ actûs auferibile per actum secundum, tollit libertatem actûs. Nego Majorem. Distinguo denique Minorem. Sed prædefinitio in ratione efficacis completa per auxilium efficax, est impeditivum carentiæ actûs auferibile per actum secundum. Concedo Minorem. Inauferibile per actum secundum. Nego Minorem, & Consequentiam. Ac dico: per actum secundum libertatis creatæ, auferibile esse impeditivum carentiæ actûs, quod est prædefinitio. Si enim voluntas v. g. Petri in actu secundo, pro statu absoluto non convertatur, nec per conversionem se determinet, sed potiùs suam libertatem exerceat per omissionem absolutam conversionis, impedietur,&tolletur prædefinitio actûs. Auxilium enim, quod nunc est completivum prædefinitionis, non erit completivum ejusdem. Quia non erit efficax. Tolletur enim futuritio conditionata conversionis sub tali auxilio, & impedietur. Cùm impossibile sit conversionem sub aliquo auxilio esse, vel fuisse pro statu conditionato futuram, quæ sub tali auxilio absolutè collato pro statu absoluto non ponitur. Ad probationem ulteriorem minoris dico: impossibile quidem esse cum prædefinitione conversionis v.g.componi carentiam actûs. Quia impossibile est, conversionem, quam prædefinitio conversionis pro complemento dicit, componi cum carentia conversionis. Cæterùm non est impossibile pro statu absoluto, poni carentiam conversionis, & per hanc dividi, & impediri prædefinitionem conversionis, quæ in tantum impediretur, in quantum posita pro statu absoluto omissione conversionis, non fuisset in statu conditionato futura conversio, quam dicit auxilium efficax, quo completur prædefinitio conversionis.

Quartæ Probationis omissa Majore propter distinctionem, quæ facilè colligi potest ex responsione ad Minorem. Nego Minorem quoad utramque ejus partem. Ad primam partem negatæ Minoris dico: actum salutarem pro statu conditionato, posse habere infallibile sui illativum. Si enim hic actus sit simul absolutè futurus, absoluta futuritio actûs inferet infallibiliter futuritionem ejus conditionatam.

Cùm

Cùm vera, & infallibilis ſit hæc conſequentia: *Actus ſalutaris eſt futurus pro ſtatu abſoluto. Ergo idem actus eſt, vel fuit futurus pro ſtatu conditionato.* Non è contrà. Ad ſecundam partem Minoris dico imprimìs actum conditionatè futurum, ſi non conjungatur cum eſſe abſoluto auxilii, vel principii, ſub quo conditionatè præſuppoſito eſt futurus, non inferre infallibiliter actum. Dico deinde eundem actum conditionatè futurum, ſumptum ſimul cum eſſe abſoluto principii, ſeu auxilii, ſub quo eſt conditionatè futurus, eſſe illativum actûs pro ſtatu abſoluto, taliter nonniſi, ut non poſſit componi cum carentia abſoluta actûs, quamvis hæc carentia abſoluta, ex vi ſuorum principiorum poſſit ſimpliciter dari, & per eam poſſit impediri futuritio conditionata actûs. Unde habetur ulteriùs, quòd actus Salutaris pro ſtatu abſoluto habeat libertatem abſolutam & propriam talis Statûs. Quia voluntas creata pro ſtatu abſoluto, cenſetur habere ſecundùm ſuam determinationem, vel actum ſalutarem, & per talem determinationem facere, ut actus ſalutaris ſit, ſeu fuerit conditionatus. Vel omittere actum ſalutarem, & hac omiſſione impedire futuritionem conditionatam actûs, & ea omnia, quæ tali futuritione conſtituuntur & complentur. Adverto totam hanc objectionem cum ſuis omnibus probationibus pugnare contra ſententiam Societatis, quâ docetur, gratiam in ratione efficacis compleri per futuritionem conditionatam actûs ſalutaris ſub tali gratia. Adeoque ipſis noſtris Adverſariis, eandem ſententiam circa efficaciam Gratiæ propugnantibus, ſolvendam eſſe.

§. IV.

Expediuntur reliqua circa Prædefinitionem actûs boni, & circa permiſſionem mali.

Quæritur Primò. An Prædefinitio efficax ſit neceſſaria ad operandum ſalutariter?

Qui Prædefinitionem volunt eſſe intrinſecè efficacem, vel efficaciâ aliundè completâ, & non per auxilium abſolutè collatum ſub præviſione actûs conditionatè futuri, tenent illi Prædefinitionem hujuſmodi non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad actum ſalutarem.

138. Reſpondeo & dico: Licèt prædefinitio completè ſumpta, prout à nobis explicatur, non ſit neceſſaria ad operandum ſalutariter, neceſſitate antecedente, ſeu cauſalitatis, eſt tamen neceſſaria neceſſitate conſequente.

Ratio Primi eſt. Ut prædefinitio completè ſumpta ſit neceſſaria ad operandum ſalutariter neceſſitate antecedente ſeu cauſæ, prædefinitio taliter ſumpta ſecundùm totum ſuum eſſe, deberet eſſe cauſa actûs ſalutaris. Sed prædefinitio prædicta non eſt ſecundùm totum ſuum eſſe cauſa actûs ſalutaris, Prædefinitio enim completè ſumpta dicit conſtitutivè actum ipſum ſalutarem conditionatè futurum, qui non eſt cauſa ſui ipſius, nec eſt ſuppoſitio antecedens, ſed ſuppoſitio conſequens.

139. Ratio Secundi eſt. Tum quia in operante ſalutariter ex ſuppoſitione conſequente, quòd operetur abſolutè ſalutariter, neceſſarium eſt ipſum operari ſalutariter abſolutè, ſeu neceſſarium eſt dari abſolutè operationem ſalutarem. Ergo ex eadem ſuppoſitione neceſſarium eſt, ut ſit, vel fuerit pro ſtatu conditionato operatio ſalutaris conditionatè futura; ſiquidem ex eſſe abſoluto actûs, rectè infertur futuritio conditionata ejuſdem. Hac autem futuritione data, neceſſe eſt auxilium abſolutè collatum, ſub quo ipſa operatio futura erat conditionatè, reddi efficax per ipſammet hanc futuritionem. Poſitis enim omnibus conſtitutivis rei, neceſſe eſt rem ipſam poni, quæ his conſtituitur, ſeu neceſſe eſt poni ipſum conſtitutum. Ergo ex eadem ratione neceſſe eſt poni prædefinitionem in ratione efficacis tali auxilio conſtitutam. Ergo à primo ad ultimum, in operante ſalutariter neceſſe eſt poni prædefinitionem actûs, neceſſe eſt, inquam, poni neceſſitate conſequente. Tum quia in operante ſalutariter ex ſuppoſitione conſequente operationis, neceſſe eſt auxilium gratiæ, dependenter à quo operatur, eſſe auxilium efficax efficaciâ ſemiextrinſecâ, prout hæc juxta Societatis doctrinam explicatur. Ergo pariter in operante ſalutariter ex ſuppoſitione conſequente, neceſſe eſt dari præ-

prædefinitionem actûs efficacem, efficaciâ itidem semiextrinsecâ, prout hæc suprà est explicata. Cùm talis prædefinitio supra auxilium efficax, solam superaddat volitionem DEI, quâ DEUS vult omne id, quod existit secundùm suum modum, quo existit.

140. Dices. Prædefinitio efficax neque est necessaria ex parte actûs ponendi, neque est necessaria ex parte providentiæ, quæ exercetur. Non ex parte actûs ponendi. In tantum enim ex parte hujus est necessaria prædefinitio, in quantum hæc est causa actûs salutaris ponendi. Sed in tantum non est necessaria. Quia prædefinitio est solùm causa remota, & mediata, eáque simpliciter non necessaria, aliàs, qui liberè non operatur actum salutarem, non haberet adæquatam & sufficientem virtutem operandi salutariter, quod repugnat fidei. Ergo. Non est etiam necessaria prædefinitio ex parte providentiæ exercendæ. De hujus enim conceptu, & ratione solùm est, esse perfectionem, per quam DEUS distribuit auxilia, amando illorum aptitudinem, & sufficientiam, ut cum illis voluntas creata obtineat actum salutarem, in quo conceptu non includitur formalis & efficax prædefinitio. Quia hic conceptus exprimit perfectionem providentiæ distributivam auxiliorum, tam operaturo, quàm non operaturo. Quæ perfectio, saltèm quatenus est distributiva auxiliorum ipsi non operaturo, non includit prædefinitionem formalem & efficacem actûs. Ergo.

141. Respondeo: Prædefinitionem efficacem efficaciâ explicatâ esse necessariam & ex parte actûs ponendi, & ex parte providentiæ exercendæ. Est imprimìs necessaria ex parte actûs ponendi, ùt deductum est num. 139. idque est necessaria ex suppositione consequente, non ex suppositione antecedente. Hinc Probationi causalem Majoris nego. Negavi enim superiùs, Prædefinitionem completè sumptam ùt talem esse causam actûs prædefiniti. Idque neque est causa proxima & immediata, neque est causa remota & mediata. Licèt eadem prædefinitio incompletè sumpta, hoc est, sumpta secundùm entitatem volitionis Divinæ, & entitatem auxilii secundùm se, sit causa actûs, ídque sit causa in actu primo indifferens, nec illum infallibiliter inferens. Unde sequitur, eum, qui liberè non operatur, habere virtutem adæquatam & sufficientem ad operandum. Licèt enim huic prædefinitio efficax completè sumpta desit, non deest tamen ulla virtus operandi. Quia prædefinitio secundùm id, secundùm quod deest non operanti salutariter, non est ulla virtus causa actûs salutaris. Est deinde Prædefinitio efficax completè sumpta, necessaria ex parte Providentiæ, non illius abstractæ & communis tam operaturis, quàm non operaturis, sed ex parte providentiæ, quam determinatè exercet in operaturos, quæ est providentia specialis benevolentiæ; sicut enim ad rationem talis providentiæ, si eam DEUS exercere velit, pertinet non solùm conferre auxilia apta, & sufficientia, sed etiam talia, ut ex vi illorum voluntas creata ponat infallibiliter actum salutarem, ità pertinet ad eandem providentiam specialis benevolentiæ, prædefinire efficaciter actum salutarem.

Quæritur Secundò. Quæ sit series actuum Divinorum in prædefinitione, seu qui actus Divini interveniant in prædefinitione actûs salutaris?

142. Respondeo: hos actus Divinos intervenire. Primò: Scientiam simplicis intelligentiæ, quâ DEUS perfectissimè cognoscit possibilitatem actûs salutaris ponendi, v. g: à Petro. Possibilitatem item auxiliorum sufficientium, ut Petrus his auxiliis adjutus possit ponere actum salutarem. Secundò. Venit scientia Media, quâ DEUS videt quædam auxilia respectu Petri futura congrua, seu efficacia. Tertiò. Intervenit selectio auxilii efficacis, eóque completa prædefinitio efficax actûs salutaris.

Ratio est. Quia si hi actus intervenire intelligantur in prædefinitione efficaci actûs salutaris, salvantur omnia, quæ circa prædefinitionem dici debere suprà ostensum est. Sed vel maximè salvatur libertas creata, quæ & qualis salvari debet, nullæque in DEUM invehuntur imperfectiones.

Circa permissionem actûs mali

Quæritur Primò. Quid sit Permissio, seu Decretum permissivum actûs mali?

143. Respondeo Decretum Divinum permissivum actûs mali esse Decretum illud,

lud, quo DEUS diſplicendo ſibi in actu malo ſeu peccaminoſo creaturæ, decernit non impedire talem actum. Quin imo decernit ex ratione cauſæ primæ concurrere ad talem actum cum voluntate creata inſtructa auxiliis, cum quibus illud evitare poterat. Definitio hæc colligitur tum ex dictis num. 94. Tum quia per hanc definitionem taliter explicatur permiſſio, ut commodiùs explicari non poſſit, ſalvis, perfectione Divina, & libertate creata.

Quæritur Secundò. An detur Permiſſio Divina peccati?

144. Reſpondeo: dari Permiſſionem peccati. Videtur id eſſe de fide. Ratio inſuper eſt. Quia defacto DEUS diſplicet ſibi in omni peccato, ad illúdque evitandum confert ſufficientia auxilia, quamvis illud non impediat, ſuúmque concurſum ex ratione cauſæ Primæ ad talem actum præſtet voluntati creatæ, quæ ſinè tali concurſu non poteſt quidquam agere.

Quæritur Tertiò. Permiſſionis Divinæ efficacia quomodo ſit explicanda?

145. Reſpondeo. Per hoc explicandam eſſe, quòd DEUS habita prævisione per ſcientiam mediam, quòd Petrus certis auxiliis ſuæ gratiæ ſit reſtiturus, & tentationi oppoſitæ ſuccubiturus, decernat Petro conferre unum tale auxilium, cum diſplicentia in peccato, quòd videt conſecuturum, & à Petro habente hujuſmodi auxilium, committendum. Unde efficacia Decreti permiſſivi completur per auxilium inefficax abſolutè collatum, & per futuritionem conditionatam peccati committendi à Petro, tale auxilium à peccato, retrahens, habente. Ratio eſt. Quia ſi taliter explicetur permiſſio peccati, conciliantur ſecum, ſumma DEI perfectio, libertas creata, & infallibilitas peccati ex permiſſione Divina futuri. Quæ infallibilitas admitti debet, ut ſalventur aliquæ prædictiones infallibiles quorundam peccatorum. Ut illa prædictio Chriſti. *Unus ex vobis me tradet.* Illa item prædictio peccati Petri. *Priuſquam gallus cantet, ter me negabis.*

Quæritur Quartò. Quæ ſeries actuum Divinorum, ſeu qui actus Divini interveniant in permiſſione peccati?

146. Reſpondeo: intervenire primò: Scientiam ſimplicis Intelligentiæ, quâ DEUS cognoſcit poſſibilitatem auxiliorum gratiæ ſuæ indifferentium. Poſſibilitatem item tentationum & inclinationum v. g. Petri ad malum culpæ. Præterea poſſibilitatem, quòd Petrus aliquibus auxiliis pro ſua libertate poſſit reſiſtere, poſſítque tentationi oppoſitæ ſuccumbere. Secundò intervenit ſcientia Media, quà DEUS videt, aliqua gratiæ auxilia, ſi conferantur Petro, futura inefficacia, eundémque Petrum, quibuſdam tentationibus, ſi immittantur, ſuccubiturum. Tertiò intervenit decretum, quo DEUS hujuſmodi tentationem Petro imitti permittit, ac decernit dare auxilium, quod videt futurum inefficax, parátque præſtare concurſum ad actum peccaminoſum, ad quem ſe determinatura eſt voluntas Petri, cum diſplicentia in eodem actu.



DISPUTATIO VI.

De Sanctissimo Trinitatis Mysterio.

DAri Mysterium Trinitatis, certum ex fide est. In quo consistat difficultas hujus Mysterii. Itèm an hoc mysterium sit contra, an supra lumen rationis? Adeóque an possit evidenter cognosci ab intellectu creato non elevato, ex dictis Disp. 2. Quæst. 2. facilè innotescit. Præter hæc, alia, quæ circa sanctissimum hoc Mysterium à Theologis examinari solent, ad duas revocabimus Quæstiones. Quarum Prima instituetur de his, quæ omnibus, vel aliquibus Personis communia videntur, ab iisque per rationem abstrahi possunt. Altera de singulis in particulari Personis, aut potiùs Relationibus ad intrà Divinis, ac de iis, quæ singulis illarum propria sunt, vel esse videntur.

QUÆSTIO I.

De his, quæ Personis Divinis ùt talibus videntur esse communia.

TRia tribus Punctis tractabuntur. In primo explicabuntur quidam termini, & prædicata in hac materia à Patribus, & Theologis usurpari solita, & an hæc, & quomodo Personis Divinis conveniant, decidetur. In secundo Puncto agetur: An Personalitatibus Divinis prout distinctis virtualiter ab essentia, conveniat ratio Perfectionis? Seu an Personalitates Divinæ formaliter ùt tales, dicant propriam formaliter, & peculiarem perfectionem? Tertiò. An ultra tres Personalitates, & subsistentias relativas detur subsistentia absoluta tribus Personis communis?

PUNCTUM I.

Explicantur quidam termini, seu prædicata, quæ Personis Divinis tribui solent.

Plura hujusmodi prædicata, & termini sunt. Nimirum esse Personam, esse Relationem, Originem, Processionem, Missionem, Notionem, Principium *quod*, & Principium *quò*. De omnibus his agemus tribus sequentibus paragraphis.

§. I.

Quid nomine Personæ in Divinis intelligatur, & quomodo hæc ratio conveniat?

1. Per Personam seu Hypostasim (solo hæc nomine differunt) intelligitur à Boëtio. *Naturæ rationalis individua subsistentia.* A S. Damasceno lib. 1. de Fide. cap. 11. intelliguntur *Proprietates Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passivæ, ac certus existendi modus.* Comuniter (non disputando, in quo consistat ratio, seu conceptus Personæ) è sensu sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ per Personas in Divinis intelliguntur. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Circa has Divinissimas Personas illud potissimùm hoc loco inquiritur. Quid nomine Personæ veniat, an Personalitas v. g. Paternitas, aut Filiatio, aut Spiratio passiva? an verò aliquod constitutum, & quasi concretum ex natura Divina, & Personalitate?

2. Respondeo, & Dico. Nomine Personæ simpliciter prolato venire Personas in abstracto, seu ipsas Personalitates Divinas, Patris, Filii, & Spiritûs S. Nomine Per-

Personæ (cum hoc addito) *concretè sumptæ* venire naturam, & unam aliquam Personalitatem.

Ratio Primi est. Id nomine Personæ simpliciter prolato, venit, de quo verificantur prædicata, quæ secundùm fidem dicuntur de Personis Divinis. Sed prædicata, quæ secundùm fidem dicuntur communiter de Personis Divinis, verificantur de ipsis abstractè sumptis, seu de ipsis Personalitatibus. Ut cùm dicitur: *Tres sunt Personæ realiter à se distinctæ*. Item. *Pater est Persona, quæ generat. Filius est Persona, quæ generatur. Spiritus Sanctus est Persona, quæ procedit.* Quæ prædicata verificantur de Personis abstractè sumptis, seu de Personalitatibus, Paternitate, Filiatione, Spiratione passiva. Ergo nomine Personæ simpliciter prolato veniunt Personæ abstractè sumptæ, seu Personalitates.

3. Ratio Secundi est. Quia dum quædam prædicata dicuntur de Personis, quæ non possunt convenire Personis abstractis, solet addi, Persona concretè sumpta est hoc vel illud, v. g. Persona concretè sumpta secundùm essentiam non distinguitur ab alia Persona, nec multiplicatur; secundum Personalitatem distinguitur, multiplicatur. Pater concretè sumptus secundùm Paternitatem generat, secundùm essentiam non generat. Ergo.

4. Alii existimant, nomine Personæ simpliciter prolato intelligi Personam in recto, naturam in obliquo. Et hanc statuunt regulam: In Divinis in recto id venit per aliquod nomen, seu denominationem, quod nomen seu denominatio exprimit & significat. In obliquo verò venit quodcunque aliud prædicatum priori realiter idendificatum. Et sic, quia nomen DEUS Deitatem exprimit & significat, ideo hoc nomine DEUS, simpliciter prolato, venit Deitas in recto, Personalitas in obliquo. Quia verò nomen *Persona* exprimit & significat Personalitatem, ideo nomine Personæ simpliciter prolato, venit Personalitas in recto, Deitas, seu Natura in obliquo.

Universalior Regula pro dignoscendo, quid talibus nominibus veniat in recto, quid veniat in obliquo, est hæc: Id, ex prædicatis, quæ de illis affirmantur, vel negantur, dijudicandum esse. Si enim tale prædicatum affirmatur de Persona, quod verificatur de Deitate secundùm se, & ratione Deitatis convenit Personæ, Deitas tunc veniet in recto, Persona in obliquo. Si verò affirmetur prædicatum de Persona, quod verificatur de Personalitate secundùm se, Persona veniet in recto. Pariter si prædicatum affiirmetur de Deo, quod verificatur de Persona, & ratione Personæ, nomine DEI veniet in recto Persona, in obliquo Deitas. Ut cùm dicitur. *DEUS est incarnatus. DEUS de DEO est Christus.* Nomine DEUS significatur Persona Divina in recto, Deitas in obliquo. Addo tamen Prædicationes hujusmodi non esse pro cujusque arbitrio faciendas & usurpandas, sed eas nonnisi quæ à scripturis, conciliis, & Patribus usurpantur, intelligendas esse juxta datam Regulam. Addo iterum juxta dicta num 2. & 3. non esse necesse, ut nomine Personæ, item nomine Patris aut Filii aut Spiritûs simpliciter prolato extra propositionem veniat Deitas, seu natura in obliquo, Ut item hæc veniat in obliquo in illis propositionibus, in quibus de Persona v. g. Patris, aut Filii &c. Prædicata affirmata verificantur de Personis in abstracto, seu de Personalitatibus. Quæ enim est necessitas, ut nomine Personæ simpliciter prolato, sive extra propositionem, sive in propositione, in qua de Persona prædicata affirmata verificantur de Personis abstractè sumptis, quæ inquam necessitas, ut tunc nomine Personæ Deitas veniat in obliquo. Dum tamen de DEO affirmantur prædicata Personis convenientia, vel negantur prædicata, quæ Personis repugnant, non Deitati, nomine DEI simpliciter prolato, ità in recto venit Persona, ut in obliquo veniat Deitas, nomine DEI significata. Pariter discurrendum de denominatione Personæ. Quod enim aliquo nomine exprimitur & significatur, debet venire tali prolato nomine, quod si non potest venire in recto, debet saltèm venire in obliquo.

5. Ex dictis patet Primò. Quomodo sit resolvenda illa Quæstio: An Personæ Divinæ constituantur per naturam, seu essentiam Divinam, Theologicè sumptam? nimirum dicendum est. Personas Divinas simpliciter dictas, seu nomine Personæ simpliciter prolato significatas, non constitui per naturam, seu essentiam Divinam.

Quia nomine Personæ simpliciter prolato non venit natura, seu essentia, ùt constat ex num. 2. deberet verò venire, si Persona hoc nomine simpliciter prolato significata constitueretur per naturam seu essentiam. Impossibile enim est aliquo nomine venire constitutum, & non venire illo nomine constitutivum talis constituti. Certè essentia Theologicè sumpta non constituitur Personis, & ullo prædicato relativo, sed consistit in solis prædicatis DEI necessariis absolutis & communibus, ùt dictum est Num. 5. & 8. Disp. 1. Ergo nec Persona simpliciter dicta constituitur prædicatis necessariis absolutis & communibus, adeoque non constituitur essentiâ DEI Theologicè acceptâ. Eadem tamen Persona concretè accepta constituitur per essentiam Divinam Theologicè sumptam, Cùm hac sola non intellecta, non intelligatur Persona concretè accepta.

6. Dices: Personæ Divinæ non distinguntur ab Essentia, sed unaquæque Persona est realiter immediatè idem cum essentia. Ergo dictæ Personæ constituuntur per eandem essentiam. Implicat enim aliquid non constitui eô, quod est idem secum realiter. Respondeo, hoc argumentum solvendum esse Adversariis, nimirum si Persona Divina ratione identitatis realis simpliciter cum essentia debet constitui eadem ipsâ essentiâ, ratione ejusdem identitatis nomine Personæ simpliciter prolato, veniet non solùm Personalitas, sed etiam essentia. Adeoque dum dicitur *Pater generare*, ly *generare* verificabitur tam de *Paternitate*, quàm de *essentia*, de qua tamen debet verificari, quòd *non generet*. Quodsi dixeris: hæc prædicata: *generat, non generat*, dicta de *Patre & essentia*, salvari sufficienter per supereminentiam Mysterii Sanctissimæ Trinitatis supra lumen rationis, absque omni Distinctione inter essentiam & Personas. Quæram & ego: Quare per eandem supereminentiam non salvatur, quòd essentia identificetur Personæ secundùm se sumptæ, & tamen Persona secundùm se sumpta, non constituitur per essentiam absque distinctione inter essentiam & Personam. Cùm id videatur esse necessarium ad illam contradictoriorum verificationem: *Pater generat, Essentia non generat*. Directè Respondeo. Etiamsi Personæ Divinæ non distinguantur ab essentia distinctione reali immediata & intensiva, seu Distinctione exclusiva identitatis simpliciter dictæ, nimirum identitatis realis immediatæ. Distinguuntur tamen Distinctione mediata & extensiva, supponente identitatem realem immediatam, intensivam Personarum cum essentia. Distingvuntur item Distinctione virtuali fundata in Distinctione extensiva. Præterea essentia & Personæ distingvuntur Distinctione Rationis præcisiva objectivè, ùt dictum & probatum est Disputatio. 2. Ratione ergo Distinctionum hujusmodi habebitur, quòd Personæ secundùm se sumptæ, & prout nomine Personæ simpliciter prolato significantnr, non constituantur essentiâ, licèt eædem Personæ identificentur immediatè & intensivè ipsi essentiæ. Sicut enim ratione dictarum Distinctionum salvantur alia prædicata dicta de Personis & essentia, ita debent salvari etiam hæc prædicata: Persona Divina in ratione Personæ constituitur Personalitate. Eadem Persona in ratione Personæ non constituitur essentiâ, cui realiter identificatur Personalitas. Seu debent salvari hæc prædicata: Personalitas constituit Personam in ratione Personæ. Essentia identificata realiter Personalitati non constituit Personam in ratione Personæ. Negatâ itaque Consequentiâ objectionis distinguenda erit probatio. Implicat aliquid non constitui eô, quod est idem secum realiter, si nulla distinctione distinguatur ab illo sibi identificato. Omitto probationem. Si aliqua simul distinctione distinguatur. Nego probationem.

7. Patet secundò. Quòd, si Persona simpliciter dicta non constituitur per essentiam Divinam, multò minùs constituatur una Persona per aliam Personam. Nimirum Pater non constituitur per Filium, nec Filius constituitur per Patrem. Ratio est. Quia una Persona nomine Personæ simpliciter prolato significata, v. g. *Pater*, nomine *Patris* simpliciter prolato significatus, dicit *Paternitatem* abstractè sumptam, ùt dictum est Num. 2. Sed *Paternitas* abstractè sumpta non constituitur *Filiatione*. Ergo. Minor probatur. *Paternitas* enim est relatio producentis ad *Filium*; hæc verò est adæquatè distincta à *Filiatione*. Inter quæ enim est oppositio producentis, & pro-

producti, illa ſunt diſtincta realiter immediatè, idque ſunt diſtincta adæquatè, ſecundùm quod opponuntur relativè. Secundùm quod enim ità ſibi opponuntur, non ſunt ſecum ullatenus idem. Ergo *Paternitas* abſtractè ſumpta non poteſt conſtitui *Filiatione*. Quod enim eſt adæquatè diſtinctum à *Filiatione*, non poteſt conſtitui *Filiatione*. Cùm implicet realiter adæquatè diſtingui conſtitutum à ſuo conſtitutivo, Totum à parte. Licet verò *Pater* concretè ſumptus conſtituatur eſſentiâ, non tamen conſtituitur *Filio*; cùm ipſa Eſſentia Theologicè ſumpta non conſtituatur ullâ Perſonâ, quam eſſentiam *Pater* concretè ſumptus dicit ultra *Paternitatem*.

8. Dices. In creatis *Pater* in ratione *Patris* conſtituitur *Filio*. Ergo etiam in Divinis. Reſpondeo imprimis Antecedens eſſe falſum. Nam etiam in creatis *Pater* non conſtituitur entitate *Filii*, ſed ſolùm conſtituitur actione generativa, quæ ſimul eſt *Paternitas*, & *Filiatio*, ſeu ſimul eſt generatio activa, & generatio paſſiva. Tranſito deinde Antecedente, Nego Conſequentiam. Diſparitas eſt. Tum quia in creatis relatio *Patris ad Filium*, cùm ſit relatio accidentalis, eſt relatio prædicamentalis. Qualis relatio ſecundùm probabilem Philoſophorum, ac etiam meam ſententiam debet conſtitui fundamento, & termino proximis, ſeu ratione fundandi, & terminandi. Jam verò in Divinis relatio *Patris ad Filium*, cùm ſit eſſentialis entitati *Patris*, eſt relatio tranſcendentalis, qualis relatio debet conſtitui ſolo fundamento, ſeu ratione fundandi, nullatenus ratione terminandi. Adeóque non debet conſtitui *Filiatione*, & generatione paſſiva. Tum quia in creatis generatio activa, & paſſiva, ſunt una eadémque actio generativa. Duæque illæ rationes generationis activæ, & generationis paſſivæ in unam entitatem actionis generativæ per realé identitatem coaleſcunt. Quare cùm *Pater* in ratione *Patris* dicat actionem generativam, *Pater* creatus in hac ratione ſpectatus dicit generationem tam activam, quàm paſſivam, utpote à ſe indiſtinctas. In divinis verò diverſa hæc ſunt realiter generatio activa, & generatio paſſiva. Quia diverſa ſunt realiter *Paternitas*, & *Filiatio*. Quare etiamſi *Pater* in Divinis conſtituatur *Paternitate*, non eſt tamen neceſſe eundem conſtitui *Filiatione*. Adeóque non eſt neceſſe unam Perſonam conſtitui per aliam. Imò eſt neceſſe, propter oppoſitionem relativam inter Perſonas Divinas, unam Perſonam non conſtitui per aliam.

9. Patet Tertiò. Perſonas Divinas, nomine Perſonæ ſimpliciter prolato ſignificatas, diſtingui realiter adæquatè. Dum enim ſic accipiuntur, accipiuntur ſimul cum eſſentia. Sed Perſona *Patris*, v.g. accepta cum *eſſentia*, à Perſona *Filii* accepta itidem concretè, hoc eſt, acceptâ cum eadem *eſſentia*, diſtinguitur realiter inadæquatè. Taliter enim acceptæ Perſonæ, ſecundùm quod dicunt *eſſentiam Divinam*, ſunt unum idémque; cùm *eſſentia Divina* ſit unica, & omnino ſimplex, ac indiviſibilis, ſunt verò diſtinctæ Perſonæ, ſecundùm quod dicunt Perſonalitates *Patris*, & *Filii*. Ergo.

§. II.

Explicantur Relatio, Origo, Miſſio, Dictio, & Notio, prout reperiuntur in Divinis.

Quæritur I. *Quid, & quot ſint Relationes in Divinis?*

10. Reſpondeo: Nomine Relationis in præſenti intelligi ordinem, quo una Perſona refertur ad aliam Perſonam, tanquam producens ad terminum productum; Vel ùt terminus productus ad principium ſe producens.

Dari Relationes in Divinis de fide eſt. Tum quia Concilum Tolet. 11. cap. 1. in Confeſſione fidei dicit: *In relativis Perſonarum nominibus, Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus Sanctus ad utrumque refertur.* Tum quia de fide eſt unam Perſonam produci ab alia, vel aliis. Sed inter producens & productum datur vera Relatio realis. Ergo.

Relationes hæ quatuor numerantur. Una *Patris ad Filium*. Alia *Filii ad Patrem*, Tertia *Patris & Filii* ſimul ad *Spiritum Sanctum*. Quarta *Spiritûs Sancti* ad *Patrem* & *Filium* ſimul.

Proprietates Relativæ ſunt illæ Relationes, quæ non ſunt communes duabus Perſonis, ſed uni nonniſi Perſonæ ſunt propriæ. Hinc ſicut tres nonniſi Perſonæ ſunt, ità tres ſunt proprietates Relativæ, quarum una convenit *Patri*, éſtque

Paternitas. Altera est *Filiatio*, quæ convenit *Filio.* Tertia est *Spiratio passiva* conveniens *Spiritui Sancto.*

Quæritur II. *Quid sit Origo in Divinis, & an dentur, & quot sint Origines?*

11. Respondeo: Originem, quæ à S. Thoma *Emanatio intelligibilis* dicitur, esse operationem ad intrà, qua Persona una producit, vel duæ Personæ producunt aliam Personam consubstantialem producenti, seu communicantem in eadem natura, seu essentia cum producente. Origo correspondet actioni creatæ, seu causalitati seclusis talis actionis imperfectionibus. Differt origo ab eadem actione creata seu causalitate per hoc; Quia causalitas est productio termini non consubstantialis ipsi producenti, seu non ejusdem, sed diversæ essentiæ. Unde etiam, quod est prius causalitate, prius naturâ dicitur, quod est posterius causalitate, seu quod est effectus, dicitur naturâ posterius. Origo verò est productio termini consubstantialis ipsi producenti, seu Termini, qui sit ejusdem omnino naturæ, & essentiæ cum suo Principio. Alii per hoc volunt differre Originem à Causalitate, quòd Origo sit productio Termini per influxum indefectibilem. Causalitas verò sit productio termini per influxum defectibilem.

Dari Origines in Divinis certum est. *Pater* enim, cùm sit origine prior quàm *Filius*, debet dicere originem, ratione cujus sit prior. *Pater* etiam, & *Filius*, prout sunt principium spirativum *Spiritus S.* sunt principium origine prius, quàm *Spiritus S.* Ergo etiam, & huic principio convenit ratio originis. *Filius* præterea est origine posterior quàm *Pater. Spiritus S.* est origine posterior quàm principium spirativum. Quòd vero hæc prioritas conveniat dictis Relationibus, hinc ulterius est. Quia *Pater*, cùm sit principium *Filii*, *Pater & Filius* simul, cùm sint principium *Spiritûs Sancti*, debent esse quid prius, quàm sui termini; cùm omne principium in ratione principii sit prius suo principiato. Sed *Pater* non est prior naturâ, & causalitate, quàm *Filius*. Principium etiam spirativum non est prius naturâ, & causalitate quàm *Spiritûs Sanctus.* Talis enim prioritas in DEO repugnat. Cùm invehat imperfectionem in principiatum. Ergo *Pater* est prior origine, quàm *Filius.* Principium Spirativum est itidem prius originè, quàm *Spiritûs S.* Hæc siquidem prioritas nullam invehit imperfectionem.

Origines aliæ sunt activæ, aliæ Passivæ. Origo activa est productio, prout se tenet penes ipsum principium. Origo passiva est productio, prout se tenet ex parte termini producti, seu est terminatio originis activæ. Origines activæ sunt duæ. Generatio activa, quâ *Pater generat Filium*, & Spiratio activa, quâ *Pater, & Filius* per modum unius principii *Spirant Spiritum S.* Passivæ itidem Origines duæ sunt. Una generatio passiva, ratione cujus *Filius generatur*, identificata *ipsi Filio*, & Spiratio passiva identificata *Spiritui S.* ratione cujus *Spiritus Sanctus* spiratur.

Quæritur III. *Quid sit Processio, & an dentur Processiones, & quot sint?*

12. Respondeo: Processionem esse passivam originem unius Personæ ab alia, vel aliis. Cùm à Scripturis, & Patribus illæ Personæ dicantur procedere, quæ originem habent ab aliis. Hinc non bene Processio à quibusdam confunditur cum origine. Siquidem origo latiùs patet. Convenit enim tam origini activæ, quàm origini passivæ. Processio verò restringitur ad solam originem passivam.

Dari Processionem in Divinis certum ex Fide est. Joan. enim 8. Filius DEI incarnatus de se dicit: *Ego ex DEO processi.* & Joan. 15. dicitur. *Spiritus, qui à Patre procedit.* In symbolo etiam Nicæno Ecclesia confitetur, quòd *Spiritûs Sanctus à Patre, Filióque procedat.*

Processiones duæ tantùm sunt in divinis. Una est Processio *Filii à Patre.* Altera est processio *Spiritûs Sancti à Patre, & Filio* simul. Prior dicitur per Intellectum, altera dicitur processio per Voluntatem. Licèt verò duæ sint processiones, usus tamen obtinuit, ut nomine Processionis simpliciter prolato, significetur Spiratio passiva.

Quæritur IV. *Quid sit Missio, & quot sint Missiones in Divinis?*

13. Respondeo. Quòd Missio in Divinis ultra processionem unius Personæ ab alia, superaddat apparentiam extrinsecam, in tempore Personæ procedentis, & aliquos effectus tali Personæ Speciali-

ter

ter appropriatos. Hinc quia *Pater* à nulla Persona procedit, *Pater* mitti non potest. *Filius*, quia à solo *Patre* procedit, à solo *Patre* mittitur. *Spiritus S.* quia à *Patre Filióque* procedit, mittitur ab utróque.

Dari Missiones Divinarum Personarum constat ex Scripturis. De *Filio* enim dicitur: *DEUS misit Filium suum Unigenitum.* De *Sancto* etiam *Spiritu* dicit Veritas æterna: *Spiritus, quem Ego vobis à Patre mittam, docebit vos omnia.*

Missiones duæ pariter sunt atque Processiones, una Missio *Filii à Patre*, altera Missio *Spiritûs Sancti à Patre, & Filio.*

Quæritur V. *Quid sit Dictio, seu locutio? An detur? & quotuplex sit?*

14. Respondeo: per Dictionem, seu locutionem intelligi Productionem *Verbi.*

Dari Dictionem seu locutionem, Scripturæ, & Patres sæpius inculcant, ùt cùm dicitur Psal. 2. *Dominus dixit ad me; Filius meus es Tu, Ego hodie genui Te.* Et Psal. 61. dicitur: *Semel locutus est DEUS.* Eccl. 14. Sapientia æterna, seu *Filius æternus* de se dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Augustinus etiam lib. 15. de Trinitate DEI cap. 14. dicit. *Quòd Pater Dicendo producat sibi Verbum æquale.* Et Gregorius lib. 23. Moralium. cap. 11. dicit: *Loqui DEI est Verbum genuisse. Semel autem loqui, est Verbum aliud præter Unigenitum non habere.*

Dictio, seu locutio, alia est activa, alia Passiva. Locutio, seu Dictio activa est ipsum producere, per quod *Pater* producit *Verbum.* Dictio Passiva est ipsum produci, ratione cujus, & quo producitur *Verbum.* Seu Dictio, & locutio activa est generato activa. Dictio seu locutio passiva est generatio passiva. Propriè tamen dictio, & locutio convenit productioni activæ *Verbi*, seu Primæ Personæ Divinæ. Esse verò *Verbum*, convenit productioni passivæ *Verbi*, seu ipsi *Filio.* Dictionis nomen S. Anselmus Menologii cap. 61. videtur omnibus tribus Personis tribuere, dum quærit: *Cùm Pater, & Filius, & Spiritus S. unusquisque se ipsum, & alios ambos dicat, an sint tres Dicentes?* Respondétque: *Non esse tres Dicentes, quamvìs singulus quisque sit Dicens.* Cæterum hæc Dictionis acceptio est ampla, & minùs propria. In stricta, & propria acceptione, sola generatio activa *Filii*, seu productio activa *Verbi*, est Dictio, & locutio, ùt expressè docet Richardus à S. Victore lib. 6. de Trinitate cap. 13. dum dicit: *Interna locutio agitur authore solo Patre. Nam solus Pater dicit.* Certè si Dictio propriè dicta esset multiplex, pariter *Verbum* propriè dictum, quod Dictioni respondet, deberet esse multiplex. Sed *Verbum* propriè dictum non est multiplex. Tum quia Patres dicunt, *Verbum* esse nomen proprium *Filii*, qui unigenitus, & unicus est. Tum quia *Verbum* propriè dictum est illud, quod verè, & realiter producitur per Intellectum. Sed tale *Verbum* est nonnisi Secunda Persona Divina. Ergo. Adverto. *Verbum* respondens Intellectui essentiali Divino, hujúsque Intellectûs Dictioni, *Verbum* item distinctum à *Filio*, quo Personæ aliquæ intelliguntur sibi Dicere, & loqui, esse Verbum latè, & amplè acceptum, non esse verò *Verbum* in propria significatione *Verbi* acceptum.

Quæritur VI. *Quid sit Notio? An item dentur, & quot sint Notiones?*

15. Respondeo: Notionem in Divinis esse rationem objectivam, per quam aliqua Relatio nobis innotescit. Seu Notio est nota discretiva, quâ una Relatio discernitur ab alia. Nomen Notionis ex S. Augustino desumptum esse censetur ex lib. 3. de civit. DEI. cap. 6.

Dari hujusmodi Notiones, seu prædicata notionalia discretiva unius Relationis ab alia, certum est apud omnes. Cùm enim certum sit Relationes Divinas à se differre, & discerni, certum est dari rationes objectivas, per quas una Relatio discernitur ab alia. Adeóque dari Notiones.

Notiones 5. communiter assignantur: *Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio passiva, Innascibilitas, & ingenerabilitas.* Ingenerabilitatem, & innascibilitatem esse Notionem *Patris*, & prædicatum soli *Patri* proprium, docet S. Augustinus. lib. de Trinitate, & unitate DEI, dum de Spiritu S. dicit: *Spiritum S. neque ingenitum, neque genitum, fides recta declarat. Quia si dixerimus ingenitum; duos Patres affirmare videbimur. Si autem genitum; duos Filios credere culpamur. Sed quod fides certa tenet, nec inge-*

ingenitus est, nec genitus. Sed ab utroque procedens. Ex quo textu colligitur, esse ingenitum esse prædicatum proprium, adeóque notionale Patris. Porro Innascibilitas, & ingenerabilitas, prout est prædicatum proprium, & notionale Patris, accipitur pro esse Fontis omnis Divinitatis, seu pro esse Principii processionum in Divinis. Ex hoc, quòd Ingenerabilitas dicatur esse Quinta Notio, etiam Inspirabilitatem dici debere Sextam Notionē Scotus arguit. Non videtur enim esse ratio, cur Ingenerabilitas sit prædicatum notionale *Patris*, Inspirabilitas autem non sit prædicatum notionale *Filii.* Respondeo, Inspirabilitatem non esse prædicatum notionale *Filii*, etiamsi ingenerabilitas, seu esse ingenitum sit prædicatum proprium, & notionale *Patris.* Tum quia S. Augustinus docet expressè, quòd esse ingenitum sit prædicatum proprium *Patris*; nullibi verò, vel ipse, vel aliquis alius ex SS. Patribus docet Inspirabilitatem, seu esse Inspiratum, esse prædicatum proprium *Filii.* Tum quia Innascibilitas significat rationem principii, & Primam Originem Processionum Divinarum. Quæ ratio convenit soli Patri. Inspirabilitas autem non est ex ullo suo prædicato ulla talis ratio, quæ specialiter debeat convenire Filio; cùm præcipuè etiam *Pater non Spiretur.*

Adverto hic aliqua. Primò. Quamvis à me, & à multis Theologis admittantur in Divinis: Intellectus notionalis, & voluntas notionalis; tamen hæc prædicata non numerari supra 5. Notiones enumeratas. Tum quia non ab omnibus admittuntur Intellectus notionalis, & Voluntas Notionalis. Tum quia Intellectus Notionalis est formaliter ipsa *generatio activa*, & sub hujus conceptu venit intellectus Notionalis. *Pater* enim per Intellectū *generat Filium.* Voluntas autem notionalis venit, & intelligitur nomine *Spirationis activæ*, quatenus *Pater & Filius* per voluntatem *Spirant Spiritum S.* Adverto Secundò, prædicatum *Spirationis activæ* esse prædicatum notionale, & Notionem. In tantum enim non esset, in quantum conveniret duabus Personis, *Patris & Filii.* Sed hoc non evincit *Spirationem activam* non esse Notionem. Esse enim talem *Spirationem* non convenit dictis Personis Divinis singillatim, & divisim, & tanquam duabus diversis Relationibus; sed convenit illis simul, & indivisim, tanquam uni principio, & uni Relationi Spiratoris. Talisque Relationis est prædicatum notionale *Spiratio activa.* Adverto Tertiò, notiones 5. enumeratas non eodem modo à se invicem esse distinctas. *Generatio activa, Generatio passiva, & Spiratio passiva* distinguuntur à se realiter immediatè. *Generatio activa*, & ingenerabilitas distinguuntur nonnisi per rationem. *Spiratio activa à generatione activa, & generatione passiva* singillatim sumptis distinguuntur distinctione reali inadæquata, ac etiam virtuali intrinseca, ùt dicetur inferiùs. Adverto Quartò, uni eidémque Relationi posse convenire duas Notiones. Relationi enim *Patris* convenit Notio *Paternitatis*, & Notio *innascibilitatis.* Cùm hæ Notiones per rationem nonnisi distinguantur.

§. III

Quid sit Principium *quod*, quid Principium *quò* in Divinis? & utriusque hujus Principii ratio cui conveniat?

16. Respondeo, & Dico Primò. Principium *quod* in Divinis esse illud, per quod ad quæstionem: Quod est Principium producens aliquam Personam; respondetur communiter à Patribus, & Theologis. Principium *quò* est illud, per quod ad Quæstionem; quo una Persona producit aliam, vel quo duæ Personæ producunt Tertiam, responderi debet, & solet. Hinc, quia ad quæstionem, quod est principium producens v. g. *Filium*, vel *Spiritum S.* è mente Conciliorum, Definitionum Ecclesiæ, & Patrum, respondemus: *Pater* est principium, quod *generat. Pater, & Filius simul* sunt Principium, quod *Spirat Spiritum S.* Ideo principium *quod Filii*, est *Pater.* Principium *quod Spiritus Sancti*, est *Pater, & Filius* simul, seu *Spirator.*

Probari id ipsum solet ex illo axiomate: Actiones sunt suppositorum. Ergo principia *quod*, sunt supposita, quibus tribuuntur productiones in Divinis. Sed suppositum, seu Persona *Patris*, est id, cui tribuitur productio *Filii*: Supposita, seu Personæ *Patris, & Filii* sunt, quibus tribuitur *Spiratio Spiritûs Sancti.* Ergo

Pa-

Pater est principium *quod Filii. Pater, & Filius* simul, sunt principium *quod Spiritûs Sancti.*

Ad Quæstionem verò: *Quo Pater* producit *Filium*, *quo* item *Pater*, *& Filius* simul producunt, *& Spirant Spiritum S.* Quia non uniformiter respondetur; ideo non unum idémque Principium *quô* Processionum Divinarum statuitur ab omnibus. Quamvis verò disconveniant Doctores in assignando principio *quô*; in hoc tamen plerique conveniunt, quòd ad quæstionem: quo una Persona producit aliam, vel quo duæ Personæ producunt Tertiam; responderi debeat: tum per actionem productivam Personæ, tum per virtutem, & potentiam productivam. Adeóque Principium *quô* alicujus Personæ debet esse actio productiva ejusdem, debet item, ùt plurimi volunt, esse virtus, quâ producitur Persona. In hoc verò plures disconveniunt: quòd per actionem productivam, quidam intelligi velint actionem generativam *Filii*, seu generationem activam identificatam tam realiter, quàm virtualiter *Patri*. Actionē item spirativam *Spiritûs S.* seu Spirationem activam identificatam realiter, quàm virtualiter *Spiratori*. Alii per actionem hanc intelligi volunt emanationem proprietatum Relativarum convenientem ipsi *Naturæ*, quâ hæc emanat virtualiter proprietates relativas. Volunt item intelligi communicationem *naturæ* pariter convenientem, quâ dicta *natura* per identitatem communicat se singulis, & omnibus Personis. Disconveniunt item Doctores circa virtutem, quâ producuntur Personæ Divinæ *Filii*, *& Spiritûs S.* Quidam hanc virtutem inesse, & identificari tam realiter, quàm virtualiter ipsis Personis, & Personalitatibus Divinis existimant. Alii è contrà censent, hanc virtutem ipsi *naturæ, seu Deitati* identificari tam realiter, quàm virtualiter, ipsámque *naturam* ratione sui esse hujusmodi virtutem, adeóque esse principium *quô* Processionum Divinarū. Qui non admittunt Intellectum notionalem, & voluntatem notionalem, sed solum Intellectum essentialem, & voluntatem essentialem, docent virtutem productivam *Filii*, & principium *quô* esse Intellectum essentialem, quatenus *Pater* per Intellectum producit *Filium*. Virtutem verò productivam *Spiritûs Sancti*, & principium *quô* ejusdem esse voluntatem essentialem, per quam *Pater, & Filius* Spirant *Spiritum S.*

17. Respondeo, & Dico Secundò. Principium *quô* realiter immediatè productivum Processionum Divinarum esse Relationes, & Origines activas. *Essentiam* verò, seu *naturam*, *& Deitatem* non esse principium *quô* physicè productivum Personarum Divinarum. Esse tamen principium emanativum proprietatum Relativarum. Esse item principium communicativum sui per identitatem iisdem Proprietatibus, ac denique principium radicale, & remotum *Filiationis, & Spirationis Passivæ.*

Ratio Primi est, tum ab authoritate Patrum. S. Athanasii asserentis. *Patrem hypostasi generare.* S. Ambrosii dicentis: *Generationem Paternæ Proprietatis opus esse.* S. Damasceni lib. de duabus Christi voluntatibus: *Omnia, quæ habet Pater, sunt Filii, sola gignendi vi exceptâ.* Tum quia actio, & virtus, quâ una Persona, vel duæ Personæ producunt aliam distinctam Personam sunt principia *quô* Processionum Divinarum. Sed relationes Divinæ activæ sunt actio, & virtus, quibus una Persona, vel duæ Personæ producunt Personam ab ipsis distinctam. Ergo Relationes Divinæ activæ sunt principia *quô* Processionum Divinarum. Major constat ex dictis numero præcedente. Minor quoad Primam partem facilè probatur; Relatio enim *Paternitatis* est generatio activa, seu actio generativa *Filii.* Relatio Spirationis activæ est actio Spirativa *Spiritûs S.* Quoad Secundam partem eadem Minor probatur. Virtus generandi in *Patre* est ipsa *Paternitas.* Virtus Spirandi in *Patre*, *& Filio* est ipsa *Spiratio activa.* Neque enim per aliam virtutem *Pater generat*, quàm per virtutem sibi tam realiter, quàm virtualiter, seu omnimodè identificatam; adeóque per *Paternitatem.* Pariter Principium *Spirativum* non per aliam virtutem *Spirat Spiritum S.* nisi per virtutem sibi tam realiter, quàm virtualiter, seu omnimodè identificatam; adeóque per ipsam *Spirationem activam.* Certè in his principiis nulla est necessitas, & fundamentum distinguendi aliqua distinctione actionem *generativam* à virtute productiva, seu gene-

ratineva Filii. Distinguendi item actionem Spirativam à virtute Spirativa *Spiritûs Sancti.* Quæ enim est illa necessitas? Et quare *Pater* non dicit hanc virtutem, utpote prædicatum relativum sibi proprium, quod nec debet, nec potest esse commune toti *Trinitati*? Spirator item quare non dicit virtutem *Spirativam* identificatam principio *Spirativo*, seu Spiratori, utpote prædicatum pariter relativum, quod non est itidem commune *Trinitati*, sed est soli Spiratori proprium. Cùm præsertim etiam *Filius* non solùm habeat identificatam sibi *generationem passivam*, sed etiam vim, & virtutem *generationis activæ* terminativam; & *Spiritûs S.* habeat non solùm identificatam sibi *Spirationem passivam*, sed etiam vim, & virtutem terminativam *Spirationis activæ*. Quis enim unquam dixit *Filium* terminare generationem activam? *Spiritum* item S. terminare *Spirationem activam* per ipsam *Deitatem*, & non potiùs per suum esse relativum. Ergo.

18. Ratio Secundi est. Principium *quô* physicè productivum *Filii* debet esse distinctum realiter immediatè *à Filio*. Item principium *quô* physicè productivum *Spiritûs S.* debet esse distinctum realiter immediatè *à Spiritu S.* Sed *essentia Divina, seu Deitas* non est distincta realiter immediatè *à Filio*, nec etiam est distincta realiter immediatè *à Spiritu S.* ùt fides docet. Ergo Essentia Divina, seu Deitas non est principium *quô* productivum *Filii*, neque est principium *quô* productivum *Spiritûs Sancti*. Major probatur. Tum quia inter producens physicè, & inter productum debet esse distinctio realis immediata. Hæc enim debet esse inter opposita relativè oppositione producentis, & producti. Sed principium *quô* physicè productivum, & Persona, quæ à tali principio producitur, sunt producens physicè, & productum. Ergo. Tum quia inter principium *quod* alicujus Personæ, & inter eandem ipsam Personam est, & debet esse Distinctio realis immediata. Ergo multò magis debet esse hæc ipsa distinctio inter principium *quô*, & inter Personam productam. Cùm principium *quô* sit virtus, & ratio formalis, à qua habet principium *quod*, quòd sit principium productivum; adeoque quòd habeat oppositionem relativam cum producto, fundativam distinctionis realis immediatæ. Tum quia inter *generationem activam* propriam *Patri*, & inter *generationem passivam* propriam *Filio*. Item inter *Spirationem* activam convenientem Spiratori, & inter *Spirationem passivam* propriam *Spiritûs S.* est, & debet esse distinctio realis immediata. Ergo etiam est, & debet esse distinctio realis immediata inter virtutem *generativam*, & inter vim, seu virtutem terminativam *generationis activæ*. Item inter virtutem *Spirativam*, & inter vim, seu virtutem terminativam *Spirationis activæ*. Si enim *generatio activa*, & *passiva* habent oppositionem relativam fundativam Distinctionis realis immediatæ inter tales *generationes*; si item est oppositio relativa inter *Spirationem activam*, & *passivam*, fundativa distinctionis realis immediatæ inter has ipsas *Spirationes*. Multò magis virtus *generativa*, & virtus *terminativa generationis activæ*; virtus item *Spirativa*, & virtus terminativa *Spirationis activæ* habent eandem oppositionem relativam; adeóque Distinctionem realem immediatam tali oppositioni infundatam.

19. Ratio Tertii est. Tum quia *Essentia Divina* emanat ex se emanatione virtuali Proprietates relativas, iisque se communicat pet identitatem immediatam cum iisdem proprietatibus. Dum enim *Pater* v. g. *generat Filium* realiter à se distinctum, ità ipsum physicè producit, ut eundem *Filium Deitas* virtualiter emanet, illique se per identitatem communicet. Tum quia si essentia dicatur esse principium quô emanationis, & communicationis sui per identitatem respectu Processionum Divinarum, concilientur hac ratione Patrum authoritates, quæ videntur secum pugnare. Quidam enim Patres rationem principii *quô* Processionũ Divinarum dicunt convenire ipsis Relationibus activis, quorum authoritates adductæ sunt num. 17. Alii videntur asserere *Essentiam Divinam* esse principium *quô Filii, & Spiritûs Sancti*. Tales authoritates sunt S. Dionysii de Divinis nominibus cap. 2. dicentis: *JESUM, & Spiritum S. esse fœcundæ Divinitatis germina.* Joannes etiam Theologus in Concilio Florentino sess. 18. refertur dixisse: *Deitatem esse principium, quô generatio fit.* Hæ authoritates ad speciem oppositæ sic conciliantur

liantur: nimirum authoritates hic adductæ debent intelligi de principio *quô*, emanativo proprietatum relativarum, & communicativo ſui per identitatem Perſonis, vel certè de principio *quô* remoto. Jam verò authoritates adductæ Num. 17. intelligendæ ſunt de principio *quô* Phyſicè productivo, formali, & immediato.

20. Ratio quarti eſt. Quia *Eſſentia Divina* non ſolùm emanat Proceſſiones, & Relationes paſſivas, illiſque ſe communicat, ſed etiam emanat Origines, & Relationes activas, quæ ſunt virtus immediata Phyſicè productiva *Filii & Spiritûs ſancti*. Quatenus ergo emanat Relationes *Patris & Spiratoris*, eſt principium *quô* remotum reſpectu *Filii & Spiritûs S.* Principium enim principii immediati eſt principium remotum. Si ergo eſſentia Divina eſt principium *Paternitatis, & Spirationis activæ*, quæ ipſa ſunt principia *quô* immediata *Filii & Spiritûs Sancti*; eadem *eſſentia* eſt principium quô remotum *Filii & Spiritûs Sancti*.

Adverto *Eſſentiam DEI* dici principium *quô*, non Principium *quod*, ex eo: quòd *Natura*, ſecundùm ſe ſumpta, & prout eſt radix emanativa proprietatum relativarum non ſit ſuppoſitum, cui ſoli convenit ratio principii *quod*.

Proponuntur Objectiones contra Concl. Num. 17.

21. Objicitur primò. Quod eſt virtus ſeu potentia productiva Proceſſionum Divinarum eſt principium *quô* earundem. Sed *Natura Divina*, ſeu *Deitas*, eſt virtus ſeu potentia productiva proceſſionum Divinarum. Ergo. Major conſtat ex dictis Num. 16. Minor probatur. Id, cujus exercitium ab ipſo adæquatè fluens in ſuo genere conſtituit realiter producens in ratione producentis, illud eſt virtus, & potentia productiva. Et ſic, quia caloris exercitium actuale ab ipſo calore immediatè fluens, nimirum calefactio, conſtituit aquam calidam in ratione calefacientis, calor eſt virtus & potentia productiva calefactionis. Idem dicendum eſt de gravitate, & levitate, quarum qualitatum exercitium eſt gravitatio, & levitatio, conſtituens ſubjectum in ratione gravitantis vel levitantis, quòd hæ qualitates ſint virtus & potentia productiva gravitationis, & levitationis. Sed ſola *eſſentia* eſt id, cujus exercitium ab ipſa adæquatè fluens in ſuo genere conſtituit realiter producentem. *Paternitas* enim adæquatè fluens ab *eſſentia*, tanquam à ſuo virtuali principio, conſtituit *Patrem* in eſſe *generantis Filium*. *Spiratio* etiam *activa* adæquatè fluens ab eadem *eſſentia* conſtituit *Patrē, & Filium*, in ratione principii *Spirantis Spiritum S.*

22. Objicitur ſecundò. Quod eſt ſufficientia, ut exiſtat productio activa, & paſſiva Filii, illud eſt principium *quô* in Divinis. Sed Sola *Eſſentia Divina*, eſt talis ſufficientia. Ergo ſola eſſentia eſt principium *quô* in Divinis. Minor probatur. Quia eſſe ſufficientiam, vi cujus exiſtunt relationes Divinæ, eſt prædicatum proprium *naturæ*. Talis enim ſufficientia eſt perfectio per ſe æſtimabilis. Quia ſe habet per modum formæ tribuentis neceſſitatem ad exiſtendum: qualis forma eſt perfectio per ſe æſtimabilis; cùm meliùs ſit habere hujuſmodi neceſſitatem, quàm non habere. Porrò perfectiones per ſe æſtimabiles debent eſſe prædicatum proprium *naturæ*. Quia debent eſſe prædicatum commune toti *Trinitati*. Non poteſt enim perfectio per ſe æſtimabilis convenire uni Perſonæ, & non convenire alteri. Aliàs una Perſona poſſet excludere aliquam perfectionem per ſe æſtimabilem. Ergo.

23. Objicitur tertiò. Virtus & potentia, quâ una Relatio producit aliam, eſt prædicatum proprium *Eſſentiæ Divinæ*. Ergo ſecundùm hoc prædicatum *Eſſentia Divina* eſt principium *quô* Proceſſionum Divinarum. Antecedens probatur. Intellectus, & voluntas Divina ſunt prædicata propria Eſſentiæ Divinæ. Sed Intellectus & voluntas ſunt virtus, & potentia, quâ una Relatio producit aliam. *Pater* enim *generat Filium* per Intellectum; *Pater*, & *Filius ſpirant Spiritum S.* per voluntatem. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

24. Reſpondeo ad primum, Negando primam Minorem. Probationem illius Diſtinguo. Id, cujus exercitium ab ipſo immediatè fluens in ſuo genere conſtituit realiter producens, & per modum actionis, & per modum virtutis, eſt virtus, & potentia productiva. Nego Majorem. Id, cujus exercitium ab ipſo immediatè fluens in ſuo genere conſtituit realiter producens per-

modum actionis productivæ præcisè, eſt potentia, & virtus productiva. Concedo Majorem. & Minorem Diſtinguo. Sed *eſſentia* eſt id, cujus exercitium ab ipſa adæquatè immediatè fluens in ſuo genere conſtituit producens, v. g. *Patrem generantem*, conſtituit inquam, & permodum actionis productivæ, & permodum ipſius virtutis. Concedo Minorem. Conſtituit producens realiter præcisè permodum actionis. Nego Minorem, & Conſequentiam. Ac dico: ſi quodpiam exercitium fluens adæquatè in ſuo genere ab aliquo eſſe conſtituat producens realiter tam permodum actionis, quàm virtutis productivæ immediatæ, ipſum potiùs tale exercitium eſt virtus, & potentia immediata realiter productiva termini, qui producitur. Non eſt verò virtus, & potentia illud eſſe, à quo fluit adæquatè in ſuo genere tale exercitium, ſed ad ſummum eſt virtus, & potentia remota ac mediata. Porrò *Eſſentiæ Divinæ* exercitium, quod eſt v. g. *Paternitas*, ab hac adæquatè fluens in ſuo genere conſtituit realiter producentem, nimirum *Patrem*, non ſolùm permodum actionis, ſed etiam permodum virtutis immediatæ realiter productivæ *Filii*, ùt probatum eſt Num. 17. Unde *Paternitas* eſt virtus, & potentia immediata productiva *Filii*. Non eſt verò talis virtus *Eſſentia Divina*, à qua fluit *Paternitas*, ſed nec eſſe poteſt ſecundùm dicta Num. 18.

Eandem Probationem ſic adhuc Diſtinguo: Id à quo fluit adæquatè exercitium, quod conſtituit producens, eſt virtus & potentia productiva termini producti, ſi ratio talis virtutis repugnet prædicatis tam ipſius exercitii, quàm ipſius influxûs. Concedo Majorem. Si eſſe talem virtutem non repugnet prædicatis tam ipſius exercitii, quàm influxûs. Nego Majorem. Similiter diſtincta Minore, nego Conſequentiam, ac dico: Exercitio, in quod influit *Eſſentia Divina*, & quod conſtituit Perſonam realiter producentem, hæc tria prædicata convenire: primò, quòd ſit Productio activa. Secundò, quòd ſit virtus immediata realiter productiva. Tertiò, quòd ſit realiter diſtincta à termino producto, & ipſius productione paſſiva. Quibus prædicatis repugnat *Eſſentiam Divinam* eſſe virtutem immediatam productivam. Potiùs enim ipſi exercitio *Eſſentiæ*, ex vi horum prædicatorum debet convenire ratio virtutis, & potentiæ immediatæ. Influxus etiam *Eſſentiæ* in ſuum exercitium, nimirum in *Paternitatem*, non eſt influxus Phyſicus, & realis, ſed eſt influxus virtualis, & rationis, quatenùs *Eſſentia* emanat virtualiter *Paternitatem*, ipſíque per identitatem realem communicatur Cui influxui repugnat, *Eſſentiam* hoc influxu influentem, eſſe virtutem realiter productivam *Filii*. Cùm virtus realiter productiva debeat influere in terminum productum influxu realiter diſtincto, quomodo non diſtinguitur influxus *Eſſentiæ à Filio*. Hic enim influxus eſt ipſa *eſſentia*, quæ non diſtinguitur realiter *à Filio*.

Aliter diſcurri debet de calore aquæ calidæ, quæ in calefactionem tanquam in ſuum exercitium influit influxu reali, & phyſico, ipſaque calefactio eſt præcisè actio indiſtincta à calefactione paſſiva, non identificans ſibi virtutem productivam, nec habens pro termino productionis à ſe diſtincto calefactionem paſſivam. Unde habetur, quòd calor aquæ calidæ ſit virtus productiva alterius caloris in manu.

25. Ad ſecundum Reſpondeo cum Diſtinctione: Illud eſt principium *quô* in Divinis, principium inquam realiter productivum, quod eſt ſufficientia, ut exiſtant quæcunque Relationes Divinæ, nimirum tam activæ, quàm paſſivæ, Nego Majorem. Illud eſt principium *quô* in Divinis, intellige principium immediatum, & realiter productivum, quod eſt ſufficientia, ut exiſtant proceſſiones ſeu Relationes paſſivæ, ídque eſt ſufficientia realiter diſtincta ab iiſdem ipſis proceſſionibus. Concedo Majorem. & Diſtinguo Minorem, Sed *Eſſentia Divina* eſt ſufficientia, vi cujus exiſtunt omnes, & ſingulæ Relationes, éſtque ſufficientia ab his ipſis Relationibus realiter immediatè indiſtincta, & requirens aliam ſufficientiam reſpectu proceſſionum, & relationum paſſivarum ab ipſis realiter diſtinctam. Concedo minorem. Eſt ſufficientia immediata phyſica, & realis reſpectu relationum paſſivarum, ab iis diſtincta realiter immediatè. Nego Minorem, & Conſequentiam. Ad ulteriorem Probationem dico: in Divinis dari duplicem ſufficientiam, vi cujus exiſtunt relationes Divinæ. Unam ſufficientiam emanativam Relationum, tanquam proprietatum, ipſis ſe communicantem per identitatem realem, quæ

ſuffi-

ſufficientia eſt communis reſpectu omnium omnino Relationum, ſeu Perſonarum. Altera ſufficientia eſt phyſicè productiva termini, realiter immediatè à ſe diſtincti. quæ ſufficientia datur in Divinis reſpectu illarum nonniſi Relationum, quæ producuntur. quales Relationes ſunt: *Filiatio, & Spiratio paſſiva*, ſeu *Filius, & Spiritus S.* Licèt ergo prior illa ſufficientia ſit propria *eſſentiæ, ſeu Naturæ Divinæ*, illíque ratione ſui conveniens, tamen ſufficientia productiva phyſicè termini realiter diſtincti non eſt propria *Naturæ*, ſed eſt propria Relationum activarum ipſis conveniens. Nimirum ſufficientia phyſicè productiva, & generativa *Filii* eſt propria *Patri. Pater* enim *ut Pater* eſt, ità *generat Filium*, ut ratione ſui ſit ſufficiens ad generandum realiter *Filium.* Sufficientia productiva phyſicè *Spiritûs Sancti* eſt propria principio *Spirativo*, quod ità ſpirat *Spiritum S.* ut ratione ſui ſit ſufficiens ad eundem realiter ſpirandum. Ulterior probatio tangit difficultatem Puncto ſequenti examinandam. An relationes Divinæ ſint ratione ſui perfectiones per ſe æſtimabiles? Ex hujus difficultatis reſolutione conſtabit, quid dici debeat ad dictam Probationem. Dici interim poteſt, perfectiones per ſe æſtimabiles communes per identitatem realem immediatam omnibus, & ſingulis Perſonis, eáſque abſolutas eſſe prædicata propria *naturæ* eidem ratione ſui convenientia. Perfectiones tamen duabus nonniſi Relationibus convenientes, eáſque relativas, non abſolutas, non debere eſſe prædicata propria *naturæ*, ſed potiùs debent eſſe prædicata propria relationum. Porrò ſufficientia phyſicè productiva *Filii*, ſufficientia item phyſicè productiva *Spiritûs Sancti*, ſunt perfectiones duabus nonniſi Relationibus convenientes; nimirum Relationi *Patris*, & Relationi *Spiratoris*, nec ſunt communes per identitatem iiſdem Relationibus, ſed potiùs ſingulæ ſingulis ſunt propriæ. Non ſunt item perfectiones abſolutæ, ſed perfectiones relativæ, quare non debent eſſe prædicata propria *Naturæ*.

26. Ad tertium Reſpondeo dupliciter. Primò, Diſtinguendo Antecedens. Virtus & potentia proxima, & immediata, eáque phyſicè productiva Perſonarum *Filii, & Spiritûs Sancti* eſt prædicatum proprium *Eſſentiæ Divinæ*. Nego Antecedens. Virtus, & potentia remota & mediata; virtus item emanativa virtualiter Relationum, & iiſdem communicativa ſui per identitatem, eſt prædicatum proprium *Naturæ Divinæ*. Concedo Antecedens, & nego Conſequentiam. Vel certè Diſtinguo ſimiliter Conſequens. Probationis Diſtinguo Minorem. Sed Intellectus, & voluntas (intellige eſſentialis) ſunt potentia remota, aut etiam proxima emanativa, & communicativa ſui Relationibus, non tamen phyſicè productiva earundem. Concedo Minorem. Sed Intellectus, & voluntas (intellige eſſentialis) ſunt virtus, & potentia proxima, & immediata, eáque phyſicè productiva earundem. Nego Minorem, & Diſtinguo ſimiliter Conſequens. Ad eandem Objectionem reſpondeo ſecundò, Negando primum Antecedens. Probationis Diſtingvo Majorem. Intellectus Notionalis, & voluntas Notionalis ſunt prædicata propria *Eſſentiæ Divinæ*, non verò prædicata propria Relationum. Nego Majorem. Intellectus eſſentialis, & voluntas eſſentialis ſunt prædicata propria *Eſſentiæ*. Concedo Majorem. & Diſtinguo Minorem Sed Intellectus Notionalis, & voluntas Notionalis ſunt virtus, & potentia, per quam *Pater* producit *Filium, & Spirator* producit *Spiritum S.* Concedo Minorem. Sed Intellectus eſſentialis, & voluntas eſſentialis ſunt virtus, & potentia, per quam *Pater* phyſicè producit *Filium, & Spirator* producit phyſicè *Spiritum S.* Nego Minorem, & Conſequentiam, ac Dico: præter Intellectum eſſentialem, & Voluntatem eſſentialem debere admitti Intellectum notionalem, & voluntatem notionalem docui Diſp. 2. Num. 26. Conformiter ad dicta ibidem, dicendum in præſenti eſt, quòd Intellectus notionalis, qui eſt prædicatum proprium *Patris*, ſit virtus, & potentia immediata, quâ phyſicè, & realiter producitur *Filius.* Adeoque quòd ſit principium *quô Filii.* Pariter voluntas notionalis, quæ eſt prædicatum proprium principii ſpirativi, eſt virtus, & potentia immediata, quâ phyſicè, & realiter producitur *Spritus S.* adeóque eſt principium *quô*, reſpectu *Spiritûs Sancti.* Intellectus verò eſſentialis, & voluntas non ſunt virtus immediata, quâ phyſicè producuntur *Filius & Spiritus S.* ſed ad ſummum Intellectus eſſentialis, & voluntas eſſentialis ab *Eſſentia Di-*

vina omnino indistincta sunt virtus, & potentia remota; sunt item virtus emanativa Relationum, & communicativa sui per identitatem ipsis Relationibus.

Patet ex dictis, Relationes activas Patris & Spiratoris non esse meras conditiones requisitas ad productiones Filii & Spiritûs Sancti. Ut voluerunt Suarez & Arriaga. Cùm hæ relationes sint non solùm productiones activæ Personarum productarum, sed etiam virtus, & potentia physicè productiva. Adeóque sint principium quò respectu Filii & Spiritûs Sancti.

PUNCTUM II.

An Personalitates Divinæ formaliter ùt tales dicant formaliter propriam, & peculiarem perfectionem?

27. Præmitto: Perfectum per hoc à plerísque explicari, quòd sit id, cui nihil deest eorum ad hoc, ut sit. Unde juxta hanc explicationem Perfecti, perfectio erit omne prædicatum, & omnis ratio requisita ad esse rei, sinè qua res non est. Perfectionem Num. 36. Disp. 1. per hoc definitam habes; quòd sit ratio, seu prædicatum rei prudenter ex se æstimabile, & appretiabile. Adeóque fundativum prudentis complacentiæ. Perfectio hæc alia est communis pluribus, alia est peculiaris, & propria uni, vel nonnisi quibusdam. Perfectio in Divinis, prout est communis, est Perfectio *Essentiæ Divinæ*, & ratione hujus conveniens omnibus, & singulis Personis. Hæc alio nomine perfectio essentialis & absoluta dicitur. Perfectio peculiaris est perfectio propria Personarum Divinarum, prout hæ sunt distinctæ virtualiter ab *Essentia*. Seu est perfectio conveniens Personis secundùm eam rationem acceptis, de qua secundùm fidem talia prædicata verificantur, ità ut eorum opposita contradictoria verificentur de *Essentia*. Et sic perfectio v. g. *Patris* peculiaris est, vel esset, quæ *Patri* conveniret, prout est *Pater*, prout est *generans*. Perfectio *Filii* peculiaris est, vel esset, quæ conveniret *Filio*, prout est *Filius*, prout est *genitus*, prout est *Verbum Patris*. Perfectio peculiaris *Spiritûs S.* est, vel esset, quæ conveniret *Spiritui Sancto*; secundùm quod est *Spiritus*, secundùm quod procedit *à Patre & Filio*. Perfectiones hæ Notionales & Relativæ dici solent. Perfectio iterum alia est simpliciter talis, hoc est perfectio sinè imperfectione. Alia perfectio simpliciter simplex, seu ùt illam explicat S. Anselmus, *quæ est melior ipsa, quàm non ipsa*. Quæ explicatio quomodo intelligi debeat, expressum habes Num. 47. Disp. 1.

Ex hoc præmisso facilè patet, de quonam quæratur, dum quæritur: an Personalitates Divinæ formaliter ùt tales dicant formaliter propriam & peculiarem perfectionem, Quæritur nimirum: an Personalitates Divinæ secundùm illas rationes, secundùm quas à se realiter immediatè distinguuntur, & de quibus verificantur prædicata opposita contradictoriè illis prædicatis, quæ secundùm fidem dicuntur de *Essentia*, sint perfectiones? hoc est: prædicata secundùm se æstimabilia & appretiabilia, fundativa prudentis complacentiæ, in rationibus formalibus Personarum, & in prædicatis relativis imbibita, iisdem ipsis Personis Divinis propria & peculiaria? Quæritur præterea: si ratio perfectionis peculiaris & relativæ convenit Personis, Perfectiones hæ súntne simpliciter tales, hoc est, perfectiones sinè imperfectione; an certè sint etiam perfectiones simpliciter simplices? Relationes & Personas Divinas formaliter ùt tales dicere formaliter perfectionem peculiarem negant Scotistæ, Perez, Esparsa, & aliqui alii. Affirmant Suarez, Vasquez, Arriaga, Amicus, P. Mlodzianowski, & P. Morawski.

28. Respondeo, & Dico: Personalitates Divinas formaliter ùt tales dicere formaliter perfectiones sibi proprias, & peculiares, simpliciter tales, non tamen perfectiones simpliciter simplices.

Ratio Primi est. Tum ab authoritate. S. Cyrillus enim lib. 3. Thesauri cap. 6. dicit: *Pater est Perfectus non solùm quà DEUS est, sed etiam quà Pater est.* Et Damascenus lib. 3. de Fide cap. 11. *Relationes* vocat *perfectiones Personales*. Tum quia prædicata peculiaria, & propria Personarum *Patris, & Filii, & Spiritûs S.* per se æstimabilia, & fundativa prudentis complacentiæ, sunt perfectiones propriæ, & peculiares eorum, quibus talia prædicata conveniunt. Sed Personæ in Divinis secundùm se sumptæ dicunt prædicata peculiaria per se æstimabilia, fundativa prudentis complacentiæ. Ergo Personæ in Divinis secundùm se sumptæ di-

dicunt perfectiones proprias, & peculiares. Major patet ex præmisso. Minor probatur. *Pater* dicit hæc prædicata: quòd sit *generans Filium*, quòd sit *virtus generativa ejusdem Filii*, sufficientia *Filio* ad esse realiter distincta ab eodem, quòd sit *generatio activa*, *Relatio*, *Origo*, *Fons* Processionum in Divinis. *Filius* dicit hæc prædicata: quòd sit *Unigenitus Patris Filius*, quòd sit *Verbum Patris*, quòd sit *Intellectio passiva notionalis*, quòd sit *Generatio passiva* &c. *Spiritûs S.* dicit prædicata: quòd sit *Spiritus*, quòd procedat *à Patre*, & *Filio*, quòd mittatur ab utróque, quòd sit *Spiratio passiva*, &c. Sed hæc prædicata sunt prædicata propria, & peculiaria dictarum Personarum, eáque secundùm se æstimabilia, & fundativa prudentis complacentiæ. Ergo. Minor probatur. Sunt imprimis hæc prædicata propria, & peculiaria Personarum, quarum dicuntur esse prædicata. Neque enim conveniunt formaliter *Essentiæ Divinæ* secundùm se sumptæ. Huic enim potiùs contradictoria dictorum prædicatorum conveniunt. Siquidem secundùm definitionem Concilii Lateranensis, *Essentia DEI nec generat, nec generatur, nec Spirat, nec Spiratur.* Neque etiam prædicata unius Personæ conveniunt alteri Personæ. Quia hæc prædicata cùm sint Relativa, & dicant oppositionem producentis, & producti, ità conveniunt uni Personæ, ùt non conveniant alteri, síntque negabilia de alia Persona. Deinde eadem prædicata secundùm se accepta sunt æstimabilia, & fundativa prudentis complacentiæ. Quis enim dicat *Patrem* æternum, secundùm quod *generat Filium*, non esse appretiabilem, & æstimabilem; *Filium* item, secundùm quod *generatur*, éstque unigenitus *Patris*. Item *Spiritum S.* secundùm quod est amor, & charitas, *à Patre*, & *Filio* procedens, non esse æstimabiles, & appretiabiles; quis censeat *Filium* æternum non esse objectum prudentis complacentiæ, *Patre* de ipso attestante: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Certè si prædicata Divina absoluta sunt secundùm se æstimabilia, etiam prædicata relativa debent esse æstimabilia. Cùm non appareat ratio ob quam debeant illa, hæc non debeant appretiari, & æstimari. Tum quia in Divinis existentia, sanctitas, exigentia ad identificari pelago omnium perfectionum, Intellectus, & voluntas, sunt perfectiones per se æstimabiles. Sed Personæ Divinæ secundùm se acceptæ, hoc est, prout distinctæ virtualiter ab *Essentia*, & prout verificant prædicata, quæ negari debent de *Essentia*, dicunt formaliter existentiam, sanctitatem, exigentiam ad identificari pelago omnium perfectionū, Intellectum, voluntatem &c. Dicunt imprimis Personæ secundùm se sumptæ existentiam; nam *Pater* non aliter *generat Filium*, nisi ratione sui existens. Principium etiam *Spirativum* nonnisi ùt existens *Spirat Spiritum S.* Cùm omne principium physicè productivum alicujus termini requirat essentialiter existentiam sui ad operandum. *Filius* etiam æternus secundùm quod *generatur*, pariter & *Spiritus S.* secundùm quod *spiratur* existit. Cùm omnes actiones productivæ terminentur ad existentiam termini producti. Ergo Personæ Divinæ secundùm se sumptæ dicunt existentiam. Eædem Personæ dicunt quoque Sanctitatem. Quia ratione sui per identitatem realem participant *Naturam Divinam*, in qua participatione consistit formaliter Sanctitas. Præterea eædem Personæ, secundùm quod opponuntur sibi relativè, & secundùm quod verificant prædicata Relativa, quæ non verificat Essentia, dicunt exigentiam ad identificari DEO, ejúsque *Essentiæ*, quæ est pelagus omnium perfectionum Divinarum. Tandem: Personæ Divinæ secundùm se dicunt Intellectum, & voluntatem. *Pater* enim per Intellectum *generat Filium*, adeoque dicit Intellectum. *Pater*, & *Filius*, prout sunt principium *Spirativum*, dicunt voluntatem; per hanc enim *Spirant Spiritum S.* Porrò hæ omnes perfectiones sunt perfectiones propriæ, & peculiares. Quia Personis secundùm esse Personale, & relativum convenientes. Unde etiam dicuntur Notionales, & Relativæ. Idque Existentia, sanctitas, & exigentia ad identificari DEitati, sunt perfectiones peculiares non eo sensu, quòd uni tantùm Personæ conveniant; cùm conveniant singulis: Sed sunt peculiares eo sensu, quòd non habeantur formaliter *ab essentia*, nec ità sint communes Personis, sicut essentia Divina est communis eisdem; neque enim per illam existentiam relativam

tivam existit *Pater*, per quam existit *Filius*. Sed hæ ità multiplicantur, sicut multiplicantur & Personæ.

29. Ratio Secundi est. Perfectiones sinè imperfectione sunt perfectiones simpliciter tales. Sed perfectiones peculiares, quas dicunt Personæ secundùm se sumptæ, sunt perfectiones sinè imperfectione. Cùm enim Personis Divinis repugnet omnis imperfectio, in prædicatis earundem Personarum propriis, & peculiaribus, quæ ipsis secundùm fidem, & Patrum ac Theologorum doctrinam conveniunt, nulla potest esse imperfectio. Ergo perfectiones peculiares, quas dicunt Personæ secundùm se, sunt perfectiones simpliciter tales.

30. Ratio Tertii est. Tum quia perfectiones simpliciter simplices sunt prædicata Divina absoluta. Sed perfectiones peculiares, & propriæ Personis secundùm se sumptis, non sunt in sensu virtuali, &formali prædicata absoluta, sed potiùs sunt prædicata Relativa. Ergo. Tum quia Perfectio simpliciter simplex est illa, quæ est melior ipsa, quàm non ipsa. Sed nulla perfectio peculiaris, & propria Personæ secundùm se, est perfectio melior ipsa, quàm non ipsa. Esse enim perfectionē meliorem ipsam, quàm non ipsam, est esse perfectionem meliorem, quàm sit perfectio ejus opposita, & cùm ipsa incompossibilis. Sed nulla perfectio Personæ alicui secundùm se sumptæ peculiaris, est perfectio melior, quàm ejus opposita. Et sic perfectio propria *Patri* non est perfectio melior, quàm sit ea perfectio, quæ est propria *Filio*, aut propria *Spiritui S.* Hæ enim perfectiones sunt sibi æquales, nec una major aut melior, quàm altera. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

31. Objicitur Primò. Personis Divinis secundùm se sumptis, seu ùt distinctis virtualiter ab *Essentia Divina*, nulla convenit æstimabilitas, & amabilitas. Ergo hæ ratione sui non sunt perfectiones. Antecedens probatur. Tum quia Personæ Divinæ suam amabilitatem, & æstimabilitatem habent ratione identitatis realis cùm *Essentia, & natura Divina*, quæ per hoc, quòd identificetur realiter Personis, refundit in Personas omnem amabilitatem, & æstimabilitatem, ità, ut quid-quid est Perfectionis in Personis, id totum proveniat ab *essentia Divina*, & in ea præintelligatur, tanquam in necessitate quasi activa, ratione cujus dantur tres Personalitates nullam dicentes imperfectionem. Ergo. Tum quia Personæ Divinæ ratione sui non habent diversas *essentias*, aliàs non unica in DEO esset *essentia*. Ergo neque habent ratione sui diversas æstimabiliates & amabilitatis. Hæ enim deberent infundari ipsi *essentiæ*, seu deberent infundari alicui esse, secundùm quod Personæ essent amabiles, & æstimabiles. *Esse* vero, & *essentia* rei sunt unum idémque per omnia. Tum quia si Personæ Divinæ haberent ratione sui amabilitatem, & æstimabilitatem, haberent ex hac ratione, quòd dictæ Personabilitates habeant proprias peculiares existentias. Sed non habent proprias existentias distinctas ab existentia *Deitatis*, aliàs haberent & *essentias* distinctas ab *essentia Deitatis*. Cùm *essentia* non distinguatur ab existentia sibi proportionata, sed existentia sit ipsa *essentia actualis*, ùt docet communior Philosophia. Tum quia Personæ Divinæ si haberent peculiarem perfectionem, haberent per hoc, quòd dictæ Personæ dicant exigentiam ad identificari *Deitati* tanquam pelago omnis perfectionis. Sed exinde non arguitur Personas Divinas ratione sui habere perfectionē peculiarem, & propriam. Potiùs enim ex hoc arguitur, quòd Personæ dictæ omnem suam amabilitatem, & æstimabilitatem, adeóque perfectionem habeant ratione *Deitatis*; sicut enim exigentia ad identificari cum *Deitate* specificatur *à natura Divina seu Deitate*, vel ab identitate cum eadem, ità ab illa habet amabilitatem, & æstimabilitatem. Tum quia Personæ Divinæ non aliunde habent amabilitatem, & æstimabilitatem, nisi quòd sint Divinæ, sed sunt Divinæ ratione Divinitatis seu *Deitatis*. Ego ratione ejusdem sunt amabiles, & æstimabiles, adeóque non ratione sui.

32. Objicitur Secundò. Personæ Divinæ non dicunt ullam Distinctionem nemine cogitante ab *Essentia Divina*. Ergo nec ratione sui dicunt ullam perfectionem. Antecedens supponitur alibi Probatum. Consequentia probatur. Tū quia si Personæ Divinæ non dicunt ullam Distinctionem nemine cogitante *à* *Dei-*

Deitate, dictæ Personæ non possunt accipi ratione sui, quin eo ipso simul accipiantur secundùm *Deitatem*. Ergo quodcunque prædicatum vel perfectionem dicunt ratione sui, habent illam hoc ipso ratione *Deitatis* sibi omnino identificatæ, nec ullatenus nemine cogitante à se distinctæ. Tum quia si Personæ Divinæ non dicerent ullam nemine cogitante Distinctionem *à Deitate*, & tamen haberent perfectionem peculiarem, & sibi propriam, de *Deitate*, & perfectionibus Personalibus dicerentur prædicata contradictoria, quæ per nullam distinctionē salvarentur. Sed de his contradictoria dici non debent. Cùm non sit fundamentum ex fide dicendi aliqua contradictoria de *Deitate*, & perfectionibus Personalibus, sinè quo tamen fundamento nulla contradictoria dici debent in Divinis. Tum quia ubi non sunt distinctæ nemine cogitante Essentiæ, & existentiæ, non sunt distinctæ perfectiones, adeoque non sunt propriæ, & peculiares distinctis Personis convenientes. Sicut enim implicat dari perfectionem sinè essentia, ità implicat dari perfectiones distinctas sinè distinctis essentiis, & existentiis. Sed si Personæ non distinguuntur ulla Distinctione nemine cogitante *à Deitate*, Personæ non habent distinctas existentias, & *essentias*. Ergo.

33. Objicitur Tertiò. Si in DEO unaquæque Persona diceret perfectionem peculiarem, darentur in DEO tres perfectiones singulis Personis propriæ, & peculiares, aut certè darentur quatuor perfectiones pro numero Relationum Divinarum. Siquidem principium Spirativum debet habere peculiarem perfectionem, diversam à Perfectionibus trium Personarum singillatim acceptarum. Cùm habeat prædicata peculiaria, & propria diversa à prædicatis earundem Personarum. Imo plures adhuc darentur hujusmodi perfectiones. Cùm unius ejusdemque Personæ plura prædicata sint plures perfectiones ratione nostra distinctæ. Sed non dantur, nec admitti debent tres, sive quatuor, aut plures perfectiones Personis, & Relationibus Divinis propriæ. Tum quia non dantur tres *Deitates*, tres Aseitates &c. Ergo neque dantur tres perfectiones. Tum quia, si darentur in DEO tres perfectiones, darentur etiam tres perfecti. Sicut quia dantur in DEO tres subsistentiæ, & tres Personalitates, dantur quoque tres subsistentes, tres Personæ. Sed non dantur in DEO tres perfecti, ídque non dantur, nec debent dari tres perfecti etiam relativè. Sicut non dantur tres Dii relativi, tres omnipotentes, tres Sancti Relativi. Ergo. Tum quia in DEO non dantur tres perfectiones absolutæ. Ergo neque dantur tres perfectiones Relativæ. Consequentia probatur. Illæ ipsæ perfectiones, quæ dicuntur relativæ, si darentur, deberent esse perfectiones absolutæ, quæ enim perfectiones sunt absolutè, & simpliciter necessariæ, illæ perfectiones sunt absolutæ, Sed perfectiones peculiares, & propriæ Personarū si quæ darentur, deberent esse absolutè, & simpliciter Necessariæ. Ergo deberent esse absolutæ. Tum quia nullæ dantur, nec possunt dari perfectiones Relativæ. Quæ enim Rationes in suo conceptu non dicunt oppositionem producentis, & producti, illæ rationes non sunt rationes Relativæ. Sed perfectiones, quæ conveniunt Personis secundùm se, in suo conceptu non dicunt oppositionem producentis, & producti; aliàs in ratione perfecti, deberent sic opponi Personæ Divinæ. Ergo. Confirmatur. In Divinis ibi nonnisi est multiplicitas, ubi est oppositio producentis, & producti. Sed inter perfectiones Personales, & Personarum proprias non est dicta oppositio. Hæc enim penes perfectionem esse non potest. Ergo. Tum quia si darentur plures diversæ perfectiones personales, sequeretur, quòd una Persona Divina plus diceret perfectionis, quàm alia Persona, puta *Pater* plus diceret perfectionis, quàm *Filius*. Quia diceret virtutem generandi, quam non dicit *Filius*. Deinde sequeretur, quòd Personæ ratione sui superadderent aliquid perfectionis *Naturæ Divinæ* supra perfectionem, quam ratione sui habeat *natura*, adeóque Personæ perficerent *Naturam*. Tandem sequeretur, in tribus simul Personis plus esse Perfectionis, quàm in unaquaque singillatim. Sed sequelæ admitti non debent. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

34. Respondeo ad Primum, negando

do Antecedens. Primam Probationem Distinguo : Personæ Divinæ habent suam amabilitatem, & æstimabilitatem absolutam ratione identitatis cum *essentia*, & ratione ipsius *essentiæ*. Concedo. Personæ Divinæ habent (intellige formaliter) amabilitatem, & æstimabilitatem etiam Relativam ratione identitatis cum *essentia*: item taliter habent amabilitatem, & æstimabilitatem absolutam ratione *essentiæ*, ut non habeant præterea amabilitatem, & æstimabilitatem Relativam ratione sui. Nego Probationem, & Dico: Personas Divinas præter amabilitatem, & æstimabilitatem absolutam, quam habent ratione identitatis cum *natura & Deitate*, seu potiùs ratione *Deitatis*, habere præterea amabilitatem,& æstimabilitatem Personalem ac Relativam, quam ipsam habent formaliter à suis prædicatis Relativis, ùt dictum est Num. 28. Ad ulteriorem Probationem dico : *Natura Divina*, per hoc, quod identificetur Personis, in easdem Personas formaliter, & quasi in genere principii formalis refundit amabilitatem, & æstimabilitatem absolutam, simul tamen in easdem Personas emanativè refundit amabilitatem & æstimabilitatem personalem per hoc ipsum, quòd emanet virtualiter Personalitates, ità, ut ipsa æstimabilitas Personalis habeatur formaliter ab ipsis prædicatis Personalibus & relativis. Dico ulteriùs: quòd quidquid est perfectionis in Personis, proveniat ab *Essentia Divina*, vel formaliter, vel emanativè. Nimirum quidquid est perfectionis absolutæ, provenit formaliter à dicta *essentia*. Quidquid verò est perfectionis Relativæ in Personis, provenit ab *essentia* emanativè. Præterea, quidquid est perfectionis (intellige relativæ) præintelligitur in *essentia*, tanquam in necessitate quasi activa, & radicali, ità tamen, ut in ipsis etiam Personis, tanquam in necessitate quasi passiva, & formali intelligi debeat perfectio Personalis & relativa.

Secundæ Probationis omisso Antecedente Nego Consequentiam. Ad ulteriorem Probationem Dico, æstimabilitatem & appretiabilitatem relativam infundari *essentiæ Divinæ* Theologicè & propriè acceptæ, tanquam radici & principio emanativo talis æstimabilitatis. Formaliter verò, & in genere principii formalis non infundatur *Essentiæ* propriè dictæ, & Theologicè acceptæ. Sed satis est, quòd in hac ratione infundetur prædicatis propriis Personarum, iisdémque essentialibus.

Tertiæ Probationis Nego Minorem, & ulterioris Probationis sequelam. Ad id, quod ulteriùs dicitur, Respondeo: Existentia absoluta non distinguitur *ab essentia* propriè & Theologicè accepta, non distinguitur, inquam, tam realiter, quàm virtualiter. Concedo. Existentia relativa non distinguitur saltèm virtualiter *ab essentia* Theologicè dicta. Nego. An verò existentia relativa dicat virtualiter *essentiam* relativam impropriè, & non Theologicè acceptam, est quæstio de voce, & nomine. Quia tamen in mysterio maximè *Trinitatis*, cautè admodùm verbis, & ùt nummis, utendum est, cùm Patres, & Theologi non utantur, nec meminerint hujus essentiæ relativæ, & impropriè dictæ, abstinemus ab hac appellatione, & Dico, existentiam relativam solùm dicere virtualiter prædicata propria Personarum, quæ sunt de ratione formali earundem, & ab ipsis non distingui virtualiter.

Quartæ Probationis Nego Antecedens, & Dico: Exigentiam Personæ ad identificari realiter *Deitati*, duo virtualiter dicere: Primò principaliter & directè dicit Personam exigentem identificari: minùs principaliter, indirectè, & quasi pro termino dicit identitatem realem cum *essentia*, quam identitatem exigit Persona, & per consequens indirectè dicit ipsam essentiam. Hoc posito, dum Personæ Divinæ dicuntur habere amabilitatem, & æstimabilitatem ratione exigentiæ ad identificari cum *essentia*, habent talem amabilitatem ratione ejus, quod exigentia dicta dicit directè & principaliter. Quod ipsum est Persona. Habendo verò æstimabilitatem ratione exigentiæ ad identificari cum *essentia*, habent illam ratione sui. Ad ulteriorem Probationem dico, quòd exigentia ad identificari essentiæ Divinæ specificetur, quasi extrinsecè *ab essentia*, quia specificatur ab ea tanquam à termino dictæ exigentiæ, cui secundùm se sumptæ est quodammodo extrinsecus idem terminus, quatenus *essentia* virtualiter distinguitur à Personis, eadem tamen exigentia specificatur intrinsecè per suámet, & Personæ, cui convenit, prædicata propria.

Quin-

Quintam, & postremam Probationem distinguo: Personæ Divinæ non aliunde habent amabilitatem & æstimabilitatem, nisi quòd sint Divinæ per terminationem emanationis virtualis, quâ emanantur *à Deitate*. Omitto Majorem. Habent enim amabilitatem & ex eo, quòd sint Personæ *Patris, & Filii, & Spiritûs S.* & ex eo, quòd sint Divinæ. Personæ Divinæ non aliunde habent amabilitatem, nisi quòd sint Divinæ per constitutionem *à Deitate*, quasi à forma. Nego Majorem, & Distinguo Minorem. Sed Personæ Divinæ sunt unicè Divinæ per constitutionem, quâ constituuntur *Deitate*, quasi formâ. Nego Minorem. Sed Personæ Divinæ secundùm se sumptæ sunt Divinæ per terminationem virtualis emanationis, quâ emanantur *à Deitate*. Concedo Minorem, & Nego Consequentiam.

35. Respondeo ad secundum. Negando imprimis Antecedens. Personas enim Divinas *ab essentia* debere distingui, nem. cogitant. aliqua distinctione, quæ stet cum identitate reali immediata intensiva earundem Personarum cum *essentia DEI*, defendi Disp. 2. Quæst. 2. ubi etiam determinavi, quali Distinctione distinguantur. Deinde Transito Antecedente potest negari Consequentia. Etiamsi enim Personæ Divinæ dicerentur non distingui ulla distinctione, quæ sit nem. cog. *ab essentia*, quia tamen sunt realiter à se distinctæ, & sibi relativè oppositæ, secundùm quod sibi opponuntur, & secundùm quod à se realiter immediatè distinguntur, secundùm id debent esse perfectiones relativæ. Et quia sibi, ratione sui opponuntur, & ratione sui à se invicem distinguuntur, non ratione *naturæ*, ideo Personæ Divinæ ratione sui, & non ratione *naturæ* sunt perfectiones relativæ. Certè ratione cujus Personæ Divinæ sunt proprietates relativæ, Relationes, Origines, Processiones, Notiones, &c. ratione illius sunt perfectiones Personales, & relativæ. Cùm esse perfectionis reperiatur in his rationibus, iisque imbibatur. Sed Personæ Divinæ ratione sui, & non ratione *naturæ* sunt proprietates relativæ, sunt Relationes, Origines, Processiones, Notiones, &c. Ergo eædem Personæ ratione sui, non verò ratione *naturæ* sunt perfectiones relativæ. Deinde etiamsi Personæ Divinæ non distinguerentur nem. cog. *ab essentia*, tamen saltèm per rationem, eámque præcisivam, objectivè distinguuntur ab eadem *essentia*. Sed Personis, prout distinctis per rationem, seu ùt præcisis objectivè *ab essentia*, sumptis secundùm eam rationem, secundùm quam præscinduntur, convenit ratio perfectionum Personalium. Quia convenit per rationem verè affirmantem, quòd sit *Pater*, quòd sit *Filius*, quòd sit *generans*, quòd sit *genitus*, aliáque prædicata per se æstimabilia propria Personarum, verè negabilia de *essentia*. Ergo.

Ad primam Probationem dico: hanc solvendam esse ipsis adversariis. Ex hac enim invariata infero ulteriùs: Ergo, cùm Personæ Divinæ ratione sui distinguantur realiter immediatè. Cùm ratione sui opponantur sibi relativè. Cùm *Pater* ratione sui *generet Filium, Filius* ratione sui *generetur à Patre, Spiritus S.* ratione sui *spiretur*; hæc omnia prædicata conveniunt Personis ratione *Deitatis* ipsis omnino identificatæ. Directè Nego Antecedens primæ Probationis, & dico: negata omni distinctione, quæ sit nem. cog. inter Personas Divinas, & inter *essentiam*, Personas Divinas posse accipi ratione sui absq; eo, quòd accipiantur secundùm *Deitatem* in ordine ad verificanda prædicata relativa, quæ de ipsis affirmantur, *de essentia* verò negari debent secundùm fidē.

Secundam Probationem retorqueo in adversarium: Si Personæ Divinæ non dicerent ullam distinctionem *ab essentia*, simúlque non dicerent ratione sui ullam perfectionem peculiarem, tunc in Divinis de indistinctis realiter, imò de eodem omnino etiam per rationem, verificarentur prædicata saltèm arguitivè contradictoria, quorum verificationis non esset fundamentum ex fide, nimirum de esse *Patris* verificaretur, quòd sit prædicatum ratione sui æstimabile, & simul verificaretur de eodem esse *Patris*, quòd ratione sui non sit perfectio. Quæ prædicata; esse prædicati ratione sui æstimabilis, & non esse ratione sui perfectionis, sunt contradictoria arguitivè, quorum tamen verificationis non esset fundamentum ex fide. Directè, missa Probationis Majore Nego Minorem, & dico: cùm ex fide sit fundamentum verificationis de *essentia*, & *Personis* horum prædicatorum; *Essentia non generat, non generatur*, &c. *Pater generat, Filius generatur*; esse implicitè fundamentum ex fide, *Patri* convenire

re perfectionem *generantis* relativam; *Filio* convenire perfectionem relativam *geniti*; & non convenire eadem prædicata *Essentiæ*; prædicatum enim *generantis* cùm sit per se æstimabile, est perfectio *generantis*; prædicatum verò *geniti*, cùm sit prædicatum per se æstimabile, est perfectio *geniti*. Potiùs Adversarius deberet afferre fundamentum ex fide vel hujus, quòd prædicata: *generat*, *generatur*, non sint prædicata secundùm se æstimabilia, vel hujus, quòd etiamsi sint secundùm se æstimabilia, non sint tamen secundùm se perfectio.

Tertiæ Probationis Nego Majorem quoad illam partem; ubi non sunt distinctæ *Essentiæ*, ibi non sunt distinctæ perfectiones. Si enim sinè distinctis *essentiis*, dantur in DEO distinctæ Personæ, & distincta prædicata relativa, ùt fides docet, etiam sinè distinctis *essentiis* dantur in DEO peculiares perfectiones in ipsis prædicatis relativis, & Personalitatibus imbibitæ. Probationem Majoris Nego, & dico: sicut, licèt implicet dari Personam sinè *essentia*, tamen non implicat dari plures diversas Personas sinè multiplicitate, & diversitate *Essentiarum*, ùt Adversarius dicere tenetur. Ità licèt implicet dari perfectionem relativam sinè *essentia*, tamen non implicat dari perfectiones relativas distinctas sinè distinctis *essentiis*. Alteram partem Majoris, illam scilicet: ubi non sunt diversæ existentiæ, ibi non sunt diversæ perfectiones, omitto, & Minorem quoad partem respondentem omissæ parti Majoris, Nego. Nimirum Nego, quod Personæ si non distinguantur nem. cog. *à Deitate*, quòd non habeant diversas existentias relativas. Has enim debere dari proportionatè evincitur, atque evincitur, prædicata relativa debere esse inter se distincta, licèt hæc non sint distincta *à Deitate*.

36. Ad Tertium respondent aliqui cum Vasquez, & Ruitz Negando sequelam Majoris. Hi Theologi, etiamsi docuerint per conceptus Personarum importari rationem perfectionis, negabant tamen secundùm multiplicitatem Personarum multiplicari in DEO perfectiones. Cæterùm omissâ sequelâ quoad Primam partem, circa Secundam partem ejusdem sequelæ Dico: pro numero Relationum Divinarum admitti posse quatuor perfectiones, taliter, ùt perfectio principii *Spirativi* non sit realiter adæquatè distincta à perfectione *Paternitatis*, nec item sit realiter adæquatè distincta à perfectione *Filiationis*. Circa Tertiam sequelam dico: Etiamsi plures perfectiones relativæ realiter adæquatè à se distinctæ possint admitti, non possunt tamen hæ plures esse, quàm tres. Tales verò, quarum aliquæ adæquatè à se sint distinctæ, aliquæ inadæquatè, non possunt admitti nisi 4. totidem Relationibus respondentes: supra hunc numerum, si fuerint aliæ perfectiones relativæ, hæ erunt per rationem nonnisi distinctæ, & uni alicui relationi convenientes. Propter has reflexiones omissâ sequelâ nego Minorem.

Primæ Probationis Nego Consequentiam. Disparitas est. Quia prædicata *Deitatis*, *Aseitatis* &c. ità sunt prædicata absoluta, ut nulla ratio evincat præter *Aseitatem*, & *Deitatem* absolutam debere dari *Aseitatem*, & *Deitatem* relativam; imo videntur hæ repugnare specialiter. *Deitas* enim ex suo conceptu est radix, & principium virtualiter emanativum proprietatum relativarum. Repugnat verò radix relativa, & principium relativum, quod sit virtualiter emanativum Relationum. Aseitas est sufficientia sibi ad esse exclusiva sufficientiæ à se aliquomodo distinctæ: nulli autem Personæ potest convenire ratio talis sufficientiæ; cùm respectu omnium Personarum *Natura Divina* sit sufficientia per modum radicis virtualiter emanativæ Personalitatum, Una præterea Persona, v. g. *Pater* respectu *Filii*, cùm sit producens, est sufficientia productiva *Filii*. E contra præter perfectionem absolutam debere dari perfectiones relativas diversas, evincunt rationes num. 28. adductæ, nec ulla repugnantia in talibus perfectionibus ostendi potest.

Secundæ Probationis Nego sequelam, & Dico: licèt dentur in DEO tres perfectiones Relativæ, non dari tamen tres perfectos relativè. Denominationes enim adjectivè significatæ expressæ conceptu attributorum, quo nimirum prædicata Divina absoluta exprimuntur, etiamsi Specialiter Personis ratione sui conveniant, ùt: esse *sancti*, esse *existentis*,

tis, esse *perfecti*, non debent multiplicari secundùm multiplicatem Personarum, non debent inquam multiplicari etiam cum hoc addito, quòd sint plures sancti relativè, plures existentes relativè, plures perfecti relativè, idque non debent multiplicari ex eo, nè detur Scandalum pusillis, & nè hæresis Triteitarum, ac Joachimi Abbatis videatur tacitè approbari, qui erroneè docuerunt dari tres DEOS relativos. Cùm præsertim secundùm vulgi acceptionem, hujusmodi denominationes videantur *Naturam* in recto importare, Relationem in obliquo, adeoque si hæ denominationes multiplicentur, videantur multiplicitatem *naturarum* adstruere, & non solùm multiplicitatem Relationum. De prædicatis Personarum subsistentium Suppositorum dispar ratio est. Hæc enim prædicata cùm exprimantur conceptibus nulli prædicato absoluto Divino propriis, & convenientibus, bene possunt, & solent multiplicari. Cùm tali multiplicatione non multiplicentur *Naturæ Divinæ*, nec ipsi DEI, sicut illos multiplicabat Joachimus Abbas.

Tertiæ Probationis Nego Antecedens. Nego ulteriùs, quòd perfectiones, quæ dicuntur Relativæ, si admittantur, debeant esse perfectiones absolutæ. Probationis ulterioris Nego illam Majorem: Perfectiones, quæ sunt simpliciter, & absolutè Necessariæ, sunt perfectiones absolutæ. Quæ Major si esset vera, vera quoque esset hæc propositio: Prædicata, quæ sunt absolutè & simpliciter necessaria, sunt prædicata absoluta, quæ tamen est falsa; aliàs si esset vera, omnia prædicata relativa, cùm hæc sint prædicata simpliciter, & absolutè necessaria, deberent esse prædicata absoluta. Ejusdem Majoris falsitatem tali evinco argumento: Per id, prædicatum vel perfectio non potest esse absoluta, quod pariter convenit prædicatis tam absolutis, quàm relativis; potiùs enim prædicatum debet esse absolutum, & perfectio debet esse absoluta per rationem non communem, sed propriam prædicatis absolutis, eorúmque discretivam à prædicatis relativis. Atqui esse simpliciter, & absolutè necessarium, est ratio communis, & æqualiter conveniens prædicatis tam absolutis, quàm relativis. Siquidem etiam prædicata relativa in Divinis sunt simpliciter, & absolutè necessaria, consequenter hæc ratio prædicati absolutè, & simpliciter necessarii, non est ratio propria, & discretiva prædicati absoluti à Relativo. Ergo perfectio, quæ dicitur personalis, non potest esse perfectio absoluta per hoc, quòd sit simpliciter, & absolutè necessaria. Potiùs ratio perfectionis absolutæ in hoc consistit, & per hoc formaliter habetur, quòd sit communis per identitatem omnibus, & singulis Personis, & quòd in suo conceptu non dicat ullam relationem ad intrà, nec oppositionem relativam cum aliis prædicatis Divinis. Cùm ergo perfectiones Personales *Patris* seu *generantis, Filii* seu *geniti* &c. non sint comunes per identitatem omnibus, & singulis Personis Divinis. Cùm item dicant relationem ad intrà, & oppositionem relativam unius Personæ cum alia, tales perfectiones sunt Relativæ, non absolutæ. Adverto, *esse absolutum* dupliciter posse accipi, vel prout opponitur esse Relativo, vel prout opponitur esse conditionato. Quo posito, dum res aliqua dicitur esse simpliciter, & absolutè necessaria, ly *absolutè* accipitur, prout opponitur ipsi esse conditionato, hoc est: quòd res sit necessaria independenter ab omni conditione, & suppositione: non accipitur autem absolutè, prout opponitur esse relativo. Neque enim res, quæ dicitur esse simpliciter, & absolutè necessaria, est necessaria cùm exclusione esse relativi. Unde ulteriùs ex eo, quòd res sit simpliciter, & absolutè necessaria, non bene infertur, quòd sit absoluta, prout opponitur esse relativo. Cùm ab esse absoluto in una acceptione, non bene arguatur ad esse absolutum in alia acceptione.

Quartæ Probationis Nego Antecedens. Ulteriorem Probationem Distinguo: Quæ rationes in suo conceptu tam abstracto, quàm contracto non dicunt oppositionem producentis, & producti, illæ rationes non sunt relativæ. Concedo Majorem. Quæ rationes in suo conceptu abstracto non dicunt ullam oppositionem producentis, & producti, dicunt tamen in conceptu contracto, & specifico, illæ rationes non sunt relativæ. Nego Majorem. Minorem deinde Distinguo.

Sed perfectiones convenientes Perſonis ſecundùm ſe in ſuo nonnisi conceptu abſtracto non dicunt oppoſitionem producentis & producti, licèt dicant eandem in conceptu contracto, & ſpecifico. Omitto Minorem. Sed perfectiones, quæ conveniunt Perſonis ſecundùm ſe ſumptis, in ſuo conceptu tam abſtracto, quàm contracto, non dicunt oppoſitionem producentis, & producti. Nego Minorem, & Conſequentiam, ac Dico: Sicut rationes Perſonalitatis, ſubſiſtentiæ, &c. in Divinis ſunt rationes relativæ, etiamſi in ſuo conceptu abſtracto non videantur dicere ullam oppoſitionem producentis, & producti, idque ex eo; quia hæ rationes abſtrahuntur à rationibus contractis, & ſpecificis dicentibus hujuſmodi oppoſitionem: Ità ratio perfectionis abſtracta à perfectionibus Perſonalibus, etiamſi in conceptu valde abſtracto perfectionis non dicat oppoſitionem relativam, tamen eſt adhuc oppoſitio relativa. Quia non ab aliis perfectionibus abſtrahitur, nisi à Perſonalitatibus relativis *Patris, Filii*, & *Spiritûs S.* & quia in conceptibus contractis, & ſpecificis reperitur oppoſitio relativa. Addo, quòd licèt ratio perfectionis ſecundùm conceptum valde abſtractum non ſit ratio relativa, ſit tamen relativa etiam ſecundùm aliquem conceptum abſtractum. Siquidem poteſt abſtrahi ratio perfectionis relativæ à perfectionibus propriis ſingularum Perſonarum. Addo iterum, Perfectiones Perſonales ſecundùm ſuum conceptum abſtractum non eſſe relativas ſolùm præciſivè, non verò excluſivè, & negativè. Per quod tamen non redduntur perfectiones abſolutæ. Ad ulteriorem hujus Probationis Rationem Dico: Perſonas Divinas in ratione perfecti opponi ſibi non taliter, ut una Perſona dicat aliquam perfectionem, altera aut nullam perfectionem dicat, aut dicat poſitivam imperfectionem; ſed eatenus ſibi opponuntur, ut una dicat perfectionem unius Relationis, altera dicat perfectionem alterius Relationis oppoſitæ, v. g. quòd una Perſona dicat perfectionem *generantis*, altera dicat perfectionem *geniti*. Confirmationem Diſtinguo: Ibi nonnisi eſt multiplicitas realis, ubi inter aliqua objecta pro ſtatu reali, & ſecundùm hunc ſtatum ſpectata eſt oppoſitio producentis, & producti. Concedo Majorem. Ibi nonnisi eſt multiplicitas realis, ubi inter aliqua, ſecundùm conceptus abſtractos ſpectata, eſt oppoſitio producentis, & producti. Nego Majorem, & Diſtinguo Minorem. Sed inter perfectiones Perſonarum proprias pro ſtatu reali ſpectatas, non eſt oppoſitio producentis, & producti. Nego Minorem. Sed inter perfectiones Perſonales pro ſtatu intentionali abſtractionis, ſeu ſecundùm conceptus abſtractos ſpectatas non eſt oppoſitio producentis, & producti. Omitto Minorem, & Nego Conſequentiam, & Dico: multiplicitatem realem in Divinis dari inter ea, inter quæ pro ſtatu reali ſpectata datur oppoſitio producentis, & producti. Impertinenter verò ſe habet ad multiplicitatem realem, quòd aliqua pro ſtatu intentionali abſtractionis, ſeu ſecundùm conceptus abſtractos ſpectata non dicant talem oppoſitionem, ùt patet in Rationibus Perſonæ, & ſubſiſtentis. Porrò inter perfectiones Perſonales, pro ſtatu reali ſpectatas, eſt oppoſitio producentis, & producti. Perfectiones enim Perſonales pro ſtatu reali ſpectatæ, ſunt *generans*, & *genitus*, *Spirans* & *Spiritus*, inter quas rationes eſt oppoſitio producentis, & producti, licèt fortè inter perfectiones Perſonales pro ſtatu intentionali abſtractionis, ſeu ſecundùm conceptus abſtractos ſpectatas, non ſit oppoſitio producentis, & producti. Quare his perfectionibus Perſonalibus convenit multiplicitas realis. Ad Rationem Minoris dico: Penes perfectiones Perſonales pro ſtatu reali ſpectatas, eſſe oppoſitionem producentis, & producti. Quidquid ſit de hoc, an penes dictas perfectiones pro ſtatu abſtractionis ſpectatas, ſit, vel non ſit talis oppoſitio.

Poſtremæ Probationis ſequelas, quæ inferuntur, Nego. Et imprimis Nego ſequi, admiſſis perfectionibus Perſonalibus, unam Perſonam plus dicere perfectionis, quàm dicat alia; ſed ſolùm ſequitur, quòd una Perſona dicat perfectionem diverſam ab ea perfectione, quam dicit altera Perſona; neque enim *Pater* æternus plus dicit perfectionis, quàm dicit *Filius*, ſed ſolùm dicit diverſam perfectionem. Diverſæ enim ſunt perfectiones *generantis*, & *geniti*, ſibi tamen æquales, & æquivalentes.

tes. Unde licèt una Persona non dicat illam perfectionem, quam dicit altera, dicit tamen perfectionem æqualem, & æquivalentem perfectioni alterius. Nego item alteram sequelam. Nimirum Nego, quòd Personæ Divinæ ratione sui superaddant *Essentiæ Divinæ* plus intensivè perfectionis, quamvìs dici possit, quòd superaddant plus extensivè. Nego præterea, quòd Personalitates perficiant *Essentiam Divinam*. *Essentia* enim *Divina*, cùm sit in omni genere perfectissima, est incapax perfectionis aliunde aliquatenus advenientis. Dici nihilominus potest, *Essentiam Divinam*, per hoc, quòd se communicet per identitatem omnibus, & singulis Personis, quas virtualiter emanat, habere aliquam perfectionem, quam non haberet, si hoc modo non communicaret se iisdem. Cæterùm hoc modo habere perfectionem, non tam est perfici à Personis, quàm potiùs *Essentiam* perfici per communicationẽ, quâ se per identitatem cõmunicat Personis. Nego postremò sequi, tres simul Personas habere plus intensivè perfectionis, quàm habeat unaquæq; illarum. Negant alii tres Personas plus perfectionis dicere, quàm dicat una, ex eo, quòd licèt tres simul Personæ dicant constitutivè omnes perfectiones relativas, quomodo eas non dicunt singulæ Personæ, tamen singulæ dicunt & habent omnes perfectiones aliarum Personarum certo aliô modô, nimirum dicunt has perfectiones per circuminsessionem, seu per mutuam inexistentiam unicuique Personæ aliarum Personarum fundatam in identitate reali omnium Personarum cum *natura*.

PUNCTUM III.

An detur Subsistentia absoluta tribus Personis communis?

Ultra tres subsistentias Relativas dari subsistentiam absolutam communem tribus Personis, quemadmodum iisdem est communis *Essentia Divina*, & ab eadem omnino indistinctam docent Thomistæ, Scotistæ, & è nostris Molina, Granado, Amicus. Negant Vasquez, Arubal, Comptonus, P. Mlodzianowski, P. Morawski, & alii Nostri magìs communiter.

37. Respondeo, & dico: non dari in DEO subsistentiam absolutam, & communem tribus Personis. Ratio est, tum ab authoritate S. Damasceni in Epistola de Trisagio: *Non est ipsarum communis una Hypostasis. Deitas autem communis est trium Hypostasium una existens.* Tum quia in DEO ultra tres Personalitates Relativas, non datur Personalitas absoluta communis tribus Personis. Aliàs darentur in DEO quatuor Personæ. Ergo neque datur subsistentia absoluta communis tribus Personis. Talis enim Subsistentia deberet esse Personalitas absoluta; siquidem illi conveniret adæquatus conceptus Personalitatis, in hoc consistens, quòd sit Subsistentia naturæ intellectualis, prout illam definit Boëtius suprà citatus asserens, Personam esse naturæ rationalis individuam subsistentiam. Tum quia si daretur in DEO Subsistentia absoluta, Subsistentia hæc & esset subsistentia, & non esset. Esset, ùt supponitur. Non esset. Quia non esset ultimum complementum naturæ substantialis. Siquidem ultra hoc complementum darentur ulteriora complementa, scilicet darentur subsistentiæ relativæ, quæ sicut ipsius *naturæ* sunt, ità & subsistentiæ absolutæ & communis à *natura* omnino indistinctæ, deberent esse complementa. Porrò de ratione formali subsistentiæ est, esse ultimum complementum *naturæ* substantialis. Tum quia nulla est necessitas subsistentiæ absolutæ. Neque enim hæc Subsistentia est necessaria, ut faciat *naturam Divinam* per se existentem, & per se stantem. Id enim *naturæ Divinæ* convenit ex prædicato substantiæ, de cujus ratione est, esse ens per se stans, seu per se existens, prout ens per se opponitur enti in alio per inhærentiam. Neq; est necessaria subsistentia absoluta, ut faciat *naturam* potentẽ operari. *Natura* enim *Divina*, in ratione potentis operari ad extra, completur per Subsistentias relativas. In ratione verò potentis operari ad intrà per productionem realem, completur Personalitate *Patris*, vel etiam *Spiratione activa*. In ratione autem potentis operari per emanationem Subsistentiarum relativarum, *natura* ex se est completa independenter ab ulla subsistentia. Quemadmodum in ratione potentis ex se emanare Subsistentiam absolutam, debet *natura* ex se esse completa. Aliàs daretur processus in infinitum in subsistentiis. Neque etiam eadem subsistentia est necessaria, ut *natura Divina*

constituatur in recto *DEUS*. Eadem enim *Natura* ratione sui hoc ipsum prædicatum habet, quòd sit in recto *DEUS*, non verò ratione subsistentiæ absolutæ. Vel certè hoc prædicatum habet ratione alicujus Personæ. Neque tandem est necessaria ad hoc, ut reddat *Naturam* incommunicabilem substantiæ extraneæ, vel incom̃unicabilem alteri ùt supposito. Quia utrúmque hoc prædicatum *Natura* habet ratione sui, vel ratione subsistentiarum relativarum, ità ut hæ dictos effectus formales tribuant Naturæ.

Proponuntur Objectiones.

38. Objicitur Primò ab authoritate tum Agathonis Papæ in Epistola ad 4. synodum dicentis: *Confitemur trium Subsistentiarum unam esse subsistentiam.* Tum S. Hieronymi Epist. 25. ad Damasum: *Taceantur tres Hypostases, si placet, & una teneatur.* Similia habent S. Augustinus, S. Anselmus, & alii Patres asserentes, *Naturam Divinam* subsistere. Ergo.

39. Objicitur Secundò. Omnis perfectio simpliciter simplex convenit *Essentiæ Divinæ*. Sed subsistentia absoluta, & communis, est perfectio simpliciter simplex. Ergo. Minor probatur. Tum quia Existentia per se *Naturæ Divinæ* est perfectio simpliciter simplex. Sed subsistentia absoluta, & communis, est existentia per se *Naturæ Divinæ*. Neque enim ratio existentis per se haberi potest ab aliqua alia forma, vel quasi forma, nisì à subsistentia. Ergo. Tum quia esse substantiam individuam est perfectio simpliciter simplex. Sed esse subsistentem *Deitatem*, est *Deitatem* esse substantiam individuam secundùm definitionem Boëtii. Ergo. Tum quia esse substantiam ultimò completam est perfectio *Naturæ Divinæ*. Sed esse substantiam subsistentem, est esse substantiam ultimò completam; subsistentia enim est ultimũ complementum substantiæ. Ergo. Tum quia Infinitas simpliciter dicta *Essentiæ, & Naturæ Divinæ* secundùm se sumptæ, hoc est, prout distinctæ virtualiter à Personalitatibus, est perfectio simpliciter simplex. Ergo, & omne id, sinè quo non habetur hujusmodi infinitas, est perfectio ejusdem *Naturæ*. Sed sinè subsistentia absoluta, & communi non habetur infinitas essendi *Naturæ Divinæ* simpliciter dicta. Hæc enim non potest esse infinita simpliciter, si in ratione substantiæ est incompleta. Est verò in ratione substantiæ incompleta sinè subsistentia communi & absoluta, utpote sinè suo ultimo complemento. Ergo. Tum quia omnis illa perfectio, quæ depurata ab omnibus imperfectionibus, quibus inficitur in creatis, retinet conceptum formalem proprium, & discretivum sui ab omnibus, quæ non sunt ipsa, nec in hoc conceptu dicit ullam relationem ad intrà producentis, & producti, est perfectio simpliciter simplex, debétque in DEO dari. Sed ratio subsistentiæ absolutæ, & communis depurata ab omnibus imperfectionibus, quibus inficitur in creatis, retinet conceptum proprium, & discretivum talis subsistentiæ, nec in eo conceptu dicit ullam relationem ad intrà. Ergo. Tum quia Personam Divinam esse ratione sui *generantem*, est perfectio peculiaris, & propria Personæ *Patris*. Ergo etiam *Naturam* esse ratione sui subsistentem, est perfectio, eáque simpliciter simplex. Quia est perfectio melior ipsa, quàm non ipsa. Hinc, ùt videtur cuipiam, minùs consequenter loquuntur, qui in DEO negant subsistentiã com̃unem, & absolutam; cùm tamen doceant Personas ratione sui dicere perfectionem peculiarem, & existentiam relativam ultra perfectionem absolutam, & existentiam absolutam *Naturæ Divinæ*.

40. Objicitur Tertiò, id datur, debétque dari in DEO, sinè quo *DEUS* non est *DEUS*. Sed sinè subsistentia communi, & absoluta *DEUS* non est *DEUS*. Ergo hæc datur. Minor probatur. Tum quia *DEUS* non est *DEUS*, si non sit habens Divinitatem. Sed sinè subsistentia absoluta, & communi *Deitas* non est habens Divinitatem. Habens enim Divinitatem, est suppositum, cui convenit *Deitas*, seu *Natura Divina*. Ergo. Tum quia *DEUS* non est *DEUS*, si non est unus *in Natura*, trinus *in Personis*. Sed sinè subsistentia absoluta, & communi, *DEUS* non est unus *in Natura*, neque est trinus *in Personis*. Neque enim est unus *in Natura*, quia deberet esse subsistens subsistentia absoluta, & communi. Ly enim *DEUS* in suo conceptu dicit subsistentiam. Neque etiam *DEUS* est trinus *in Personis* sinè subsistentia absoluta, & communi. *DEUS* enim non est trinus *in Personis*, si *Natura Divina* non ema-

manet ex ſe Perſonalitates. Sed has non emanat ſinè ſubſiſtentia abſoluta, & communi. Perſonalitates enim Divinæ ſunt operationes ad intrà, quæ non habentur ſinè ſubſiſtentia abſoluta, & communi. Quia non habentur, ſi *Natura Divina* non intelligatur eſſe ſuppoſitum, cùm actiones debeant eſſe ſuppoſitorum. *Natura* autem pro priori ante emanationem Perſonalitatum non intelligitur eſſe ſuppoſitum, ſi non habeat ſubſiſtentiam abſolutam, & communem. Tum quia *DEUS*, eſt *hic DEUS* communis omnibus, & ſingulis Perſonis. Sed *DEUS* non eſt *hic DEUS* ſinè ſubſiſtentia communi, & abſoluta; non poteſt enim eſſe *hic DEUS* ſinè ratione formali conſtituente ipſum in ratione *hujus DEI*. Ratio autem formalis conſtituens *DEUM* in ratione *hujus DEI*, debet eſſe ſubſiſtentia; quia debet eſſe ratio, quæ *DEUM* reddat individuum, & ſingularem. Sola verò ſubſiſtentia abſoluta, & communis reddit *DEUM* individuum, & ſingularem. Quia juxta datam à Boëtio definitionem ſubſiſtentiæ, ratio ſubſtantiæ individuæ, & ſingularis debet haberi à ſubſiſtentia. Sed ratio ſubſtantiæ Divinæ individuæ, & ſingularis non habetur à ſubſiſtentia aliqua Relativa. Quia neque haberi poteſt ratio ſubſtantiæ individuæ, ſeu hujus *DEI* ab aliqua indeterminatè Perſona; ab hac enim potiùs haberi deberet ratio, quòd ſit aliquis *DEUS*, & non quòd ſit hic *DEUS*. Neque poteſt haberi ab una determinatè Perſona, quòd ſit *hic DEUS*. Quæro enim, à qua determinatè Perſona habeatur ratio *hujus DEI*? an determinatè *à Patre*? an determinatè *à Filio*? an *à Spiritu S.*? Certè non eſt potior ratio pro una Perſona, quàm pro alia, ut ab hac potiùs, & non ab alia habeatur ratio *hujus DEI*. Ergo.

41. Objicitur Quartò, tum quia Perſonis Divinis convenit ratio ſubſiſtentiæ communis, & abſolutæ, ſicut iiſdem convenit ratio unius ejuſdémque *Naturæ*, & *Deitatis* convenientis omnibus, & ſingulis Perſonis. Cùm omnes, & ſingulæ Perſonæ conveniant in ratione ſubſiſtentis. Ergo datur ſubſiſtentia communis, ſimúlque hæc ſubſiſtentia eſt abſoluta. Quia inter Perſonas Divinas in ratione ſuppoſiti, & ſubſiſtentis nulla eſt oppoſitio producentis, & producti. Tum quia debet dari ſubſiſtētia, ratione cujus *Natura* completè ſumpta ſubſiſtat. Sed *Natura* completè ſumpta non ſubſiſtit, niſi per ſubſiſtentiam abſolutam, & communem. Per ſubſiſtentias enim Relativas non poteſt ſubſiſtere *Natura* completè ſumpta. Quia *Natura* completè ſumpta dicit omnes omnino perfectiones abſolutas, & communes, quas ſubſiſtentiæ Relativæ non poſſunt reddere ſubſiſtentes. Hæ enim cùm fundentur in actionibus notionalibus de linea intelligendi, & volendi, ad ſummum poſſunt reddere ſubſiſtentem Intellectum abſolutum, & Voluntatem abſolutam: non poſſunt verò reddere ſubſiſtentes alias perfectiones abſolutas. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

42. Reſpondeo ad Primum. Locum Epiſtolæ Agathonis Papæ mendoſum adduci. In Græco enim textu ponitur ly *Uſia*, qui terminus ſubſtantiam ſignificat, non ſubſiſtentiam, ponitur nimirum *trium Hypoſtaſeōn Unam eſſe Uſiam*, non verò unam eſſe Hypoſtaſim. S. Hieronymus Epiſt. 25. ad Damaſum, non loquitur deciſivè ac definitivè, ſed potiùs quærit, ac definiri poſtulat à Damaſo Romano Pontifice, quid per *Hypoſtaſim* intelligi debeat: an *Uſia*, ſeu ſubſtantia? an ſubſiſtentiæ, eæque relativæ? Intelligi poſſe per Hypoſtaſim, *Uſiam* aſſerit. Dicit enim ſuperiùs: *Tota ſæcularium literarum ſchola nihil aliud Hypoſtaſim, niſi Uſiam novit. Quæ ſi nomine Hypoſtaſis intelligatur, confitendum eſſe in DEO unam Hypoſtaſim. Sicut confitemur unam eſſe Uſiam, ſeu Subſtantiam.* Quod ſi per *Hypoſtaſim* intelligantur Perſonæ ſubſiſtentes; dicit: Credendum eſſe, tres in DEO dari Hypoſtaſes, ùt colligitur ex altero ejuſdem Epiſtolæ textu, ubi dicit: *Interrogamus, quid tres hypoſtaſes poſſe arbitramur intelligi? tres Perſonas ſubſiſtentes ajunt. Reſpondemus, nos ità credere.* Unde clarè patet S. Hieronymum non agnoviſſe ullam ſubſiſtentiam abſolutam ac propriè dictam communem omnibus Perſonis. Alii etiam S. Patres hoc ſenſu intelligendi ſunt, quòd ly *ſubſiſtere*, dum loquendo de *Natura Divina* hoc termino utuntur, non accipiatur in rigore ſcholaſtico pro ſubſiſtentia communi, & abſoluta, ſed accipiatur vel pro exiſtere per ſe, quod prædicatum eſt proprium ſub-

ſtantiæ : vel accipitur pro ſubſiſtere per ſubſiſtentias Relativas.

43. Ad Secundum Reſpondeo Negando Minorem. Primæ Probationis Minorem itidem Nego, & Dico: Rationem exiſtentis per ſe convenientem *Naturæ Divinæ* haberi ab alia quaſi forma, & non à ſubſiſtentia propriè dicta, eáque communi. Nimirum habetur à prædicato proprio, & diſcretivo ſubſtantiæ, quæ ex ſuo conceptu eſt ens per ſe ſtans: habetur item ex ratione actûs puri, de cujus ratione eſt, eſſe ens per ſe eſſentialiter exiſtens.

Secundæ Probationis Nego Minorem, & dico: Deitatem per hoc eſſe ſubſtantiam individuam, quòd ſit in ſe unicíſſima, indiviſibilis, & omnino ſimplex; non habere verò rationem ſubſtantiæ individuæ à ſubſiſtentia aliqua abſoluta, & communi. Ad authoritatẽ Boëtii dico: Negando à Boëtio ſubſiſtentiam definiri per individuam ſubſtantiam; ſed definitur ab ipſo Perſona per hoc, quòd ſit *Naturæ rationalis individua ſubſiſtentia*, ùt conſtat ex adducta ſuperiùs hujuſmodi definitione. Licèt verò ſubſiſtentia definiretur per rationem individuæ ſubſtantiæ, per individuam ſubſtantiam debet intelligi incommunicabilitas *Naturæ Divinæ* alteri ſubſtantiæ, vel ſuppoſito extraneo, quod prædicatum habet *Natura Divina* per ſubſiſtentias Relativas.

Tertiæ Probationis Majorem Diſtinguo. *Naturam Divinam* eſſe ultimò completam in ratione *Naturæ*, & ſubſtantiæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Concedo Majorem. *Naturam Divinam* eſſe ultimò completam in ratione ſuppoſiti, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Subdiſtinguo. Eſſe inquam ultimò completam exigitivè, & radicaliter, ſeu ſecundùm quod eſt radix virtualiter emanativa ſubſiſtentiarum Relativarum, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Concedo Majorem. Eſſe *Naturam* ultimò completam formaliter in ratione ſuppoſiti, & ſecundùm quod hæc dicit ipſum complementum in dicta ratione ſuppoſiti, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Nego Majorem. *Natura* enim completa in ratione ſuppoſiti, ſecundùm quod dicit complementum in tali ratione, dicit aliquam Perſonalitatem, quæ Perſonalitates; etiamſi ratione ſui ſint perfectiones ſimpliciter tales, non ſunt tamen perfectiones ſimpliciter ſimplices. Diſtincta deinde Minore Nego Conſequentiam.

Quartæ Probationis ſubſumptam Minorem, & ulterioris Probationis Minorem itidem Nego, et dico: *Naturam Divinam* in ratione ſubſtantiæ eſſe completam per ſua prædicata eſſentialia independenter à ſubſiſtentia, ſolùmque eſſe incompletam in ratione ſuppoſiti. Verùm in hac ratione completur, & compleri debet per ipſas Perſonalitates.

Quintæ Probationis Nego Minorem, & dico: rationem ſubſiſtentiæ abſolutæ non poſſe ità depurari ab imperfectionibus, ùt maneat conceptus proprius, & diſcretivus talis ſubſiſtentiæ. Nullus enim talis conceptus poteſt aſſignari, ſecundùm quem ſubſiſtentia abſoluta reperiatur in DEO, & qui ſit proprius ac diſcretivus dictæ ſubſiſtentiæ, quicunque enim aſſignabitur, non erit ità depuratus ab imperfectionibus, ut poſt depurationem ſubſiſtat, nec imperfectionem ampliùs includat. Tum quia ſecundùm omnem conceptum ſuum proprium, & diſcretivum ſubſiſtentia abſoluta, quæ ſit in DEO, eſt implicatoria. Ergo in omni tali conceptu involvit imperfectionem. Antecedens probatur. Secundùm omnem conceptum proprium, & diſcretivum, ſecundùm quem ſubſiſtentia abſoluta depurata ab imperfectionibus daretur, deberet eſſe Perſonalitas. Deberet enim eſſe ſubſiſtentia Naturæ rationalis, in quo conceptu conſiſtit ratio Perſonæ. Sed in DEO ultra tres Perſonas, & Perſonalitates Relativas repugnat Perſona, & Perſonalitas abſoluta; aliàs darentur in DEO quatuor Perſonæ. Ergo. Tum quia, Illa ſubſiſtentia abſoluta, & eſſet ultimum complementum *Naturæ Divinæ*, & non eſſet. Eſſet ex conceptu proprio, & diſcretivo ſubſiſtentiæ: non eſſet autem complementum ultimum. Quia illa ipſa ſubſiſtentia, utpote indiſtincta à *Natura Divina*, deberet ulteriùs compleri per ſubſiſtentias Relativas, ſeu Perſonalitates, tanquam per ulteriora complementa. Tum quia de ratione ſubſiſtentiæ eſt reddere *Naturam* incommunicabilem alteri ùt ſuppoſitio. Sed ſubſiſtentia abſoluta non reddit *Naturam* incommunicabilem. Quia habitâ ſubſiſtentiâ abſolutâ, *Natura* adhuc eſt communicabilis; immo,

Imò, & eadem ipſa ſubſiſtentia eſt communicabilis ſuppoſitis Perſonalibus, nimirum *Patri, Filio, & Spiritui S.* Ergo. Tum quia in DEO repugnat prædicatum otioſum, & eſſentialiter ſuperfluum. Tale verò prædicatum eſt ſubſiſtentia abſoluta, & comunis ſecundùm quemcunque ſuum conceptum proprium, & diſcretivum.

Sextæ Probationis Nego Conſequentiam. Diſparitas facilè habetur. Quia prædicatis relativis, *generantis*, *geniti* &c. convenit ratio perfectionis, quia ratio prædicati ſecundùm ſe æſtimabilis ità imbibita in dictis prædicatis, ut de ipſis negari non debeat. E contra in nullo prædicato *eſſentiæ Divinæ* reperitur vel includitur ratio ſubſiſtentiæ comunis & abſolutæ; cùm nulla id evincat ratio, imò oppoſitum evincant rationes adductæ, quibus oſtenſum eſt, rationem ſubſiſtentiæ abſolutæ DEO repugnare. Hinc patet, ſi rationū momenta pro utraque ſententia expendantur, contra conſequentiam Doctrinæ non delinqui, ſed benè doceri, quòd licèt dentur perfectiones peculiares, & propriæ Perſonis Divinis, ab ipſis omnino indiſtinctæ, non debeat tamen dari ſubſiſtentia communis, & abſoluta ipſius *Naturæ* propria, ab eadem omnino indiſtincta.

44. Ad Tertium Reſpondeo Negando Minorem. Ad Probationem Primam dico: vel negando ſimpliciter, quòd habens *Divinitatem* ſit ſuppoſitum, cui conveniat *Divinitas*; potiùs enim, per ly *DEUS* ſignificatur ens, cui per identitatem omnimodam convenit *Deitas*, ſeu ſignificatur *Natura Divina*. Cùm in DEO abſtractum, quod eſt *Divinitas*, & concretum, quod eſt *DEUS*, non ſint ullatenus diſtincta: præcipuè quia concretum, quod eſt *DEUS*, non eſt concretum propriè dictum, ſed eſt concretum impropriè tale, ſolúmque eſt concretum Metaphyſicum vel Logicum. *DEUS* enim ex ratione actûs puri excludit omnem compoſitionem propriè dictam. Vel certè per ly *DEUS*, ſi debet aliquod ſuppoſitum ſignificari, non debet ſignificari ſuppoſitum aliquod abſolutum, & commune omnibus, & ſingulis Perſonis Divinis, ſed ſignificatur quodcunque ſuppoſitum Perſonale habens per identitatem realem prædicatum *Deitatis*.

Secundæ Probationis Nego Minorem quoad utramque partem. Ad Primæ partis Rationem dico. *DEUM* ut ſit unus in *Natura*, aut nullam debere dicere ſubſiſtentiam, ſed eſſe unum in *Natura* ratione ùnius, imò uniciſſimæ, ſimplicis omnino, & indiviſibilis *Naturæ Divinæ*, ſecluſa omni ſubſiſtentia abſoluta, & communi. Aut ſi *DEUS*, ùt eſt unus in *Natura* dicit aliquod ſuppoſitum, non aliud dicit niſì Perſonale. Ad Secundæ partis Minoris Probationem dico Negando, quòd *Natura Divina* non emanet Perſonalitates Divinas ſinè ſubſiſtentia abſoluta. Nego item ad hoc, ùt *Natura Divina* emanet Perſonalitates, requiri, ùt pro priori eadem *Natura* ſit ſuppoſitum. Axioma illud: *actiones ſunt ſuppoſitorum*, intelligi debet de productionibus paſſivis veris, & realibus terminorum realiter diſtinctorum à producente, quòd tales productiones debeant provenire à ſuppoſitis. Non debet verò intelligi de emanationibus virtualibus, quòd tales emanationes debeant provenire à ſuppoſito habente ſe pro priori ad tales emanationes; ſed ad ſumum, emanationes ſubſiſtentiarum Relativarum, debent eſſe actio ſuppoſiti, quòd per ipſam emanationem habeatur formaliter ùt tale.

Tertiæ Probationis Nego Minorem. Ad cujus ulteriorem Probationem dico: Rationem formalem conſtituentem *hunc DEUM* in ratione *hujus DEI* non eſſe ſubſiſtentiam communem, & abſolutam, ſed eſſe ipſam *Naturam* uniciſſimam, in ſe indiviſibilem, & omnino ſingularem. Ad definitionem ex Boëtio adductam, reſponſum eſt numero immediatè præcedente. Ubi dictum eſt, rationem *DEI* individui haberi à prædicatis propriis, & eſſentialibus *Naturæ Divinæ*, non minùs ac ratio Omnipotentis, Immenſi &c habetur à prædicatis propriis *Naturæ*, non verò à prædicato ſubſiſtētiæ. Quod vel exinde eſt: quia ſi à ſubſiſtentia communi, & abſoluta haberetur formaliter ratio *hujus DEI*, deberet pariter ab aliqua indeterminatè Perſona, & ſubſiſtentia relativa haberi ratio *alicujus DEI*: quæ tamen ratio non habetur, nè per talem admiſſam rationem, tacitè invehatur implicatoria multiplicitas Deorum, quàm eſſentialiter excludit Unicitas *Eſſentiæ Divinæ*.

45. Ad Quartum Reſpondeo Negando Antecedens Primæ Rationis. Nimirum Nego rationem ſubſiſtentiæ communis,

munis, & absolutæ ità convenire Personis Divinis, sicut iisdē convenit ratio *Naturæ Divinæ*, seu *Deitatis*. Ad Probationē Antecedentis dico: Omnes, & singulas Personas Divinas convenire quidem in ratione subsistentis, sed eo modo, quo hæ ipsæ conveniunt in ratione Personæ, non verò illo, quo conveniunt in ratione *Naturæ*. Nimirum singulæ Personæ Divinæ conveniunt in ratione subsistentis per abstractionem logicam, & per convenientiam similitudinis cùm reali multiplicitate subsistentiarum Personalium, quomodo conveniunt plures homines in ratione hominis. Non conveniunt verò Personæ Divinæ in ratione subsistentis per identitatem realem immediatam unius ejusdémque indivisibilis, ac omnino simplicis subsistentiæ cum tribus Personis. Eô modô, quô *Natura Divina* omnino indivisibilis, & simplex per identitatem realem immediatam convenit, éstque communis, & cōmunicatur omnibus, & singulis Personis. Hæc ipsa subsistentia ità communis tribus Personis dici potest absoluta præcisivè eo sensu, quòd sub hoc præciso conceptu: *Subsistentia*, ex modo nostro concipiendi nulla veniat oppositio producentis, & producti. Non est tamen absoluta per positivam exclusionem oppositionis relativæ taliter, ut de Personis Divinis verè affirmari possit subsistentia oppositionis relativæ exclusiva, v. g. *Pater* est subsistens subsistentià exclusivâ omnis oppositionis relativæ &c.

Secundæ Rationis Nego Minorem cum sua Probatione, & dico: Cùm inter perfectiones absolutas, quas dicit *Natura Divina*, nulla sit Distinctio nem. cog. sive realis, sive virtualis, sive alia objectiva, eo ipso, quòd subsistentiæ relativæ aliquas perfectiones absolutas reddunt se ipsis formaliter subsistentes, eædem subsistentiæ reddunt formaliter subsistentes & omnes alias perfectiones absolutas. Cùm implicet verificari prædicata contradictoria de prædicatis, & perfectionibus à se omnino indistinctis, qualia hæc essent: *Intellectus DEI essentialis per Paternitatem fundatam in intellectione activa Notionali subsistit. Immensitas v. g. Divina per eandam Paternitatem non subsistit.* Ultimam Probationem simpliciter Nego. Nimirum nego, quod subsistentiæ Relativæ fundatæ in actionibus de linea intelligendi, & volendi, non possint reddere subsistentem, nisi intellectum absolutum, & voluntatem absolutam: quamvis enim necesse sit inter perfectiones *Naturæ Divinæ* esse Intellectum essentialem, & voluntatem essentialem, tamen *Naturam* adæquatè, & quoad omnes perfectiones absolutas, & communes sumptam, dictæ Personalitates reddunt subsistentem.

QUÆSTIO II.

De his, quæ singulis Personis ac Relationibus sunt Propria.

Singulis diversis Relationibus respondebunt diversa Puncta.

PUNCTUM. I.

De Persona, & Relatione Patris.

46. Circa Personam *Patris* hoc præcipuè, & singulariter quæritur: quodnam sit prædicatum primò constitutivum Primæ Personæ in Divinis? ídque non quæritur de primo constitutivo, quod realiter vel virtualiter sit prius aliis prædicatis *Patris*. Cùm enim inter hæc prædicata non sit ulla Distinctio objectiva, non est etiam inter eadem ulla prioritas, quæ sit nem. cog. & ex parte ipsius Objecti, adeoque inter prædicata Primæ Personæ non est ullum prædicatum, quod nem. cog. sit primò vel secundò constitutivū ejusdem Personæ. Solùm ergo potest esse Quæstio: Quodnam prædicatum ex modo nostro concipiendi sit prædicatum primò constitutivum, & discretivum Primæ Personæ ab aliis Personis, sítque prius aliis prædicatis ejusdem Primæ Personæ. Porrò prædicata Patris propria hæc esse dicuntur: *Innascibilitas*, seu improducibilitas Primæ Personæ, per quam significatur authoritas, & primitas tam positiva, quàm negativa excludens omnem processionem Primæ Personæ ab aliis Personis, ratione cujus *Pater* est fons, & origo aliarum Personarum, & processionum Divinarum. Alterum prædicatum *Patris* dicitur esse, quòd Pater sit à se fæcundus, habeátque vim, & virtutem originandi alias Personas, & *generandi Filium*. Tertium prædicatum *Patris* est, quòd sit *generans*

rans Filium, quòd sit *Pater Filii*. Ex his ipsis prædicatis quædam sunt Relativa ac ipsæ Relationes, quædam censentur esse absoluta, vel quasi absoluta, & à Relationibus per rationem distincta. Prædicata Relativa ac ipsæ Relationes sunt: esse *Patrem*, *esse generantem* &c. Prædicata quasi absoluta, & à Relationibus per rationem distinguibilia, & diversa, sunt: *esse innascibilem*, *improducibilem*, *ingenitum*. Quæritur itaque, quodnam ex his prædicatis ex modo nostro concipiendi sit prædicatum primò constitutivum Personæ Primæ? an Relatio, & prædicatum Relativũ? an verò prædicata quasi absoluta, & à Relationibus per rationẽ diversa. De hoc Quæsito obscurè aliquantùm loquuntur Doctores. Censent plerique, prædicatũ primò constitutivum Personæ Primæ ex modo nostro concipiendi debere esse originem, non Relationem; adeoque prædicatum aliquod quasi absolutum, diversum à Relatione dicente oppositionem producentis, & producti. Suarez docet prædicatum primò constitutivum Primæ Personæ esse Relationem.

47. Respondeo & Dico: Prædicatum primò constitutivum Primæ Personæ prout distinctæ realiter ab aliis, etiam ex modo nostro concipiendi debere esse Relationem, quâ *Pater* refertur ad *Filium*.

Ratio est. Tum quia in Divinis una Persona non intelligitur esse realiter distincta ab alia, nisi ratione oppositionis relativæ producentis, & producti, juxta illud axioma Theologicum: *In Divinis ubi nulla est oppositio producentis, & producti, nulla est realis distinctio*. Ergo prædicatum primò constitutivum Primæ Personæ prout realiter distinctæ ab aliis Personis est Relatio, nimirum tale constitutivum est generatio activa, vi cujus Prima Persona *generat Filium*. Tum quia *Spiritus S.* in tantùm distinguitur realiter *à Filio*, in quantùm procedit *à Filio*, dicitque relationem processionis *à Filio*, ùt videbimus Punctô ultimô. Ergo etiam *Pater* in tantùm distinguitur realiter *à Filio*, in quantum dicit relationem *ad Filium*, seu in quantùm *generat Filium*. Ergo in ratione Personæ realiter distinctæ à *Filio* dicit constitutivè ejusmodi Relationem per eámque primò constituitur.

Proponitur Objectio.

48. Objicitur. Illud prædicatum Notionale, & discretivum Primæ Personæ, est ex modo nostro concipiendi constitutivum ejusdem, quod est prius cæteris hujus Personæ prædicatis. Sed prædicatum Personæ Ingenitæ, Innascibilis, & à se fæcundæ, seu habentis à se vim *generandi Filium*, est prædicatum ità notionale, & discretivum Primæ Personæ ab aliis, ut sit prius aliis prædicatis ejusdem Primæ Personæ. Ergo. Minor quoad primam partem supponitur: quoad secundam partem probatur. Tum quia Patres sæpiùs dicunt Primam Personam esse *Patrem*, *quia genuit*. Ergo prius est Personam Primam *genuisse*, quàm esse *Patrem*, & tantò magis prius est esse à se fæcundam, & habere vim à se originandi, quàm esse *Patrem*. Tum quia ex modo nostro concipiendi prior est illa ratio, quæ concipitur per modum actûs primi, quàm illa ratio, quæ concipitur per modũ secundi. Cùm actus secundus supponat primum. Sed Personam esse à se fæcundam ad producendum relativè, & habere vim à se originandi, est ratio, quæ concipitur per modum actûs primi. Jam verò esse Personam *generantem* est ratio, quæ concipitur per modum actûs secundi. Ergo. Tum quia Personæ Divinæ priùs intelliguntur in suo esse constitutæ, quàm esse relatæ. Prius enim est rem esse in se, quàm esse ad aliud. Ergo Personæ Divinæ ex modo nostro concipiendi prius constituuntur per aliquid aliud, & non per Relationem. Tum quia in creatis prius est Petrum esse Petrum, quàm esse Patrem seu genitorem Pauli. Ergo, & in Divinis ex modo nostro concipiendi prius est Personam, quæ est *Pater*, esse Primam Personam, quàm esse *Patrem*, & *Genitorem Filii*. Consequentia probatur. Quia prædicata Divina concipiuntur adinstar prædicatorum creatorum, ipsísque proportionantur. Tum quia, si fæcunditas à se, & vis originandi non esset prior ex modo nostro concipiendi, quàm esse *Patris*, sed potiùs esse *Patris* ex modo nostro concipiendi esset quid prius, quàm habere vim generandi, posset intelligi pro priori *Pater* sinè posse generare. Atqui hoc absurdum esse videtur. Ergo.

Solvitur Objectio.

49. & Respondetur per Distinctionem. Prædicatum ex modo nostro concipiendi primò constitutivum Patris ùt distincti realiter ab aliis Personis, est illud prædicatum, quod est notionale, & primò discretivum Patris ùt distincti realiter ab aliis Personis. Concedo Majorem. Illud prædicatum est prædicatum primò constitutivum Primæ Personæ in ratione distinctæ realiter ab aliis Personis, quod prædicatum est notionale præscindens à distinctione reali talis Personæ ab aliis Personis. Nego Majorem, & distincta similiter Minore Nego Consequentiam.

Primæ Probationis Consequentiam Nego, & dico: Per illam propositionem: Ideo *Pater* est *Pater*, quia *genuit*, non reddi pro causali aliquam rationem, quæ ex modo nostro concipiendi sit prior, sed reddi pro causali rationem formalem, quæ ex modo nostro concipiendi est omnimodè eadẽ cum esse *Patris*, adeóque reddi pro causali rationem, quæ ex modo concipiendi, nec est, nec esse potest prior quàm esse *Patris*. Cùm id, quod ex modo nostro concipiendi est idem omnino cum altero, non possit ex modo nostro concipiendi esse prius illo altero, aliàs aliquid esset prius se ipso; *Generare* enim *Filium*, est ratio formalis ipsius *Patris*. Cùm per hoc definiatur *Pater*, quòd *generet Filium*. Inter rationem verò formalem, & inter id, cujus est ratio formalis, seu inter definitionem, & definitum, cùm ex modo nostro concipiendi non sit ulla distinctio Rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re, sed ad summum est distinctio rationis ratiocinantis, quæ est penes solos conceptus, unum clariorem, alterum minùs clarum, non est quoque ulla prioritas rationis. Addo: qua ratione vera est Causalis: ideo est *Pater*, quia *generat Filium*, ea ratione vera etiam est hæc altera causalis: Ideo *generat Filium*, quia est *Pater*. Sicut non solùm vera est hæc causalis: *Petrus ideo est homo*, quia est *animal rationale*; sed etiam vera est hæc altera: *Petrus ideo est animal rationale, quia est homo.* Hæc enim ad convertentiam dicuntur, & dici debent, ex eo, quòd definitio debeat converti cum definito. Ergo sicut ex veritate hujus causalis: *Prima Persona ideo generat Filium quia est Pater*, non bene infertur, quòd ratione nostra debeat esse prius *Primam Personam esse Patrem*, quàm *generare Filium*; Ità ex veritate illius causalis in Objectione adductæ: *Ideo est Pater, quia generat Filium*, non bene infertur, quòd *generare Filium* sit ratione nostra prius, quàm esse *Patrem*. Dico deinde: quidquid sit de hoc, an ratio *generantis* sit ex modo nostro concipiendi prior, quàm ratio *Patris*; tamen cùm utraque hæc ratio sit Relatio, dicátque in suo conceptu oppositionem producentis cum *Filio* tanquam producto, non sequitur dari rationem ex modo nostro concipiendi priorem, quàm esse *Patris*, quæ ratio non sit Relatio. Ad illatum ulterius dico: quòd prædicatum, à se fæcundi, & habentis à se vim originandi, & *generandi Filium*, sit quidem prædicatum prius quàm esse *Patrem*, cæterùm hoc prædicatũ non est prædicatum Primæ Personæ ùt distinctæ realiter *à Filio*. Cùm oppositio Relativa, eáque oppositio producentis, & producti sit unica ratio Distinctionis realis inter *Patrem*, & *Filium*. Hinc *Pater* si haberet vim generandi *Filium*, & per impossibile non generaret Eundem, non distingueretur *à Filio*. Sicut *Spiritus S.* si non procederet *à Filio*, non distingueretur *à Filio*. Adverto, quòd licèt vis generandi videatur dicere aliquam oppositionem relativam, & relationẽ, quia tamen hæc non est oppositio producentis, & producti, sed solùm oppositio potentis producere, & termini potentis produci, ideo non reddit Primam Personam formaliter distinctam *à Filio*, adeoque non est constitutiva Primæ Personæ in esse Personæ realiter distinctæ *à Filio*.

Secundam Probationem Distinguo: Illa ratio, quæ ex modo nostro concipiendi habet se per modum actûs primi, est prior; illa verò quæ se habet per modum actûs secundi est posterior. Estque illa, quæ se habet per modum actûs primi, ratio realiter distinctiva unius Personæ Divinæ ab alia. Nego Majorem. Et non est in Divinis illa ratio, quæ se habet per modum actûs primi, distinctiva unius Personæ ab alia. Concedo Majorem, & Omissa vel Concessa Minore, Distinguo Consequens. Ergo esse fæcundum ad producendum relativè, & habere vim generandi *Filium*, est ratio prior, quàm esse actu *generantem*, éstque ratio hæc prior distinctiva realiter *Patris à Filio*. Nego Consequentiam. Et

non

non est dicta ratio prior distinctiva realiter *Patris à Filio*. Concedo Consequētiā.

Tertiæ Probationis Distinguo Antecedens: Personæ Divinæ priùs intelliguntur constitutæ in esse distinctarum realiter, quàm relatæ. Nego Antecedens. Priùs intelliguntur constitutæ in esse præscindēte à distinctione reali Personarū, quàm intelligantur esse relatæ. Omitto Antecedens. Neque enim possunt intelligi constitutæ in esse Personarū, si non intelligantur esse distinctæ realiter, & Nego Consequentiam.

Quartæ Probationis Nego Consequentiam. Disparitas est. Tum quia in creatis distinctio realis habetur penes ipsas rerum essentias, reperitúrque etim ibi, ubi non est oppositio relativa producentis, & producti. Contrarium evenit in Divinis, ubi una eadêmque, & indivisibilis est *essentia* omnium Personarum, & distinctio realis non est nisi penes illa, inter quæ est oppositio relativa producentis, & producti. Unde licèt in creatis priùs sit Petrum esse realiter distinctum à Paulo, quàm Petrum esse Patrem Pauli; tamen in Divinis non est priùs Primam Personam esse realiter distinctam à Secunda, quàm sit Primam Personam esse *Patrem* Secundæ Personæ, & hanc esse *Filium* Primæ Personæ. Tum quia in creatis Relationes Patris, & Filii sunt accidentales, nec per se stantes, sed tales, quæ sunt in alio, seu inhærent alteri; adeoque exigunt, & ante se supponunt aliud, cui insunt. Jam verò in Divinis Relationes *Patris ad Filium*, & *Filii ad Patrem* sunt relationes substantiales, & per se stantes; adeoque non exigunt priores formalitates, maximè verò tales, quæ sint ratio distinctionis realis diversa ab oppositione relativa producentis, & producti. Ad probationem Consequentiæ dico: prædicata Divina concipi adinstar prædicatorum creatorum, ipsísque proportionari in his, in quibus ex speciali ratione non repugnat aliqua prædicata Divina proportionari prædicatis creatis. Non proportionari verò in his, in quibus ex speciali ratione repugnat aliqua prædicata Divina proportionari creatis. Porrò Personas Divinas in esse distinctarum realiter repugnat ex speciali ratione proportionari rebus creatis, nimirum ex hac ratione repugnat, quòd in Divinis repugnet Distinctionem aliunde haberi, & non ex oppositione relativa producentis, & producti; adeoque repugnat illas proportionari in eo rebus creatis, quòd in esse distinctarum realiter constituantur per aliquid aliud, & non per Relationem.

Ad Quintam Probationem dico: fæcunditatem à se, & virtutem generandi *Filium*, esse quidem rationem priorem, quàm esse *Patris*, sed dictam fæcunditatem non esse constitutivam Primæ Personæ in esse distinctæ realiter *à Filio*. Potiùs enim ratio *Patris* constituit Primam Personam in esse realiter Distinctæ, idque dicta ratio prout supponens virtutem *generandi*, & fæcunditatem à se, vel certè prout complectens tam has rationes, quàm ipsam *Paternitatem*, seu *generationem* activam, constituit Primam Personam in esse realiter distinctæ ab aliis Personis. Unde non sequitur posse intelligi pro priori *Patrem* absque posse *generare*.

Dices. Etiamsi Prima Persona in ratione realiter distinctæ debeat constitui Relatione, hac tamē nō constituitur in ratione Primæ Personæ. Respondeo. Etiam in ratione Primæ Personæ *Patrem* constitui Relatione. Tum quia non intellecta Relatione, non intelliguntur plures realiter Personæ. Ergo neque intelligitur Prima Persona. Deberet enim intelligi per respectum ad Secundam, & Tertiam. Quia si non sunt plures realiter Personæ, non est Persona, quæ sit realiter Prima, neque est, quæ sit Secunda, similiter non est, quæ sit realiter Tertia. Tum quia Prima Persona in ratione Primæ Personæ constitui debet per Primam Relationem, hoc est, per relationem producentis, non supponentem ullā ad se alterius Personæ Relationem producentis. Prima enim Persona per hoc est talis, quòd producat alterā Personam, & ipsa à nulla Persona producatur. Ergo adhuc etiam in ratione Primæ Personæ Pater constituitur Relatione.

PUNCTUM II.

De Relatione, & Persona Filii.

Duo in præsenti puncto discutienda, & resolvenda veniunt. Primum. Quæ sit adæquata ratio: cur processio Secundæ Personæ, non verò processio *Spiritûs Sancti* sit *Filiatio* & *generatio Filii* propriè talis?

Secundum est. Ex quali cognitione procedat *Verbum Divinum* ?

§. I.

Quæ sit ratio, cur processio Secundæ potiùs, quàm Tertiæ Personæ sit *Filiatio*, & *generatio* propriè dicta ?

50. Secundam Personam SS. *Trinitatis* à solo *Patre* procedentem, esse Unigenitum *Patris Filium*; jam verò *Spiritum S. à Patre, & Filio* procedentem, non esse *Filium*, nec esse *genitum*, docet Sancta Fides Catholica. Hoc tanquam fundamento præsupposito, inquirunt ulteriùs Theologi: Quænam sit ratio, cur processio Secundæ Personæ sit *Filiatio, & generatio passiva* propriè talis: processio verò *Spiritûs Sancti* non sit *Filiatio, nec generatio* ? In ordine ad hanc quæstionem resolvendam, iidem Theologi ferè omnes supponunt prætereà ex principiis naturalibus, & ex Philosophia, ad Generationem propriè talem, & ad veram Filiationem requiri similitudinem inter genitum, & inter generantem, innixi receptæ definitioni generationis viventium, quæ à Philosophis per hoc definitur: quòd sit *Origo viventis à vivente tanquam à principio conjuncto in similitudinem naturæ*. Quamvis hanc ipsam definitionem non eodem modo accipiant, & intelligant omnes. Unde ulteriùs censent, in Divinis illius Personæ processionē esse *generationem* propriè talem, & *Filiationem* veram, quæ est origo, seu processio termini viventis à principio vivente conjuncto secum in una eadémque *Natura* in similitudinem *Naturæ*, seu in similitudinem cum illo ipso principio.

His tanquam certis præsuppositis. In hoc tota superest difficultas: in quo stet illa similitudo ad rationē *generationis* propriè talis requisita, ratione cujus processio Secundæ Personæ censetur esse in similitudinem *Naturæ* seu principii; adeoque *generatio* proprie talis, & vera *Filiatio*. Plures circa hoc sunt diversæ Theologorum opiniones. Præcipuè hæ sunt: Primò Thomistæ, & è nostris Suarez, Arriaga, P. Mlodzianowski, & alii censent Processionem Secundæ Personæ in tantū esse in similitudinem *Naturæ*, in quantum est processio intentionalis per Intellectū & Intellectionem essentialem absolutā, quæ Intellectio est *Natura Divina*. Tum quia Thomistæ existimant *Essentiam Divinam* consistere ex parte objecti in sola Intellectione substantiali. Tum quia Intellectus, cùm sit Primū principium operandi ad intrà, ùt discurrit P. Mlodzianowski, habet se per modum *Naturæ*, quæ per hoc definitur; quòd sit Primum principium motûs, & quietis; adéoque processio per Intellectum est processio in similitudinē *Naturæ*. Processio verò *Spiritûs Sancti*, cùm sit processio per Voluntatem, quæ in DEO non est *Natura*; cùm non sit Primum principiū motûs, & operationis ad intrà, Processio hæc non est in similitudinem *Naturæ*.

Secundò. S. Bonaventura, Alensis, Martinon, & aliqui alii existimant Processionē Secundæ Personæ ex eo esse Processionem in similitudinem Naturæ, quòd Secunda Persona vi suæ processionis accipiat *Naturam* ùt fæcundam, seu operativam ad intrà, quatenus Secunda Persona vi suæ processionis accipit vim, & virtutem producendi *Spiritum S.* quam *Spiritus S.* utpote ultimus Terminus Divinarum Processionum, non accipit.

Tertiò. Vasquez, Ruitz, Antonius Perez, Amicus, Esparza, Haunoldus, & plures alii censent Processionem Secundæ Personæ ex eo esse in similitudinem sui principii, adeoque *generationem* propriè talem, quòd Secunda Persona sit *Verbum* Divinū, & Intellectio passiva, adeoque imago intentionalis, & similitudo, ac expressio sui principii, consubstantialis eidem.

51. Respondeo, & Dico Processionem Secundæ Personæ neque per hoc esse Processionem in similitudinem *Naturæ*, quòd Secunda Persona procedat per Intellectum absolutum, qui sit *Natura Divina*; neque per hoc, quòd Secunda Persona vi suæ Processionis accipiat *Naturam* fæcundam, aut certè esse fæcundum, & vim producendi *Spiritum Sanctum*. Sed potiùs Processio hæc in tantum est processio in similitudinem *Naturæ*, aut potiùs in similitudinem sui principii, quòd Secunda Persona procedat *ùt Verbum*, ùt Intellectio passiva, ùt similitudo, & imago *Patris* intentionaliter expressiva sui principii, consubstantialis eidem; adeoque talis processio est propriè dicta *generatio*, & vera *Filiatio*.

Ratio Primi est. Tum quia Processio per Intellectum absolutum, prout explicatur à suis authoribus, licèt explicet, quomodo processio Secundæ Personæ sit processio *à Natura Divina*; tamen non explicat, quomodo sit in similitudinem aut talis *Naturæ*, aut principii, quod est *Pater*. Cùm tamen non in hoc principaliter consistat ratio *generationis* propriè dictæ, quòd sit *à Natura*. Cùm esse *à Natura* possit convenire etiam productioni, quæ non est *generatio* viventis propriè talis, ùt contingit in creatis. Potiùs igitur ratio *generationis* propriè dictæ consistit principaliter in eo, quòd sit in similitudinem *Naturæ*: seu proprii principii processio consubstantialis eidem. Ergo. Tum quia in Divinis *Natura* Theologicè sumpta non consistit in Intellectu absoluto, & essentiali: imò neque Essentia Divina Metaphysicè spectata consistit in eodem Intellectu, vel Intellectione actuali, ùt docui 1. Disp. Num. 28. & sequentibus. Sed potiùs Natura Theologicè sumpta consistit in complexo omnium prædicatorum communium toti SS. *Trinitati*. Quod si ità est, *Filius* æternus, ut censeatur procedere *à Natura Divina*, debet procedere à complexo omnium prædicatorum absolutorum, prout de facto ab hoc procedit per emanationem suæ processionis, & ratione communicationis eorundem omnium prædicatorum per identitatem realem ipsi *Filio*. Quod cùm pariter conveniat processioni *Spiritùs Sancti*, Processio Secundæ Personæ per hoc, quòd sit simul processio à *Natura*, non erit *generatio* propriè talis, & *Filiatio* vera. Tum quia sententia, quæ explicat *generationem Filii* per processionem per Intellectum absolutum, supponit Personam Secundam, seu *Filium* procedere per Intellectum absolutum, & non per Voluntatem absolutam; *Spiritum* verò *Sanctum* supponit procedere per voluntatem absolutam, & per non Intellectum absolutum; adeoque supponit de Intellectu absoluto, & de Voluntate absoluta, secum realiter omnimodè identificatis, verificari hæc prædicata contradictoria: Intellectus absolutus Divinus est ille, per quem procedit *Filius*. Voluntas absoluta Divina non est illa, per quam procedit *Filius*. Et per ulteriorem consequentiam, sententia hæc adstruit mysterium simile mysterio *Trinitatis*, ubi non cogit Fides ad illud adstruendum, cùm planiori via explicetur, & explicari possit, quomodo *Filius* per Intellectum, *Spiritus S.* per Voluntatem procedat. Ergo per hanc sententiam non bene explicatur Origo in similitudinem *Naturæ*, quam *generatio Filii* dicere debet.

52. Ratio secundi est. Similitudo *Filii* cum *Patre*, quam debet dicere *generatio* propriè dicta, neque consistit in eo, quòd *Filius* vi suæ processionis accipiat *Naturam* fæcundam, quemadmodum *Pater* habet *Naturam* fæcundam. Neque consistit in hoc, quòd *Filius* suum esse Personale, secundùm quod procedit *à Patre*, accipiat fæcundum quoad vim producendi *Spiritum S.* quomodo fæcundum est esse Personale *Patris*. Non consistit imprimìs hæc similitudo in fæcunditate *Naturæ*. Tum quia sicut *generatio Filii à Patre* est physica, & realis, ità & similitudo debet esse physica, & realis, hoc est, inter extrema physicè, & realiter distincta, ac ratione physicè, & realiter distinctorum. Si enim sit ratione unius ejusdémque realiter, non tam similitudo, quàm potiùs identitas erit. Sed similitudo *in Natura* fæcunda non est similitudo inter extrema realiter distincta, vel certè non est similitudo ratione distinctorum realiter. Quia est similitudo ratione *Naturæ fæcundæ in Patre*, & ratione *Naturæ fæcundæ in Filio*. Quæ *Natura* cùm sit una eadémque realiter ac omnino indivisibilis, similitudo ratione talis *Naturæ*, non est similitudo ratione distinctorum à se realiter. Ergo. Tum quia eadem omnino *Natura* communicatur *Spiritui Sancto*, quæ communicatur *Patri*, & quæ communicatur *Filio*. Ergo si *Patri*, & *Filio* communicatur *Natura* ùt fæcunda, etiam *Spiritui Sancto* communicatur *Natura* ùt fæcunda. Vel si talis huic non communicatur, neque communicatur *Patri aut Filio*. Aliàs de eadem *Natura* verificabuntur contradictoria, ad quæ admittenda non cogit fides, eáque eo modo salvari debebunt, quo salvari debent prædicata, quæ secundùm fidem verificantur de *Natura & Personis*, novúmque accedet mysterium simile mysterio *Trinitatis*. Ergo. Tum quia *Natura* ùt fæcunda non communicatur *Filio*, si *Filius* quoad suum esse Personale non est fæcundus, & si ratione talis fæcunditatis non est similis

Patri, ùt proximè videbimus. Ergo.

Non consistit deinde dicta similitudo *Filii* cum *Patre* in fæcunditate, quæ conveniat *Filio* secundùm esse Personale acceptο, ac etiam *Patri*, itidem accepto secundùm esse suum proprium, & Personale. Implicat enim similitudo quoad fæcunditatem inter Personam *Patris*, & inter Personam *Filii*. Tum quia si *Filius* ratione sui esset similis *Patri* quoad fæcunditatem, esset similis quoad fæcunditatem spirativam *Spiritûs Sancti*. Sed quoad hanc *Filius* non potest esse similis *Patri*. Si enim quoad hanc esset similis *Patri*, deberet esse alia fæcunditas Spirativa *Spiritûs Sancti* in *Filio*, & alia fæcunditas deberet esse *in Patre*. Quia si una eadémque sit in utroque dicta fæcunditas, non potest esse similitudo vera, & realis quoad fæcunditatem inter *Patrem & Filium*. Ad rationem enim similitudinis veræ, & realis requiritur distinctio realis inter ipsas rationes, quoad quas est similitudo. Quia requiritur talium rationum convenientia. Sed repugnat fæcunditatem Spirativam *Spiritûs Sancti* aliam esse *in Patre*, aliam *in Filio*. Cùm enim *Pater* non sit aliud Principium Spirativum *Spiritûs Sancti*, & aliud principium *Filius*, nec alia sit spiratio activa *in Patre*, & alia spiratio activa *in Filio*, ùt definitum est in Conciliis Puncto sequenti adducendis. Non est quoque fæcunditas Spirativa *Spiritûs Sancti* alia *in Patre*, alia *in Filio*. Hæc enim deberet esse aliud, & aliud principium Spirativum, daretúrque alia, & alia realiter Spiratio *Spiritûs Sancti*. Neque valet si dicas, similitudinem ratione fæcunditatis, quæ est inter *Patrem & Filium*, esse similitudinem inter fæcunditatem *Patris*, quâ *generat Filium*, & inter fæcunditatem *Filii*, quâ *Spirat Spiritum S.* Non valet inquam. Quia *Filius* non est similis *Patri* ratione fæcunditatis, quâ *Filius* Spirat *Spiritum S.* Cùm enim hæc fæcunditas sit una eadémque *in Patre, & Filio, Filius Patri* per *generationem* activam fæcundo, similis esse deberet per fæcunditatem sibi *Patríque* communem. Sed per hanc non est similis. Potiùs enim principium Spirativum *Spiritûs Sancti*, quod tali fæcunditate, est fæcundum, ratione ejusdem fæcunditatis deberet esse simile *Patri*, & deberet hoc principium ùt tale esse *Filius*, vel certè non daretur *Filius* in Divinis. Quia hic secundùm se præcisè non esset similis *Patri*. Quia secundùm se, seu ùt est præcisè *Filius*, non est fæcundus. Tum quia similitudo requisita ad rationem *generationis* propriè dictæ, debet esse similitudo perfecta exclusiva magnæ dissimilitudinis. Inter fæcunditatem verò *Patris*, & inter fæcunditatem *Filii*, magna est dissimilitudo. Quia fæcunditas, quâ *Pater* est fæcundus, est fæcunditas à se; fæcunditas quâ *Filius* est fæcundus, est fæcunditas non à se, sed est fæcunditas accepta *à Patre*. Fæcunditas *Patris* est fæcunditas in ordine ad *generandum Filium*, & in ordine ad *Spirandum Spiritum S.* Fæcunditas verò *Filii* nullatenus est fæcunditas ad *generandum*, sed solùm est fæcunditas ad *Spirandum*. Ergo.

53. Ratio Tertii est. Tum quia per illa prædicata explicanda est similitudo *Filii* cum *Patre*, & reddenda est ratio: cur Processio Secundæ Personæ sit *generatio* passiva propriè talis, per quæ eandem similitudinem explicant Sancti Patres, & per quæ reddunt rationem, cur Processio Secundæ Personæ sit *generatio*. Sed similitudinem *Filii* cum *Patre* explicant Sancti Patres per hæc prædicata, quòd Secunda Persona sit Verbum, quòd sit imago *Patris*, quòd sit Intellectio passiva, & expressio intentionalis *Patris*. Per eadem item prædicata reddunt rationem iidem Sancti Patres, cur processio Secundæ Personæ sit *generatio*, & *Filiatio*. Ergo. Minor probatur. S. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 2. dicit: *Eò Verbum, quo Filius, eò Filius, quo Verbum.* Et iterum Tract. 48. in Joann. *Verbum DEI semper cum Patre, & semper Verbum, & quia Verbum, ideo Filius.* S. Anselmus etiam cap. 57. Monol. dicit *Imaginem Filium Patris. non Spiritum Sanctum.* Et S. Thomas 1. parte Quæst. 27. art. 4. dicit: *Processio quæ attenditur secundùm rationem Intellectûs, est secundùm rationem similitudinis, & in tantum potest habere rationem generationis. Quia omne generans generat sibi simile.* Ergo. Tum quia per illa prædicata bene explicatur similitudo Secundæ Personæ, redditúrque ratio, cur Processio Secundæ Personæ sit *generatio*; quæ prædicata conveniunt soli eidem Personæ, eandémque Personam reddunt similem suo principio. Et per quæ ostenditur, Processionem talis Personæ esse in similitudinem cũ suo Principio. Ratio enim cur Proces-

fio

sio Secundæ Personæ sit *generatio*, nec debet, nec potest melior reddi, quàm per definitionē *generationis*, & per ostensionem, quòd talis definitio conveniat dictæ processioni. Per hanc autē definitionē redditur talis ratio, dum respondetur per prædicata, secundùm quæ *Filius* est similis *Patri*, & ratione quorum Processio Secundæ Personæ est origo viventis à vivente in similitudinem sui principii, consubstantialis eidem. Sed prædicata *Verbi Divini*, *Imaginis Patris*, *Intellectionis passivæ* intentionaliter expressivæ ejusdem *Patris* consubstantialis suo principio, sunt prædicata convenientia soli Personæ Secundæ taliter, ut eam reddant similem suo principio, & ut ratione illorum processio Secundæ Personæ sit in similitudinem sui principii. Minor hæc probatur per partes. Imprimis dicta prædicata conveniunt Secundæ Personæ. Nemo enim negat hanc Personam esse *Verbum Divinum.* Nemo item negat esse *Imaginem Patris.* Et cùm Secunda Persona procedat per Intellectū, facilè concedi debet, quòd sit *Intellectio passiva*, indistincta à *Verbo mentis*, expressiva intentionaliter *Patris* tanquam sui objecti. Eadem Persona, cùm habeat substantiam Divinam cōmunicatam sibi per identitatem, quam etiam habet eodem modo sibi cōmunicatam *Pater*, est consubstantialis *Patri*, seu ejusdem substantiæ cum Patre. Eadem prædicata præter consubstantialitatem, quæ cōmunis est omnibus, & singulis Personis Divinis, sunt prædicata convenientia soli Personæ Secundæ. Ità enim illi conveniunt, ut nec *Patri*, nec *Spiritui S.* conveniant, qui potiùs habet prædicata Amoris, Volitionis passivæ, & Inclinationis intentionalis. Hæc ipsa prædicata reddunt adhuc Secundam Personam similem suo principio. Quia hæc prædicata in suo conceptu dicunt similitudinem. Nam Verbum ex suo conceptu est quædam similitudo expressa intentionalis, repræsentativa, comprehensivè sui principii. Imago pariter *Patris* ex suo conceptu est similitudo eo fine producta, ut Patrem tanquam suum archetypum referat. Intellectio quoque passiva, cùm sit repræsentatio intentionalis sui objecti, est similitudo ejusdem. Ergo hæc prædicata, Personam, cui conveniunt, reddunt similem. Similitudo enim est ratio formalis, tribuens denominationem similis. Tandem ratione horum prædicatorum Processio Secundæ Personæ est processio in similitudinem sui Principii. Quia est processio viventis habentis similitudinem cum suo Principio. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

54. Objicitur Primò, & probatur, quòd similitudo requisita ad rationem *generationis* propriè dictæ habeatur vi processionis per Intellectum absolutum. Tū quia similitudo requisita ad rationem *generationis* debet esse similitudo in *Natura*. *Generatio* enim debet esse origo viventis à vivente in similitudinem *Naturæ*. Sed similitudo in *Natura* non habetur nisi vi processionis per Intellectum absolutum. Hic enim cùm sit Primum Principium operationum ad intrà, est *Natura Divina*. Tum quia inter Secundam *Trinitatis* Personam in eo in quo producitur, est similitudo cum *Natura Divina*. Sicut enim *Natura Divina* est de linea Intellectionis: ità & Secunda Persona, in eo, in quo producitur, est de linea Intellectionis. Hæc enim producitur in ratione *Verbi*, quod *Verbum* est de linea Intellectionis. Tum quia, si quid obesset, quominùs processio per Intellectū absolutum esset in similitudinē *Naturæ*, obesset sum̄a simplicitas, & indivisibilitas *Naturæ Divinæ*, ejúsque communicatio per realem identitatem omnibus, & singulis Personis Divinis. Sed hæc non obest. Etiamsi enim inter *Patrem*, & *Filium* non sit similitudo convenientiæ, & conformitatis in *Natura*, est tamen similitudo uniformitatis per immediatam identitatem cum eadem *Natura*, quæ in DEO dicitur similitudo naturalis. Ergo.

55. Objicitur Secundò, & probatur fæcunditatem tam Patri, quàm *Filio* convenientem, esse similitudinem constitutivam, & discretivam *Filii* à *Spiritu S.* esse item discretivam processionis *Filii* à processione *Spiritûs Sancti.* Tum authoritate imprimis Concilii Florentini, quod contra Græcos arguendo sic loquitur: *Credentes Spiritum S. nequaquam ex Filio procedere, necesse est, ut intelligant Spiritum S. à solo Patre procedere. Consequenter non esse Filium.* Ex quo textu sic arguitur: *Filius* non esset *Filius*, si *Spiritus Sanctus* non procederet à *Filio*. Ergo non esset *Filius*, si es-

set in fæcundus; adeoque ratio constitutiva, & discretiva *Filii* est esse fæcundū. Deinde authoritate S. Basilii, qui contra Eunomi : cap. 12. dicit : *si ex Filio Filius natus esset , ex hoc utroque alius natus esset.* Ex quo textu sic arguitur : S. Basilius censet *Spiritum S.* non esse *Filium*, quia ex ipso deberet nasci alius. Sed hæc illatio non valeret, si *Filius* non esset essentialiter fæcundus. Ergo è mente S. Doctoris *Filio* est essentiale esse fæcundum. Tum quia in eo prædicato, seu in ea ratione consistit similitudo *Filii* cum *Patre*, quæ ità est communis tam *Filio*, quàm *Patri*, ut non conveniat *Spiritui S.* Sed sola fæcunditas in producendo *Spiritu S.* ità est communis *Filio* cum *Patre*, ut non conveniat etiam *Spiritui S.* Esse enim Intellectionem convenit omnibus, & singulis Personis. Hæc enim sicut *Filium*, ità & *Patrem*, ità & *Spiritum S.* reddit intelligentem. Tum quia similitudo quoad fæcunditatem *Filii* cum *Patre* ità est propria *Filii*, ut reperiatur in omni *generatione*; reperitur enim in omni generatione creata propriè tali. Quia per hanc in creatis Filius per se, & ex intentione Naturæ, accipit Naturam in actu Primo fæcundam, ità ut possit producere aliud suppositum ejusdem secum Naturæ, & sibi simile. Reperitur id ipsum in *generatione* Divina, per quam Secunda Persona quæ producitur, producitur fæcunda in producendo *Spiritu S.* Ergo.

56. Objicitur Tertiò, & probatur, Processionem *Filii*, seu *generationem* non bene explicari per processionem in similitudinem cum suo principio, nec hanc ipsam similitudinem bene explicari per hæc prædicata; quòd Secunda Persona sit *Verbum*, quòd sit Imago *Patris*, Intellectio passiva, & similitudo intentionalis. Tum quia Secunda Persona non est similis Primæ Personæ in ratione *Verbi*, in ratione Intellectionis, in ratione Imaginis; aliàs etiam Prima Persona seu *Pater*, deberet esse *Verbum*, deberet esse Imago, deberet esse Intellectio. Illa enim ratio, in qua duo sunt sibi similia, debet esse utrique communis, & in utroque reperiri. Atqui *Pater* non est *Verbum*, non est Imago, non est Intellectio. Ergo. Tum quia similitudo ad rationem generationis requisita, debet esse similitudo propria, & non Metaphorica. Similitudo verò in ratione *Verbi* non est similitudo propria, sed metaphorica. Deinde similitudo ad *generationem* requisita, debet esse similitudo realis, & physica, non autem intentionalis, & repræsentativa. Quis enim unquam dixit actum intellectûs creatum esse *Filium* principii intelligentis ? Quis imaginem Cæsaris dixit esse Filium Cæsaris ? Tum quia similitudo requisita ad rationem *generationis* debet esse similitudo in *Natura*. Similitudo verò in ratione *Verbi* non est similitudo in *Natura*. Tum quia similitudo requisita ad rationem *Filiationis*, ità debet convenire *Filio*, ut non conveniat *Spiritui S.* Per aliquid enim commune *Filio*, & *Spiritui S.* non potest reddi ratio, cur illius, & non hujus processio sit *generatio*; sed similitudo, quæ ex vi suæ processionis convenit *Filio*, convenit etiam *Spiritui S.* ídque convenit illi ex pluribus suis prædicatis, imprimis ex hoc : Quia *Spiritui S.* convenit similitudo cum *Patre*, sicut convenit *Filio*, juxta illud S. Athanasii : *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.* Deinde esse *Verbum* videtur convenire *Spiritui S.* Hoc enim prædicatum putant aliqui convenire omnibus, & singulis Personis, *Patri* prout dicenti, & producenti *Verbum*, *Filio* convenit esse *Verbum* productum à *Patre*, *Spiritui S.* convenit esse *Verbum*, quatenus habet in se im̃anens *Verbum.* Præterea *Spiritui S.* convenit procedere per Voluntatē, qualis processio est processio intentionalis, simúlque est in similitudinem. Quia omne procedens, & productum assimilatur suo principio producenti, éstque similitudo ipsius. Tandem *Spiritui S.* convenit esse amorem & Dilectionem. Amor verò, & Dilectio dicit, vel supponit similitudinem in amato, & amante. Cùm etiam in creatis *omne animal* dicatur *diligere sibi simile*, Ut habetur Eccl. 13. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

57. Ad Primum Respondeo negando assumptum. Primam Rationem Distinguo : Similitudo requisita ad rationem generationis debet esse similitudo in Natura in iis viventibus, in quibus per generationem producitur in genito Natura realiter distincta à Natura generantis. Concedo Majorem. Similitudo ad rationem generationis requisita, debet esse similitudo-

militudo in natura, etiam in illis, in quibus una eadémque est individua natura in genito, & in generante. Nego Majorem. Quodsi quæras: In his, in quibus una eadémque, & individua est natura tam in generante, quàm in genito, similitudo requisita ad rationem generationis, in quo esse debeat? Respondeo similitudinem hanc inter genitum, & generantem debere esse in eo, secundùm quod genitus producitur, & secundùm quod generans producit. Cùm in ipsis etiam creatis in tantum ad generationem requiratur similitudo in Natura, in quantum Natura geniti est id, secundùm quod Filius producitur, & Natura Patris creati est id, quod producit Filium. Neque obstat, quòd Philosophi definiant generationem Viventis per *originem viventis à vivente tanquam à principio conjuncto in similitudinem Naturæ*. Non obstat inquam. Philosophi enim definiverunt generationem, quæ eis per lumen rationis cognita fuit, seu illam, qualis in creatis esse consvevit. Nimirum definiverunt generationem, per quam vivens creatum producit alterum vivens in similitudinem naturæ, quatenus Filio genito confert naturam distinctam similem naturæ generanti; qualis generatio cùm non sit, nec possit esse in Divinis, habetur hinc, quòd licèt in creatis generatio propriè dicta sit in similitudinem naturæ, in Divinis tamen *generatio* non debet esse in similitudinem *Naturæ*, sed solùm debeat esse in similitudinem perfectam producti termini cum principio producente. Ejusdem Primæ Rationis potest negari Minor cum sua Probatione, quæ Minor tum falso supposito laborat, quòd in Divinis Processio Secundæ Personæ sit per Intellectum absolutum. Tum falsa est ex eo; quia non apparet, ex quo capite processio per Intellectum absolutum sit similitudo. Licèt enim posset dici processionem per Intellectum absolutum esse processionem per *Naturam*, tamen non apparet, quomodo talis processio sit in similitudinem *Naturæ*. Tum denique eadem Minor falsa est ex eo: quia falsum est, quòd Processio per Intellectum absolutum, sit processio per *Naturam*; cùm Intellectus absolutus non sit *Natura*.

Secundæ Rationis Nego Antecedens, & dico: Inter Secundam *Trinitatis* Personam, in eo, secundùm quod producitur, & inter *Naturam Divinam* non esse similitudinem propriè dictam. Quia inter hæc non est distinctio realis immediata, qualis requiritur ad rationem similitudinis propriè dictæ. Licèt verò dici posset dari inter hæc similitudinem, tamen hæc neque est similitudo *in Natura*, sed potiùs est similitudo in eo, in quo producitur *Filius*; quod certè non est *Natura*. Hoc enim, in quo producitur *Filius*, est esse *Verbi*, quod in sensu formali seu virtuali non est *Natura* Neque est similitudo, quæ habetur per Intellectum absolutum, sed potiùs est similitudo, quæ fundamentaliter habetur per esse notionale *Verbi*, terminativè autem, & indirectè per esse Intellectûs absoluti. Nec tandem est similitudo in *Natura* etiam terminativè. Quia Intellectus absolutus, qui per modum termini, adeoque terminativè venit in dicta similitudine, non est *Natura*. Quia nec est *Natura* Theologicè accepta, nec est *Natura* sumpta Metaphysicè. Licèt verò Intellectus absolutus esset *Natura*, seu *essentia* saltèm Metaphysica *DEI*, tamē similitudo *Filii* cum *Patre* vera realis eàque perfectissima, non debet attendi penes prædicatum, quod per imperfectum modum nostrum concipiendi concipitur esse prius ratione nostra aliis prædicatis, & exinde sortitur nomen *essentiæ* Metaphysicæ.

Tertiæ Rationis omissa Majore; plura enim obsunt, quominùs processio *Filii* per Intellectum sit in similitudinem *Naturæ*, sed potissimùm obest illud, quòd processio *Filii* non sit per Intellectum absolutum. *Filius* enim à *Patre* procedit per suum esse, & secundùm suum esse Personale, quod certè non est Intellectus absolutus, sed est Intellectus Notionalis. Quia hoc esse sunt prædicata Notionalia *Filii* de linea intelligendi. Non procedit etiam *Filius* per Intellectum absolutum tanquam per principium sui productivum. Quia hoc principium respectu *Filii*, est *Pater* quoad suum esse relativum, idque est tam principium *quod*, quàm principium *quo* formale productionis, ùt dictum est num. 17. & 18. *Natura* verò nonnisi est principium virtuale emanationis, & communicationis sui per identitatem. Est item principium remotum, & radicale, idque tale prin-

principium est *Natura* non secundùm Intellectum absolutum spectata, sed natura Theologicè spectata, & accepta pro complexo omnium prædicatorum DEI absolutorum, & communium. Obest igitur processioni *Filii*, quominùs sit processio in similitudinem *Naturæ*, quòd *Filius* non procedat *à Patre* per Intellectum absolutum, sed & hoc obest, quominùs eadem processio sit in similitudinē *Naturæ*, quòd *Natura Divina* sit summè simplex, individua, & omnino indivisibilis communis per identitatem realem immediatam omnibus, & singulis Personis. Propter hanc rationem Omissa Majore Nego Minorem, & dico, solam nonnisi similitudinem convenientiæ, & conformitatis esse similitudinem veram, & propriè talem requisitam ad rationem veræ, & propriè talis generationis; similitudinem verò uniformitatis, seu per identitatem, esse similitudinem impropriè talem, & per abusum vocis, ad eámque frustrà recurri in explicanda *generatione* Secundæ Personæ. Cùm inter *Filium*, & *Patrem* inveniatur similitudo verè, & propriè talis, per illámque *generatio* in Divinis bene explicari possit.

58. Ad Secundum Respondeo Negando fæcunditatem tam *Filio*, quàm *Patri* convenientem esse, aut posse esse similitudinem propriè talem, qualis ad rationem *generationis* propriè dictæ, requiritur. Quare verò non sit talis similitudo, constare potest ex numero 52. Ad authoritatem Concilii Florentini dico: Concilium loqui in eo sensu, in quo Joannes Theologus in eodem Concilio disputans contra Græcos asseruit, quòd *Spiritus Sanctus*, si non procederet *à Filio*, non distingueretur ab eodem. Dicit nimirum Concilium, quòd *Spiritus Sanctus*, si à solo *Patre* procederet, non daretur simpliciter *Filius*. Quia non daretur *Filius*, qualis esse debet secundùm fidem. Quia non esset distinctus *à Spiritu S.* à quo tamen debet esse realiter distinctus. Ad argumentum, quod ex hac authoritate eruitur, Respondeo cum tali Distinctione: *Filius* non esset *Filius* ob defectum distinctionis realis *à Spiritu S.* sibi essentialis, si *Spiritus Sanctus* non procederet *à Filio*. Concedo Antecedens. *Filius* non esset *Filius* ob defectum *generationis* propriè talis *à Patre*, si *Spiritus Sanctus* non procederet *à Filio*. Nego Antecedens, & Distinguo Consequens. Ergo *Filius* non esset *Filius* ob defectum distinctionis realis *à Spiritu S.* sibi essentialiter convenientis, si non esset fæcundus. Concedo Consequentiam. Ergo *Filius* non esset *Filius* ob defectum rationis formalis *generationem*, & *Filiationem* constituentis, si non esset fæcundus. Nego Consequentiam, & Dico; Cùm *Filius DEI* habeat, & rationem *Filii*, & rationem *Spirantis* simul cum *Patre Spiritum S.* adeoque habeat, & relationem *Filii*, & relationem *Spiratoris* sibi unà cum *Patre* convenientem, si *Spiritus Sanctus* non procederet *à Filio*, *Filius* non esset *Filius*, qui defacto est, hoc est, secundùm utramque, quam dicit rationem, & relationem. Quia non spiraret *Spiritum S.* adeoque non esset distinctus *à Spiritu S.* esset tamen *Filius*, quoad rationem præcisam *Filii*, & quoad relationem *Filii*, in esse talis ad *Patrem*, ad quam rationem, sic præcisam attenditur, & attendi debet in explicanda ratione discretiva *Filii*, & in explicanda *generatione* passiva ejusdem. Ad authoritatem S. Basilii Dico: S. Doctorem non plus velle, nisi, quòd *in Trinitate* unus sit *Filius*, non duo. Si enim *Spiritus Sanctus* esset *Filius Filii*, daretur processus in *Filiis*. Non vult verò S. Doctor de ratione formali *Filii* esse fæcunditatem. Si enim vellet hanc esse de ratione *Filii*, vellet fæcunditatem *generativam* alterius *Filii*. Dicit enim, quòd ex utroque deberet nasci alius; quam tamen fæcunditatem esse de ratione *Filii* negat, & negare tenetur opposita sententia; sed vult nonnisi de ratione *Filii* esse fæcunditatem Spirativam *Spiritûs Sancti*. Ad argumentum ex hac authoritate erutum Respondeo cum Distinctione. S. Basilius censet *Spiritum S.* non esse *Filium* ex *Filio* natum, quia deberet ex illo nasci alius, arguendo ex ratione vera formali *Filii*. Nego Majorem. Arguendo ex paritate rationis, ex qua Eunomius dicebat *Spiritum S. esse Filium, ex Filio* natum. Concedo Majorem. Sed hæc ratio non valeret, si *Filius* ex ratione vera formali non esset fæcundus. Nego Minorem. Sed hæc ratio non valeret, si *Filius* juxta doctrinam, & principia Eunomii non esset fæcundus. Concedo Minorem, & Nego Consequentiam. Ac dico, S. Basilium, dum dicit *Spiritum S.* non esse *Filium ex Filio* natum, quia

quia ex utroque deberet nasci alius, arguere non ex ratione formali *Filii*, aliàs de ratione vera formali *Filii* esset fæcunditas *generativa* alterius *Filii*; quod opposita negat, & secundùm fidem negare debet sententia. Sed potiùs S. Doctor utitur argumento ad hominem, & arguit ex doctrina Eunomii, & paritate rationis. Qua ratione enim Eunomius dicit *Spiritum S.* esse *Filium* ex *Filio* natum, ea ratione ex mente S. Doctoris deberet admitti alium *Filium* ex *Spiritu S.* nasci.

Secundam Rationem Distinguo: In eo prædicato seu ratione consistit similitudo *Filii* cum *Patre*, quæ ità est communis *Filio*, *&* *Patri* communitate convenientiæ, & divisibilitatis, ut non conveniat *Spiritui S.* Concedo vel omitto Majorem. In ea ratione consistit similitudo *Filii* cum *Patre*, quæ ità est communis *Filio*, *&* *Patri* communitate identitatis, & indivisibilitatis, ut non conveniat *Spiritui S.* Nego Majorem, & Minorem Distinguo. Sed sola fæcunditas in producendo *Spiritu S.* ità est communis *Filio*, *&* *Patri* communitate convenientiæ, divisibilitatis, & multiplicitatis, ut non conveniat *Spiritui S.* Nego Minorem. Est ità communis *Filio* cum *Patre* communitate identitatis, indivisibilitatis, & indistinctionis, ut non conveniat *Spiritui S.* Concedo Minorem, & Nego Consequentiam. Distinctio facilè patet ex dictis num. 52. Ad id, quod dicitur: esse Intellectionem, est commune omnibus Personis, Respondeo: esse Intellectionem absolutam est commune omnibus, & singulis Personis, idque est commune per identitatem, & indivisibilitatem Intellectionis absolutæ, non est tamen commune omnibus, & singulis Personis esse Intellectionem passivam, & notionalem, seu esse *Verbum*. Sed ratio talis Intellectionis seu *Verbi*, est ratio propria solius *Filii*. Quomodo autem secundùm hanc rationem *Filius* sit similis *Patri* constabit ex numero sequente.

Ad Tertiam Rationem dico. Negando fæcunditatem convenientem tam *Filio*, quàm *Patri* esse, aut posse esse similitudinem inter se harum Divinarum Personarum; siquidem hæc fæcunditas non multiplicatur in *Patre*, *&* *Filio*, sed est una eademque, & indivisibilis. Nego itèm fæcunditatem illam, quæ dicitur esse de ratione *generationis*, inveniri in omni generatione. Invenitur quidem in omni generatione creata fæcunditas Filii ad generandum sibi simile, sed hæc non est de ratione generationis ùt sic. In *generatione* enim *Filii æterni* ex parte ejusdem *Filii*, non est fæcunditas ad generandum. Licèt verò in *Filio DEI* sit fæcunditas ad Spirandum, seu ad producendum simul cum *Patre Spiritum S.* tamen hæc fæcunditas non est de ratione formali generationis ùt sic. Quia in nulla generatione creata reperitur. Sed neque est de ratione formali generationis Divinæ; potiùs enim est de ratione formali Spirantis, quæ duæ rationes, sicut sunt diversæ relationes, ità diversis constitui, & per diversa explicari debent, nec secum confundi.

59. Ad Tertium Respondeo Negando quod assumitur. Rationē Primam Distinguo: Secunda Persona non est similis Primæ Personæ in ratione *Verbi*, Imaginis intentionalis, & Intellectionis passivæ similitudine convenientiæ, in dictis prædicatis, ex vi cujus eadem specificè prædicata reperiantur in *Patre*, quæ reperiuntur in *Filio*, ità ut non solùm *Filius*, sed etiam *Pater* sit *Verbum*, sit Imago intentionalis, sit Intellectio passiva. Concedo Antecedens. Secunda Persona non est similis Primæ Personæ in ratione *Verbi*, Imaginis intentionalis, & Intellectionis, similitudine, quæ convenit repræsentationi cum repræsentato. Nego Antecedens, & Consequentiam.

Ad Secundam Rationem dico: similitudinem in ratione *Verbi*, Imaginis, Intellectionis passivæ, esse similitudinem veram, & propriam, non verò similitudinem Metaphoricam. Imago enim, *Verbum*, & Intellectio, perfectè expressiva sui principii, est similitudo vera, & propriè talis, idque est similitudo magìs propria, quàm imago picta. Ità ut existimet Perez, talem similitudinem esse normam, & mensuram similitudinis physicæ, & non intentionalis, in quantum illa, quæ sunt similia, possunt cognosci cognitionibus similibus; in quantum itèm ab his, quæ sunt similia, per cognitionem, potest abstrahi ratio communis, ità, ut per cognitionem hujusmodi sint unum extrinsecè, ùt docent Philosophi de universalibus. Porrò similitudo conveniens Secundæ *Trinitatis* Per-

sonæ est similitudo *Verbi*, Imaginis, & Intellectionis passivæ perfectè expressivæ sui principii. Eadem similitudo licèt sit intentionalis, in Divinis tamen est sufficiens ad veram *generationem Filii æterni*. Tū quia hæc similitudo, licèt non sit similitudo physica, prout esse physicum opponitur esse intentionali, est tamen physica, prout esse physicum est esse verum reale, oppositum esse ficto. Tum quia hæc similitudo non est accidentalis, sed est substantialis,& consubstantialis suo principio. Tum quia talis debet esse similitudo *Filii* cum *Patre*, quale est ipsum esse *Filii*; similitudo enim debet proportionari suo fundamento. Siquidem *Filius*, qui est fundamentum dictæ similitudinis, per suummet esse debet esse similis *Patri*. Cùm ergo esse *Filii* sit esse intentionale; quia est esse *Verbi*, esse imaginis intentionalis, esse Intellectionis passivæ, sequitur, similitudinem *Filii* cum *Patre*, debere esse intentionalem. Quia hæc similitudo debet esse secundùm prædicata enumerata, quæ prædicata sunt intentionalia. Ad Probationem ulteriorem dico: Actum intellectûs creati non esse *Filium* principii intelligentis ex eo, quòd hic actus non sit substantialis, non habeat rationem subsistentis, & Personæ, nec sit consubstantialis suo principio. Si per impossibile haberet hæc prædicata actus creatus intellectûs creati, etiā hic esset filius principii intelligentis. Imago etiam Cæsaris non est Filius Cæsaris ob carentiam plurium prædicatorum Filii, nimirum, quia dicta imago non est vivens, non est subsistens in se, nec Persona, non est profecta à Cæsare, non est substantia, non participat substantiam Cæsaris, nec est consubstantialis eidem.

Tertiæ Rationis neganda est Major. Cujus falsitas patet ex dictis num. 57. Circa Minorem Adverto, similitudinem in ratione *Verbi* in rigore non esse similitudinem in *Natura*; admitti tamen potest, quòd similitudo intētionalis *Verbi*, in aliquo sensu sit similitudo in *Natura*, aut potiùs cum *natura*, quatenus dici potest *Verbum* ità esse perfectè expressivum *Patris*, ut sit etiam expressivum ejus *Essentiæ & naturæ*, & per hoc dicat similitudinem aliquam cum *natura*, quæ tamen similitudo sinè similitudine, quam Secunda Persona in ratione *Verbi* dicit cum Prima Persona, non esset sufficiens ad *generationem* propriè talem. Adverto iterum similitudinem in his, quæ sunt propria *Filio*, similitudinem, inquam, cum *Patre* accepto secundùm ea, quæ sunt propria *Patris*, dici posse similitudinem in *Natura*, accipiendo *Naturam* non juxta Theologicam vocis *Naturæ* significationem, sed accipiendo naturam pro esse substantiali, pro quo aliquando accipitur à Philosophis. Et similitudinem in *natura* accipiendo pro similitudine in esse substantiali. Cùm enim & *Filius* secundùm ea, quæ sunt propria *Filii*, sit esse substantiale, & *Pater* secundùm ea, quæ sunt propria *Patris*, sit esse substantiale, similitudo in his, quæ sunt propria *Filii* cum *Patre* sumpto secundùm ea, quæ sunt propria *Patris*, est similitudo in esse substantiali *Filii* cum esse substantiali *Patris*.

Quartæ Rationis Nego Minorem. Nimirum Nego, quòd *Spiritui S.* ex ejus propriis prædicatis conveniat similitudo, quæ *Filio* convenit ex vi suæ processionis seu *generationis*. Illud S. Athanasii: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritûs S.* intelligi debet de communicatione singulis Personis Divinis, omnium, & singulorum attributorum seu prædicatorum absolutorum necessariorum, & denominationum ab his prædicatis provenientiū, ratione quarum, sicut *Pater* est increatus, immensus, æternus, omnipotens &c. Ità *Filius*, ità & *Spiritus S.* est increatus, immensus, æternus, omnipotens, ùt patet ex ulteriori contextu symboli ejusdem S. Athanasii. Non debet autem intelligi hoc sensu, quòd, qualis est *Pater*, secundùm ea, quæ sunt propria *Patris*, talis sit *Spiritus S.* secundùm illa, quæ sunt propria *Spiritûs Sancti*, hoc est prout hic procedit *à Patre, & Filio*. Prædicatum *Verbi* secundùm propriam, & strictam acceptionem *Verbi*, non convenit nisi soli Secundæ Personæ, ùt constat ex D. Augustini testimoniis adductis num. 53. ac etiam ex S. Cyrillo lib. 7. Thesauri cap. 1. *Verbum est nomen proprium Filii.* Et ex Anselmo dicente: *Impossibile est in summa essentia esse Verbum aliud, præter illud, de quo jam constat.* Ex processione etiam *Spiritûs Sancti* per voluntatem, licèt sequatur, quòd hæc processio sit intentionalis, cùm etiam voluntas sit prædicatum intentionale, non sequitur tamen, quòd eadem processio sit in

in similitudinem perfectam sui principii, & propriam *generationis* propriè talis. Illam propositionem universalem: Omne productum assimilatur suo producenti, aut Nego simpliciter, aut Distinguo: Omne productũ assimilatur suo producenti similitudine perfecta, & sufficiente ad esse *generationis* propriè talis. Nego. Assimilatur similitudine imperfecta secundùm aliquã nonnisi rationem, analogica, & impropriè tali, Omitto. Unde licèt *Spiritus S.* sit productus, *Pater* verò, & *Filius* sint principiũ producens *Spiritum S.* tamen *Spiritus S.* non assimilatur suo principio similitudine perfecta, & illa, in qua consistit *generatio* propriè talis, vel requiritur ad esse *generationis* propriè talis; aliàs *Spiritus S.* deberet esse imago *Patris*, *&* *Filii*, deberet esse *Verbum*, similitudo intentionalis, & Intellectio passiva. In his enim prædicatis consistit similitudo constitutiva *Filiationis*, *& generationis* propriè dictæ. Ex eo pariter, quòd *Spiritus S.* sit amor, & dilectio, non sequitur quòd sit similitudo. Amor enim, & dilectio ex sua ratione non est similitudo intentionalis sui principii, sed esse talem similitudinem convenit unicè, & propriè soli Intellectioni passivæ seu *Verbo Divino*, & processioni per Intellectum. *Amor verò conveniens propriè Spiritui S.* ùt docet S. Thomas hic Quæst. 27. art. 4. *est inclinatio*, *& quidam motus vitalis, ac impulsus in amatum. Unde etiam in Divinis Persona, quæ procedit per modum amoris, procedit ùt Spiritus.* Ex eo denique quòd amor, & dilectio feratur in simile, non sequitur, quòd ipse amor sit similitudo, sed solùm sequitur è mente ejusdem S. Angelici Doctoris, quòd amor præsupponat similitudinem tanquam principium amandi.

§. II.

Ex quali cognitione procedat Verbum Divinum?

60. Quæsitum præsentis paragraphi supponit multiplicẽ realiter vel virtualiter, vel ratione nostra, cognitionem in DEO. Si enim hæc unica nonnisi esset, ex illa unica deberet procedere *Verbum Divinum*, nec locus Quæstioni esset, ex quali cognitione procedat *Verbum*? nisi fortè ad explicanda unicæ illius cognitionis prædicata diversa. Porrò cognitio DEI à quibusdam Theologis dividitur in Essentialem, & absolutam, & in cognitionem Notionalem. Essentialis cognitio est prædicatum absolutum, & necessarium DEI commune omnibus, & singulis Personis, ex vi cujus DEUS est determinatus ad cognoscendum modo perfectissimo, hoc est comprehensivè, quidquid est cognoscibile. Cognitio Notionalis est prædicatum proprium unius determinatæ Personæ sive Relationis, ità illi conveniens, ut non conveniat alteri. Cognitio Notionalis alia est activa propria *Patris*, quâ *Pater* se ipsum, & omnia cognoscendo profert *Verbum*. Hæc cognitio à S. Thoma, & aliis Theologis *Dictio*, à S. Augustino *Scientia gignens* alio nomine appellatur. Alia cognitio Notionalis est passiva propria *Filii*, ratione cujus *Filius* est *Verbum*, quod dicit *Pater*, èstque *Scientia*, quæ *gignitur*, seu nascitur. Iterum cognitio secundùm diversitatem objectorũ dividitur in cognitionem necessariam, & in cognitionem contingentem. Cognitio necessaria est illa, quæ versatur circa objecta necessaria, èstque talis, ut non potuerit in *DEO* non esse. Cognitio contingens est, quæ versatur circa objecta contingentia, quâ talia, potuítque in *DEO* non esse. Talis cognitio est scientia Media, & scientia visionis objectorum contingentium. Cognitio necessaria alia rursùs est, quâ *DEUS* cognoscit se ipsum, omniàque sua prædicata necessaria sive absoluta, sive relativa. Alia cognitio, quâ *DEUS* cognoscit objecta necessaria extra se, nimirum quâ cognoscit prædicata essentialia cujusque rei, illorúmque necessariam connexionem, seu quâ cognoscit Possibilitatem creaturarum. Hoc supposito.

Quæsitum præsens imprimìs sic accipi, & intelligi debet: an *Verbum Divinum* procedat ex cognitione essentiali, an verò ex cognitione notionali, an ex utráque, & quomodo? Qui negant in DEO Intellectum, & cognitionem notionalem, solúmque admittunt Intellectum, & cognitionem essentialem, dicunt consequenter *Verbum* procedere ex sola cognitione essentiali. Qui verò putant admitti debere Intellectum & cognitionẽ notionalem, dicunt *Verbum* procedere ex cognitione

tione notionali activa tanquam principio imediato productivo realiter *Verbi* diſtincto realiter ab eodem *Verbo*. Ex cognitione verò Eſſentiali dicunt procedere idem *Verbum* tanquam à principio radicali, & remoto, ſeu tanquam à principio emanationis indiſtincto realiter à *Verbo*.

Deinde hoc ipſum Quæſitum ſic etiam à Theologis intelligitur: Ex quorum objectorum cognitione procedat *Verbum*? an ex cognitione Neceſſaria ipſius *DEI* ejúſque *eſſentiæ*, & prædicatorum Neceſſariorum tam abſolutorum quàm Relativorum, etiam ex cognitione *Spiritûs Sancti*. an certè procedat inſuper ex cognitione neceſſaria creaturarum poſſibiliũm? an deníque ex cognitione contingente objectorum abſolutè vel conditionatè futurorum? De hoc Quæſito diverſæ ſunt Authorum opiniones, quas referre, longum eſſet.

61. Reſpondeo & Dico Primo. *Verbum Divinum* procedere ex cognitione Notionali activa, tanquam Principio formali, & proximo realiter productivo *Verbi*. Ex cognitione verò Eſſentiali procedit idem *Verbum* tanquam ex Principio radicali, ac etiam tanquã ex principio emanationis Perſonarum Divinarum.

Prima pars Probatur imprimìs authoritate S. Auguſtini lib. 15. de Trinit. cap. 14. dicentis: *Sciunt ergo invicem Pater, & Filius, ſed ille gignendo, iſte naſcendo.* Ex qua authoritate tale eruitur argumentum: Datur in DEO ſcientia, *in Patre*, quâ ſcit gignendo, *in Filio*, quâ ſcit naſcendo. Sed utraque hæc ſcientia eſt Notionalis, una gignens, & activa propria *Patris*, altera quâ *Filius* naſcitur, ſeu paſſiva propria *Filii*. Ergo datur duplex ſcientia, ſeu cognitio Notionalis, una *gignens* ſeu activa, altera *naſcens* ſeu paſſiva. Ergo ulteriùs cùm *Verbum* procedat *ex Patre*, procedit ex cognitione notionali activa, ſeu ex ſcientia *gignente* propria *Patris*. Authoritate deinde S. Thomæ Doctoris Angelici hic Quæſt. 34. art. 1. ad Tertium, ubi ſic habet: *Dicendum eſt, quòd ſicut propriè loquendo Verbum dicitur perſonaliter in Divinis, & non eſſentialiter, ità & dicere. Unde ſicut Verbum non eſt commune Patri, & Filio, & Spiritui S. ità non eſt verum dicere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus S. ſint unus dicens.* Et inferiùs: *Et ſic ſola Perſona, quæ profert Verbum, eſt dicens in Divinis.* Ex qua authoritate ſic arguo: E mente S. Angelici Doctoris, ſicut *Verbum* eſt prædicatum Perſonale, & Notionale, ità & *dicere* eſt prædicatum Perſonale & Notionale. Illud eſt prædicatum Notionale *Filii*; iſtud eſt prædicatum Notionale Perſonæ, quæ profert *Verbum*, ſeu *Patris*. Sed eſſe cognitionem, & Intellectionem paſſivam eſt eſſe *Verbum*; eſſe cognitionem, & Intellectionem activam eſt *dicere*, ſeu proferre *Verbum*. Non aliud enim in DEO eſt *dicere*, nisì per Intellectionem activam. Hac enim *Pater* dicit, loquitur, & profert *Verbum*. Nec aliud in DEO eſt *Verbum*, nisì intentionaliter expreſſivum *dictionis*, quâ profertur; adeoque quòd ſit Intellectio paſſiva.

Dices. S. Thomas loco citato quamvìs aſſerat *dicere* in Divinis eſſe Prædicatum Perſonale, adeoque Notionale, tamen ſtatim expreſſè negat *intelligere*, eſſe prædicatum perſonale, ídque ex eo: quia *intelligere* ſolam dicit habitudinem ad rem intellectam, in qua habitudine nulla importatur ratio Originis. Reſpondeo: etiamſi è mente S. Doctoris, *Intelligere* ſecundùm hanc præcisè rationem, nullam importet rationem Originis, adeoque taliter ſumptum *Intelligere*, non ſit prædicatum perſonale; tamen *Intelligere Dicens*, & proferens *Verbum*, adeoque *Intelligere* activum, dicit Originem. Et quia hanc dicit, debet eſſe prædicatum perſonale. Pariter Intellectio per *Verbum* prolatum importata, ſeu Intellectio paſſiva, cùm itidem dicat Originem, eſt prædicatum Perſonale, & Notionale.

62. Eadem pars Prima probatur Rationibus. Tum quia *Verbum Divinum*, & Intellectio paſſiva, eſt prædicatum Perſonale, & Notionale *Verbi*, debétque *Verbum*, & Intellectio paſſiva eſſe à *dicente* ſeu loquente, adeoque ab Intellectione activa. Debet enim termino producto reſpondere principium productivum, proportionatum eidem termino. Termino autem realiter producto, quod eſt *Verbum*, & Intellectio paſſiva, non proportionatur principium productivum aliud, nisì *dicens*, & intentionaliter proferens *Verbum*, ſeu nisì quod eſt Intellectio activa. Sed *dicens*, & loquens, ſeu proferens *Verbum*, eſt cognoſcens notionaliter, ipſáque cognitio Notionalis. Quia

in

in DEO non est alia *dictio*, & prolatio *Verbi*. Si enim Angeli dicunt, & loquuntur per suos conceptus, & intellectiones, earúmque directionem, à fortiori, *DEUS* dicit, & loquitur per cognitionem directam ad proferendum *Verbum*, idque hæc cognitio est cognitio notionalis; quia est prædicatum proprium *Patris*. Proprium enim *Patris* est, intelligendo, & cognoscendo proferre *Verbum*. Ergo. Tum quia in *Dictione*, & prolatione Verbi, necessariò invenitur ratio intellectionis seu cognitionis. Neque enim *dictio*, & prolatio *Verbi* in Divinis potest intelligi, & concipi non concepta Intellectione; sed ratio Intellectionis, quæ invenitur in ratione *dictionis*, non est Intellectio essentialis. *Pater* enim ùt virtualiter distinctus ab *essentia*, adeoque ab Intellectione essentiali, est adhuc *dicens*, & proferens *Verbum*, ità, ut in hac ratione nihil illi desit. Ergo *Pater* ùt distinctus ab *essentia*, est intelligens, prout Intellectio requiritur ad rationem *dictionis*. Ergo ulteriùs est intelligens notionaliter. Tum quia in tantum *Verbum Divinum* non procederet ex cognitione activa Notionali, in quantum non daretur cognitio activa Notionalis; sed datur talis cognitio. Quia datur principium productivum *Verbi*, realiter distinctum ab eodem. Sed hoc principium est cognitio, & Intellectio activa. Termini enim realiter producti, qui est de linea intelligendi, principium realiter productivum debet esse itidem de linea intelligendi. Cùm ergo *Verbum Divinum* realiter productum *à Patre*, sit de linea intelligendi. Quia est *Verbum* prolatū à *Patre*; Quia est sapientia *Patris*, æterna Veritas, & Intellectio passiva; etiam Principiū realiter productivum *Verbi*, quale principium est *Pater*, debet esse de linea intelligendi, nimirum debet esse *Sapientia gignens*, & Intellectio activa, adeoque Intellectio Notionalis.

63. Secunda pars probatur. Natura Divina respectu Processionis *Verbi* est principium *quo*, remotum, & radicale, non verò principium proximum, & realis imediatæ productionis. Sed cognitio DEI essentialis, & absoluta, in sensū reali est *Natura Divina*. Ergo cognitio essentialis, & absoluta in sensū reali est principium radicale, & remotum Verbi; adeoq; *Verbum* procedit ex cognitione absoluta, tanquam ex principio remoto ac radicali, imò etiam virtuali, ùt suprà explicatum est. Procedit verò in sensū formali, seu ex modo nostro concipiendi *Verbum Divinum* potiùs ex cognitione essentiali, & absoluta, quàm ex volitione absoluta, aut alio prædicato absoluto. Quia in sensū formali, & ex modo nostro concipiendi, ad processionem *Verbi*, magìs pertinenter se habet cognitio, quàm volitio. Cùm *Verbum* sit de linea intelligendi, procedátque ùt *scientia nascens*, & *intellectio passiva*.

64. Respondeo, & Dico Secundò. Verbum Divinum procedere ex cognitione *essentiæ*, ac prædicatorum absolutorū Necessariorum DEI. Itèm ex cognitione Personarum *Patris*, *Filii*, imò & *Spiritûs S.* Præterea ex cognitione Necessaria creaturarum possibilium; non tamen ex cognitione futurorum: idque procedit ex cognitione activa, & Notionali, seu *Dictione* horum omnium repræsentativa, tanquam ex principio immediato productivo. Ex cognitione verò Essentiali eorundem objectorum procedit, tanquam ex principio Radicali.

Plures partes complectitur Conclusio. Aliquæ illarum per modum Primæ partis probantur. Tum authoritate D. Thomæ citata Quæst. 34. art. 1. ad Tertium. ubi dicit: *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum S, & omnia alia, quæ ejus scientiâ continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis creatura.* Tum quia *Verbum Divinum* est se ipso repræsentativum tam *Essentiæ*, cum omnibus prædicatis Divinis absolutis Necessariis, quàm prædicatorum Relativorum seu Personalitatum, quàm etiam omnium creaturarum possibilium. Hoc enim pertinet ad excellentiam, & dignitatem *Verbi Divini*. Ergo *Verbum Divinum* procedit ex cognitione eorundem omnium objectorum. Non minùs enim, nec plus repræsentat *Verbum Divinum*, quàm cognitio, ex qua procedit, ùt loquitur S. Augustinus loco suprà citato de Trinitate, ubi ait: *Tanquam se ipsum dicens Pater, genuit Verbum sibi æquale per omnia; non enim se ipsum integrè perfectéque dixisset, si aliquid minus aut ampliùs esset in ejus Verbo, quàm in ipso. Ibi summè illud agnoscitur: est, est; non, non. Et ideo Verbum hoc, verè Veritas est, quoniam quidquid in illa scientia, de qua geni-*

genitum est, & in ipso est. Quod autem in ea non est, nec in ipso est. Tum quia nihil obest, quominùs *Verbum Divinum* procedat ex cognitione sive *Essentiæ*, & attributorum, sive Personalitatum Divinarũ, sive creaturarum possibilium. Quid enim obest? Et præterea *Pater*, quidquid necessariò scit, dicit *Filio*; neque enim in *Filium* suum parcus esse potest. Ergo cùm *Pater* necessariò sciat & se ipsum, & suam, essentiam, omnésque suas perfectiones, omnes itèm Personalitates, ac etiam creaturas possibiles, hæc omnia dicit *Filio*, & nihil horum retinet, dum *Verbum* profert. Adeoque *Verbum* procedit ex cognitione horum omnium.

65. Secunda pars. Quòd *Verbum* ex cognitione futurorum non procedat, probatur. *Verbum Divinum* procedit processione summè necessaria. Sed non procederet tali processione, si procederet ex cognitione futurorum contingentium, posset enim deficere sua processio. Quia posset deficere cognitio, ex qua procederet, nimirum posset deficere cognitio futurorum. Hæc enim cùm sit contingens, sicut ipsa futura sunt contingentia, posset, vel potuisset in DEO non fuisse, & sic deficere, sicut & ipsa futura poterant non fuisse futura. Ergo.

66. Tertia pars, nimirùm: quòd *dictio* seu cognitio activa Notionalis, ex qua procedit *Verbum*, sit repræsentativa *Essentiæ*, attributorum, Personalitatum omnium Divinarum, & creaturarum possibilium, & quòd ex tali cognitione tanquam principio realiter productivo, procedat *Verbum*, probatur. *Dictio*, & Intellectio activa Notionalis, ex qua, tanquam principio proximo productivo, procedit, & per quam profertur *Verbum*, est utique cognitio aliquorum objectorum, & *dictio* eorundem. Omnis enim cognitio, omnis *dictio* est essentialiter cognitio alicujus rei, seu objecti, & *dictio* alicujus pariter objecti. Sed non est cognitio aut *dictio* certi alicujus nonnisi objecti, verùm est *dictio* omnium dicibilium, & cognitio omnium cognoscibilium; cùm non sit major ratio, cur potiùs cognitio *gignens*, & *dictio* proferens *Verbum*, sit cognitio, & *dictio* hujus objecti, & non alterius, aut aliorum omnium; cùm possit esse cognitio, & *dictio* quorumcunque, possitque per talem cognitionem, & *dictionem* proferri *Verbum* expressivum, quorumcunque objectorum. Ergo. Huc spectant Probationes Primæ partis, quibus etiam hæc pars probari videtur.

67. Quarta pars probatur conformiter ad dicta num. 63. *Verbum Divinum* procedit ex cognitione essentiali tanquã ex principio radicali, & remoto, ac eo modo prout expositum est dicto numero. Sed non procedit ex cognitione essentiali solius *Essentiæ*, & attributorum DEI, aut solius *Patris*, vel certè *Patris, & Filii*, non verò *Spiritûs Sancti*, aut prædicatorum nonnisi Divinorum, & non etiam omnium creaturarum possibilium. Cùm nihil obstet, quominùs ex horum omnium cognitione procedat, sítque par, & eadem ratio ut procedat ex cognitione tam horũ, quàm illorum objectorum, adeoque omnium. Ergo.

Proponuntur Objectiones.

68. Objicitur Primò, & probatur: *Verbum Divinum* non procedere ex cognitione activa Notionali. Non dantur in Personis Divinis ulli actus intentionales Notionales. Ergo. Antecedens probatur. Tum quia nullum est fundamentum, & nulla necessitas talium actuum, ultra Intellectum, & Voluntatem essentialem. Ergo. Tum quia non admissa cognitione seu Intellectione Notionali, processio *Verbi* ex cognitione, & per Intellectum, sufficienter explicatur, ad quam solam explicandam deberet hæc Intellectio admitti. Explicatur inquam sufficienter, si dicatur, *Verbum* procedere ex cognitione essentiali tanquam ex principio radicali, & per Intellectum absolutum tanquam per principium radicale. Ergo. Tum quia, si deberet admitti cognitio, & Intellectio Notionalis, hoc ipso deberet admitti Intellectio solius *Patris* propria, quã non haberet *Filius*, & *Spiritus S*, adeoque ulteriùs, *Filius*, & *Spiritus S.* vel non cognoscerent, vel non omni possibili modo cognoscerent aliquid. Ergo. Tum quia pari ratione possent multiplicari quæcunque alia prædicata Divina, ità ut in DEO alia ponantur prædicata essentialia, alia Notionalia, imò & ipsa *Natura Divina*, & *Deitas*, sic posset multiplicari; cùm ergo hæc non possint sic multiplicari, non debet

debet quoque dari Intellectus, & voluntas Notionalis.

69. Objicitur Secundò, & probatur, *Verbum Divinum* non procedere ex cognitione quorumvis prædicatorum Necessariorum Divinorum. Tum quia *Pater æternus* pro priori signo cognoscit *Essentiam Divinam*, quàm cognoscat sua attributa, Personalitates alias &c. Ordo enim cognitionum sequitur ordinem objectorum. Cùm ergo *Essentia Divina* sit prior quàm attributa, utraque hæc sint priora quàm Personalitates; Inter ipsas Personalitates prior sit *Pater*, quàm *Filius*, prior itèm *Pater*, & *Filius* simul, quàm *Spiritus S.* Tandem priùs sit esse Divinũ, quàm esse creaturarum possibilium, habetur hinc, quòd cognitio *Essentiæ DEI* sit prior quàm cognitio attributorum; hæc prior quàm cognitio Personalitatum. Cognitio iterum Personalitatum prior, quàm cognitio creaturarum possibilium. Sed *Pater æternus* pro quo signo cognoscit se ipsum, & *Essentiam* suam, pro illo *generat Filium*; quandoquidem cognitione illum *generat*. Ergo in illo priori, pro quo intelligitur cognoscere *Essentiam, generat Filium*, adeoque hic procedit ex cognitione *Essentiæ Divinæ*, antequam *Pater* intelligatur cognoscere attributa, & Personalitates. Tum quia, si *Pater* per impossibile non cognosceret Personalitates, sed tantùm cognosceret *Essentiam*, adhuc proferret, & produceret *Verbum*. Ergo *Verbum* procedit ex cognitione *Essentiæ Divinæ*, & non ex cognitione Personalitatum. Tum quia, si *Filius* procederet ex cognitione sui ipsius, & ex cognitione *Spiritûs Sancti*, pro illo priori antequam esset *Filius*, deberet intelligi jam esse *Filius*. Itèm deberet intelligi jam esse *Spiritus Sanctus*. Quia *Filius* non potest intelligi esse, nisi intelligantur esse illa, ex quorũ cognitione procedit; cùm ipsa cognitio, si præsertim hæc sit intuitiva, & comprehensiva, non possit intelligi, nisi dentur, & existant illa, quorum est cognitio. Sed pro illo priori antequam intelligatur esse *Filius*, non potest intelligi esse idem *Filius*, nec potest intelligi esse *Spiritûs S.* aliàs *Filius* intelligeretur ante se ipsum, & *Spiritûs S.* intelligeretur ante *Filium*; quod non potest intelligi nisi falsissimè. Ergo. Tum quia *Verbum* non procedit à *Spiritu S*; ergo nec procedit ex cognitione *Spiritûs Sancti*; si enim ex tali cognitione procederet, eo ipso procederet à *Spiritu S.* cùm *Filius* in tantum procedat à *Patre*, in quantum procedit ex cognitione *Patris*. Tum quia, si *Verbum* procederet ex cognitione *Spiritûs Sancti*, *Verbum* esset imago *Spiritûs Sancti*. Sed non est imago, aliàs *Verbum* esset *Filius Spiritûs Sancti*. Esset enim imago, & similitudo intentionalis expressa referens intentionaliter *Spiritum Sancti*, in qualis imaginis, & similitudinis ratione consistit *Filiatio*. Ergo.

70. Objicitur Tertiò, & probatur, quòd *Verbum* non procedat ex cognitione creaturarum possibilium. Tum quia, si *Verbum Divinum* procederet ex cognitione creaturarum possibilium, *Verbum Divinum* non posset intelligi sinè esse creaturarum possibilium, siquidem non posset esse sinè cognitione earundem, utpote sinè cognitione, ex qua procederet. Sed *Verbum Divinum* potest intelligi sinè esse creaturarum possibilium; si enim una aut altera creatura esset impossibilis, aut omnes impossibiles, adhuc *Verbum Divinum* produceretur, nec deberet hoc *Verbum*, quod est nunc in DEO, esse impossibile, & aliud *Verbum* à præsenti diversum dari in DEO. Ergo. Tum quia cognitio, ex qua procedit *Verbum Divinum*, debet esse æquè, vel certè non minùs necessaria, quàm sit necessarium *Verbum Divinum*; sed cognitio creaturarum possibilium non est æquè necessaria, atque necessarium est *Verbum Divinum*. Nullius enim creaturæ cognitio potest esse ità necessaria, atque est necessarium *Verbum Divinum*, cùm esse possibile creaturæ, minorem habeat necessitatem, & minùs perfectam, quàm ipsum *Verbum*. Tum quia *Verbum Divinum* procedit ex cognitione beatificante *Patrem æternum*; sed cognitio creaturarum possibilium, non est, nec potest esse cognitio beatificans *Patrem æternum*, aliàs ipsa possibilitas creaturarum esset beatitudo objectiva respectu *Patris æterni*. Ergo. Tum quia *Verbum Divinum* non est imago creaturarum possibilium: atqui si procederet ex cognitione creaturarum possibilium, esset imago earundem. Quia esset similitudo intentionalis & expressio talium creaturarum. Ergo.

71. Objicitur Quartò, & probatur, quòd *Verbum Divinum* procedat ex cognitione

tione futurorum. Tua quia *Verbum Divinum* procedit ex cognitione objectorũ creatorum possibilium. Ergo procedit etiam ex cognitione futurorum; quare enim etiam ex horum objectorum cognitione non procedit? Tum quia cognitio, ex qua procedit *Verbum*, est cognitio omnium scibilium, éstque *dictio* omnium dicibilium. Sed objecta futura sunt aliquod objectum scibile, & dicibile. Ergo. Certè *Pater æternus* dicendo, & proferendo *Verbum*, nullam reticet veritatem. Sed reticeret, si non diceret futura. Cùm etiam hæc habeant determinatã veritatem. Ergo. Tum quia, si quid obstaret, nè ex cognitione futurorum procederet *Verbum Divinum*, obstaret contingentia futurorum, ratione cujus ipsa etiam cognitio deberet esse contingens, & consequenter ipsum *Verbum Divinum* esset quoque contingens; sed hæc non obstat; quia etiamsi futura sint contingentia, tamẽ cognitio futurorum, ex qua procedit *Verbum*, non debet esse contingens secundùm formã intelligendi, etiamsi sit contingens secundùm terminationem. Deinde cognitio hæc, ùt ait Ruitz, ità est absolutè contingens, ut sit necessaria ex suppositione, quod sufficit. Tum quia *Verbum Divinum* ptocedit ex cognitione omnis prædicati Divini. Ergo procedit, & ex cognitione prædicatorum DEI liberorum, & contingentium. Ergo ulteriùs procedit tam ex cognitione Decretorum DEI liberorum, quàm ex cognitione Scientiæ Visionis, quâ DEUS videt objecta futura. Atqui *Verbum* non procederet ex tali cognitione actuum DEI liberorum, si non procederet ex cognitione ipsorum futurorum. Cùm cognitio scientiæ Visionis futurorum, sit cognitio ipsorum futurorum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

72. Ad Primum Respondeo negando Antecedens. Ad Primam Probationem dico: ex probationibus Conclusionis Num. 61. & 62. propositis constare, quod sit fundamentum, & quæ sit necessitas admittendorum in DEO actuum intentionalium Notionalium. Certè ex Fide, & Patribus, est fundamentum admittendi in DEO *Verbum*, quod sit prædicatum proprium *Filii*, imò ipse *Filius*; admittendi itèm *Dictionem* proferentem *Verbum*. Sed *Verbum*, & *Dictio* prolativa *Verbi* sunt actus intentionales notionales, ùt vult expressè S. Thomas. Ergo est fundamentum in DEO admittendi actus intentionales Notionales. Ex quo ipso est ulteriùs fundamentum admittendæ Intellectionis tam activæ quàm passivæ Notionalis. Quia *Verbum* est Intellectio passiva Notionalis, *Dictio* prolativa *Verbi* est Intellectio activa Notionalis, alioqui non intelligitur, quomodo *Verbum & dictio* prolativa *Verbi*, sint de linea intelligendi. Deinde secundùm S. Augustinum datur scientia, quâ *Pater* scit *gignendo*, datur itèm scientia, quâ *Filius* scit *nascendo*. Sed tam hæc, quàm illa scientia, sunt scientiæ notionales. Scientia enim Essentialis, & absoluta cùm sit *Essentia* seu *Natura Divina*, quæ neque *generat*, neque *generatur*, non potest esse scientia, quâ sciatur *gignendo*, nec potest esse scientia, quâ sciatur *nascendo*.

Secundæ Probationis Nego Antecedens. Ad ulteriorem Probationem dico: Processionem *Verbi* ex cognitione seu per Intellectum, non sufficienter explicari per hoc, si dicatur *Verbum* procedere per Intellectum essentialem, & absolutum. Nam imprimis non bene explicatur eo modo, quo communiter explicari solet. Taliter nimirum, ut prædicata contradictoria de Intellectu, & Voluntate absoluta, in statu objectivo spectatis, verificentur. Quæ, illa nonnisi, & de iis identificatis realiter verificari possunt, quæ & de quibus debere verificari fides docet, & ad id ipsum credendum cogit. Sed secundùm explicationem communem, processionis *Verbi* per Intellectum absolutum, verificantur contradictoria de Intellectu DEI absoluto, & de voluntate absoluta, realiter secum identificatis, nimirùm verificantur hæc contradictoria: *Intellectus absolutus est, per quem procedit Verbum*; *voluntas absoluta est, per quam non procedit Verbum.* Quæ tamen contradictoria debere verificari de Intellectu, & voluntate absoluta, non docet Fides, cùm optimè salvetur, nec fidei quidquam adversetur, si dicatur hæc prædicata: *Procedit Verbum per Intellectum: Non procedit per voluntatem*, verificari de Intellectu notionali, & de Voluntate notionali; quæ in Divinis realiter distinguuntur. Deinde processio *Verbi* per Intellectum absolutum, non sufficien-

ficienter explicatur, dicendo: quòd *Verbum* procedat per Intellectum absolutum, in sensu formali, tanquam per principium radicale, & remotum, nisi simul dicatur idem *Verbum* procedere, per Intellectum *dicentem* Notionalem. Quia processio vera, & realis non explicatur sufficienter, nisi dicatur esse independens à nostris conceptibus. Sed processio *Verbi* per Intellectum, est processio vera, & realis. Ergo hæc non explicatur sufficienter, nisi dicatur esse independens à nostris conceptibus, Sed ab his non est independens processio *Verbi* secundùm eam explicationem, quâ *Verbum* in sensu formali dicitur procedere ab intellectu absoluto, ùt constat ex dictis Num. 63. Ergo.

Tertiæ probationis sequelam facilè Concedo, sed Nego ex hac concessa sequi *Filium, & Spiritum S.* non cognoscere aliquid, quod cognoscit *Pater*. Cùm enim *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* habeant sibi communicatam per identitatem realem, *Essentiam seu Naturam Divinam*, & omnia prædicata DEI absoluta, Eædem Sanctissimæ Personæ habent sibi communicatam Omniscientiam, & Intellectum essentialem omniscium. Et per hunc, quidquid cognoscit *Pater*, id ipsum cognoscit *Filius*, cognoscit itèm *Spiritus Sanctus*. Ad alteram ulterioris sequelæ partem, Respondeo cum Distinctione: Sequeretur, quòd non omni modo possibili uni Personæ, repugnante verò aliis Personis cognoscerent aliquid omnes, & singulæ Personæ, Concedo sequelā. Sequeretur, quòd non omni modo possibili, qui sit possibilis omnibus, & singulis Personis, omnes, & singulæ Personæ cognoscerent aliquid, Nego sequelam. Et Dico: Cùm modus cognoscendi spectans ad origines, & processionem Personæ, proprius uni Personæ, & Notionalis, nimirum modus cognoscendi *dicendo* seu proferendo *Verbum*, ità sit possibilis uni Personæ, scilicet *Patri*, ut idem ipse modus repugnet *Filio*, & *Spiritui S.* aliàs his ipsis Personis nō repugnaret, esse *Patrem*; sequitur, quòd *Pater* objecta ità cognoscat *dicendo*, & proferendo *Verbū*, ut nec *Filius*, nec *Spiritus S.* tali modo cognoscant, hoc est, ut nō cognoscant *dicendo*, & proferendo *Verbum*. Quidquid tamē cognoscit *Pater* modo possibili, seu non repugnante omnibus, & singulis Personis, hoc est, qua claritate, comprehensione, objecta cognoscit *Pater*, eâdem cognoscit *Filius*, cognoscit & *Spiritus S.* Neque hinc sequitur, si *Patri* conveniat aliquis modus cognoscendi, qui non convenit, imò repugnat aliis Personis, *Patrem* esse perfectiorem quàm alias Personas Divinas; non sequitur inquam. Licet enim *Patri* conveniat aliquis modus cognoscendi objecta, qui non convenit aliis Personis, tamen aliis Personis conveniunt diversa prædicata per se æstimabilia, perfectioni *Patris* æqualia & æquivalentia, v. g. *Filio* convenit esse *Verbum*, esse imaginem *Patris*, esse scientiam, & sapientiam natam ex *Patre*. *Spiritui S.* convenit esse donum, esse amorem, & similia, quæ prædicata sunt æqualis perfectionis perfectioni, quam dicit cognitio activa notionalis, seu scientia *generans*, & *dictio* proferens *Verbum*, ùt dictum est aliàs Num. 36.

Quartæ Probationis Nego sequelam, & Nego parem rationem esse pro multiplicatione aliorum prædicatorum Divinorum, ut nimirùm quæcunque prædicata DEI alia sint absoluta, alia Notionalia, quæ ratio est pro multiplicitate Intellectûs, & cognitionis, ut præter Intellectum, & cognitionem essentialem detur Intellectus, & cognitio Notionalis. Non est imprimis par ratio ex doctrina Fidei, & Patrum. Etiamsi enim Patres dicant, scire in *Patre* esse, quo *Pater gignit Filium*; scire in *Filio* esse, quo hic *nascitur ex Patre*; Itèm etiamsi Patres dicant aliam esse *dictionem*, quâ profertur *Verbum*, & aliud *Verbum* quod profertur. In quibus Rationibus, & prædicatis, essentialiter includitur esse cognitionis activæ, & esse cognitionis passivæ, utriusque Notionalis: tamen Patres non discurrunt similiter, de quibuscunque aliis prædicatis Divinis. Non est etiam par ratio Theologica. Quia illa prædicata Notionalia in DEO bene admittuntur, quæ ità sunt propria uni, vel duabus Personis, ut non sint, nec possint esse communia omnibus. Porrò licèt dentur aliqua prædicata ad Intellectū, & Voluntatem referibilia, quæ ità sunt propria uni vel duabus Personis, ut non sint communia omnibus; tamen ex prædicatis ad alias quascunque perfectiones Divinas reducibilibus, non sunt prædicata talia, quæ ità uni aut duabus Personis sint

propria, ut non sint communia omnibus. Quæ enim sunt talia prædicata reducibilia ad Immensitatem vel æternitatem, quæ ità sint propria unius vel duarum Personarum, propria inquam per inclusionem in Rationibus discretivis talium Personarum, ut non sint communia omnibus? De *Natura*, & *Deitate* specialiter quare non debeat multiplicari, vide solutionem Primæ probationis Num. 36. vide itèm dicta Num. 26. Disp. 2. in solutione Secundæ Probationis.

73. Ad Secundum Respondeo: Primam Rationem poteris sic Distinguere: *Pater æternus* pro priori Originis, vel pro priori signo virtuali, cognoscit *Essentiam*, & se ipsum, antequam cognoscat attributa, alias Personalitates, & alia objecta necessaria. Nego Majorem. *Pater æternus* pro priori rationis cognoscit *Essentiam suam*, quàm cognoscat attributa, Personalitates &c. Omitto Majorem, & Dico ad ulteriorem Probationem. Quòd ad summum ordo cognitionum Divinarum ex modo nostro concipiendi, sequatur ordinem objectorum. Non verò ità sequitur, ut inter cognitiones ipsas, sit aliquis objectivus, & à parte rei ordo, sive ordo prioritatis originis, sive ordo signorum virtualium. Inter cognitiones enim Divinas ejusdem rationis, repræsentativas diversorum objectorum, cùm non sit ulla Distinctio realis vel virtualis, non est etiam ullus ordo prioritatis sive originis, sive signorum virtualium. Hic enim ordo, si est ordo originis, infert vel supponit essentialiter Distinctionem realem, si est ordo signorum Virtualium, infert vel supponit Distinctionem Virtualem. Porrò Distinctio realis inter cognitionem *Essentiæ*, quæ sit activa, & inter cognitionem attributorum pariter activam, fidei repugnat. Distinctionē autem Virtualem inter has cognitiones debere admitti nulla argumenta Theologica evincunt, quæ ipsa fidei inniti deberent. Licèt verò sit ordo aliquis rationis, seu ex modo nostro concipiendi inter cognitionem *Essentiæ*, & inter cognitionem attributorum; hic tamen ordo nihil confert ad explicandam realem processionem *Verbi*, quæ debet esse ex cognitione, prout in statu objectivo spectata. Hinc Minor simpliciter Negari debet, quòd pro illo priori (intellige rationis, neque enim aliud admitti potest) pro quo *Pater* intelligitur cognoscere suam *essentiam*, & se ipsum, quòd inquam pro hoc priori *generet Filium*. Cujus Ratio hæc esse potest: Quamdiu non est *dictio* completa, quâ *Pater* profert *Verbum*, tamdiu non ponitur *Verbum*, nec *Pater generat Filium*. Sed dum intelligitur nonnisi cognitio, quâ *Pater* cognoscit suam *essentiam*, & se ipsum, non intelligitur esse *dictio* completa, quâ *Pater* profert *Verbum*. Hæc enim *Dictio* prout completa essentialiter, est *dictio* omnium necessariò cognoscibilium, & dicibilium. Ergo *Pater* dum intelligitur cognoscere *Essentiam*, & se ipsum, & non cognoscere attributa, & Personalitates alias, non intelligitur *generare Filum*. Deinde sic arguo: Pro quo priori *Pater* non intelligitur esse *Pater*, pro illo priori non intelligitur *generare Filium*. Sed *Pater* pro illo priori rationis, pro quo cognoscitur *Essentia*, & non cognoscuntur attributa, non intelligitur esse *Pater*; *Pater* enim non est *Pater*, si non est *Dictio* proferens *Verbum*; sed non est *dictio* proferens *Verbum*, si non est cognitio activa tam *Essentiæ*, quàm attributorum, quàm Personalitatum. Cùm esse *Dictionem* horum omnium objectorum, & cognitionem, seu scientiam *gignentem*, sit de ratione *Patris*. Ergo *Pater* pro illo priori, pro quo non intelligitur cognoscere attributa, & Personalitates *Filii* & *Spiritûs Sancti*, sed solùm cognoscit *Essentiam*, & se ipsum, pro hoc inquam priori non *generat Filium*.

Secundæ Rationis Nego Antecedens, cujus falsitas deducta est immediatè in Responsione ad Rationem Primam.

Tertiæ Rationis Nego sequelam, & dico: pro illo priori originis antequam sit *Filius*, debet esse cognito *Filii*, & *Spiritûs Sancti*, eâque cognitio activa. Quia pro illo priori originis debet esse *Pater*, adeoque debet esse *dictio*, quâ profertur *Verbum*; debet itèm esse cognitio, seu scientia, quâ *Pater* scit *gignendo*, ùt loquitur S. Augustinus. Verùm pro illo priori non debet esse *Filius*, nec debet esse *Spiritus Sanctus*. Diversa enim hæc sunt: dari *Dictionem Verbi*, & cognitionem *generationem Verbum*; & aliud est, dari ipsum *Verbum*, dari itèm *Spiritum S.* Sicut diversa hæc sunt: Esse *Patrem*, & esse *Filium*

lium, & esse *Spiritum S.* Unde licèt pro illo priori originis, pro quo intelligitur esse *Pater*, sit cognitio activa Notionalis ipsius *Verbi ac Spiritûs Sancti*; tamen pro illo priori non est *Filius*, nec *Spiritus Sanctus*. Esse enim *Filium*, & *Spiritum S.* pro illo priori originis, nihil aliud esset, quàm *Filium*, *&* *Spiritum S.* esse principium productivum *Filii*, quod & fidei, & rectæ rationi repugnat. Licèt verò cognitio intuitiva ut talis, exigat existere objectum, cujus est cognitio, tamen non exigit ut suum objectum existat pro illo priori, quo est cognitio, maximè si cognitio sit productiva sui objecti. Sed satis est, quòd tale objectum sit in toto æternitatis esse, vel ejus aliquo instanti, licèt pro posteriori originis vel Naturæ. Cùm cognitio intuitiva objecti creati, non exigat dari suum objectum existens pro priori ante cognitionem, imò neque exigat illud esse in omni mensura temporis, & durationis, in qua existit cognitio intuitiva, sed solùm exigat objectum existens, pro aliqua temporis differentia.

Quartæ Rationis Nego Consequentiam cum sua Probatione. Ad ulteriorem Probationem Dico: In tantum *Verbum Divinum* procedere à *Patre*, in quantum procedit ex cognitione *Patris*, quæ non solùm est cognitio *Patris* ut objecti terminativi, seu terminantis cognitionem, sed etiam est cognitio *Patris* ùt principii productivi, hac ipsa cognitione, & *Dictione gignentis*, & proferentis *Verbum*. Idem *Verbum Divinum* non procedit à *Spiritu S.* Licèt enim *Verbum* procedat ex cognitione *Spiritus Sancti*, procedit tamen ex cognitione *Spiritûs Sancti*, præcisè ùt termini, hac cognitone repræsentati, *Spiritu Sancto* non habente rationem principii, sive respectu cognitionis, ex qua procedit *Filius*, aliàs *Spiritus Sanctus* deberet esse principium *Patris*, sive immediatè respectu *Verbi*. Hoc enim procedit ex cognitione *gignente*, seu *Dictione* proferente *Verbum*, quæ cognitio, & *Dictio* est *Pater*.

Quintam Rationem Nego, & Dico: *Verbum Divinum* licèt procedat ex cognitione *Spiritûs Sancti*, non esse tamen imaginem *Spiritûs Sancti*, ex eo, quòd ad rationem Imaginis requiratur, ut procedat à suo exemplari, ab eóque producatur vel immediatè vel mediatè, mediante specie impressa ipsius exemplaris, ab eodem exemplari producta. Ut patet in imagine Cæsaris, quæ itá est expressiva Cæsaris, ut producatur à Cæsare, mediante specie impressa causata à Cæsare in Pictore pingente imaginem Cæsaris. Quod ipsum ad rationem imaginis videtur requirere S. Augustinus, dum dicit: *si Patri est similis Filius, imago rectè dicitur. At Spiritus Sanctus similis quidem dicitur, imago non dicitur. Quia ad imaginem requiritur, ut sit similitudo naturaliter expressa ab eo, cujus est imago. Unde cùm Verbum Divinum ita procedat* ex cognitione *Spiritûs Sancti*, ut non producatur, nec procedat à *Spiritu S. Verbum Divinum* non est imago *Spiritûs Sancti*, nec est ejus *Filius*.

74. Ad Tertium Respondeo, Primæ Rationis Nego Majorem, vel certè sic Distinguo: *Verbum Divinum* potest intelligi esse sinè possibilitate creaturarum, tanquam objecto terminativo cognitionis ex qua *Verbum* procedit. Nego Minorem. *Verbum Divinum* potest intelligi esse sinè possibilitate creaturarum, alio modo se habente ad *Verbum Divinum*, & non præcisè per modum objecti repræsentati per cognitionem, quâ *Pater* dicit, & profert *Verbum*. Omitto Minorem, & Nego Consequentiam. Ad ulteriorem Probationem Dico: In suppositione impossibili, si creaturæ aliquæ nunc possibiles, fierent impossibiles, in hac inquam suppositione non producendum *Verbum Divinum*, sed etiam ipsum impossibilitandum. Tum quia in dicta suppositione debet impossibilitari Principium productivum *Verbi*, nimirum debet impossibilitari *Pater æternus*. Debet enim impossibilitari cognitio *gignens*, *&* *Dictio*, quâ *Pater* profert *Verbum*. Impossibilitato enim objecto, debet impossibilitari & ipsa cognitio repræsentativa objecti ùt possibilis, si præsertim cognitio debeat esse essentialiter vera. Tum quia in eadem suppositione Intellectio passiva expressiva omnium, quæ dicuntur à *Patre*, debet impossibilitari. Ergo debet impossibilitari, & ipsum *Verbum*, à dicta Intellectione passiva indistinctum. Nec mirum id cuipiam videri debet, siquidem juxta probabilem multorum Philosophorum sententiam, impossibilitatâ creaturâ, quæ nunc est possibilis, impossibi-

ſibilitatur Omnipotentia DEI, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ; adeoque impoſſibilitatur & ipſe *DEUS*, ejúſque *Eſſentia*.

Secundæ Rationis Concedo ſequelam, & Nego Minorem. Nego itèm propoſitionem illam: Nullius creaturæ poſſibilis cognitio entitativè Divina poteſt eſſe æquè neceſſaria, atque eſt neceſſarium entitativè *Verbum Divinum*. Quæ ſi ſubſiſteret, ſequeretur, quòd *Eſſentia* ſeu *Natura Divina* non eſſet æquè neceſſaria, ac neceſſarium eſt *Verbum Divinum*. Cùm *Eſſentia Divina* ſit per realem identitatem cognitio ſeu ſcientia creaturarum poſſibilium. Sequeretur item, quòd nec *Pater æternus*, qui eſt cognitio notionalis activa creaturarum poſſibilium ſit æquè neceſſarius, atque eſt neceſſarium *Verbum Divinum*. Illud, quod ultimò affertur, Omitto, nimirum quòd eſſe poſſibile creaturæ, minorem habeat neceſſitatem quàm *Verbum Divinum*; Et Diſtinguo Conſequens. Ergo cognitio Divina creaturæ ſumpta intrinſecè, & entitativè, minorem habet neceſſitatem quàm *Verbum Divinum*. Nego Conſequentiam. Ergo cognitio Divina creaturæ poſſibilis, ſumpta extrinſecè, & terminativè minorem habet neceſſitatem quàm *Verbum Divinum*. Subdiſtinguo: Quàm *Verbum Divinum* intrinſecè, & entitativè ſumptum. Concedo Conſequentiam. Quàm *Verbum Divinum* pariter extrinſecè, & terminativè ſumptum. Nego Conſequentiam.

Tertiæ Rationis Diſtinguo Minorem. Sed cognitio creaturarum poſſibilium, quæ ſimul per omnem identitatem tam realem, quàm virtualem eſt cognitio ipſius DEI, ejúſque *Eſſentiæ*, & aliorum prædicatorum Divinorum, non eſt cognitio beatificans. Nego Minorem. Sed cognitio creaturarùm poſſibilium ſecundùm ſe præciſè, non eſt cognitio beatificans. Concedo Minorem. Et eodem modo Diſtinguo Conſequens. Ad probationem Minoris Dico: Poſſibilitatem creaturarum non eſſe, nec poſſe eſſe beatitudinem objectivam; ſed talem beatitudinem eſſe DEUM, ejúſque Eſſentiam, ac alia prædicata Divina, quæ illa cognitione activa Notionali repræſentantur intuitivè, & comprehenſivè, quâ etiam repræſentantur creaturæ poſſibiles. Unde cognitio, quæ eſt in *Patre* creaturarum poſſibilium, eſt cognitio beatificans *Patrem æternum*, non ex eo, quia eſt repræſentativa creaturarum poſſibilium, ſed ex eo, quia eſt ſimul repræſentativa *Eſſentiæ Divinæ*, & aliorum DEI prædicatorum.

Quartæ Rationis Nego Minorem. Quare verò *Verbum Divinum* procedendo ex cognitione creaturarum poſſibilium, non ſit imago earundem creaturarũ, facilè reddetur ratio ex dictis numero præcedente in Reſponſione ad Rationẽ Quintam.

75. Ad Quartam Reſpondeo. Primæ Rationis Negando Conſequentiã. Quare verò *Verbum Divinum* non procedat ex cognitione futurorum, cùm tamen procedat ex cognitione poſſibilium, facilè patet ex rationibus Num. 64. & 65. propoſitis.

Secundæ Rationis Diſtinguo Majorem: Cognitio, ex qua procedit *Verbum* eſt cognitio omnium neceſſariò cognoſcibilium, & *Dictio* omnium neceſſariò dicibilium. Concedo Majorem. Eſt cognitio omnium cognoſcibilium tam Neceſſariorum, quàm contingentium, & eſt *dictio* omnium etiam contingenter dicibilium. Nego Majorem, & Diſtinguo Minorem. Sed objecta futura ſunt aliquod objectum contignenter cognoſcibile, & contingenter dicibile. Concedo Minorem. Sunt objectum neceſſariò cognoſcibile, & neceſſariò dicibile. Nego Minorem, & Conſequentiam. Confirmationem quoque Diſtinguo: *Pater æternus* proferendo *Verbum Divinum*, nullam reticet veritatem, quæ pertinet ad neceſſariam *Verbi* prolationem. Concedo. Nullam reticet veritatem, etiam illam, ex cujus *Dictione* ſequitur contingentem eſſe *Verbi Divini* prolationem. Nego.

Tertiæ Rationis Nego Minorem. Ad Probationem ipſius Dico: Cùm forma intelligendi ſecundùm ſe ſumpta, hoc eſt, ſumpta ſinè objecto futuro, tanquam ſui complemento, non ſit cognitio futuri quâ talis, per hoc, quòd cognitio futurorum, quoad formam intelligendi ſit neceſſaria, non ſalvatur, quòd *Verbum Divinum* procedat ex cognitione futurorum quâ talium, ſeu ex cognitione futurorum completè ſumpta. An verò cognitio præcipuè activa Notionalis, ſit forma intelligendi, & forma dicendi reſpectu objectorum contingentium, per illa complebilis,

que-

quemadmodùm cognitio absoluta, & essentialis, est forma intelligendi respectu objectorum contingentium, per illa complebilis, ùt docui Disp. 5. Examinare interim non vacat. Si etiam hoc admittetur, quòd cognitio activa notionalis sit forma intelligendi, per objecta futura complebilis, in ratione cognitionis talium objectorum, admitti consequenter poterit, *Verbum Divinum* procedere ex cognitione activa notionali, prout hæc est necessaria forma intelligendi etiam objecta futura, ità tamen, ut *Verbum* nullatenus procedat ex ipsa terminatione complente cognitionem futurorum, nec procedat ex cognitione futurorum quà talium completè sumptâ. Ad Rationem Patris Ruitz Respondeo: Cùm Necessitas rei ex suppositione contingente sit formalissimè contingentia ejusdem rei, *Verbum Divinum* non potest procedere ex cognitione rei, quæ solùm sit Necessaria ex suppositione. Quia hoc ipso procederet ex cognitione simpliciter contingente, adeoque & ipsum *Verbum* deberet esse simpliciter contingens, solùmque esset necessarium ex suppositione.

Ad Quartam Rationem Dico: *Verbum Divinum* procedere ex cognitione Decretorum DEI liberorum, & scientiæ Visionis ac mediæ sumptorum quoad formam volendi, non verò completè, & secundùm terminationem sumptorum. Et quia *Verbum* ex cognitione taliter nonnisi sumptorum actuum DEI liberorum, & contingentium procedit, non sequitur, idem *Verbum* procedere ex cognitione futurorum quâ talium.

PUNCTUM III.

De Relatione Spirationis activæ, seu de Principio Spirativo.

76. Præsuppono Primò certum ex Fide esse: Principium spirativum *Spiritûs Sancti*, à quo is procedit, non solùm *Patrem*, sed etiam *Filium* esse. Quemadmodum in symbolo Nicæno, sancta confitetur Ecclesia, ubi dicit: *Credo in Spiritum S. Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.* Hoc Fidei dogma Contra Græcos in conciliis, sed maximè in concilio Florentino propugnatum, stabilitum, & definitum est. Processionis *Spiritûs Sancti* non solùm à *Patre*, sed etiam à *Filio*, fundamentum habetur in scriptura ex illo Joan. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam Vobis à Patre, Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In quo textu Processio *Spiritûs Sancti à Patre* ità clarè exprimitur, ut clariùs exprimi non potuerit, illis nimirum verbis: *Qui à Patre procedit.* Ex eodem textu processio *Spiritûs Sancti* etiam à *Filio*, sic deducitur: Persona in Divinis quæ mittitur, procedit ab illa alia Persona, à qua mittitur. Et sic *Filius*, qui mittitur à *Patre*, juxta illud Joan. 5. *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et qui misit me Pater testimonium perhibet de me.* Hic inquam *Filius* procedit à *Patre*. Pariter *Spiritus S.* quem *Pater* mittit, procedit à *Patre*. E contra *Pater* sicut à nulla Persona procedit, ità à nulla mittitur. Ergo in Divinis Persona, quæ mittitur ab alia, procedit ab illa alia, quæ non mittitur, non procedit. Sed *Spiritus S.* mittitur à *Filio*, ùt constat ex illis verbis: *Quem ego mitto vobis à Patre*; ergo *Spiritus S.* procedit non solùm à *Patre*, sed etiam à *Filio*. Ex eodem textu, Processio *Spiritûs Sancti* etiam à *Filio*, sic adhuc deducitur: *Spiritus Sanctus* sic à *Patre* procedit, ut sit simul *Spiritus* veritatis; sed est *Spiritus* veritatis per hoc, quòd spiretur à veritate seu *Filio*, qui est Veritas, ùt ipse de se loquitur, adeoque per hoc, quòd procedat à *Filio* Ergo *Spiritus Sanctus* sic procedit à *Patre*, ut simul procedat à *Filio*.

77. Præsuppono Secundò. Quòd licèt *Spiritus S.* procedat & à *Patre*, & à *Filio*, non duo tamen sint principia spirativa *Spiritûs Sancti*, sed unum Principium; nec duabus spirationibus diversis spiretur *Spiritus Sanctus*, sed spiratione unica. Ità definitum est à Concilio Florentino, in literis Unionis, & à Concilio Lugdunensi relato, cap. unico de summa Trinitate, in VI. Decret. ubi dicitur: *Fatemur, quòd Spiritus S. æternaliter à Patre, & Filio, non tanquam ex duobus Principiis, sed tanquam uno Principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit.* Hoc ipsum bene ante hæc concilia sensit, & professus est S. Augustinus lib. 5. de Trinitate. cap. 14. *Fatendum est, Patrem, & Filium Principium esse Spiritûs Sancti, non*

duo Principia ;ſed ſicut Pater , & Filius unus DEUS , & ad creaturam relativè , unus Creator , ſic relativè ad Spiritum S , unum Principium.

His præſuppoſitis circa Principium ſpirativum , & ſpirationem activam *Spiritûs Sancti* , Puncto præſenti hæc ſunt determinanda : Primò, principiũ ſpirativum *Spiritûs Sancti* , qua ratione , & qua unitate ſit unum ? & quomodo ſalvari debeant contradictoria , ſi quæ de *Patre* , & *Filio* , ac de Principio ſpirativo verificantur. Secundò : an *Spiritus S.* diſtinguatur realiter ſive *à Patre*,ſive *à Filio*?an verò à ſolo nonniſi Principio ſpirativo. Tertiò : Spiratio activa, ſive ad *Patrem*, ſive ad *Filium* comparata, qualis ſit , & quomodo ſe habeat ?

§. I.

Principium ſpirativum *Spiritûs Sancti* , quâ ratione , & unitate ſit unum, & contradictoria , ſi quæ de Perſonis *Patris* , *& Filii* , & de Principio ſpirativo, verificari debent, quomodo ſalventur ?

Videri cuipiam poteſt, Principium ſpirativum *Spiritûs Sancti*, eſſe quidem Principium unum , ùt volunt adducta Concilia, ſed eſſe unum unitate quaſi collectiva, ſeu unitate eſſentialis determinationis ad *Spiritum S.* Spirandum , quæ unitas complectatur *Patrem* , & *Filium* , tanquam duo inadæquata Principia , conſtituentia unum Principium adæquatum. Cæterùm.

78. Dicendum eſt : *Patrem* , & *Filium* eſſe unum Principium *Spiritûs Sancti* unitate indiviſibilitatis excludentis diſtinctionem , & partialitatem Principiorum Spirativorum. Eſt concluſio conformis adductis Conciliorũ definitionibus, & menti S. Auguſtini.

Probatur. Tum quia *Pater* , & *Filius* eo modo ſunt unum principium Spirativum *Spiritûs Sancti* , quo *Pater* , & *Filius* ſunt unus *DEUS* ; quo itèm *Pater* , *Filius* , & *Spiritus S.* relativè ad creaturas ſunt unus Creator, ùt vult S. Auguſtinus; ſed *Pater* , & *Filius* ſunt unus *DEUS* unitate indiviſibilis, & perfectiſſimè ſimplicis *Naturæ Divinæ*. Itèm *Pater* , & *Filius* ſunt unus Creator abſque omni multiplicitate virtutis creativæ , & creationis ad extra , reſpectu unius ejuſdémque effectûs. Ergo pariter *Pater* , & *Filius* ſunt unum Principium Spirativum *Spiritûs Sancti*, unitate perfectiſſimæ ſimplicitatis, & indiviſibilitatis, non complectente plura principia partialia Spirativa. Tum quia ſecundùm definitionem Conciliorum , *Pater* , & *Filius* non ſunt duo principia,ſed unum Principium Spirativum *Spiritûs Sancti*. Atqui ſi eſſent unum unitate aliquam diviſibilitatem , & partialitatem ſupponente , adhuc ſimpliciter duo eſſent principia, non quidem totalia , ſive excluſivè ſive poſitivè , ſed eſſent duo principia inadæquata , & partialia. Ergo. Certè hac definitione conciliorum aliquid conſtitutum eſt , quod fideles circa principium ſpirativum tenere debent , ità , ut aliò declinare fas non ſit. Sed nihil tale oſtenditur , niſi definitio Conciliorum , juxta Concluſionis explicationem , & ſenſum intelligatur. Ergo. Tum quia *Pater* , & *Filius* unica Spiratione activa ſpirant *Spiritum S* , hoc eſt, qua ſpiratione ſpirat *Pater*, eadem omnino ſpirat *Filius*. Ergo & Principium ſpirativum conveniens *Patri* , & *Filio* eſt unicum , cùm Principium ſpirativum à ſpiratione activa ſit omnino indiſtinctum. Tum quia *Pater* , & *Filius* in omni illa ratione ſunt unum , & ſummè unum , in quaratione non dicunt oppoſitionem producentis , & producti ; hæc enim oppoſitio eſt unica ratio admittendæ diſtinctionis realis in Divinis. Sed *Pater*, & *Filius* in ratione ſpirativi Principii non dicunt oppoſitionem producentis, & producti. Ergo *Pater* , & *Filius* in ratione Principii ſpirativi ſunt quid unum, & ſummè unum , adeoque *Pater* , & *Filius* ſunt unum Principium ſpirativum unitate ſũma excluſiva diſtinctionis realis , & partialitatis principiorum inadæquatorum ſpirativorum.

79. Dicendum eſt Secundò. Prædicata contradictoria , ſi quæ dicuntur de *Patre* , & *Filio* , ac de Principio ſpirativo, eo modo ſalvari debent,quo ſalvantur cõtradictoria dicta de *Eſſentia* , & *Perſonis Divinis*.

Ratio eſt. Quia eadem eſt neceſſitas ſalvandi contradictoria, quæ ſecundùm Fidei principia, dici debent de Principio ſpirativo,

vo, & de Personis *Patris*, *&* *Filii*, v. g. salvandi hæc contradictoria: *Esse principium spirativum, est una Relatio. Esse Patrem, & esse Filium, non est una Relatio.* Quæ est necessitas salvandi contradictoria, quæ secundùm fidem dicuntur de *Essentia*, *& Personis*. In modo etiam salvandi contradictoria, quæ de Personis *Patris*, & *Filii*, ac de Principio spirativo verificantur, non videtur esse specialis difficultas à difficultate, quæ est in salvandis contradictoriis dicibilibus de *Essentia*, & *Personis*, ratione cujus difficultatis modus ille salvandi contradictoria, dicibilia de principio spirativo, & de Personis *Patris* & *Filii*, aut non sufficiat, aut non valeat, aut etiam repugnet, qui tamen non repugnat, sed valet, & sufficit ad salvanda contradictoria, quæ dicuntur de *Essentia*, *& Personis*. Ergo. Porrò modus salvandi hujusmodi contradictoria, est per Distinctionem realem inadæquatam extensivè inter principium spirativum, & inter Personas *Patris*, & *Filii*, singillatim sumptas, & per Distinctionem virtualem intrinsecam inter Principium spirativum, & inter Personas *Patris*, & *Filii* simul sumptas.

Pro solvendis Objectionibus.

80. Noto primò. Etiamsi Intellectio creata sit principiũ volitionis, & amoris creati, tamen Intellectio activa, & passiva in Divinis non sunt ità Principium amoris, qui est *Spiritus sanctus*, ut excludant Spirationem activam his realiter identificatam, quæ sit principium proximum, & immediatum respectu *Spiritûs sancti*. Tum quia etiam in creatis Intellectio non est ità principium actûs voluntatis, ut excludat aliud principium. Tum quia in Divinis unica indivisibili spiratione debet spirari *Spiritus S.* Intellectio autem activa, seu *gignens*, & Intellectio passiva, seu *nascens*, sub his ipsis rationibus non sunt unica Spiratio. Cùm secundùm has rationes, utpote relativè oppositas, debeant distingui realiter.

Noto secundò. Illa contradictoria nonnisi & verificari, & salvari debere de Principio spirativo, & de Personis *Patris*, & *Filii*, & per ordinem ad illa debet dari Distinctio virtualis intrinseca, non verò per ordinem ad quæcunque alia verificanda, & salvanda, quæ contradictoria debere verificari de ipsis, cogit aut Fides, aut ratio Theologica Fidei principiis innixa.

Noto tertiò. Licèt de Principio spirativo, & de Personis *Patris*, & *Filii* proportionatè discurri debeat in salvandis contradictoriis, quæ verificari debere deducitur ex Fide, vel ex Ratione certa Theologica, atque discurrebatur de *Essentia Divina*, & *Personalitatibus*; tamen non est discurrendum eodem modo in aliis omnibus. Ultra enim illa, quæ Fides, aut certa Ratio Theologica verificari docet sive in his, sive in illis, progredi fas non est.

Noto quartò. Quòd etiamsi *Pater*, & *Filius* sint unum Principium spirativum *Spiritûs sancti*; etiamsi itèm *Pater*, & *Filius* sint unus Spirator; possunt tamen *Pater*, & *Filius* dici duo Spirantes. Cujus Ratio est: quia, ùt S. Thomas docet, nomina adjectiva numerum, & multiplicitatem habent secundùm supposita, de quibus dicuntur. Jam verò nomina substantiva numerum, & multiplicitatem habere debent à se ipsis secundùm formam significatam. Cùm ergo esse spirantem, sit nomen adjectivum, hoc nomen habet numerum secundùm pluralitatem, & distinctionem suppositorum *Patris*, *& Filii*. Et sicut hæc supposita, seu Personæ sunt duæ, ità dici potest, & solet duos esse spirantes in Divinis. E contra cùm esse Spiratorem sit nomen substantivum; & forma hoc nomine significata sit unica, nimirum, cùm unica sit spiratio, & unicum Principium spirandi, ab unicitate hujus formæ habet unicitatem nomen Spiratoris, ità ut in Divinis sit unicus Spirator.

§. II.

An à solo Principio spirativo distinguatur realiter *Spiritus S.* an certè distinguatur realiter tam *à Patre*, quàm *à Filio*?

81. Ratio dubitandi hæc esse potest. Quia in Divinis illa distinguuntur realiter immediatè, inter quæ est oppositio producentis, & producti. Cùm ergo inter Principium spirativum, & *Spiritum S.* sit oppositio producentis, & producti, è contra inter *Patrem*, *& Spiritum S.* itèm inter *Filium*,

um, *&* *Spiritum S.* non videatur esse oppositio relativa producentis, & producti, habetur hinc, quòd licèt Principium spirativum distinguatur realiter imediatè à *Spiritu S.* non debeat tamen distingui realiter immediatè *Pater*, nec *Filius à Spiritu sancto*. Nihilominus, quia Fides docet in Divinis tres esse Personas à se realiter distinctas, necesse est Personam *Spiritûs S.* esse realiter immediatè distinctam tam à *Patre*, quàm à *Filio*.

82. Dico proinde: non solùm Principium spirativum distingui realiter immediatè à *Spiritu S.* sed etiam distingui tam *Patrem*, quàm *Filium*.

Probatur. Tum quia nisi distinguerentur *Pater*, *&* *Filius* à *Spiritu sancto*, tolleretur *Trinitas* Personarum Divinarum, nec essent *Pater*, *&* *Filius*, *&* *Spiritus S.* tres realiter à se distinctæ Personæ. Siquidem *Pater*, *&* *Filius*, licèt à se realiter immediatè distinguerentur, tamen non distinguerentur realiter immediatè à *Spiritu sancto*. Atqui repugnat *Patrem*, *Filium*, *&* *Spiritum S.* non esse tres realiter distinctas Personas, & non dari *Trinitatem* Personarum. Ergo. Tum quia si quid obesset, quò minùs *Pater*, *&* *Filius* distingueretur à *Spiritu sancto*, obesset hoc, quòd nec *Pater* secundùm se, nec *Filius* secundùm se, dicerent oppositionem relativam cum *Spiritu sancto*. Sed dicunt oppositionem hujusmodi. Ergo. Minor probatur. Et *Pater* spirat *Spiritum S.* & *Filius* spirat eundem *Spiritum S.* Licèt enim *Pater*, *&* *Filius* non sint duo, sed unum Principium, tamen & *Pater* spirat, & *Filius* spirat tanquam unum principium, & unica spiratione. *Spiritus* verò *sanctus* procedit & *à Patre*, *&* *à Filio*, tanquam ab uno, eodémque Principio.

83. Nec obest, si dicas: inter *Essentiam*, & inter *Filium*, quamvìs *Essentia* identificetur realiter immediatè *Patri*, qui opponitur *Filio*, non est oppositio producentis, & producti. Ergo neque inter *Patrem*, *&* *Spiritum sanctum* (par est ratio de *Filio* comparato ad eundem *Spiritum S.*) est oppositio relativa, quamvìs *Pater* identificetur realiter Principio spirativo, quod relativè opponitur *Spiritui sancto*. Non obest, inquam. Nego enim Consequentiam. Ratio disparitatis est. Quia cùm *Essentia* secundùm Fidem *non generet*, *nec generetur*, *nec spiret*, *nec spiretur*, *Essentia DEI* non habet ullam oppositionem relativam cum ulla Persona Divina. E contra cùm *Pater spiret*, *Filius* itèm *spiret Spiritum sanctum*, est oppositio relativa sive *Patris*, sive *Filii* cum *Spiritu S.* adeóque est realis Distinctio inter *Patrem*, *&* *Filium*, *&* *Spiritum sanctum*. Recurrunt aliqui ad oppositionem radicalem, & dicunt, *Filiationem* non opponi quidem *Spirationi* passivæ oppositione formali, & immediata relativa, opponi tamen radicaliter, & exigitivè, quatenus *Filiatio* essentialiter exigit identificari cum *Spiratione* activa, quæ ipsa opponitur relativè *Spirationi* passivæ, seu *Spiritui sancto*. Cæterùm nisi hæc responsio compleatur, manet adhuc difficultas insoluta. Sic enim argui potest: *Essentia Divina* opponitur exigitivè, & radicaliter cum *Filiatione*, quatenus essentialiter exigit identificari *Paternitati*, quæ opponitur relativè cum *Filiatione*, neque tamen *Essentia Divina* distinguitur realiter à *Filiatione*. Ergo pariter, licèt *Filiatio* opponatur exigitivè, & radicaliter cum *Spiratione* passiva, quatenus exigit identificari *Spirationi* activæ, tamen *Filiatio* non distinguitur à *Spiratione* passiva. Huic difficultati ut satisfiat, data Responsio sic compleri debet. *Filiationem* opponi radicaliter, & exigitivè *Spirationi* passivæ oppositione sufficiente ad hoc, ut *Filiatio* distinguatur realiter à *Spiratione* passiva, opponi, inquam per id, quòd *Filiatio* ità exigat identificari *Spirationi* activæ, ut nullatenus exigat identificari Spirationi passivæ, imò essentialiter exigat non identificari eidem. E contra *Essentia Divina* cùm essentialiter exigat identificari æqualiter omnibus Personis Divinis, omnibus etiam Relationibus, nimirum *Patri*, *Filio*, *Spirationi activæ*, *&* *Spirationi passivæ*, seu *Spiritui sancto*, nulli illarum opponitur radicaliter, & exigitivè oppositione relativa sufficiente ad inferendam Distinctionem realem inter *Essentiam*, & quamcunque *Personam* Divinam.

84. Noto: In Divinis ex hoc, quòd non solùm Principium spirativum, seu Spirator distinguatur realiter immediatè, & adæquatè à *Spiritu sancto*, sed etiam quòd ab eodem *Spiritu sancto* distinguatur *Pater*, & *Filius*, non inferri, quòd in DEO detur, & admitti debeat Quaternitas repro-

probata à Concilio Lateranensi cap. *Damnamus* de summa Trinitate. Neque enim infertur, debere dari quaternitatem Personarum, seu quatuor Personas. Etiamsi enim *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* sint tres Personæ, tamen *Spirator* non est quarta Persona. Tum quia ratio Personæ cùm sit individua subsistentia naturæ rationalis, non debet esse ratio communis duabus aliis Personis. Ratio verò Spiratoris est ratio communis duabus aliis Personis, *Patri* videlicet, & *Filio*. Tum quia Personæ in Divinis sunt subsistentiæ relativæ realiter adæquatè immediatè à se distinctæ. Sed ratio Spiratoris non est subsistentia relativa realiter adæquatè immediatè distincta ab aliis subsistentiis relativis, seu Personalitatibus. Non distinguitur enim realiter adæquatè immediatè à Personalitate *Patris*, nec à Personalitate *Filii*. Ergo ratio Spiratoris non est Persona in Divinis. Non infertur deinde ex distinctione Spiritûs S. non solùm à Principio spirativo, sed etiam à *Patre*, & *Filio*, non infertur, inquam, debere admitti quaternitatem rerum à Concilio Lateranensi damnatam; qualem dari docuit Gilbertus Porretanus, quatenus docuit erroneè, tres Personalitates realiter immediatè adæquatè à se distinctas etiam ab *Essentia Divina* realiter immediatè adæquatè distingui. Hic enim error in eo fuit, quòd in DEO admitteret Res quatuor à se realiter immediatè adæquatè distinctas. Atqui admissa Distinctione tam Principii spirativi, quàm *Patris*, & *Filii à Spiritu S.* non admittitur, non est necesse admitti quatuor res realiter immediatè adæquatè à se distinctas. Principium enim spirativum, quod deberet esse quarta res, non est res realiter immediatè adæquatè distincta sive à *Patre*, sive à *Filio*. Non diffiteor, in Divinis non solùm posse, sed etiam debere admitti quatuor Relationes, quas admittunt communiter Theologi cum S. Thoma. Hæ tamen quatuor Relationes, cùm non sint realiter adæquatè immediatè distinctæ, non sunt quaternitas à Concilio damnata.

Neque valet, si dicas: à *Spiritu S.* non solùm *Pater*, sed & *Filius*, sed & Spirator adæquatè realiter immediatè distinguuntur. Ergo in Divinis datur quaternitas rerum adæquatè distinctarum. Non valet, inquam. Distinguo enim Antecedens: à *Spiritu sancto* non solùm *Pater*, sed & *Filius*, sed & *Spirator* adæquatè distinguuntur, ità ut etiam à se invicem *Pater*, *Filius*, & *Spirator* adæquatè distinguantur. Nego Antecedens. Ità ut *Pater*, *Filius*, & *Spirator* non distinguantur realiter adæquatè à se invicem. Concedo Anteced. & nego Conf.

§. III.

Spiratio, quâ *Pater*, & *Filius* spirant *Spiritum S.* qualis sit comparata ad *Patrem*, qualis comparata ad *Filium*?

Docuit nonnemo Spirationem activam, quâ *Pater* spirat *Spiritum sanctum*, habere se influxivè ad eundem *Spiritum S.* Spirationem verò, quâ *Filius* spirat *Spiritum sanctum*, habere se directivè, & determinativè.

85. Respondeo, & Dico: quòd eodem omnino modo tam *Pater*, quàm *Filius* spirent *Spiritum sanctum*; nimirum spirat illum uterque per influxum physicum, seu per productionem physicam, & uterque determinativè.

Ratio est. Tum quia secundùm definitionem Conciliorum: in Divinis unum est Principium spirativum *Spiritûs sancti*. Unica itèm est Spiratio, sicut unicus est terminus productus, nimirum unicus *Spiritus sanctus*. Atqui non esset unicum Principium spirativum, nec unica Spiratio. Cùm alia sit spiratio, quæ se habet influxivè ad *Spiritum sanctum*, & alia, quæ se habet directivè; aliud itèm sit Principium physicè influens, & aliud directivè influens. Ergo. Tum quia *Spiritus sanctus* non procedit ex cognitione, nec per Intellectum. Sic enim procedere, est proprium *Verbi*. Sed procedit per Voluntatem, & ex amore activo. Ergo *Spiritus sanctus* non procedit ità à *Filio*, ut *Filius* directivè se habeat ad ejus productionem. Cùm enim directio spectet propriè ad Intellectum, habeatúrque per cognitionem dirigentem, *Spiritus sanctus* si procederet directivè à *Filio*, deberet procedere ex cognitione, & per Intellectum.

Quòd etiam tam *Pater*, quâm *Filius* habeant se determinativè ad Spirationem passivam, hinc est: quia uterque illorum simul est ultima determinatio activa, vi cujus existit *Spiritus sanctus*; sicut *Pater* est

est ultima determinatio activa, vi cujus existit *Filius*. Siquidem *Pater*, & *Filius* simul sunt unicum Principium essentialiter ex se determinatum ad producendum *Spiritum sanctum*, & sunt unica Spiratio activa essentialiter determinata ad producendum eundem *Spiritum sanctum*: nec præterea est ulla ratio, ob quam *Filius* habeat se determinativè, & non *Pater* in spirando *Spiritu sancto*.

PUNCTUM IV.

De Persona *Spiritûs sancti*, ejúsque Processione.

De *Spiritu sancto* an & per qualem voluntatem, hoc est, an per voluntatem essentialem, an certè per voluntatem notionalem? ex quali itèm, & quorum objectorum amore procedat, discurri proportionatè debet, atque discurrebatur Puncto secundo Quæstionis præsentis de *Filio*, dum ageretur, an & quomodo per Intellectum, & ex quali cognitione *Filius* procedat. In præsenti duo præcipuè scholasticè discutienda veniunt. Primum: An si *Spiritus sanctus* non procederet à *Filio*, sed solùm procederet è *Patre*, distingueretur adhuc à *Filio*? Secundum: An, si *Spiritus sanctus* procederet à *Filio*, non procederet verò à *Patre*, distingueretur à *Patre*.

§. I.

An, si per impossibile *Spiritus S.* non procederet à *Filio*, distingueretur adhuc à *Filio*?

86. Diversimodè, & ex diversis principiis præsentem difficultatem resolvunt Theologi. Nam imprimìs aliqui existimant, suppositiones impossibiles prorsus inutiles esse ad inferendum aliquid, & ex quavis suppositione impossibili sequi æqualiter utrumque contradictorium. Unde secundùm hanc opinionem, ex hac hypothesi impossibili: *Si Spiritus S. non procederet à Filio*, deberet inferri, quòd *Spiritus sanctus* & distingueretur, & non distingueretur à *Filio*. Secundò: Censent alii, ex suppositione impossibili posse determinatè inferri unum ex prædicatis contradictoriis, nec debere inferri utrumque; cæterùm illationem debere fieri, non ex tota hypothesi, sed arguendo ex solo prædicato hypothesis. Juxta hanc doctrinam docent: si ex prædicato nonnisì hujus hypothesis: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, arguatur, posse inferri hoc determinatè prædicatum, quòd non distingueretur à *Filio*. Tertiò: Alii volunt posse bene inferri ex suppositione impossibili unum determinatè prædicatum ex contradictoriis, etiam arguendo ex tota hypothesi, hoc est, arguendo, & ex subjecto, & ex prædicato hypothesis, dummodo in tali hypothesi non ponantur tales termini, qui æqualiter inferant ambo contradictoria, de quibus agitur. Hi ipsi docent, ex tota hac hypothesi: *Si Spiritus S. non procederet à Filio*, posse determinatè inferri unum ex prædicatis contradictoriis, hoc v. g. quòd *Spiritus sanctus* non distingueretur à *Filio*, dummodo in hypothesi non veniant tales termini, quorum unus ità inferat dictum prædicatum, ut alter terminus inferat alterum ejus contradictorium, nimirum dummodo per subjectum hypothesis non veniat terminus inferens distinctionem *Spiritûs sancti à Filio*, per prædicatum verò non veniat terminus inferens negationem distinctionis *Spiritûs sancti à Filio*: sed ut subjectum hypothesis præscindat à prædicatis, immediatè, & directè repugnantibus prædicato hypothesis, & inferentibus contradictorium illius prædicati, quod infertur ex prædicato hypothesis. Seu ùt alii loquuntur, ex illa hypothesi: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*: posse inferri unum determinatè ex contradictoriis, v. g. hoc: quòd distingueretur à *Filio*, si dicta hypothesis formetur in sensu Græcorum, qui erroneè opinabantur *Spiritum sanctum* non procedere à *Filio*, habere tamen alia prædicata *Spiritui sancto* propria: ut processionem per voluntatem à *Patre*, esse amorem passivum notionalem, esse donum, & similia. Qualiter formata hypothesis secundùm Sanctam Ecclesiam Catholicam Romanam est omnino impossibilis, à Græcis verò recentioribus erroneè existimatur esse possibilis, & vera.

Hoc suppositô Scotus cum sua subtili Schola docet, quòd *Spiritus sanctus*, si non procederet à *Filio*, adhuc distingueretur ab eodem. E contra Angelicus Doctor S. Tho-

S. Thomas cum aliis ferè omnibus Theologis docet, quòd *Spiritus sanctus*, si non procederet à *Filio*, non distingueretur etiam à *Filio*.

87. Dicendum est primò: Ex hac hypothesi quamvis impossibili: *Si Spiritus S. non procederet à Filio*, posse determinatè inferri unum ex his contradictoriis: vel quòd non distingueretur à *Filio*, vel quòd distingueretur ab eodem.

Probatur. In tantùm ex dicta hypothesi non posset inferri unum determinatè prædicatum, v. g. hoc: quòd *Spiritus S.* non distingueretur à *Filio*, in quantùm vel omnis suppositio impossibilis esset tollens se ipsam, & inutilis ad inferendum unum determinatè contradictorium, sed deberet inferre quodvis utrumque contradictorium, vel in quantùm hæc præsens hypothesis, de non processione *Spiritûs sancti*, etiam à *Filio*, esset suppositio tollens se ipsam, & inutilis ad inferendum unum determinatè contradictorium, sed utrumque inferens. Atqui neutrum dicitur. Ergo.

Non potest dici primum. Tum quia etiamsi omnis suppositio impossibilis eo sensu dici possit tollens se ipsam, quòd ùt talis dicat contradictionem, & repugnantiam, seu prædicata se invicem tollentia, non omnis tamen suppositio est tollens se ipsam taliter, ut debeat inferre quævis alia contradictoria, patet hoc in pluribus instantiis. Nam hæc suppositio: *Si Angelus esset corpus*: est suppositio impossibilis, neque tamen infert hæc contradictoria: quòd & esset substantia, & non esset substantia. Licèt enim tam ex esse Angeli, quàm ex esse corporis bene inferatur Esse substantiæ; ex neutro tamen hoc prædicato bene infertur non Esse substantiæ. Hæc itèm suppositio: *Si existat unio animæ S. Petri cum corpore ejusdem, & non existat dicta unio*: est suppositio impossibilis, neque tamen infert hæc alia duo contradictoria; quòd & existeret anima S. Petri, & non existeret. Licèt enim ex existentia unionis bene inferatur existentia animæ, quæ unitur; Quia ex existentia modi bene infertur existentia modificati, tamen ex non existentia unionis, non bene infertur non existentia animæ. Quia ex non existentia cujuscunque modi non bene infertur non existentia modificati. Tum quia suppositio impossibilis, quæ in re, & ex parte objecti est talis, ex parte actûs, & ex modo nostro concipiendi potest præscindere ab impossibilitate, & ab altero contradictorio. Licèt ergo ex suppositione impossibili, quæ etiam ex parte actûs esset talis, deberent inferri duo contradictoria, tamen ex suppositione impossibili præscindente ex modo concipiendi ab impossibilitate, non debent inferri duo contradictoria, sed unum nonnisì plerumque inferri potest. Porrò illatio unius ex alio fit ùt plurimùm, prout illud aliud venit ex modo nostro concipiendi, & prout per actum Intellectûs proponitur, non verò prout est à parte rei: Ergo. Tum quia si omnes in universum suppositiones impossibiles essent tollentes se ipsas, eo sensu, quòd deberent inferre quodvis duplex contradictorium, adeóque essent inutiles ad quidquam determinatè inferendum, non daretur modus plures veritates probandi, & deducendi; multæ enim non possunt deduci, nisì dependenter à suppositione impossibili, ex qua tamen non possent deduci. Præsertim si unus affirmet rem esse impossibilem, facilè quævis argumenta explodet, dicendo: cùm ex suppositione impossibili arguatur, ambo contradictoria quæcunque æqualiter sequi. Atqui hoc non est dicendum. Ergo.

Non potest deinde dici secundum: nimirum, quòd hæc in particulari suppositio: *Si Spiritus S. non procederet à Filio*: sit suppositio tollens se ipsam, & inutilis ad quidquam determinatè inferendum circa distinctionem *Spiritûs sancti à Filio*. Tum quia illa suppositio impossibilis est tollens se ipsam, seu ùt dicitur, tollens se in adjecto, & inutilis ad inferendum, quæ suppositio talia dicit, & involvit prædicata, ut qua ratione ex uno illorum infertur tertium prædicatum, eadem vel pari ratione ex alio debeat inferri quartum prædicatum contradictoriè oppositum tertio, seu quæ suppositio dicit, & affert prædicata connexa cum duobus prædicatis contradictoriis, ex tali suppositione inferendis. Et sic suppositio impossibilis involvens contradictoria, est suppositio tollens se ipsam, & inutilis ad inferendum prædicatum convertibile cum uno ex contradictoriis ipsius hypothesis. Siquidem ex tali suppositione, seu hypothesi, æqualiter inferri potest, & debet prædicatum convertibile

 cum

cum altero prædicato contradictorio hypothesis, quod necessariò erit contradictorium prioris illius prædicati, ex tali hypothesi illati, v. g. in particulari hæc hypothesis : *Si Petrus esset homo, & non esset homo*, est tollens se ipsam, & inutilis ad inferendum hoc prædicatum : quòd Petrus esset animal rationale. Qua ratione enim ex Esse hominis per hypothesim affirmato de Petro, infertur, quòd sit animal rationale, ea ratione ex non Esse hominis itidem per hypothesim enunciato de Petro, debet inferri non Esse animalis rationalis. Sed hæc suppositio : *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, non affert, nec involvit prædicata, quæ sint æqualiter coñexa cum distinctione, & negatione distinctionis *Spiritûs sancti à Filio*, & quæ inferant utrumque hoc contradictorium. Esse enim *Spiritûs sancti*, non infert distinctionem à *Filio*, ùt contra Scotistas docent alii Theologi. Etsi fortè negatio processionis *Spiritûs sancti à Filio* inferat negationem distinctionis ab eodem. Quodsi Esse *Spiritûs sancti*, infert distinctionem ejusdem *à Filio*, ùt volunt Scotistæ, negatio processionis ejusdē à *Filio*, ùt iidem volunt, non infert negationem distinctionis *Spiritûs sancti à Filio.* Ergo hæc suppositio : *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, non est tollens se ipsam in sensu proprio, nec inferens æqualiter utrumque contradictorium distinctionis *Spiritûs sancti à Filio*, & negationis distinctionis *à Filio.* Tum quia, etiamsi hæc suppositio : *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, ex parte objecti sit impossibilis, & dicat duplex contradictorium, illúdque sufficiens ad inferendam tam negationem distinctionis, quàm ipsam distinctionem *à Filio*, tamen hæc suppositio, prout formatur à Theologis, ex modo nostro concipiendi præscindit ab impossibilitate, & ab illis prædicatis, quæ deberent distinctionem, & negationem distinctionis *à Filio* inferre. Atqui ex suppositione præscindente ab impossibilitate, &c. non debet inferri duplex contradictorium distinctionis, & negationis distinctionis *Spiritûs sancti à Filio.* Ergo. Tum quia suppositio, quâ usus est Joannes Theologus in Concilio Florentino disputans contra Græcos, & quâ communiter utuntur alii Theologi, ex illáque inferunt alterutrum ex his contradictoriis : *Distinguitur à Filio*, *non distinguitr à Filio*, non est suppositio tollens se ipsam, nec inutilis per ordinem ad talem illationem. Si enim talis suppositio esset inutilis, nunquam eâ usus fuisset Joannes Theologus in præsentia Concilii, & auribus sapientissimorum Patrum, totam Ecclesiam repræsentantium. Non itèm eâ uterentur tot alii doctissimi Theologi. Sed hac suppositione usi sunt tam ipse Joannes Theologus, quàm S. Thomas, subtilis etiam Doctor, & alii Theologi. Ergo.

88. Dicendum est secundò. Ut ex hac hypothesi : *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, inferatur distinctio, vel negatio distinctionis *Spiritûs sancti à Filio*, non debet argui ex solo prædicato hypothesis, sed ex tota hypothesi, ità tamen, ut ex parte subjecti non veniat quidquam tale, quod inferat contradictorium illius, quod infertur ex prædicato hypothesis, seu debet argui ex hypothesi formata in sensu Græcorum.

Ratio primi est. Tum quia, sicut illatio debet fieri per propositionem, & non per unum terminum, ità ut implicet illam fieri per unum nonnisì terminum ; ità eadem illatio debet fieri ex propositione integra, vel quasi propositione, non autem ex uno termino propositionis, v. g. ex prædicato. Sed si argueretur ex solo prædicato hypothesis, tunc illatio fieret non ex propositione integrè accepta, sed ex uno nonnisì termino propositionis. Ergo. Fateor in facienda illatione Conditionati, seu Consequentis posse magìs attendi ad unum terminum, v. g. ad prædicatum, quàm ad alium terminum. Cæterùm taliter fieri illationem, non est argui ex solo prædicato ità, ut nullatenus arguatur ex subjecto. Tum quia illatio in tantùm facta, in quantùm per hypothesim supponitur prædicatum hypothesis convenire subjecto, de eóque verificari, non est illatio, per quam arguitur ex solo prædicato hypothesis ; potiùs enim per talem illationem arguitur ex convenientia prædicati hypothesis, suo subjecto, adeóque ex tota hypothesi. Sed illatio, per quam ex hypothesi : *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, inferretur distinctio, vel negatio distinctionis *Spiritûs sancti à Filio*, est illatio in tantùm facta, in quantùm prædicatum hypothesis supponitur convenire subjecto

Bibl. Jen.

jecto ejusdem; neque enim in conditionato affirmaretur, vel negaretur distinctio *Spiritûs sancti à Filio*, nisi eidem *Spiritui sancto* convenire supponeretur non processio ejusdem *à Filio*. Ergo. Tum quia ex hac hypothesi: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, taliter argui debet, quomodo arguunt alii Theologi. Alioqui non opponerentur, nec sibi contradicerent, qui ex dicta hypothesi diversas, & oppositas illationes facerent, siquidem illationem affirmativam facientes ex aliquo alio arguerent; & ex alio arguerent, illationem negativam facientes. Sed alii Theologi arguunt non solùm ex prædicato hypothesis, sed etiam ex subjecto. Scotistæ enim ità arguunt ex hac hypothesi, ut videantur in inferenda Distinctione *Spiritûs sancti à Filio*, magis attendere ad illa prædicata constitutiva *Spiritûs sancti*, quæ per subjectum hypothesis veniunt, quàm ad processionem, vel negationem processionis à *Filio*, per prædicatum hypothesis significatum. Certè etiam illi, qui asserendo, quòd *Spiritus S.* si non procederet à *Filio*, non distingueretur ab eodem, existimant, & dicunt, se arguere ex solo prædicato hypothesis, respondent ad argumenta Scotistarum arguentium magis ex subjecto hypothesis, quàm ex prædicato. Hi ergo re ipsa, & tali suo facto ostendunt, quòd etiam arguendo ex subjecto hypothesis non inferatur distinctio *Spiritûs sancti à Filio*; adeóque quòd arguendo ex tota hypothesi: *Spiritus sanctus* si non procederet à *Filio*, non deberet distingui ab eodem. Tum quia si quid obesset, quò minùs deberet argui ex tota hypothesi, obesset hoc, quòd in tota hypothesi involverentur duo contradictoria, unum in subjecto, alterum in prædicato hypothesis, quorum unum inferret distinctionem *Spiritûs sancti à Filio*, nimirum, quòd tota hypothesis sic deberet intelligi: si *Spiritus sanctus* verus, & realis, adeóque procedens à *Filio*, & ab eo distinctus, non procederet à *Filio*. Ex qualiter intellecta hypothesi, videtur debere æqualiter inferri utrumque contradictorium. Nimirum. & quòd *Spiritus S.* distingueretur à *Filio*, & quòd non distingueretur ab eodem. Sed hoc non obstat. Non debet enim sic accipi, & intelligi hypothesis. Verùm subjectum debet sumi cum præcisione ab illis prædicatis, quæ dicunt distinctionem *Spiritûs sancti à Filio*; itèm à prædicato contradictoriè opposito ipsi prædicato hypothesis. Ergo. Certè si ità intelligi deberet dicta hypothesis, etiam ex solo prædicato ejusdem non posset quidquam determinatè inferri. Quia etiam ipsum prædicatum talis hypothesis deberet similiter intelligi, deberétque involvere contradictionem, inferentem in conditionato duplex aliud contradictorium. Deberet enim accipi, & intelligi dictum prædicatum de non procedere à *Filio* vero & reali, adeóque spirativo *Spiritûs sancti*, & distincto ab eodem Spiritu. Sed taliter intellectum prædicatum involvit duplex contradictorium, & in conditionato infert æqualiter distinctionem, & negationem distinctionis *Spiritûs sancti à Filio*. Quemadmodum hæc duo infert tota hypothesis, prout ab oppositis intelligitur. Ergo ex hoc prædicato arguendo, illatio utilis esse non potest. Quodsi prædicatum hypothesis debet accipi cum præcisione aliqua necessaria ad illationem unius determinatè prædicati, dicam ego pariter subjectum hypothesis cum simili præcisione accipiendum esse, & sic illô acceptô, posse ex tota hypothesi inferri unum determinatè prædicatum. Tum quia si arguendo ex solo prædicato hujus hypothesis: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, deberet inferri, quòd *Spiritus sanctus* non distingueretur à *Filio*. Hæc illatio æquivaleret huic syllogismo: Id, quod non procedit à *Filio*, est id, quod non distinguitur à *Filio*. Sed in data suppositione *Spiritus sanctus* est id, quod non procedit à *Filio*. Ergo in data suppositione *Spiritus sanctus* est id, quod non distinguitur à *Filio* Huic autem syllogismo non æquivalet dictæ propositionis conditionalis illatio. quia hujus syllogismi illatio formalis est falsa, utpote deducta ex Majore falsa. Falsa enim est illa Major: *Id, quod non procedit à Filio, est id, quod non distinguitur à Filio. Pater* enim est id, quod non procedit à *Filio*, & tamen distinguitur à *Filio*. Debet igitur illatio fieri ex hypothesi tota, ut prædicatum restringatur per subjectum, per ejúsque propria prædicata, & illatio æquivaleat huic potiùs syllogismo: *Persona, quæ spiratur, &*

procedit à Patre, si non procedat à Filio, non distinguitur à Filio. Sed Spiritus sanctus est persona, quæ spiratur, & procedit à Patre, simúlque per suppositionem non procedit à Filio. Ergo Spiritus sanctus in dicta suppositione non distinguitur à Filio.

89. Ratio secundi est. Quia ex una parte potest sic formari hypothesis, de qua agitur, ut ex parte subjecti dictæ hypothesis non veniat ullum prædicatum connexum cum contradictorio prædicati inferendi ex prædicato hypothesis. Potest enim subjectum hypothesis, quale subjectum est ly *Spiritus sanctus* accipi secundùm alia prædicata sua propria cum præcisione à processione à *Filio* simili modo, atque accipitur à Græcis, qui utique *Spiritui sancto* alia prædicata propria tribuunt, quamvis negent, eum procedere à *Filio*, &c. Ex altera parte si hypothesis taliter formetur: Ex his prædicatis contradictoriis: *Distinguitur à Tilio*, non *distinguitur à Filio*, unum determinatè inferri potest, nec est necesse inferri utrumque. Cùm ex parte hypothesis nihil veniat illativum alterius. Ergo.

90. Dicendum est tertiò. Ex hypothesi: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio.* Ex hac, inquam, hypothesi formata secundùm præscriptum præcedentis Conclusionis, & numeri, inferri debet, quòd *Spiritus sanctus* non distingueretur à *Filio.*

Probatur primò Authoritate tum Concilii Florentini, quod §. 18. versu *de eo equidem* dicit: *Sola Relatione unam Personam differre ab alia.* Ergo inter quas Personas non intelligitur esse relatio, seu oppositio relativa, illarum Personarum una non differt, seu non distinguitur ab alia. Sed si *Spiritus sanctus* non procederet à *Filio*, inter *Spiritum sanctum*, & inter *Filium* non esset relatio, seu oppositio relativa. Ergo si *Spiritus sanctus* non procederet à *Filio*, non differret, seu non distingueretur à *Filio.* Tum quia Joannes Theologus in eodem Concilio disputans contra Græcos, sic loquitur: *Relatio apud omnes Græcos, & Latinos Divina Processione Personas multiplicat.* Ergo inter quas Personas non est Relatio, nec Processio, inter illas Personas non est multiplicitas, adeóque nec distinctio. Tum quia è mente S. Anselmi: *In Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat oppositio. Et omnia sunt distincta, ubi non obest unitas simplicitatis Divinæ.* Sed si *Spiritus sanctus* supponatur non procedere à *Filio*, inter hunc, & *Filium* non obviat oppositio. Ergo si *Spiritus sanctus* supponatur non procedere à *Filio*, *Spiritus sanctus*, & *Filius* sunt quid unum, adeóque *Spiritus sanctus* non distinguitur à *Filio.* Tum denique probatur Authoritate S. Thomæ hìc Quæst. 36. art. 2. in ⊙ sic dicentis: *Spiritus sanctus necessariò procedit à Filio, quodsi non procederet, non distingueretur ab eo personaliter.* Ergo.

91. Probatur secundò Ratione Theologica. Tum quia quando nullum est illativum Distinctionis realis *Spiritûs sancti* à *Filio*, est autem illativum identitatis realis inter *Spiritum sanctum*, & *Filium*, tunc *Spiritus sanctus* non distinguitur à *Filio.* Sed si *Spiritus sanctus* supponatur non procedere à *Filio*, nullum est illativum Distinctionis realis *Spiritûs sancti* à *Filio* sed potiùs est illativum identitatis realis inter *Spiritum sanctum*, & *Filium.* Non processio enim *Spiritûs sancti* à *Filio* non infert distinctionem realem, sed potiùs infert identitatem realem inter *Spiritum S.* & inter *Filium.* Cùm oppositio relativa in Divinis sit unicum indicium, & argumentum Distinctionis realis inter ea, quæ tali oppositione opponuntur. Neque etiam alia prædicata *Spiritûs sancti* hanc ejus distinctionem à *Filio* inferunt. Si enim hypothesis formetur, ùt debet, nulla ex parte hypothesis veniunt talia prædicata, quæ inferant distinctionem realem *Spiritûs sancti* à *Filio.* Ergo. Tum quia in hac suppositione: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, quæcunque prædicata conveniunt *Filio*, eadem conveniunt *Spiritui sancto*, & vicissim. Nimirum sicut *Filio* convenit procedere per Intellectum notionalem; itèm procedere ex cognitione, &c. Ità in dicta hypothesi *Spiritui sancto* convenit procedere per Intellectũ notionalem, & procedere ex cognitione. Et vicissim sicut *Spiritui sancto* convenit procedere per voluntatem notionalem, & ex amore, ità in data hypothesi debet convenire, & convenit *Filio*, quòd procedat per voluntatem, & ex amore. Siquidem enim tunc nullatenus distinguuntur Principium generativum, & Principium spirativum. Itèm Intellectus notionalis acti-

ctivus, & voluntas notionalis activa, pariter cognitio, & amor, sequitur, quòd in data hypothesi, quidquid procedit à Principio spirativo, procedat quoque à Principio generativo. Quidquid procedit per voluntatem notionalem, procedat quoque per Intellectũ notionalem; quidquid procedit ex amore, procedat etiam ex cognitione, & vice versa, nè novum adstruatur mysterium. Tum quia in data suppositione, Relatio *Genitoris*, & Relatio *Spiratoris*, non sunt duæ distinctæ Relationes. Utraque enim hæc Relatio convenit uni, eidémque Personæ Patris. Ergo in eadem hypothesi relatio *geniti*, & relatio *spirati*, non sunt relationes realiter distinctæ, sed sunt una, eadémque relatio; adeóque idem realiter debet esse *genitus*, & *spiratus*, idem *Filius*, & *Spiritus sanctus*. Et ulteriùs sicut in dicta suppositione Relationes *Genitoris*, & *Spiratoris*, sunt relationes disparatæ, proindéque tales, quæ uni, eidémque Personæ *Patris* conveniunt; ità in eadem suppositione relationes *geniti*, & *spirati*, ad se invicem comparatæ, sunt relationes disparatæ, proindéque tales, quæ uni, eidémque Personæ conveniant.

Proponuntur Objectiones.

92. Objicitur primò. Hypothesis assumpta: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, aut infert distinctionem realem *Spiritûs sancti à Filio*, aut est inutilis ad quidquam inferendum. Ergo. Antecedens probatur. Tum quia, dum supponis, *Spiritum sanctum* non procedere à *Filio*, vel supponis, duas esse Personas *Filium*, & *Spiritum sanctum*, & hoc ipso tibi contradicis, dum negas, *Spiritum S.* distingui à *Filio*; vel supponis, *Filium*, & *Spiritum sanctum* non esse duas realiter Personas, nec *Filium* esse aliam Personam, à Persona *Spiritûs sancti*, & hoc ipso inutilis redditur quæstio: an *Spiritus sanctus*, si non procederet à *Filio*, distingueretur à *Filio*. Id enim quærere perinde esset, atque si quæreretur: an *Spiritus sanctus*, si non procederet à *Filio* à se indistincto, distingueretur ab eodem? quæ futilis, & inutilis est quæstio. Ergo. Tum quia per illam suppositionem impossibilem vel supponitur idem esse, & manere *Spiritus sanctus*, qui est, dum supponitur procedere à *Filio*, vel non idem? si supponitur esse idem. Ergo debet esse distinctus, adeóque non potest non distingui à *Filio*, etiamsi non procedat à *Filio*. Vel supponitur non manere idem *spiritus sanctus*? Ergo suppositionem destruis, & impertinentem aliam formas. Tum quia in illa suppositione impossibili: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, deberet adhuc procedere à *Patre*. Sed hoc ipso deberet distingui à *Filio*. Certè enim deberet procedere per illam processionem, per quam nunc procedit. Sed processio, per quam nunc *Spiritus sanctus* procedit à *Patre*, est diversa à processione, quâ *Filius* procedit ab eodem *Patre*. Ergo & tunc deberet esse diversa. Consequenter *Spiritus sanctus* etiam in data suppositione per aliam diversam processionem procederet, & non per illam, per quam procedit *Spiritus sanctus*, proindéque in eadem suppositione *Spiritus sanctus* deberet esse distinctus à *Filio*.

93. Objicitur secundò. In data hypothesi *Filius* diversa adhuc haberet prædicata constitutiva, & distinctiva sui à *Spiritu sancto*. Ergo in data hypothesi distingueretur adhuc *Filius à Spiritu sancto*, & vicissim *Spiritus sanctus à Filio*. Antecedens probatur. Tum quia in data suppositione *Filio* conveniret esse *Verbum*, esse imaginem *Patris*, esse productum in similitudinem perfectam sui principii, procedere per Intellectum, &c. *Spiritui* verò *sancto* conveniret, non esse *Verbum*, non esse imaginem, non esse similitudinem sui principii, non procedere per Intellectum, sed per Voluntatem. *Filio* conveniret esse processionem, & operationem primam ad intrà. *Spiritui sancto* conveniret esse processionem, & operationem secundam ad intrà. Atqui hæc prædicata sunt diversa, & distinctiva Personarum *Filii*, & *Spiritûs sancti* à se invicem. Ergo. Tum quia unaquæque res per id distinguitur, per quod constituitur. Sed Persona *Spiritûs sancti* per alia prædicata constituitur, & non per processionem à *Filio*. Sunt enim alia prædicata notionalia constitutiva *Spiritûs sancti*, & non processio ejus à *Filio*. Ergo per hæc prædicata *Spiritus S.* distinguitur à *Filio*, & non per processionem ad eodem. Tum quia in Divinis Personæ constituuntur, & differunt secundùm originem. Sed etiamsi *Spiritus* san-

sanctus non procederet à *Filio*, adhuc esset duplex origo, idque duplex origo tam activa, quàm passiva. In *Patre* daretur duplex origo activa, nimirum *generatio* activa, & *spiratio* activa. Duplex itèm passiva: nimirum *nativitas* propria *Filii*, & *Spiratio* passiva propria *Spiritûs sancti*. Ergo. Tum quia *Filius* in esse *Filii* sicut non constituitur per *Spirationem* activam *Spiritûs sancti*, sed constituitur per *generationem*, & procesßionem per Intellectum, & in similitudinem *Naturæ*, seu sui principii, ità *Filius* ùt talis non distinguitur à *Spiritu sancto* per *Spirationem* activam, sed per alia sua prædicata. Ergo. Etiamsi per imposßibile *Filius* non spiraret *Spiritum S.* adhuc tamen distingueretur ab eodem; pariterque *Spiritus S.* etiamsi non procederet à *Filio*, tamen distingueretur ab eodem. Tum quia *Filius* distinguitur à *Spiritu S.* non solùm quatenus eundem spirat, sed etiam ùt *Filius*. Sed *Filius* ùt *Filius* non dicit oppositionem relativam cum *Spiritu S.* Ergo *Filius* independenter à tali oppositione distinguitur à *Spiritu sancto*; adeóque licèt non spiraret *Spiritum S.* deberet tamen ab eodem distingui.

94. Objicitur tertiò. In tantùm in suppositione illa impossibili: *Si Spiritus S. non procederet à Filio*, non deberet distinqui ab eodem, in quantùm in tali suppositione: *Filius*, & *Spiritus S.* dicerent ad se relationem disparatam. Sed hoc non obstat. Tum quia inter *Paternitatem*, & *Spirationem* passivam est relatio disparata, & tamen *Paternitas*, & *spiratio* distinguuntur à se realiter. Similiter est relatio disparata inter *Filiationem*, & inter *Spirationem* passivam, quæ tamen rationes distinguuntur à se realiter. Ergo pariter, licèt in suppositione impossibili: *Si Spiritus S. non procederet à Filio*, *Filius*, & *Spiritus S.* dicerent ad se relationem disparatam, adhuc deberent à se distingui realiter. Tum quia etiamsi Relationes disparatæ non sufficiant ad multiplicandas Personas, v. g. ut *Pater*, & *Spirator* sint duæ Personæ distinctæ, tamen Relationes disparatæ sufficiunt, ut terminent productiones totales. Quia relatio *Filii*, & relatio *Spiritûs sancti* sunt relationes disparatæ, quæ tamen sufficiunt, ut terminent productionem totalem *generativam*, & productionem totalem *spirativam*. Ergo in suppositione illa impossibili Relationes disparatæ *Filii*, & *Spiritûs sancti* sufficerent ad terminandas productiones totales diversas, per illásque producerentur *Filius*, & *Spiritus sanctus*, adeóque in dicta suppositione distinguerentur à se *Filius*, & *Spiritus sanctus*.

95. Objicitur quartò. In creatis etiamsi amor creatus non procedat ab Intellectione creata, tamen dictus amor est distinctus ab intellectione. Ergo etiam in Divinis licèt *Spiritus sanctus*, qui est amor, non procederet à *Filio*, qui est intellectio, tamen adhuc *Spiritus sanctus* distingueretur realiter à *Filio*.

Solvuntur Objectiones.

96. Ad primum Respondeo, negando Antecedens. Nego itèm Antecedens primæ Probationis, & dico: dum suppono, *spiritum S.* non procedere à *Filio*, neque suppono, *Filium*, & *Spiritum sanctum* esse duas Personas realiter à se distinctas; neque suppono, *Filium*, & *Spiritum sanctum* esse unam, eandémque realiter Personam, adeóque non esse duas realiter Personas, sed per hypothesim illam, præscindendo ab identitate, & distinctione reali earundem Personarum, & ab illis prædicatis *Spiritûs sancti*, quæ in conditionato inferri debent. Et hoc ipsum fieri debet in omni argumentatione, & illatione, quæ fit ex suppositione impossibili.

Secundam Probationem distinguo, & dico: Per illam suppositionem impossibilem: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, quòd esset, & maneret idem *Spiritus S.* quoad aliqua prædicata, qui nunc est. Nimirum quoad illa prædicata, quæ illationi ex tali suppositione faciendæ non officiunt, ex quibus non est necesse inferri duplex contradictorium. Non deberet verò supponi esse, & manere idem *Spiritus sanctus* quoad omnia prædicata, quæ ex parte objecti conveniunt *Spiritui sancto* vero, & reali, aliàs per subjectum hypothesis deberet supponi *Spiritus sanctus* procedens à *Filio*, manénsque ùt talis, deberétque hypothesis sic intelligi: *Si Spiritus sanctus procedens à Filio ùt talis non procederet à Filio*, quomodo formata hypothesis videtur esse inepta, & inutilis ad inferendam divisim sive negationem distinctionis *Spiritûs sancti à Filio*, sive ipsam distinctionem ejusdem. Ter-

Tertiæ Probationis nego Minorem. Ad ulteriorem Probationem dico: Per suppositionem illam impossibilem, quâ *Spiritus sanctus* supponitur non procedere à *Filio*, non excludi processionem *Spiritûs sancti à Patre*, sed hanc supponi, non debet nihilominus supponi processionem *Spiritûs sancti à Patre* eam, per omnia tunc futuram, quâ nunc procedit à *Patre Spiritus sanctus*. Cùm processio, quâ nunc *Spiritus sanctus* procedit à *Patre*, sit indivisibiliter processio à *Filio*, qualis tunc non debet supponi. Debet igitur per illam hypothesim impossibilem supponi, vel non eadem processione procedere *Spiritus sanctus à Patre*, quâ nunc procedit, sed diversa, vel certè per suppositionem illam impossibilem debet præscindi ab identitate, vel diversitate processionis, quæ tunc esset comparatè ad processionem, quæ nunc est.

97. Ad secundum Respondeo, negando Antecedens. Ad primam Probationem dico: In suppositione assumpta, quæcunque ex enumeratis prædicata convenirent *Filio*, hæc ipsa in sensu reali convenirent etiam *Spiritui sancto*. Et vicissim, quæcunque convenirent *Spiritui sancto*, eadem in sensu reali convenirent etiam *Filio*. Cùm enim in tali suppositione inter *Filium, & Spiritum sanctum* non esset oppositio relativa producentis, & producti, quæ oppositio est unica ratio distinguendi realiter Personas, non esset proinde ulla distinctio realis inter dictas Personas, consequenter nec inter prædicata *Filii*, & prædicata *Spiritûs sancti*, verùm & Personæ deberent esse omnino una, eadémque realiter Persona, & prædicata propria earundem Personarum essent omnino à se realiter indistincta. Consequenter, quæcunque prædicata convenirent *Filio*, eadem in sensu reali convenirent etiam *Spiritui sancto*, & vicissim. Ad summúmque prædicata enumerata *Filii, & Spiritûs*, quæ nunc distinguuntur à se realiter, in suppositione illa impossibili distinguerentur per rationem ab invicem.

Ad secundam Probationem Respondeo cum Distinctione: Unaquæque res per id distinguitur realiter, per quod constituitur in esse rei. Concedo Majorem. Unaquæque res per id distinguitur realiter, per quod constituitur in ratione formalitatis ratione nostra distinctæ ab alia simili formalitate. Nego Majorem. Sed Persona *Spiritûs S.* per alia prædicata constituitur in esse rei, & non per processionem à *Filio*. Nego Minorem. Sed Persona *Spiritûs S.* per alia prædicata constituitur in esse formalitatis, & non per processionem à *Filio*. Omitto Minorem, & nego Consequentiam. Potest deinde omissa Majore negari Minor, & dici: Cùm processio à *Filio* sit prædicatum *Spiritûs S.* ab aliis ejusdem *Spiritûs S.* prædicatis indistinctum, *Spiritus S.* non minùs per processionem à *Filio*, quàm per alia prædicata constituitur.

Tertiæ Probationis nego, vel distinguo Minorem. Sed etiamsi *Spiritus S.* non procederet realiter à *Filio*, daretur duplex realiter origo tam activa, quàm passiva. Nego Minorem. Daretur duplex ratione nonnisi nostra, origo tam activa, quàm passiva. Concedo Minorem, & nego Consequentiam, ac dico: In data suppositione sicut origo activa esset nonnisi duplex per rationem, realiter verò unica. Siquidem *generatio activa, & spiratio activa*, utpote soli *Patri* in dicta suppositione convenientes, non essent realiter, sed solùm per rationem nostram distinctæ; ità origo passiva esset nonnisi duplex per rationem, realiter verò esset unica. Quia *Nativitas, & processio, seu spiratio passiva*, per rationem nonnisi in dicta suppositione distingui deberent, non verò realiter. Siquidem inter has passivas origines non esset ulla oppositio relativa, quæ illas distingueret.

Ad quartam Probationem dico: *Filium in esse Filii* à parte rei spectati, constitui per omne id, quod *Filius* à parte rei spectatus dicit per identitatem realem. Cùm ergo *Filius* per identitatem realem dicat *spirationem activam Spiritûs S.*, *Filius* à parte rei spectatus, per hanc constituitur, adeóque *Filius* per eandem *spirationem* distinguitur à *Spiritu S.* Quia verò in suppositione impossibili, in qua *Spiritus S.* non procederet à *Filio*, *Filius* non diceret *spirationem activam*, ideo in hac suppositione *Filius* non distingueretur à *Spiritu S.* nec *Spiritus S.* distingueretur à *Filio*. In hac enim suppositione neque distingueretur *Filius à Spiritu S. per spira-*

tionem activam, quia illam non diceret, neque per ullam aliam rationem, quia unica ratio distinctionis in Divinis est oppositio relativa producentis, & producti, quam *Filius* non diceret comparatè ad *Spiritum S.*, siquidem non diceret *spirationem activam*, per quam solùm nunc *Filius* opponitur relativè *Spiritui S.*

Ad postremam Probationem dico: *Filium* distingui realiter à *Spiritu S.* non solùm secundùm hoc prædicatum, quòd *spiret Spiritum S.*, sed secundùm omnia prædicata illi realiter identificata, adeóque & secundùm esse *Filii*, ità tamen, *ùt Filio*, secundùm esse *Filii*, distingui, non ex alio capite conveniat, nisì quia *spirat Spiritum S.*, ità, ut si per impossibile non *spiraret* eundem, non distingueretur ab ipso. Convenit enim *Filio* distingui à *Spiritu S.* ratione oppositionis relativæ cum *Spiritu S.* Quam oppositionem relativam siquidem non haberet *Spiritus S.* si non procederet à *Filio*, ideo in tali suppositione non distingueretur à *Filio*.

98. Ad tertium Respondeo: Omitto Majorem. Potiùs enim in data suppositione in tantùm *Spiritus S.* non deberet distingui à *Filio*, in quantùm *Filius*, & *Spiritus S.* ità dicerent oppositionem disparatam, ut nullatenus dicerent oppositionem relativam. Omissa Majore nego Minorem. Primam Minoris Probationem vel simpliciter nego, vel distinguo: Inter *Paternitatem*, & *spirationem passivam*, similiter inter *Filiationem*, & eandem *spirationem passivam* est relatio disparata, ità ut inter has ipsas Rationes non sit oppositio relativa producentis, & producti, & tamen eædem rationes distinguantur à se realiter. Nego Probationem. Inter *Paternitatem*, & *spirationem passivam*, &c. est relatio disparata, ità ut simul sit oppositio relativa, ratione cujus à se distinguuntur realiter. Concedo Probationem, & nego Consequentiam, ac dico: Inter *Paternitatem*, & *spirationem passivam* videri, quòd sit Relatio disparata. Ex parte tamen objecti inter *Paternitatem* realiter spectatam, & *spirationem passivam* est oppositio relativa producentis, & producti propter identitatem *Paternitatis* cum *spiratione activa*, quæ relativè opponitur *spirationi passivæ*. Et propter hanc oppositionem *Pater* distinguitur à *Spiritu sancto*. Quod ipsum dicendum est de *Filio* comparato ad eundem *Spiritum sanctum*, ùt constat ex dictis num. 82. Si verò per impossibile *Spiritus sanctus* non procederet à *Filio*, inter *Filium*, & *Spiritum sanctum* ità esset relatio disparata, ut nullatenus inter easdem Personas esset oppositio relativa producentis, & producti. Quare in dicta suppositione *Filius*, & *Spiritus sanctus* non deberent à se realiter distingui.

Secundæ Probationis nego Antecedens. Nimirum nego, quòd Relationes disparatæ sufficiant, ut terminent diversas productiones totales. Nego ulteriùs, quòd Relatio *Filii*, & Relatio *Spiritûs sancti*, prout sunt à parte rei, sint relationes disparatæ. Cùm enim *Filius* referatur ad *Spiritum sanctum*, tanquam *spirans* eundem, Relatio *Filii ad Spiritum sanctum* non est relatio merè disparata. Unde licèt *Filius*, & *Spiritus sanctus* terminent productiones totales, hoc est productionem *generativam*, & productionem *spirativam*, tamen non est verum dicere, quòd relationes disparatæ terminent dictas productiones. Si verò per impossibile *Spiritus sanctus* non procederet à *Filio*, tunc relatio *Filii*, & *Spiritûs sancti* essent relationes merè disparatæ. Quia tunc *Filius* nullam diceret oppositionem relativam cum *Spiritu sancto*. Quare in dicta suppositione sicut relationes *Filii*, & *Spiritûs sancti* non essent à se distinctæ, ità nec terminarent distinctas productiones totales: nimirum non terminarent productionem *generativam*, & productionem *spirativam*, quæ essent realiter à se distinctæ. Certè si in tali suppositione *Filius*, & *Spiritus S.* terminarent productiones totales distinctas, *generatio activa*, & *spiratio activa*, deberent esse realiter à se distinctæ, has enim deberent terminare *Filius*, & *Spiritus sanctus*, neque enim possunt terminare *generationem passivam*, & *spirationem passivam*. Cùm nihil se ipsum terminet. Sed in dicta suppositione *generatio activa*, & *spiratio activa*, non sunt productiones totales diversæ, & realiter à se distinctæ, cùm sint unus, idémque *Pater*, cui in tali suppositione unicè conveniret, & esse *generationem activam*, & esse *spirationem activam*. Ergo.

99. Ad quartum Respondeo: omisso An-

Antecedente. Multi enim in Philosophia docent, Intellectionem creatam influere physicè in amorem creatum, adeóque amorem etiam in creatis procedere ab intellectione. Omisso, inquam, Antecedente nego Consequentiam. Ratio disparitatis est. Quia in Divinis sola oppositio producentis, & producti infert distinctionem realem, itá ut distinctio realis immediata adæquata nullibi reperiatur in Divinis, nisi inter ea, quæ sibi opponuntur tanquam producens, & productum. In creatis verò Distinctio realis reperitur etiam inter ea, quæ non dicunt oppositionem producentis, & producti; itá ut plura signa distinctionis realis in creatis ejusdem illativa assignentur à Philosophis præter oppositionem producentis, & producti.

§. II.

An si *Spiritus S.* procederet à *Filio*, non verò à *Patre*, distingueretur à *Patre*?

100. Respondeo, & dico: quòd *Spiritus sanctus*, si per impossibile non procederet à *Patre*, sed solùm à *Filio*, distingueretur adhuc à *Patre*.

Probatur. In qua suppositione *Spiritus sanctus* dicit adhuc oppositionem relativam producti cum *Patre*, tanquam suo producente, in ea suppositione *Spiritus sanctus* distinguitur à *Patre*. Cùm enim oppositio relativa in Divinis sit unica ratio distinctionis inter ea, quæ sic opponuntur. In qua suppositione inter aliqua prædicata Divina habetur hujusmodi ratio distinctionis, in ea suppositione habetur & ipsa distinctio inter eadem prædicata. Sed in suppositione illa impossibili, in qua *Spiritus sanctus* procederet nonisi à *Filio*, non verò à *Patre*, *Spiritus sanctus* diceret adhuc oppositionem relativam ad *Patrem*, & *Pater ad Spiritum sanctum*. Diceret enim oppositionem relativam *Pater* ad *Filium*, à quo *Filio* procederet *Spiritus sanctus*. Et per hoc ipsum *Pater* diceret oppositionem relativam ad *Spiritum sanctum*, & *Spiritus sanctus* ad *Patrem*.

Nec obstat, quòd hæc oppositio relativa *Patris ad Spiritum sanctum* esset oppositio mediata, non verò immediata, similis oppositioni, quâ Avus opponitur suo nepoti. Non obstat, inquam. Oppositio enim mediata relativa in Divinis, qualis esset inter *Patrem*, & *Spiritum sanctum*, procedentem à *Filio*, est oppositio sufficiens ad inferendam distinctionem realem immediatam inter ea, quæ tali oppositione opponuntur. Si enim in dicta suppositione *Spiritus sanctus* procedens à *Filio*, & non à *Patre*, ratione oppositionis mediatæ non distingueretur à *Patre*, deberet *Spiritus sanctus* esse idem realiter cum *Patre*, deberéntque *Spirituì sancto* convenire omnia prædicata, quæ conveniunt *Patri*; adeóque in dicta suppositione *Spiritus sanctus* deberet esse Principium *generativum Filii*, à quo procederet. Sed Sequela non est admittenda. Nimirum admitti non debet, quòd *Spiritus S.* in dicta suppositione sit Principium *generativum Filii*, & simul procedat à tali suo principiato. Quia universaliter implicat, ut aliquid sit principium productivum sui principii, à quo procedit, & dum actu ab ipso procedit, ut sanior docet Philosophia. Nec quidquam cogit ad asserendum, & admittendum oppositum. Debet igitur id, quod procedit ab aliquo principio, esse distinctum non solùm ab immediato suo principio, sed etiam à principio ulteriore, & mediato, debétque oppositio relativa etiam mediata inferre distinctionem realem inter ea, quæ tali oppositione opponuntur. Consequenter *Spiritus sanctus*, si procederet à *Filio*, & non procederet à *Patre*, deberet adhuc distingui realiter à *Patre*, tanquam à Principio immediati Principii, â quo procedit. Confirmatur. Ex suppositione illa impossibili id inferendum est, circa Distinctionem *Spiritûs sancti à Patre*, quod inferri, nec Principiis lumine naturæ notis, nec principiis Fidei repugnat, imò per principia lumine naturæ nota inferri est necesse. Neque enim facilè quæcunque suppositio impossibilis asserenda est suppositio tollens se ipsam, & inutilis ad quidquam inferendum. Mysteria etiam similia, & æquivalentia Mysterio *Trinitatis*, non debent multiplicari, nisi Fides cogat ad illa multiplicanda. Sed ex illa suppositione: *Si Spiritus sanctus non procederet à Patre*, inferri, quòd distingueretur à *Patre*, non repugnat prin-

principiis lumine naturæ notis, imò ipsis est conforme. Non repugnat etiam principiis Fidei. Nulla enim sunt talia principia Fidei, quæ cogant ad inferendam ex tali suppositione negationem distinctionis *Spiritûs sancti à Patre*, dum principia lumine naturæ nota cogunt ad inferendam ex eadem suppositione distinctionem *Spiritûs sancti à Patre*. Certè si quod principium Fidei cogeret ad inferendam negationem distinctionis inter *Spiritum sanctum*, *&* *Patrem* ex assumpta suppositione, cogeret illud, quod secundùm Fidem unica ratio, & fundamentum distinctionis realis in Divinis debeat esse oppositio relativa. Sed hoc non cogit. Nam ex hoc fundamento inferimus potiùs distinctionem *Spiritûs sancti à Patre* in data suppositione extendendo illud non solùm ad oppositionem relativam immediatam, sed etiam ad oppositionem relativam mediatam, ut in Divinis debeant realiter immediatè distingui, quæ alterutra hac oppositione opponuntur.

Pro solvendis Objectionibus.

101. Noto primò. Etiamsi in illa suppositione impossibili: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio*, idem *Spiritus sanctus* non distingueretur ab eodem *Filio*, tamen in hac altera suppositione: *Si Spiritus sanctus non procederet à Patre, procederet verò à Filio*, *Spiritus sanctus* deberet distingui à *Patre*. Ratio disparitatis est. Quia in priore suppositione impossibili: *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, Spiritus S.* nullam relativam oppositionem diceret cum *Filio*. Non immediatam; siquidem ùt supponitur, non procederet à *Filio*. Non mediatam; quia *Filius* non est principium remotum, & mediatum respectu *Spiritûs sancti*. Nullam verò dicendo oppositionem relativam *Spiritus S.* cum *Filio*, non debet distingui à *Filio*. Siquidem in Divinis oppositio relativa est unica ratio distinguendi realiter ea, quæ sibi opponuntur relativè, E contra in altera illa suppositione impossibili: *Si Spiritus sanctus non procederet à Patre*, sed solùm à *Filio*, *Spiritus sanctus* diceret adhuc oppositionem relativam cum *Patre*, non quidem immediatam, siquidem *Spiritus* non procederet à *Patre*, diceret tamen oppsitionem mediatam. Quia procederet à *Filio*, cujus Principium productivum est *Pater*. Et ratione talis oppositionis *Spiritus sanctus* in illa suppositione deberet distingui à *Patre*.

Noto secundò. Ad oppositionem relativam mediatam duo requiri: Imprimis requiritur, ut principium, à quo res, v.g. Persona, procedere dicitur, producat talem rem, seu Personam per realem, & physicam productionem. Requiritur deinde, ut à Principio, quod dicitur mediatum, producatur itidem per physicam, & realem productionem ipsum Principium immediatum rei, sive Personæ, à quo hæc procedit. Quæ duo, ubi interveniunt, est oppositio relativa mediata, sufficiens ad inferendam realem distinctionem inter principium mediatum, & inter rem, seu Personam à principio immediato procedentem. Quodsi aliquid horum defuerit, non erit oppositio relativa mediata. Hinc *Essentia Divina* non dicit oppositionem relativam mediatam cum *Filio*. Licèt enim *Pater* sit Principium immediatum per productionem physicam, & realem productivum *Filii*, tamen *Essentia Divina* non est Principium physicè productivum *Patris*, seu *Paternitatis*, sed nonnisi est Principium virtualiter emanativum ejusdem *Paternitatis*. Et per consequens *Essentia Divina* non distinguitur à *Filio*, quemadmodum *Spiritus S.* deberet distingui à *Patre*, à quo per suppositionem impossibilem non procederet, sed solùm à *Filio*.

Noto tertiò. Licèt de facto inter Personas Divinas, prout nunc secundùm fidem opponuntur sibi relativè, sit oppositio relativa immediata, seu oppositio Principii immediatè physicè productivi cum suo principiato; sufficit tamen ad inferendam distinctionem realem, saltèm per ordinem ad suppositionem impossibilem, oppositio relativa mediata, ùt ostensum est num. præcedente. Sed & in suppositione vera, & reali processionis, qualis de facto datur, *Pater* distinguitur à *Spiritu sancto* ratione duplicis oppositionis relativæ, quarum una est immediata, vi cujus *Spiritus S.* immediatè procedit à *Patre*. Altera est oppositio relativa mediata conveniens *Patri*, quatenus *Pater* est Principium *Filii*, qui *Filius* unà cum *Patre* spirat *Spiritum sanctum*.

No.

Noto quartò. Dum per suppositionem impossibilem excluditur Processio *Spiritûs sancti à Patre*, excludi processionem immediatam, ex vi cujus *Spiritus sanctus* immediatè procederet, & spiraretur à *Patre*; non excludi verò Processionem, quæ dici potest mediata, ex vi cujus *Filius* procederet à *Patre*, & deinde à *Filio* sic procedente procederet *Spiritus sanctus*.

Noto quintò. Licèt oppositio producentis, & producti in suppositione vera, & reali, ac principaliter per ordinem ad statum verum, & realem, sit ratio distinguendi realiter in Divinis illa, inter quæ talis oppositio intercedit, tamen etiam in suppositione impossibili locum habere videtur, potéstque ex suppositione impossibili illatio fieri attendendo ad oppositionem hujusmodi, dummodo suppositio impossibilis taliter formetur, ut in eo nonnisi sit mutatio, & variatio, in quo per hypothesim assumptam fieri supponitur; in iis itèm, quæ hinc consequuntur, de reliquo manentibus, & existentibus, salvis, & inconcussis Fidei, & luminis rationis Principiis, & suppositis ùt talibus.

Et hæc de DEO Uno, & Trino hactenus tractata sufficiant. Immensum est Divinitatis pelagus, unius libri angustiis contineri, & exhauriri non potuit, sed nec tota exhaurietur æternitate. Satis tamen indè derivavimus, si ea, quæ hìc delibata sunt, fuerint prolusio perfectæ ejusdem Divinitatis contemplationis, ex eáque felicis tota æternitate Beatitudinis. Quia verò Corona illa, nobis hìc adhuc peregrinantibus est reposita, in præsenti hujus operis, & laboris non alia sit Corona, nisi

Major Ejusdem DEI Unius, & Trini Gloria, Admirabilis DEI Matris Immaculatè Conceptæ Virginis, Sanctorúmque Tutelarium Honor, & Veneratio.



INDEX PRIMUS
Diſputationum, Quæſtionum, aliorúmque Titulorum hujus Tractatûs.

§. III.

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

Primus Numerus Disputationem,
Secundus indicat Numerum Marginalem.

A.

E.

F.

H.

I.

L.

R.

S.



BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

27.33a




Biblioteka Jagiellońska
stdr0016484